A. Lat. b. 4°
85.

Capella

BIBLIOTHECA

REGIA
MONACHENSIS.

Digitized by Google

<36622081110011

<36622081110011

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

MARTIANI

MINEI FELICIS

CAPELLAE,

AFRI CARTHAGINIENSIS,

LIBRI NOVEM.

PARS PRIOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

MARTIANI

MINEI FELICIS

CAPELLAE,

AFRI CARTHAGINIENSIS,

LIBRI NOVEM.

PARS PRIOR.

Digitized by Google

Apud Franciscum Varrentrapp, librarium Moeno-Francofurtensem, hi quoque U. F. Korrn libri venales prostant:

Palaeographia critica, Vol. I — IV in 4to.	pret. 20 duc. aur.
Bilder und Schriften der Vorzeit, B. I — II.	» 3 » »

Digitized by Google

MARTIANI
MINEI FELICIS
CAPELLAE,
AFRI CARTHAGINIENSIS,
DE
NUPTIIS PHILOLOGIAE ET MERCURII
ET DE SEPTEM
ARTIBUS LIBERALIBUS
LIBRI NOVEM.

AD CODICUM MANUSCRIPTORUM FIDEM

CUM NOTIS

BON. VULCANII, HUG. GROTII, CASP. BARTHII, CL. SALMASII, H. J. ARNTZENII, CORN. VONCKII, P. BONDAMI, L. WALTHARDI, JO. AD. GOEZII, HENR. SUSII, MARC. MEIBOMII ALIORUMQUE

PARTIM INTEGRIS PARTIM SELECTIS

ET COMMENTARIO PERPETUO

EDIDIT

ULRICUS FRIDERICUS KOPP,

HASSUS CASSELLANUS.

FRANCOFURTI AD MOENUM MDCCCXXXVI

PROSTAT APUD FRANCISCUM VARRENTRAPP.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

VIRO

ILLUSTRISSIMO, SPLENDIDISSIMO,

AMPLISSIMO,

ALEXANDRO DAHMEN,

MAGNI DUCIS BADARUM CONSILIARIO INTIMO, PROVINCIAE RHENANAE INFERIORI PRAEFECTO,

S. P. D.

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PROFESSOR MARBURGENSIS.

En redit ad Te heredem soceri Tui, viri immortalis, extremum opus, quod illum absolvere dira necessitas non est passa, Tu tamen pro insigni Tua pietate et munificentia affectum jacere noluisti, ne quid monumenti interiret, quod ille vel debere se posteritati existimasset, vel gratam olim posteritatem sibi acceptum referre voluisset. Quamvis enim dudum praeclarissimis libris editis non modo aequalibus nomen suum insigniter commendaverat, verum etiam famae aeternitati abunde consuluerat, ipse tamen sibi neutiquam satisfecisse videbatur, nisi Martianum Capellam quasi postliminio in philologorum manus reduxisset, cujus multiplicem reconditamque doctrinam quum in

elaborandis posterioribus Palaeographiae Criticae partibus cognovisset adamassetque *), utilissimum scriptorem a Grotii inde aetate fere neglectum jacere identidem querebatur, neque melius se validissimam senectutem otiumque omnium rerum affluentissimum collocare posse censebat, quam si vastissimae eruditionis copias, quae sibi etiam post tot libros doctissimos editos integrae restarent, ad horreum illud disciplinarum illustrandum contulisset. Nosti, Vir Illustrissime, mentis animique vigorem, quem rara cum felicitate ad extremos usque aetatis terminos Koppius retinuerat, nosti constantiam, ne dicam pertinaciam, qua quidquid apud animum constituisset exsequi solebat, neque in hac editione paranda sibi defuit: quam simulatque destinasset, huic cogitationi omnes suas vires impendebat, hanc die noctuque secum volutabat, quidquid ageret, ad Martianum suum referebat, schedas suas vel peregre proficiscens secum portabat; quid multa? adeo significabat nihil sibi magis cordi esse, ut profecto piaculum commisisse videremur, si vel Tu sumtus, quos ille liberalissime erogaverat, negasses, vel ego operam meam, quam vivo pollicitus eram, mortuo continuare detrectassem. Quamquam longe diversa utriusque nostrûm causa est: siquidem Tu omni pietatis officio cumulate satisfecisti, ego haud scio an ne illud quidem satis praestiterim, quod vivo Koppio receperam, nedum defuncti in locum dignus tanto nomine vicarius successerim; verumtamen quia et Tu volebas, et ipsae operis incepti rationes sic ferebant, nec me recusante videbam qui tantum laborem imponi sibi pateretur, feci quod potui, satisque habeo illud me effecisse, ut qualem Koppius voluerit totus et integer Martianus post plus quam ducentorum annorum intercapedinem cum apparatu critico et exegetico quali nunquam antea in lucem prodeat; libri ipsius causas tantum exponere meum erat, patrocinium aliis relinquo, licet rationis reddendae officium nec Koppii nec meam vicem recusare possim. Nam quoniam de me quoque dicendum esse video, debeo hoc non modo Tibi, cujûs singularis fiducia post illius obitum omnem hanc curam meae

*) Ipsius judicium exstat in palaeogr. T. III, p. 272.

unius fidei atque industriae crediderit, verum etiam ipsius viri immortalis memoriae, quem quum ab eo inde tempore, quo Vos me amicitia Vestra dignum existimastis, quasi alterum patrem summa cum pietate atque observantia prosecutus sim, minime deceat eo in negotio destituere, cujus ille me rationum consiliorumque omnium fere participem fecerit ita, ut nihil propemodum majoris momenti in tota hac opera praestitum sit, cujus non causas et argumenta ex ipsius ore perceperim, neque universam tantum instituti formam identidem mihi exposuerit, sed de plerisque etiam gravioribus quaestionibus consilia mecum contulerit, ipsasque adeo schedas, quas commentandi causa festinante calamo conscripsisset, perlustrandas mihi commiserit judiciumque meum de iis candidissime efflagitarit. Quod tamen ne jactandi causa me dicere existimes, ut aliquam scilicet operis meritique partem a Koppio in meum nomen transferam, nec Te fugit, Vir Illustrissime, multo illum faciliorem fuisse in audiendis quam in sequendis aliorum consiliis, utque omnino non consentaneum erat hominem propositi tenacissimum aliena auctoritate ab institutis suis deterreri, ita hoc in negotio haud scio an eadem prorsus res, quapropter ille et operam meam et judicium qualecunque expeteret, simul in causa fuerit ut monitis meis minus quam equidem vellem uteretur. Etenim, ut statim in praefationis limine ingenue profitear, quod etiam non dicente me quivis harum literarum gnarus ex ipso opere cognoscet, non erat Koppius, qualem nunc philologum esse volumus, vel a linguarum, inprimis Graecae, interiore notitia, vel a subtilioribus artis criticae atque exegeticae legibus omnino instructus, neque id mirum esse poterit in sene, qui quum robustissimam aetatem negotiis publicis gerendis impendisset, magnamque vitae partem in summo honoris fastigio constitutus inter gravissima munera principumque consilia transegisset, prope quinquagenarius demum turbarum civilium perpetuaeque rerum omnium conversionis pertaesus ad harum se literarum studia contulerit, ac ne tum quidem in una earum parte constiterit, sed totum eruditionis orbem mente sua comprehenderit, dumque et orientalibus literis

et medii aevi monumentis illustrandis incumberet, usu magis et quadam benignissimi ingenii facultate quam ratione et ordine singularum notitiam sibi comparare potuerit. Multa lectitaverat, multa in adversaria retulerat non minus dispositione quam vastitate insignia, tantumque aberat ut doctrinae mole obrueretur, ut omnes suas copias in numerato haberet acerrimoque cum judicio dispensaret; eam denique assidua lectione Latine scribendi exercitationem contraxerat, ut etiamsi non ornato et exquisito dicendi genere, tamen perspicuitate et flumine orationis ne philologis quidem doctissimis cederet; at vero rationes, quas vel in explicandis emendandisque priscis scriptoribus vel in rebus historicis aut mythologicis dijudicandis hujus quidem aetatis philologi sequuntur, nec satis cognitas habebat, nec si habuisset probaturus nedum adsciturus esse videbatur. Quippe cum ipsis studiorum suorum argumentis conjunctum erat, ut vetustiores potius auctores, inprimis Batavos, quam recentiores lectitaret; quorum eum exemplum hac ipsa in editione adornanda exprimendum sibi proposuisse, vel externa operis forma monstrat, quod quasi extremum ad illarum editionum seriem accedit, quae ante hos centum et quod excurrit annos Drakenborchiorum, Burmannorum, Oudendorpiorum studiis Lugduni Batavorum cum variorum notis prodierunt. Quaecunque enim ad Martianum illustrandum emendandumve scripta essent, sive recte sive secus dicta esse viderentur, ipsorum auctorum verbis quantum fieri posset integris servatis nominibusque adjectis complecti voluit; neque in editoribus tantum substitit, quorum sane exigua opera ante ipsum in enarrando scriptore omnium difficillimo cernebatur, verum etiam aliorum commentarios, Barthii adversaria, Salmasii exercitationes Plinianas, Arntzenii miscellanea, Vonckii specimen criticum, Bondami varias lectiones, et quoscunque praeterea aliquid in transcursu de Martiano annotasse nosset, in usum suum convertit, ipsos denique illas quas imitabatur editiones diligenter excussit excerpsitque; recentiores Martianum parum respexisse notum est, quorum si quem adhibitum videbis, ego plerumque, si quid forte occurreret, Koppio contuli. Hinc autem sequebatur,

ut interna quoque commentarii indoles eorum potissimum ingenium referret, unde materiam operi petiisset; quos etsi minime contemnendos auctores dixerim, hodie tamen satis constat et in docta farragine coacervanda haud raro modum excessisse, et rem criticam non tanta cum cura et diligentia quanta nunc fieri soleat factitasse, et in reprehendendis aliorum sententis justo interdum acerbiores fuisse, neque efficere potui, ut Koppii annotatio his naevis omnino careret; nonnihil quidem resecui vel contraxi, ubi praeter necessitatem sibi indulsisse videretur, sed omnia nequibam, quin color ingenuus virique ingenium periret. Una tantum in re et ipsos illos Batavos acerrime reprehendebat ab eorumque auctoritatibus et exemplis longissime discessit, sed ut simul etiam omnes philologiae rationes susque deque haberet, in lectione inquam conformanda atque dijudicanda, quo in negotio ita plerumque versatus est, ut diplomaticum potius quam criticum cognoscas. Et primum quidem conjecturis uti pertinacissime renuebat: quas licet ipse ex beatissimi ingenii fonte interdum praeclarissimas funderet, tamen Barthiorum et Heinsiorum vestigiis deterritus cane pejus et angue metuebat, ac ne manifestissima quidem lectionis mendа sine externa auctoritate corrigere audebat; quod ut in plurimis aliis scriptoribus, quorum melior fortuna fuit, omnino probandum foret, ita in Martiano, quem innumerabilium librariorum inscitia corruptissimum ad nos pervenisse constat, sic certe temperandum erat, ut etsi conjecturas, quae opinione tantum niterentur, respueret, correctiones tamen, quae ipso sententiae tenore interna cum necessitate confirmarentur, recipere ne dubitaret. Nam si qua lectio ex orthographiae tantum pronunciandive diversitate orta videretur vel aliunde extrinsecus sive ex ipso scriptore sive ex aliquo fonte, quem ille ante oculos habuisset, corrigi posset, ipse Koppius sine ulla haesitatione emendabat, qua ipsa in re haud scio an interdum audacius grassatus fuerit correxeritque quae non librariorum sed ipsius Martiani peccata essent; alias contra mutationes, licet sensus evidentissime flagitaret, acriter recusabat, nisi in uno aliquo codice exstare vidisset, saepe philologos increpans, qui veteres scriptores pro arbitrio refingerent nec

finem audaciae usquam invenirent. Sed hac in causa nec ego valde ei repugnabam, satius ipse ratus parum quam nimis audaciae ad veteres libros emendandos attulisse, et si quid posteris corrigendum relinquamus, librariorum errores esse quam nostros; sed multo aegrius ferebam, quod nec librorum scriptorum copia, quam habebat, ita eum uti videbam, ut philologorum, quales nunc sunt, desideriis judiciisque omnino satisfacturus esset. Quae res monet, ut quantum equidem indagare potuerim codicum indicem, quos vel a Koppio ipso vel ante eum usurpatos invenerim, oculis Tuis subjiciam. Primum igitur quos a viris doctis ante Koppium commemoratos novi hi sunt:

1) Vulcanii codices, quorum etsi semel tantum in notis ad §. 805 mentionem invenies, accuratiorem tamen notitiam infra ex ipsius Vulcanii verbis accipies. Praeterea Grotius ad §. 644 Vulcanii se codicem sequi narrat, qui num scriptus fuerit an editus, decernere non audeo.

2) Grotii codex, singulis fere paginis commemoratus; quas praeter hunc appellet membranas (§. 838) optimas (§. 849), quia praefatione ipsius careo, ignoro; codices autem quos aliquoties nominat Basileensem (§. 810. 860. 951), Lugdunensem (§. 644. 860. 951), Veicetinum (§. 644. 772. 860. 951), haud scio an nihil nisi editiones sint antiquissimae Vicentina (1499), Basileensis (1532), et Lugdunensis (1539), quod num recte conjecerim, ii quibus harum ipsarum copia est existiment.

3) Codex Lindenbrogii sive ut Grotius eum appellare maluit Tiliobrogae, quo is in Germania usus esse dicitur (§. 468. 804).

4) Bongarsii codex, cujus lectiones ad duos priores libros ex bibliotheca Bernensi publicavit Walthardus (§. 31. 36, neque alius esse videtur quem Walthardum in medium protulisse ad §. 19 annotatum est).

5) Barthii codices in Adversariorum libris et commentariis ad Statium identidem adhibiti. Si non plures, duos certe fuisse colligas ex iis quae ad §. 21. 132. 570 leguntur; unum tamen prae ceteris extollit membranaceum

(§. 22) bonae antiquiorisque notae quam omnes (§. 20), quem et cascum librum ibidem et thesauri instar sibi carum dicit.

6) Vossianus codex quantivis pretii, ut Arntzenii verbis utar (§. 11), cujus ex Miscellaneis ejus lectiones passim Koppius repetiit.

7) Bondami excerpta, quibus ille in Variis Lectionibus usus est.

8) Codices quos Salmasius in exercitationibus ad Solinum identidem adhibuit; semel plutearios libros appellat (§. 644), ut Mediceos innuere videatur, alibi (§. 700) tantummodo antiquissima exemplaria se vidisse testatur.

9) Codices antiquissimi Leidenses, quorum passim mentio exstat in notis Oudendorpii ad Appulejum, Munckeri ad Mythographos, Burmanni et aliorum, ut Hemsterhusii quoque (ad §. 905), neque alios esse arbitror, quos fidos appellat Gronovius in loco ad §. 905 allato. Quinque commemorantur in nota ad §. 29, quo tamen numero haud scio an etiam unus alterve sequentium contineatur.

10) Libri manuscripti qui in Wesselingii Itinerariis commemorantur (§. 643. 668. 669).

11) Cauchianus codex a Burmanno commemoratus (§. 903).

12) Codex a Zinzerlingio laudatus in loco ad §. 2 allato.

13) Scriveriani duo a Meibomio ad librum de Musica usurpati, quorum tamen alterum etiam in primo libro (§. 37) ab Oudendorpio excitatum invenies.

14) Wassii codices tres ad §. 651 et 659 commemorati, quorum unus vetustissimus Collegii Corporis Christi Cantabrigiensis appellatur.

Sedulo collegi, quae ex commentariis Koppianis peti possent; quae si in nonnullis minus accurate enotasse videar, veniam dabis plerorumque illorum librorum usu destituto; plurima tamen culpa ipsorum virorum doctorum erit, quos constat illa aetate codicum notas neutiquam tanta cum diligentia distinxisse, quantam hodie philologi adhibere solent. Neque Koppius, ut plerumque illos imitabatur, vel de iis codicibus, quorum primus ipse lectiones edidisset, quidquam scriptum reliquit, unde propius eos quam ex

annotationibus per commentarium dispersis cognoscere liceat; quodsi de nonnullis saltem accuratiora afferre potui, debeo hoc Federo, Viro illustrissimo atque eruditissimo, Magni Ducis Hassiae consiliario aulico et bibliothecae Darmstattensis praefecto, quem quum olim Koppii in usum aliquos codices inprimis Anglicanos contulisse nossem (vide §. 27 et 195), statim postquam a Te certior factus eram, nihil quod ad praefationem aliquam vel prolegomena pertineret in schedis defuncti reperiri, precibus adii, ut quae ipse de codicibus a Koppio usurpatis haberet mecum communicaret, neque insignis viri humanitas spem meam fefellit. Quorum igitur codicum, qui apud Koppium primum commemorantur, a Federo notitiam accepi, hi sunt, omnes, ut ille affirmat, membranacei:

1) Bodlejanus primus Oxoniensis, formae majoris, characteribus minusculis scriptus sec. XI, in catalogo librorum MSS. Britanniae et Hiberniae numero 1397 insignitus.

2) Bodlejanus secundus formae quadratae minoris sec. XIII vel XIV num. 3413 art. 5, duos tantum priores libros complectens.

3) Mertonianus formae maximae eleganter scriptus sec. XIII vel XIV, in eodem catal. I. 2. (colleg. et aul. cod. p. 25) numero 758 notatus. Hujus raro tantum mentionem facit Koppius (§. 7. 15).

4) Britannicus musei regii (§. 92 extr. 151) sec. X vel XI num. 2685 art. 4 in catalogo codd. Harlejanorum in museo Britannico (IV voll. fol. 1808 — 12, cujus tamen collatio sub libri tertii principium substitit.

5) Cantabrigiensis, cujus lectiones a Bentlejo editioni Grotianae adscriptas invenit Federus hac nota addita: „MS. bibl. publ. Cantab. 500 annorum"; unde colligit eum esse, qui in catal. MSS. Brit. et Hibern. I. 3 num. 2434 sive publ. 234 insignitus sit, non qui ibidem p. 138 num. 1458 sive coll. S. Bened. 181 exstet antiquissimus, quem equidem Wassii potius codicem supra commemoratum esse existimo.

6) Denique Darmstattensis, olim Coloniensis, formae quadratae mem-

branaceus, cujus haec descriptio legitur in Cat. codd. MSS. bibl. eccl. metrop. Colon. p. 138: „Cod. 193 alt. 10; lat. 8 Martiani Minei Felicis Capellae libri duo de nuptiis philologiae et Mercurii, ejusdem libri VII de artibus liberalibus, glossae etc. — — liber sec. IX dignus.“ Monet tamen Federus hunc titulum in codice non inveniri, sed in principio quidem haec legi: „Iste Martianus genere Cartaginensis fuit, studuit autem primo“ etc., in fine autem: „Martiani Minei Felicis Capellae Afri Cartaginensis de armonia liber nonus explicit feliciter“ addita insuper tabula inscripta: „hi sunt tropi XV hoc est formae canonum qui peraguntur in cithara XXVIII cordarum“, simili ut videtur illi quam Koppius p. 726 ex codice Monacensi exhibuit; praeterea non noni sed decimi potius seculi manum videri contendit; recentiorem tamen esse non posse ipsum Koppium colligere memini ex nota Tironiana in glossa ad §. 152 conspicua. Hunc quippe codicem Federi benevolentia sibi commodatum ipse Mannhemii contulerat; reliqui, quorum pariter ipse lectiones collegisse videtur, hi sunt:

7) Dresdensis, et ipse, si recte comperi, membranaceus, cujus tamen ultra secundum librum mentionem non inveni.

8) Hugianus celeberrimi professoris Friburgensis, pariter ut videtur in fine secundi libri cesinens.

9) Basileensis, cujus in duobus prioribus libris passim mentio exstat.

10) Reichenauensis, nunc Carlsruhensis, qui secundum Darmstattensem plurimum utilitatis per totum opus praebuit.

11) Ettenheimmünsteriensis, qui pariter nunc Carlsruham translatus est, octavum tantum librum continens.

12) Monacenses, qui septem numero commemorantur, sed ut unus tantum eorum (C) totum opus complecti videatur; alius (F) in quarto tantum libro commemoratur, alius (G) intra priores duos consistit; verum et reliquorum collationem non ultra secundi libri finem accurate persecutus esse videtur, siquidem ran tantum in posterioribus eorum mentio exstat (§. 731.

740. 840); primus modo (A), cujus in principio rarissimus usus erat, ad sextum et septimum librum saepius adhibetur.

13) Guelferbytanus, cujus lectiones a Cortio enotatas in margine libri Lipsiensis (§. 7) Koppius invenerat, unde et Cortii variantes interdum appellavit (§. 8. 43): sed hae quoque in fine secundi libri deficiunt (§. 220).

14) Postremo accedunt lectiones in Norimbergensis libri margine ab ignota manu nescio unde enotatae, quarum quum frequentissima in duobus prioribus libris, tum etiam in sexto hic illic mentio exstat; probae plerumque, sed ut ob eam ipsam causam correctionum interdum potius quam vetustae auctoritatis speciem prae se fe ant, licet Koppius eas pari semper cum libris scriptis loco habuerit.

Vides, Vir Illustrissime, haud profecto exiguo apparatu instructum Koppium ad Martianum emendandum accessisse, quem etsi facile arbitror multis praeterea augeri potuisse, quia Martianus scholarum in usum, quibus per aliquot secula unicus fere veteris disciplinae fons erat, multis exemplaribus divulgatus esse videtur, tamen si antiquae et bonae notae codices fuerunt, non exiguum emaculandae lectionis adminiculum erat. Sed hae ipsa de quaestione, quae in re critica factitanda primaria est, imperfectum tantum et mutilum nobis judicium reliquit, utque nonnulla, quae de codicum suorum aetate et indole fortasse traditurus erat, morte ipsius intercepta sint, facile tamen quivis commentarium ejus lectitans intelliget, pari plerumque auctoritate omnes apud eum fuisse, nec ponderanda modo verum interdum ne numeranda quidem eorum suffragia visa esse. Nam quum duo tantum lectionum genera distingueret, vulgatum et quod scriptis libris contineretur, illud quidem, si nullus codex contradiceret, acerrime retinebat, idem tamen, si ita videretur, haud raro ex unius manuscripti auctoritate lectionem reliquorum omnium silentio confirmatam corrigebat; quod ut recte interdum fieri nemo negat, temerarium tamen esse omnes concedent, nisi singulorum virtutes accuratissimo examine perpenderis familiasque et classes eorum distinxeris, praesertim quum

aliud periculum sit, quod ipsum Koppius non satis evitasse videtur, ut si quos ipsi codices contulerimus, his quasi paterno quodam amore faveamus eorumque auctoritatem cupidius saepe quam tutius sequamur. Quamquam ne horum quidem, quos sua ipse manu tractasset, lectiones omnes enotavit, sed eas tantum, quas vel in usum suum aliquo modo convertere vellet, vel quarum enotandarum aliquam causam haberet; nec quamvis identidem admonente me adigi poterat, ut plenam et integram lectionis varietatem exhiberet, quam inter inanes philologorum paleas referebat; quid quod earum quoque, quae in Grotianae editionis margine memoratu haud raro dignissimae leguntur, plus quam dimidiam partem prorsus omiserat, quas si in posterioribus libris paulo diligentius exscriptas invenies, ego hoc mihi sumsi, ne quid mea culpa in amicissimi viri libro desiderari posset. Verum omnino typis expressorum librorum non qualem debebat rationem habuit; quorum qui Grotianam editionem antecedunt, uno tantum anteriorum vocabulo comprehendit, ut nec quos potissimum inspexerit appareat, et falsa species oriatur, quasi una eademque illorum omnium lectio sit, quam Grotius demum quocunque modo immutaverit; quod longe secus esse vel ex duarum praefationum comparatione apparebit, quarum altera principi altera Vulcanianae editioni praefixa est. Principi enim, quae impressa est Vicentiae a. 1499 per Henricum de Sancto Urso, praemittitur epistola Francisci Vitalis Bodiani ad reverendum in Christo patrem et dominum D. Joannem Chaeregatum divina providentia episcopum Catharensem, ubi inter alia haec leguntur: „Verum inter cogitandum me „non vulgaris tenuit admiratio: quum rei impressoriae dexteritate omnes fere „boni codices in lucem prodierint, cur tamdiu delituerit Martianus, quem „impressorum qui cupiditate lucri latebras omnes indagando solent esse dili„gentissimi, ut quippiam novi, quo magnopere detinent mortales, aucupa„rentur, nemo ad hunc usque diem attentaverit imprimere; at sumpto Minei „Capellae codice in manibus illico destiti admirari; quandoquidem eum sic „mendosum comperi, ut nec agnoscere auctorem suum posset nec agnosci.

„Itaque ego quoque rei difficultate territus pene retraxi pedem... nisi me „potissimum generosa prudentia et spectata eruditione adolescens Dominicus „Portensis cum quibusdam familiarissimis cohortati fuissent; quibus quum „multa perversa et falsa corrigi et in veram lectionem redigi posse dicerem, „nunquam destiterunt, donec me ut hoc gravissimum et formidandum onus „susciperem perpulere, instantes ut quoad possem excussis priscorum mo- „numentis, unde Martianum fuisse mutuatum arbitrarer, novem ejus vo- „lumina pro viribus emendarem. — — Supra duo milia a nobis loca reposita „sunt, quae ita esse multa et diligenti lectione apud gravissimos auctores „comperimus; reliqua si qua sunt iis reliquimus cognoscenda, quibus major „in Encyclopaedia eruditio majusque supererit ocium" etc. Vulcanius autem Brugensis, qui Martianum cum Isidoro Hispalensi conjunxit in editione Basi- leensi 1577, in praefatione ad Gerardum a Groesbeck, episcopum Leodiensem, ita de ratione operis sui disputat: „Arreptis in manus tam excusis quam „manuscriptis Isidori codicibus, quos a multo tempore ex Hispania et Belgico „conquisieram, dedi operam ut eum ab innumeris iisque foedissimis mendis „repurgarem pristinoque suo nitori quoad ejus fieri posset restituerem; hac „autem in parte eam rationem tenui, ut ne temere quicquam immutarem „nisi consentientibus inter se veteribus *ἀντιγράφοις* et errore ex ignorantia „scribarum vel operarum typographicarum orto manifesto se prodente. Neque „enim eos mihi imitandos censui, qui religiosa quadam diligentia sese jactitantes „(quam tamen potius inanem superstitionem aut ineptam ostentationem appel- „laverim) ubi plurium codicum manuscriptorum consensu locus aliquis, quem „sensus ipse corruptum esse indicat, emendari potest, priorem tamen eumque „vitiosum textum retinere malunt, et variis lectionibus margines librorum „pariter et lectores onerant. Ego vero hasce varias lectiones nonnisi quum „utraque lectio tolerari possit apposui. — — — In Martiano Capella eundem „ordinem sum secutus; quem, quum non minus quam Isidorus corruptus „esset, ad vetustissimorum codicum fidem, quos mihi partim typis excusos

„partim manu exaratos clarissimus vir et juvandae rei literariae studiosissimus „Basilius Auerbachius J. C. suppeditavit, emendavi, et scholiis partim ve- „teribus partim meis illustravi, ne verborum scabrities atque obscuritas, cui „duobus praecipue primis libris et reliquorum initiis et clausulis studuisse „videtur, multos ut hactenus ab ejus lectione deterreret.“ Et haec quidem in itinere auctumnali, quum unum diem Erlangae versarer, ex illius bibliothecae copiis festinanter exscripsi, ulterius comparando progredi nec tunc poteram nec nunc licet, quum praeter ipsas Grotianae editionis plagulas resectas, quales typographo Koppius tradiderat, nihil ad manum sit, unde de antiquorum exemplarium vel similitudine vel discrepantia judicium faciam. Illud tantum conjectura assequi mihi videor, Grotianam maximam partem ex Vulcaniana expressam esse, ut si typographi peccata excipias, quibus Grotianus textus scatet, multae lectiones, quas Grotio Koppius tribuit, Vulcanium potius auctorem habeant, in primis autem pleraeque variantium, quas idem Grotium in margine posuisse credidit, non aliae sint ab iis, quas Vulcanius se, quia ambigua optio esset, in margine adscripsisse ait; quae enim ex suo ipsius codice Grotius vel commemoranda vel recipienda censet, plerumque in notis demum affert nec raro ipse lectionem a se vulgatam damnat corrigitque, ut facile appareat novam illum recensionem nec voluisse nec dare potuisse. Verum haec hactenus; quae ideo tantum praemonenda videbantur, ne quis hanc editionem ad nostrae aetatis rationes criticas severe exigat falsave specie deceptus lector plus exspectet, quam vel ego praestare potuerim, cui furtim tantum inter typothetae specimina corrigenda unam alteramve lectionem ad paucorum codicum fidem temere mutatam restituere licuerit, vel septuagenarius senex, in quem vel eam ob causam philologis nihil juris sit, quia quaecunque haberet sibi non philologorum scholis debuerit. At enim vero si quis ex bono et aequo illum existimaverit, facile intelliget, haud profecto contemnendam operam Martiano suo praestitisse: multa ex codicibus suis correxisse, quae frustra veteres exercuissent, multa menda aperuisse, quae nemo ad hanc

usque aetatem odoratus esset, multis vel solo interpretandi acumine sensum reddidisse, quibus viri docti violentissima remedia adhibuissent, postremo si nihil aliud certe antecessores suos longissime superasse. Quorum Walthardus (Bernae 1763. 8.) et Goezius (Norimb. 1794. 8.) duos tantum priores libros sine certis rationibus neque idoneis adjumentis instructi leviter modo et inconcinne emendatos ediderant, inque plurimis non minus a Grotio pependerant, quam vel Capperonerius, qui librum quintum repetitioni rhetorum Pithoeanorum a se institutae (Argent. 1756) adjunxerat, vel ipse Meibomius, qui librum nonum subjecerat antiquae musicae auctoribus septem a se editis (Amst. 1652. 4.); ipse autem Grotius, qui in integro opere edendo Koppium proxime quamquam plus quam ducentorum annorum intervallo antecessit (Lugd. Bat. 1599. 8.), quatuordecim annorum puer, quamvis praecocis ingenii et adjuvantibus Meursio, Lindenbrogio, ipsoque summo J. J. Scaligero, tantae molis operi neutiquam par fuerat, praetereaque instantibus scilicet nundinis Francofurtensibus typographi operam tam negligenter rexerat, ut et aliis mendis foedissimis et in primis eo interpunctionis genere Martiani oratio inquinaretur, quod obscurissimo scriptori etiam spissiores tenebras offunderet; quo tamen ipso argumento luculentissime apparet, Grotium assequendae Martiani menti parum idoneum fuisse. Si quidem in media interdum periodo orationem abrupit novamque sententiam litera adeo majuscula posita exorsus est, ubi sensus sine ulla intercapedine continuabatur; alibi vero integra vocabula vel commata excidere passus est, eoque defectu tam parum offendebatur, ut ne in notis quidem lectores de eo corrigendo admonuerit. Hac autem in re ne Koppii editio laboraret, quoniam mihi editoris fiducia correctoris munus tradiderat, quanta potui diligentia curavi, nec nisi paucis in locis, quorum mentionem in margine subjeci *), ita peccatum esse confido, ut sensus turbaretur.

*) P. 254, lin. 15 leg. *sequentum* pro *sequentem*. — P. 381, lin. 2 leg. *fies profecto, decipula si adstruxeris*. — P. 609, lin. 12 leg. *ὑποτέταρτον*. — P. 624, lin. ult. leg. *si metiretur, repertum id esset, quod requisitum est; nunc non metitur*. — P. 710, lin. 15 leg. *spumigenae*.

Unum tantum doleo me non ut par erat efficere potuisse, orthographiae constantiam, quam ut omnino Koppium parum curasse supra monui, ita nec in constituenda lectione diligenter servaverat, ut haud raro dubius haererem, utrum ratione an negligentia aliquid vel commissum vel praetermissum ab eo existimarem; sero tantum illud mihi sumsi, ut quum editorem revera vacillasse hoc in genere intellexissem, unam certe rationem et meum qualecunque arbitrium sequerer, quamquam eodem tempore alia graviora ingruebant, quae ab his minutiis curam meam interdum avocasse facile profiteor. Nam quum hactenus de iis maxime verba fecerim, quae ad Koppii operam recte existimandam pertinerent, jam eo ventum esse intelligo, ut de me quoque aliquanto accuratius loquendum sit; non ut aliquam meam operam jactem, quae ne tanti quidem esse mihi visa est, ut nomen meum vel in titulo operis vel in commentario reliquo virorum doctorum gregi interponerem, sed ut et Tibi et lectoribus rationem reddam eorum, quae me vel Tua voluntas vel meus erga socerum Tuum amor vel ipsius operis caritas aliqua per consuetudinem contracta in commentario maxime adornando quamvis imparatum multisque aliis negotiis districtum suscipere coëgit. Licet enim initio illud tantum socero Tuo recepissem, ut specimina typographica perlustrarem atque corrigerem, mox tamen inter ipsam operam intelligebam, non ita comparatas esse Koppii schedas, ut integrae typothetae manibus committi possent; quas etsi vivus ipse mihi tanquam absolutas preloque paratas tradidisset, tamen ingruente torpore senili et praesertim memoria labante non amplius valuerat eam in formam redigere, ut omnia inter se aequabili quodam tenore responderent nec quidquam aut abundaret aut deesset; immo collectaneorum farraginem haud raro alienis locis intruserat, quaecunque extremis temporibus ex aliqua lectione annotasset quoquo modo ad Martianum retulerat, nonnulla bis terve posuerat, in universum autem, ut senes solent, tam profuso orationis genere usus erat, ut si omnia qualia quanta scripsisset typis mandarentur, in duplicem fere molem liber excrevisset nec tamen plus sed fortasse etiam minus ad illustrandum

scriptorem contulisset. Nec ipse renuebat, quo minus hic illic aliquid reciderem vel praetermissum supplerem, meminique, quum novissime ad nos viseret, insignem ejusmodi mutationem, quam in specimine typothetico fecissem, valde ipsi probari; quod tamen quum donec ipse viveret inter corrigendas tantum plagulas a typographo madentes fieri posset, in duobus prioribus libris parcius factum est, neque adeo opus erat in his, quos jam ante aliquot annos integro etiam mentis vigore elaborasset, quorumque in argumento mythologico et astrologico ex multo inde tempore accuratius versatus esset; multo magis necessarium erat in reliquis septem, quos quum ipse ideo tantum prioribus adjunxisset, ut integrum Martianum ederet, non quod eorum argumentis multum delectaretur vel liberalium artium historiam apud antiquos data opera cognovisset, vel eam ob causam multo minore cura tractaverat. Non hoc dico, nihil industriae Koppium ad hos quoque libros illustrandos contulisse; nemo me magis, qui ipsius schedas identidem tractavi, incredibilem viri laborem admirari potest, qui in tanto aetatis culmine jejunissimos et frigidissimos auctores, quosque antea vix fando nosset, grammaticos, rhetores, musicos, arithmeticos lectitaverit, excerpserit, et cum scriptore suo ita contulerit, ut spinosissimarum disciplinarum rationes recte eum percepisse appareat; verum haec omnia enotata potius quam digesta erant limamque extremam desiderabant, qua sola in tanta argumentorum ariditate elegantioribus hominibus commendari poterant; qua de re etsi saepius Koppium monuissem, tamen postremo taedio rei captus schedas suas quales erant prelo committere constituerat. Quapropter dici non potest, quanta me voluptate affeceris, Vir Illustrissime, quod socero Tuo funestissimo casu nobis erepto, quum ad Tuum arbitrium omnis hujus negotii sors rediisset, non modo ad finem illud perduci permisisti, sed etiam mihi eam veniam dedisti, ut immortalis viri monumentum in eam formam redigerem, quae tanti nominis memoria non prorsus indigna esset; quo facto etsi multum mihi laboris accessurum esse videbam, ipsa tamen pietas, qua defuncti manes prosequebar, tale officium detrectare non

patiebatur. Nam si ab integro res instituenda fuisset, multos alios viros doctos huic negotio administrando longe magis idoneos fore intelligebam; Koppii vero rationes neminem melius quam me notas habere persuasum erat, quas etsi neutiquam omnes probarem, tamen religiosissime servandas arbitrabar, ne, quod illius nomen prae se ferret, alieno ingenio conscriptum videretur, operisve concinnitas ex propositorum diversitate laboraret. Quamvis igitur externam schedarum formam passim refinxerim, alias in brevius contraxerim, aliarum ordinem mutaverim, nonnullas etiam prorsus resecuerim, vestigia tamen ipsarum nonnisi ibi deserui, ubi aut aperte errasse aut ne sibi ipsum quidem constitisse Koppium animadverterem; de meo pauca tantum ex veteribus plerumque scriptoribus adjeci, quae quum ad illustrandum Martianum opportuna essent, illum tamen non adhibuisse viderem, vel quia Graeca sine interpretatione Latina aegre legebat, vel quia nondum ad ipsius notitiam pervenerant. Quo ex genere hic inprimis nominandus est Mythographorum, quos primus nuper ex codd. Vaticanis Angelus Majus edidit, tertius, quem nunc probabiliter Magistrum Albericum appellamus *); cujus etsi raram mentionem in commentario invenies, quum plurimus ejus usus in duobus prioribus libris esse debuerit, ob id ipsum hic eum data opera commemorandum duxi; fuerat adeo quum omnes illius locos, qui Martianum spectarent, ad calcem operis subjungere constitueram; sed hoc quidem consilium abjeci ob nimium eorum numerum ambitumque, praesertim quum Bodii merito nunc etiam facilior nostris hominibus aditus ad eos pateat; mentione tamen hominis eo minus supersedere volui, quia praeter ipsum Martianum etiam veterem ejus interpretem Remigium Antissiodorensem identidem adhibuit, cujus quum commentarii ipsi etiam nunc in bibliothecis lateant **), specimina saltem, quae illic exstant, lectoribus editoribusve nostri futuris haud opinor ingrata erunt.

*) Conf. Frid. Jacobs in Zimmermanni ann. discipl. antiqu. 1834. n. 132.

**) Conf. Montfaucon bibl. T. I, p. 92 b; Fabr. bibl. med. aevi T. VI, p. 187; Bruckeri hist. philos. T. III, p. 640.

Ceterum non dubito quin me quoque in hoc genere multa praeterierint, qui quum omnino satis imparatus ad hoc negotium accesserim, tum ne postea quidem tantum ei temporis impendere potuerim, quantum rei difficultas postularet. Nosti, Vir Illustrissime, quibus et ipse domesticis calamitatibus conflictatus sim, fere eodem tempore, quo Tu recens ereptum socerum lugebas, florentissima uxore intempestiva morte amissa; cujus casus perturbatio si quid vestigii in hac quoque opera reliquerit, Tu certe pro humanitate Tua condonabis; praeterea autem tot erant officii academici negotia, tanta variorum generum impedimenta cum munere professorio conjuncta, ut, licet multa quae jam proposita et promissa essent huic pietatis officio postposuerim, plerumque tamen nonnisi feriatos dies ei impendendos habuerim; quod quantam festinationem urgente semper typotheta excitaverit, quum simul et specimina typographica corrigenda et schedae impressioni praeparandae essent, nemo nisi expertus satis existimabit. Omnino ex ea operis forma, qualis nunc prodit, difficultatem laboris, quantam ego exantlavi, nemo satis intelligere potest; quod non ideo dico, ut operam meam ambitiose venditem, sed quo consilio omnia quae hucusque praefatus sum, ut in tanta rerum omnium adversitate lectorum aequanimitatem implorem, ne aut ab editore ipso, sene emerito, exspectent, quod vel integris viribus arduum fuerit, aut vicarium correctorem ut sui juris editorem taxent, qui si illud praestitit, ut propositum operis consilium exsequeretur, susceptae fidei satisfecit. Quanquam sic quoque non minora quam in lectione emaculanda Koppium etiam in commentario effecisse, nemo profecto infitiabitur; qui quum praeter Vulcanii notulas, quas ipse rectius glossas appellavit, et paucas Grotii, quarum adeo partim vere pueriles essent, partim in omnia alia evagarentur, nihil fere, quod alicujus usus esset, ab antecessoribus traditum invenisset, sua ex penu integram ac perpetuam annotationem reliquit, qua etsi non omnia omnium desideria aequaverit, tamen primus omnium obscurissimum scriptorem in clariore luce posuisse aditumque ad eum vel mediocriter doctis hominibus aperuisse cen-

sendus est. Nam quod ipse acerrime semper quum in omnibus ut arbitrabatur philologis tum inprimis in antecessoribus suis reprehenderat, quod haud raro expeditissimos locos magna eruditionis nube obscurarent potius quam illustrarent, difficiles autem siccis pedibus atque silentio transirent, multis certe in locis, praesertim carminibus, quorum interdum per affectatam scriptoris doctrinam tumoremque dicendi vix sensus apparet, ita evitavit, ut nihil ipsius enarrationibus clarius jucundiusve legi possit; neque exiguus eorum numerus est, quibus unus omnium ex profunda sua eruditione vero locutionis vel sententiae fonte aperto lucem atque perspicuitatem affudit. Scriptores Afros, quibus Martiani oratio vel ipsa gentilitate maxime affinis est, Appulejum, Arnobium, alios, identidem in auxilium vocavit, neque imitatores ejus, ut Fulgentium Saxonemque Grammaticum, comparare neglexit; quo in genere licet, si philologus fuisset, aliquanto accuratius versari potuerit, studia tamen viri ne in hoc quidem argumento, quod propius nostrum est, contemni possunt; ipsum autem liberalium disciplinarum orbem quantum ipse Martianus animo complexus tanto cum doctrinae apparatu illustravit atque auxit, ut, quem in finem olim hi libri ab auctore scripti sunt, nunc demum rursum usurpari legique posse videantur. Et hoc quidem loco exspectare poteras, ut et de ipsis artibus cyclicis, et de Martiani genere, consilio, et auctoritate pluribus agerem; sed hac ego disputatione editionem operis tamdiu exspectatam etiam amplius remorari nolui, praesertim quum videam hac in causa de nonnullis aliter mihi judicandum fore, quam socero Tuo placuerit; qui quum scriptorum suum, ut fere fit, cupidiore animo amplecteretur, pretium ejus hinc inde certe nimis extulit majoremque ejus quam revera fuisse videtur eruditionem existimavit; quippe si quid apud ipsum cum antiqui scriptoris dicto aliquam similitudinem habere animadvertisset, illico hunc ei ante oculos fuisse conjecit, multarumque rerum, quas ex aliorum libris strictim exscripserit, accuratiorem notitiam haud scio an perperam ei tribuit; qui quanta interdum oscitantia vel optimis auctoribus usus sit, in sexto maxime libro apparet, ubi primarium ejus fontem

Plinium etiam nunc habemus. Totum igitur hunc locum, qui est de fontibus et ingenio Martiani, in aliud tempus differam; unum hoc data occasione monebo, quia neque a Koppio neque ab alio quoquam satis animadversum esse video, multa ex Varrone Martianum petiisse videri, quod non modo ex iis locis apparet, ubi tantum non auctorem illum prae se fert, ut in Dialectica (§. 335), in Geometria (§. 578), et *) in Astronomia (§. 817), verum etiam ex iis ubi ab ipso discedit; nam quod in extremi libri limine (§. 891) Medicinam et Architectonicam a deorum conspectu removet, aperte contra Varronem dictum est, qui quum non de septem sed de novem disciplinis librum edidisset, quorum unum de Architectura fuisse Vitruvius (in praef. libri VII, p. 194 Bip.) testatur, illas quoque duas reliquis septem adjecisse videtur; quae si recte observavi, fieri poterit ut ex Martiano si nihil aliud tamen aliquas principis eruditionis Romanae reliquias lucremur. Facile tamen patiar alios viros doctos, qui magis in hoc literarum genere versati sint, hanc mihi disputationem praeripere; iterum enim repeto reliquorum studiorum meorum rationes nimis ab illo argumento remotas et fuisse et nunc quoque esse, ut nec quando redire ad Martianum possim sciam, nec majori fiducia olim aliquid me in eo illustrando praestaturum polliceri audeam, quam nunc praestitisse mihi arrogem. Quod forte fortuna ad me delatum fuerat negotium, strenue et sollerter exsecutus esse videor; de operis ipsius laudibus meritisque Koppio quidquam subtrahere religioni duxi; quae si interire nolui quantaque potui externae formae commendatione illustrare studui, satis habebo, si et a Te et quicunque praeterea immortale illius nomen justa existimatione prosequuntur, pietatis me officio satisfecisse neque extremum tanti ingenii monumentum indigne dehonestasse judicatum fuerit. Vale, Vir Illustrissime, mihique favere perge.

Scripsi Marburgi ipso die Koppii mortis anniversario VII. Kalend. Apr. MDCCCXXXV.

*) Quam enim ibi etymologiam proponit *stellarum* a *stando*, et ipsam Varronis esse Popma (p. 203 ed. Bip.) ex Cassiodoro annotavit.

MARTIANI
MINEI FELICIS
CAPELLAE,
AFRI CARTHAGINIENSIS,
DE NUPTIIS
PHILOLOGIAE ET MERCURII
LIBER I.

Tu quem psallentem thalamis, quem matre Camoena §. 1
Progenitum perhibent, copula sacra, deum:

Tu quem] Satura, Martiani amica, hos versus canit in laudem Hymenaei, qui est deus nuptiarum, id est, naturalium conceptionum. Glossa (in cod. Monacensi B, aliisque) — Istam quidem interpretationem Vulcanius, Grotius, Goezius, omnes receperunt, quamvis facile perspicere potuissent, non Saturam hosce versus pronuntiasse; sed ipsum Martianum, patrem nimirum quinquagenarium, poëtico spiritu afflatum, quippe qui a filio deinde (§. 2) in iis reprehendatur.

psallentem] Κιθαρίζοντα: *psallere* vix aliis nisi poëtis sequioris aevi, et inprimis Christianis frequentatum. Goez. — Cave credas! Utuntur hoc verbo Sallustius, Horatius, Quinctilianus, Gellius, Macrobius, alii, et iterum noster infra (§. 924).

matre] Claudianus XXX, 31. Hymenaeum Musa progenitum etiam facit:

»*Hunc Musa genitum legit Cytherea ducemque*
Praefecit thalamis; nullum junxisse cubile
Hoc sine, nec primas fas est attollere taedas.«

Goez. — Correxi hos versus non accurate exscriptos. Alii Uraniâ (Catull. 61, 2; Nonn. Dionys. 33. pag. 823 Falk.; Claudian. epithalam. Palladii et Serenae 31), alii Terpsichore (Procl. ap. Phot. p. 524 Hoesch.), alii Calliope, alii ipsa Venere natum Hymenaeum ferunt. Sunt adeo, qui a mortalibus genus eum duxisse perhibeant (Serv. ad Aen. 1, 651. Lutat. ad Stat. alii). Patrem tamen Bacchum expressis noster verbis nominat. Recte quidem: Hymenaeus enim a Seneca (Med. 110) appellatur

»*Candida Thyrsigeri proles generosa Lyaei.*«

Camoena] Idem est ac si dixisset *Musa*. Vide inter alios Horatii (in carm. sec. 62) haec:

— — — »*acceptusque* novem *Camoenis.*«

copula sacra] Ita »copulam sacram *deûm*« dixit, ut Valerius Soranus, sive alius quispiam vetustissimus poëta »Saturnia sancta *dearum*. Quod est Graecanicum illud plurimorum poëtarum δῖα θεάων. Sacra deûm copula, diis ipsis venerabilis. Hinc-que

Semina qui arcanis stringens pugnantia vinclis,
Complexuque sacro dissona nexa foves:
Namque elementa ligas vicibus, mundumque maritas:

in ICtorum libris copula, cum sacra res sit, quae nimirum inviolabili foedere conjugioque homines jungat, pro ipso concubitu, consummante conjugia, ponitur. Justinianus imperator cap. 26 de nuptiis: »Si enim ex affectu omnes introducuntur nuptiae, et nihil impium, nec legibus contrarium in tali *copula* exspectamus, quare praedictas nuptias inhibendas existimemus?« Hinc *copulare* est conjungere nuptias, ratoque foedere par hominum colligare. Imperator Gordianus c. 8 ejusdem tituli: »In *copulandis* nuptiis spectanda est ejus voluntas, de cujus conjunctione tractatur.« Et *copulari*, matrimonio conjungi c. 25 ejusdem. Et ab eadem mente »dextras *copulare*« dixit in Aulularia Plautus, quia manum tradere cuipiam apud veteres sancta erat firmaque amicitiae sponsio. Bantu. (advers. p. 394.) Haec ille: sed sibi non constat vir doctissimus. Oblitus enim hujus interpretationis eundem Martiani locum paulo inferius (p. 961) sic explicare studet: »Copulam deûm dicit, cujus auspiciis connectitur *corpus* terrestris molis coelesti *animo*, quae duo deum constituere sapientes veterum physici tradidere: vide Ocellum et Plinium libro 2.« — Equidem haud sane perspicio cur mysteria quaerat Barthius in verbis, quae nihil habent dubitationis. Sed in errorem inductus esse videtur prava in libris editis scriptione vocis *deûm* cum circumflexo. Non enim pluralis, sed singularis est, accusandi casu.

semina] Elementa. Semina sunt Lucretio corpuscula, in quae corpora quaevis resolvantur. Claudianus (18, 1): »Quisquis sollicita mundum ratione secutus Semina rimatur rerum.« Goez. — Distinguit noster infra (§. 17) inter semina rerum et elementa, ita ut elementa jam separata, semina autem, sive initia, rerum adhuc mixta esse videantur (conf. Claudian. de rapt. Pros. 1, 248 sequ.)

pugnantia] Semina pugnantia sunt diversa et contraria sibi elementa, quae discordem concordiam Ovidii concinnant, quam plurimi poëtae ab eo mutuo sumtam celebrarunt. Bantu. (adv. p. 961) — Permulta de dissonis hic ex arithmetica et musica afferri possent; sedpraestat, inferiori loco (§. 209) hac de re uberius agere. Ovidii versus, quos innuit Barthius, hi sunt (met. 1, 8):

»*Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem*
Non bene junctarum discordia semina rerum.«

At magis etiam huc faciunt Horatii (ep. 1, 12, 19) hi versus:

»*Quid velit et possit rerum* concordia discors:
Empedocles an Stertinium deliret acumen?

vinclis] Vincula sunt nuptiae vel conjugium. Juvencus libro 4:

»*Hujus germano rursus sociabile* vinclum
Deberi, generis pereat ne portio lapsi.«

Bantu. (p. 961).

dissona] Discrepantia; ut infra (§. 92): »Quaeque elementa liget dissona nexio.« Atque hac de re conferas velim Lucretium (5, 441), et Senecam (natural. quaest. 7, 27, p. 808 Lips.), et Ovidium (in fast. 1, 105).

nexa] Conjugium aut rem adeo indicat potius concubinariam. Apulejus libro 2: »et a nexu quidem venereo hospitis tempera.« Bantu. (p. 1242). —Iterum altius petit vir doctus, quod ex antecedentibus manifestum est »*necti* ab hymenaeo pugnantia.«

elementa] Fingitur Hymenaeus connubio ele-

Atque auram mentis corporibus socias:
Foedere complacito sub quo natura jugatur,

menta junxisse, quantumvis contraria eorum vis esset. Ita Seneca (natur. quaest. 7, 27. p. 808 Lips.): »Nonne vides quam contraria inter se elementa sint? gravia et levia sunt, frigida et calida, humida et sicca. Tota hujus mundi *concordia ex discordibus* constat.« Id perspexit etiam Lactantius (2, 12). E poëtis praesertim Manilius (1, 141) rem tangit, et sicut Ovidius (met. 1, 18) chaos ex Hesiodi theogonia (116) describens canit:

»*Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno*
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis;«

ita Claudianus (Mall. consul. 73) eorum reconciliationem:

— — — — — — »*rursumque receptis*
Nectit amicitiis quidquid discordia solvit.«

Unde et Hymenaeus (ap. Statium silv. 1, 2, 185):

— — — — »*ipsum in connubia terrae*
Aethera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo.«

et auctor Pervigilii Veneris v. 39:

»*Cras erit quo primus aether copulavit nuptias.*«

E Graecorum etiam philosophis Empedocles (ap. Diog. Laërt. 8, 7. p. 538 Meib.) statuerat, quatuor elementis accedere τὸ νεῖκος et τὴν φιλίαν. At is e dissidio potius elementorum contenderat oriri mundum, per amicitiam autem in pristinam conditionem τὸν θραῖρον (conf. Marc. Antonin. 12, 3. p. 116. Gat.) redire. Multo magis ad nostri sententiam facit, quod illico post Chaos Amorem ortum eumque deorum omnium antiquissimum esse veteres affirmant, Hesiodus, Acusilaus, Parmenides, Platoque (sympos. p. 178, Tim. p. 47 Steph.); Aristoteles (de mundo 5. et metaph. 1, 4) Sextusque Empiricus (9. adv. Phys. 7 p. 549 Fabr.). De physica ratione discrepantia nectendi confer praeterea Eryximachum medicum apud Platonem (sympos. p. 186. 187) addeque Stobaeum (in ecl. 1, 42, 2. p. 687 Heer. et nostrum (§. 912). Ex eodem Platone Appulejus (de dogm. Plat. 1, 175. p. 194 Oud.) de elementis: »quae quum inordinata permixtaque essent, ab illo aedificatore mundi, deo, *ad ordinem* numeris et mensuris in ambitum deducta sunt.« Idemque (de mundo p. 334 Oud.): *contrariorum* per se natura flectitur, et ex *dissonis* fit unus idemque concentus. — — Sic totius mundi suorum instantia initiorum inter se impares conventus pari nec discordante *concentu* natura veluti musicam temperavit. Namque humidis arida — confundit, unumque ex omnibus et ex uno omnia juxta Heraclitum constituit« cet.

vicibus] Mutua vice. Valerianus sermone primo, alii. Barth. (p. 961.) — Ellipsis est vocis *alternis*.

maritas] Maritare dicuntur qui foecundum aliquid faciunt. Victor Massiliensis l. 1 Geneseos:

»*Fons scatet et diti prolem virtute* maritat.«

Alcimus Avitus l. 1:

»*Lympha* maritavit *sitientis viscera terrae.*«

Horatius epodo 2:

»— — *adulta vitium propagine*
Altas maritat *populos.*«

Barth. (p. 961).

auram mentis] Sic Flaccus de eadem *ratione* dixit: »divinae particulam aurae.« Gnor. — Adde huic Horatii (sat. 2, 2, 79) loco Virgilii (Aen. 6, 746) de purgatione animae versus:

»*Concretam exemit labem, purumque reliquit*
Aetherium sensum atque aurai *simplicis ignem.*«

foedere complacito] Claudianus (31, 55) »Tuo primae libantur foedere noctes« Goez. — Foedus pro conjugio a nostro accipi plures docebunt inferiores loci (§. 23. 31. 91).

Sexus concilians, et sub amore fidem:
O Hymenaee decens, Cypridis qui maxima cura es:

sexus] Qui Aristotelem (de mundo 5) legerit, non dubitabit hunc ante oculos fuisse nostro: adeo congruit cum eo, vel in hoc ipso eligendo exemplo.

concilians] Grotius quidem *concilias*; sed illud, quod recepi, praeter Barthii (adv. p. 961) et Vossii (Arntz. misc. p. 197) codices, Cantabrigiensis quoque, Britannicus, Basilcensis, et qui ad Norimbergensis libri marginem notati sunt, habent.

amore] De Amore, deo maximo (conf. Oppian. de venat. 2, 411, et Hugium in libro vernaculo sermone scripto »de mytho« p. 190. 191), quem δυνατώτατον et μέγιστον poëtae appellant Graeci (Athenaeus 12, p. 599. 600 Casaub.) nosterque (§. 725) »puerum *herilem*«, equidem alio loco (palaeogr. crit. III §. 130) disserui. Cui quum Chaos olim adjungeretur (v. superiorem not.), verisimile est, ab antiquissimo jam tempore adscriptam fuisse potestatem elementa ligandi, et γάμων θεσμοὺς, sicut ex Hesiodo (theog. 125) addit Oppianus (in halieut. 4, 25). Memoratu dignum est, similia Orpheum docuisse, adeo ut noster eum ante oculos habuisse videatur. Namque ab initio Argonauticorum (12) ille habet:

Ἀρχαίου μὲν πρῶτα ΧΑΟΥΣ ἀμέγαρτον ἀνάγκην
Καὶ ΧΡΟΝΟΝ, ὃς ἐλόχευσεν ἀπειρεσίοισιν ὑφ' ὀλκοῖς
Αἰθέρα, καὶ διφυῆ περιωπέα κυδρὸν ΕΡΩΤΑ, cet.

Adde eundem eadem repetentem paulo inferius (419).

fidem] Ambigua est sententia. Intelligi enim potest »Hymenaeum per nuptias fidem addere conjugalem«: *sub* enim saepe pro *in* usurpatur. Alii locum forsan maluerint explicare »inferioris conditionis fidem esse quam amorem«, quippe qui ante omnia exstiterit. Ita enim et Ovidius (her. 4, 161): »Nobilitas *sub amore jacet*« (conf. palaeogr. crit. III §. 130). Verumtamen totum locum iterum conferenti mihi videtur, a nostro Amorem socium dari Hymenaeo in conciliandis elementis secum pugnantibus. Ita enim Quinctilianus (in declam. 14. p. 159. ed. Oxon.) Amorem depinxit, »quasi per eum rerum naturae sacra primordia totiusque mundi elementa creverint, qui teneat nunc figatque rixantia et de contrariis pugnantibusque seminibus molem perpetuae societatis animarit.« Quod Quinctiliano »societas perpetua«, hoc nostro »fides« est.

decens] Veneris atque Gratiarum epitheton Hymenaeo Gratiarum consanguineo attribuitur, quod illam gratiam pulcritudinem non nunquam comitantem eique adhaerentem, quae facilius sensibus atque animo percipitur, quam verbis exprimi possit, designat. Horat. (L. 1. od. 18, 6 et I, 4, 9): »teque decens Venus« — »Gratiae decentes.« Gosz. — Sed noster infra non Venerem tantum (§. 903) sed et Floram (§. 888), et »scientiae fontem«, quin Claudianus etiam (cons. 6 Honor. 537) »aërem« decentem appellat, ita ut restringi vix possit hoc epitheton ad unum alterumve.

Cypridis qui maxima cura es] Nam teste Claudiano (31, 31): »Hunc musa genitum legit Cytherea ducemque Praeposuit thalamis« Gnot. — Horat. L. 1. od. 14: »curaque non levis.« Et Catullus (in nupt. Jul. et Manlii 61 seq.):

Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere; at potest
Te volente: quis huic deo
Compararier ausit? —

Gosz. — Sed verba composuit noster ad illud Vir-

Hinc tibi nam flagrans ore cupido micat:
Seu tibi quod Bacchus pater est, placuisse choreas,
Cantare ad thalamos seu genitricis habes,
Comere verniferis florentia limina sertis

gilii (Aen. 10, 137): Veneris justissima cura«; quocum confer Horatii (od. 2, 8, 8) »juvenumque publica cura.« Nominis Kyprogeneiae etymon, quia in Cypro genita fuerit, affert Hesiodus (theog. 199); adde Hymnum in Venerem (2), qui Homero adscribitur, et Pindarum pluribus locis.

micat] Ore micare Cupidinem Hymenaeo dixit, phrasi toties ab Aristaeneto et aliis ἐρωτικοῖς expressa. Vide quae plurimis in secunda editione Musaei notamus. Bantu. (p. 961) — Minime Cupidinem intelligo deum, sed cupiditate flagrare Hymenaeum. Certe noster quum multa, tum et haec a Claudiano mutuatus est, apud quem (in epithal. Pall. et Celer. 41) Hymenaei etiam »dulce *micant* oculi.« Appulejus (met. 6. p. 401 Oud.) »*rosas micare*« dicit, et noster infra (§. 585) »*flammam micare.*«

seu tibi] Sensus est: »Seu placuisse choreas habes Bacchi (is enim saltationibus praeest, unde quisquis ille est Orphicorum auctor, qui propediem forte a nobis novum speret diem, canit: —— ὅς τε ἔχεις Διόνυσε χορευτά: v. pr. in hymn. v. 9) — seu cantare ad thalamos habes matris Calliopes, vel (ut alii volunt) Uraniae. Gnot. — Bacchum Propertius quoque (2, 23, 94) »chori patrem« appellat, et »medium in eo esse« (2, 23, 94) fingit (v. Burmann. ad h. l.). Noti praeterea sunt Tibulli (2, 1, 55) versus:

»*Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti*
Primus inexperta duxit ab arte choros.«

Atque apud eundem (1, 7, 38) idem deus

»*Movit et ad certos nescia membra modos.*«

choreas] Scribendum »placuisse choreis.« Bacchum chorearum choragum vel unus Anacreon docere abunde possit, ad quem vises. Bantu. (p. 961). — De Baccho chorago nemo est qui dubitet (conf. Tibull. 1, 7, 38 et 2, 1, 56. Casaubon. de sat. poës. insert. in Creu. musaeo p. 28). Cur autem Martianus scribere non debuerit »tibi placuisse *choreas*«, causam neque docuit Barthius, neque docere potuit. Vulgatam igitur servavi lectionem, quam et a Bacheto (sur les epitres d'Ovide I. p. 156) approbatam esse video.

comere] Claudianus (de nupt. Honor. 202):

»*Tu festas, Hymenaee, faces, tu, Gratia, flores*
Elige; tu geminas, Concordia, necte coronas.«

Apud Ovidium (fast. 5, 219) quoque

»*Protinus arripiunt Charites nectuntque coronas.*«

Itaque noster infra (§. 888):

»*Ipsa etiam fulcris redimicula nectere sueta*
Flora decens trina anxia cum Charite est.«

Attamen et Baccho serta placuisse Ovidius (fast. 5, 345) canit:

»*Bacchus amat flores: Baccho placuisse coronam*
Ex Ariadnaeo sidere nosse potes.«

Idemque aliis locis (trist. 1, 6, 2):

»*Deme meis hederas*, Bacchica serta, *comis.*«

et (5, 3, 5) de poëtis Bacchum celebrantibus:

»*Festaque* odoratis *innectunt tempora* sertis.«

Veneri item cum comitibus tribuit Cypriorum auctor (ap. Athen. 15, p. 672 f. Casaub.):

Ἡ δὲ σὺν ἀμφιπόλοισι φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
Πλεξαμένη στεφάνους εὐώδεας, ἄνθεα γαίης,
Ἂν κεφαλαῖσιν ἔθεντο θεαὶ λιπαροκρήδεμνοι.

Seu consanguineo Gratia trina dedit:
Connubium divûm componens Calliopea

verniferis] In Msto libro offendi *vernificis*. Quod sane verum est. Nam verna facere ostia videntur additae. Is mos multis a nobis et aliis alibi traditus est. Bauth (p. 961). — Non Bongarsii tantum, sed Vossii etiam codex (Arntzen. misc. p. 197), Darmstattensis et tres e Monacensibus (C. D. E.) *vernificis* quidem habent, sed in aliis vulgata lectio exstat, quam retinui, siquidem Graecum ἐαροτρεφής ea exprimitur, et noster alio loco (§. 570) simili figura »vernicomae olivae« utitur. Vernifera adjectivum est, pariter atque serta, et substantivum *corona* per ellipsin omissum.

limina] Limina sponsi, quibus nova ingrederetur nupta, sertis ornari solita fuisse, testes sunt Catullus (64 epith. Pelei et Thet. 284) de floribus canens:

»*Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis*
Queis permulsa domus jucundo risit odore.«

atque Hierocles, qui (ap. Stobaeum serm. 65. p. 414 Gesn.) »θύραις κατεστεμμέναις« scribit »τύραννον ἀντὶ γυναικὸς ἐπεισάγουσιν.« De ungendis postibus vide nostrum infra (§. 149).

consanguineo] Consanguinei sunt ὁμοπάτριοι, ut Charites et Hymenaeus; utriusque enim pater Bacchus. Alii tamen Gratiis patrem adscribunt Jovem. De matre etiam discordia, aliis Autonoen, aliis Eurymedusam vocantibus. Gnot. — Consanguineus fratrem notat ex altero parentum solo. Vide Anianum, Alarici consiliarium, ad sententias Pauli, Cujacium observ. libro 11. cap. 26. Bauth. (advers. p. 961). — Alio etiam modo Hymenaeus Gratiarum consanguineus dici poterat. Is enim quum Bacchi filius esset, Bacchusque pariter atque Gratiae patrem haberent Jovem (Cornut. N. D. 15. p. 161. Gal. Theognid. sentent. 15), harum ille consanguineus omnino erat. Sufficit enim sanguine connexos esse, ut illo nomine insigniri possint (l. 1 §. penult. de suis et legit. hered.). Baccho placere choreas Euripides canit apud Strabonem (10. p. 470 Casaub.).

Gratia trina] Hoc est »*tria* concessit, vultum, vocem et gestum.« Gloss. ap. Vulcan. — Gratiam trinam dixit ut infra L. IX: »Suada decens trina anxia cum Charite est.« Quid non nugamini glossatores! Gnot. — Neutiquam sic legitur infra (§. 888), ubi Grotius versus confudit, siquidem »Flora decens« primum legitur, et deinde »Nec Suada« ect. Perperam quoque critici (ap. Fulgentium p. 15 Munck.) ternas viragines in *ter ternas* mutaturi erant, quod profecto non fecissent, si fontem cognovissent, e quo Fulgentius hauserat. Martianum enim imitaturus erat, id quod nullo negotio perspicient, qui utrumque locum comparaverint. Sed noster ipse ante oculos habuisse videtur Claudiani illud (in laud. Ser. 88):

»Ternaque *te nudis innectens Gratia membris.*«

Similiter Sidonius (carm. 11, 113. p. 367 Sirm.):

»*Hic* triplex *uno comitatur Gratia nexu*«:

pro quo *nodum* posuit Horatius (od. 3, 21, 22).

connubium] Ubique in Mss. per N simplex exprimitur. Goez. — Cave credas. Malum igitur factum, quod Goezius falsam in quibusdam codicibus scribendi rationem in contextum recepit, idque contra communem, quam sequimur, lectionem.

Calliopea] Musarum haec princeps est, quam Hesiodus (theog. 79) προφερεστάτην ἁπασέων, Plato (Phaedr. p. 259 Steph.) πρεσβυτάτην, alius Μουσῶν προματαγέτιν (Mem. de l'acad. des inscr. V. p. 185) appellat, aliusque (anthol. Gr. 1, 67, 29) ipsi Uraniae anteponit; cuique Moschus

Carminis auspicio, te probat annuere.

Dum crebrius istos Hymenaei versiculos, nescio quid inopinum intactum- 2
que moliens, cano, capillis respersum albicantibus verticem incrementisque lu-

(id. 3, 73), Hesiodum imitatus, *τὸ γλυκερὸν στόμα* tribuit; quam e Latinis etiam Lucretius (6, 93) »requiem hominum, divûmque voluptatem«, Ovidius (fast. 5, 80) »primam sui chori« dixit, Virgilius (Aen. 9, 525) pro Musis omnibus ponit versu:

»*Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti*«;

Horatius (od. 3, 4, 2) »reginam«, ac Plutarchus (in orat. vit. p. 801 et sympos. 9, 13 p. 743) regum comitem appellat. Apollinaris Sidonius autem epithalamium canens (carm. 14, 6) Calliopen etiam invocat, eodemque verbo, quo noster, *probare* utitur.

annuere] Verborum in hisce versibus constructio eorumque interpretatio sic facienda esse mihi videtur: »O! tu, copula sacra, Hymenaee, quem perhibent deum thalamis psallentem, matre Camoena genitum, qui semina mundi pugnantia vinculis arcanis stringens, complexuque sacro foves dissona nexa. Vicibus (mutua vice) enim elementa ligas, mundumque maritas, atque auram mentis corporibus socias, foedere complacito, sub quo natura jugatur, sexus concilians, et sub amore fidem. O! Hymenaee decens, qui Cypridis maxima cura es: hinc enim tibi cupido flagrans ore micat, seu placuisse tibi choreas, quod (quia) Bacchus pater (tuus) est, seu cantare ad thalamos genitricis (a Venere) habes, seu limina florentia sertis verniferis comere, consanguineo (tibi) Gratia trina dedit (tres Gratiae dederunt); Calliopea connubium divûm componens probat, te annuere auspicio carminis.« (Sive choreae tibi placeant, quia Bacchus pater tuus est; sive cantare ad thalamos a Venere matre, sive limina sertis coronare a Gratiis consanguineis tuis habeas: Calliope omnino approbabit, quod annuis auspicio carminis).

Dum] Profecto mirum, ab omnibus interpretibus, et Grotio et novissimo Goezio, versus illos Satirae adscribi, quum quinquagenarius Martianus ipse »*istos cano*« dicat. Fefellerunt nempe eos verba, quae paulo post sequuntur, »satura comminiscens.«

nescio quid inopinum] Saepe Cicero verbis »nescio quid« usus est; pro Archia 7: »*nescio quid praeclarum*: idemque (orat. partit. 21) *inopinata* esse dixit *admirabilia*; pariterque Horatius (od. 3, 1, 2) carmina laudaturus »*non* prius *audita*« praedicat. *Nescio quid* igitur neutiquam cum contemtu dictum, sed de grandi conamine, quod et verbum *moliri* innuit. Haec quidem Martianus pater; sed prorsus contrarium sentit interveniens filius. Huic enim adscribenda sunt quae sequuntur, et sic quidem verba construenda: »Martianus (filius), non perferens verticem (patris) capillis albicantibus respersum incrementisque lustralibus decuriatum ineptias aggarrire, intervenit dicens: quid istud mi pater« cet.

capillis] Ordinem tantum verborum, ex Hugiano codice et in libro Norimbergensi ad marginem notata lectione, mutavi. Forsan in Priapeiis (77, 2) noster legerat:

— — — — »*meumque canis*
Cum barba caput albicet capillis.«

Pariter Saxo Grammaticus (6. p. 116) qui Martianum imitandum saepius, ut Stephanius docuit, sibi proposuerat, »Albicet« scripsit »quanquam senio capillus.«

incrementisque lustralibus decuriatum] Hoc est quinquagenarium, qui jam decem lustra peregerim. Vulc. — Lustralia certum est a multitudine lustro-

stralibus decuriatum, nugales ineptias aggarrire non perferens, Martianus inter-

rum dici, incrementa vero decuriata decuriam lustrorum non possunt significare, alioqui quinquaginta tantum annos natus sit senex, qui alterum tantum aevi pene vult confecisse videri (?). Eruditus, sed duri eloquii, scriptor *decuriatum* curiae jam immunem, vacantem ex officiis municipalibus et urbanis in sua sibi patria dicit, emeritum volens eruditionis quadam inexspectatae ostentatione dicere. Scio Tertulliano ejusdem gentis scriptori *decurialem* numerum denarium esse c. 37 de anima; unde multiplicata per eundem lustra hic capere possis, sed tum immanis numerus exeat (?). Et non video quomodo illud, quod modo diximus, non sit melius: ita nulla alia opus erit exactione. Barth. (p. 409). — Praestat profecto Vulcanii explicatio; siquidem *decuriatus* dici nequit *curiae immunis*, quem *excuriatum* potius dixere Romani (Non. Marcell. p. 36 ed. Par. 1614). Verbum autem *decuriare* quum significet *in decurias conscribere* (Cic. pro domo s. f. ibique Manut. p. 74. Graev.), hoc loco cum antecedentibus *incrementis lustralibus* conjungendum esse videtur, ut sit »in decuriam incrementorum lustralium conscriptus«, Livio *miles invalidus* dictus. Ovidius (trist. 4, 8, 33) verbis: »decem *lustris* peractis« quinquagenarium se tum fuisse significat. Seneca (de brev. vit. 4): »Audies plerosque dicentes — — sexagesimus annus ab officiis me dimittet«; et Plinius Secundus (in epist. 4, 23, 4) »leges majorem annis LX otio reddunt.«

ineptias] In aliis libris legitur *ineptias*, in aliis *nugulas*. Ego vix dubito veram lectionem esse *nugales ineptias*. Diminutivum enim illud tam prolixo operi minime congruum. Barth. (advers. p. 409. 974) — Quidam libri habent *nugulas ineptias*, quod quis defendere possit. Sed aliam mentem mihi praeit MS. in quo reperi *nugales ineptias*. Dignum hoc Capella vocabulum nec possum ab eo non profectum credere. Agellius idem usurpat 1 Noct. 2: »Sed theorematibus tantum *nugalibus* dilatrantes, objurgatione justa incessivit.« Idem: »et alia quaedam *nugalia* proferebant.« Zinzerl. (critic. juven. promuls. 19, 59 in Schminck. synt. crit. p. 227.) — Vossianus codex *nugulas ineptas*: sed cum etiam alii in *ineptias* conspirent, parum abest, quin cum Barthio legendum censeam *nugales ineptias*. Arntz. (misc. p. 197) — *Ineptias* Bongarsius; Bodianus vero et Vulcanius minus commode *ineptas* habent. Goez. — Hugianus codex perperam *inertias* habet pro *ineptias*. Mihi quidem, quamvis ratio a Barthio prolata rejicienda sit (quandoquidem *prolixum* opus Martianus filius nondum audierat, sed paucos tantum versiculos), Zinzerlingii codex sufficit, ut cum eo faciam. Accedit, quod Darmstattensis etiam a prima manu eandem lectionem habuit. Vox *nugalis* praeterea non semel a Gellio usurpatur. Et quamvis maximi etiam poëtae Martialis (9, 1, 5), Catullus (1, 4), et fortassis Horatius quoque (sat. 1, 9, 2) versus suos modestiae causa *nugas* appellent; hoc tamen loco additum vocabulum *ineptias* illam excludit interpretationem. Profecto enim patrem in versibus illis reprehendit filius, quippe qui nihil sentiat magni in eis, sed nugas ineptas potius, quae non deceant senescentem patrem. Minime igitur voces »nugales ineptiae« hic bono sensu accipi possunt, id quod vidit jam Fulgentius, qui nostrum imitaturus (myth. 1. p. 3 Munck.) illorum loco verborum scribit: »dum tibi rugosam sulcis *anilibus* ordiar fabulam.« Sed utro nunc modo legere malueris, sive cum Zinzerlingio, sive cum Grotio, cujus lectionem Basileensis etiam codex praebet; sensus manebit idem.

aggarrire] An praeter nostrum alius quisquam

venit dicens: Quid istud mi pater, quod nondum vulgata materie cantare deproperas, et ritu nictantis antistitis, priusquam fores aditumque reseraris,

composito hoc verbo usus fuerit dubitaveram. Quum vero serioris aevi scriptoribus proprium fuerit, praepositionibus augere verba (§. 43 not.); ipsum illud repperi in glossario Latino-Gallico (ap. Adelung in glossar. man. I. p. 132) explicatum »jaingler«, quod, nisi a Latino *garrire* lucem acciperet, nemo, puto, intelligeret.

intervenit] Intervenire Martianum non corpore, sed sermone autumat. Estque intervenire medium se dare rebus dissonis aut alioqui nondum compositis. Tertullianus libro de patientia cap. 11: »quia qua ex parte aut erroribus nostris, aut Mali insidiis, aut admonitionibus domini *intervenimus*, ejus officii magna merces, felicitas scilicet.« Symmachus libro 7. epist. 56: »Ut quidquid culpae aut erroris incurrit, contra illius meritum meo digneris *interventui* relaxare.« Bartii. (advers. p. 974).

quid istud] Pariter Appulejus (met. 1. p. 29 Oud.): »Quid istud mi Socrates?«

pater] Martianus filius enim, ut supra observavimus, Martianum patrem interpellat, cui deinde pater respondet, filiumque praemissa fabula de nuptiis Philologiae et Mercurii bonis instituit artibus. Similiter Cicero librum de officiis, quamvis omnibus utilem, filio soli se tradidisse finxerat. Accedit quod Martianus in extremo totius operis (§. 1000) filium iterum alloquitur hoc versu:

»*Secute nugis* nate *ignosce lectitans.*«

Vide igitur, quam absurda ad finem secundi libri in Darmstattensi codice haec sit glossa addita: »Satira narravit *cuidam* patri hanc fabellam, quam idem pater Martiano renarravit.«

nictantis] Evigilantis. Gloss. — Nictantis, ut nemo ignorat, non ἀπὸ τοῦ νυκτὸς, ut glossae volunt, sed a nivendo, unde connivere: quo verbo infra utitur: »quiescere cupientem connivere non perferat.« Gnor. — Nictans antistes est matutinis horis ad aperienda populo fana oculis semisomnibus etiam prodiens. Bartii. (advers. p. 974). — Populum ad sacra obeunda invitantis. Sacerdotes enim homines ad caeremonias celebrandas carminibus et quovis modo allicere solebant. Nonius Marcellus: »Nictare oculorum significantiam esse denotarunt veteres. Plautus Asinaria: Neque illa ulli homini nutet, nictet, adnuat.« Gotz. — Quodsi fontem animadvertissent viri docti, e quo noster hausit (v. not. ad vocem *aditum*), melius cum intellexissent. Certe qui *nictantem* Martianum *sopitum* explicaturi sunt, longius a vero aberrant. Namque qui spiritu poëtico afflatus versus declamat, sopitus dici nequit. Evolvendus potius Festus erat, qui »nictare« ait »oculorum aliorumque membrorum nisu saepe aliquid conari.« Atque hoc etiam loco varietatem non solum gestuum sed mutationem quoque vultus denotat, siquidem ab antistite oculos modo demitti, modo spargi, Martianus dicere voluit; id quod ad ea, quae sequuntur, docco. Quod reliquum est, ex Hugiano codice varians lectio »instantis« notanda quidem est; sed vulgaris servanda.

antistitis] Sane aedituorum est, non antistitum, aditus reserare templorum. Et quis affirmabit, non scripsisse *aedituentis* hominem, qui quidvis admittat, modo ne communi sensu verborum plane luciqueque loquatur? Lucretius lib. 6:

»*Cuncta cadaveribus coelestum templa manebant*
Hospitibus loca quae complerant aedituenteis.«

Bartii. (adv. p. 409). — Barthius mavult *aedituentis* me invito. Arntzen. (misc. p. 197) — Profecto atro carbone notanda est causa etiam propter quam Barthius locum emendandum esse censuit.

ὑμνολογεῖς? Quin potius edoce quid apportes, et quorsum praedicta sonuerint,

aditumque] Malit fortasse quis *adytumque*: et sane de antistite sermo. Grot. — Non placet, cum »fores aditumque« mihi Martianus junxisse videatur tamquam synonyma, quod hujus aevi scriptoribus familiare est et consuetum. Arntzen. (misc. p. 197 f.) — Adytum, quod Mata habent et Grotius probat. Infra bis »adytorum fastigiis.« Goez. — In nullo, quotquot vidi, codice hoc loco legitur *adytumque*, sed in omnibus constans lectio est, quam recepi. Locum profecto facile intelligent, qui Virgilium contulerint. Ille enim Sibyllae Cumanae templum describens (Aen. 6, 41 sequ.) fuisse ei canit »*aditus* centum, *ostia* centum«, pergitque:

»*Ventum erat ad limen, cum Virgo: poscere fata*
Tempus, ait. Deus, ecce Deus! Cui talia fanti
Ante fores, *subito non voltus, non color unus.*
Non comtae mansere comae, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument — —
— — — Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? Cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitae magna ora *domus.*« — — —

Omnia igitur apud nostrum hoc loco bene se habent, modo probe eum intelligas. Verbum etiam *nictare*, de quo supra, ex illis Virgilii verbis »non voltus, non color unus« explicari potest. Pariter »*nutantem* mundum« idem poëta (bucol. 4, 50) dicit, ob adventum nimirum numinis. Adde Lucanum (5, 212, 214). Senecam (Agamemn. 704) Lucianum (Iov. trag. 50. VI. p. 259 Bip.) cet.

reseraris] In editis *reserares*, quod correxit e codice suo Grotius. Concinunt Basileensis et Darmstattensis; ac sic emendatum etiam vidi ad marginem libri Norimbergensis.

ὑμνολογεῖς] Grotius edidit γυμνολογίζεις. — In Graeca hac voce non inepte alii libri mutant γαμολογίζεις. Nam cum in templis nuptiarum sacra conficerent, et hic de Hymenaeo cantitet; utrique loco verbum convenire debet, quod utriusque respectu dicitur. Bartii. (adv. p. 409) — Τὸ γυμνολογίζειν quid sapiat intelligo. Quoniam tamen varia lectione margini appicta codicum diversa voluntas subnotatur, ego quoque, quam ex nostro lectionem commentus sum, non absurdiorem forte, in medium dabo. Praefert casca scriptura μοιχολογίζεις: quod ut portentosum puto, ita verum mihi persuadeo μυχολογίζεις Capellae exaratum. Sane menti auctoris vix quicquam aptius in lucem postea proditurum puto, glossis fidejubentibus: μύχος ὁ ἐσώτερος τόπος. Bartii (p. 974) — Γυμνολογίζεις retinet Vossianus codex. Arntz. (misc. p. 197). Fluctuat hic plane lectio. Alii, et inprimis Baptista Pius, habent literis Latinis *gumnologisseis* et *kuknologeis*. Sed γαμολογίζεις, ut sibi sensus constaret, Bongarsius amplectebatur. Nil enim nisi meras nuptias hae nugulae ineptiae resultant. Goez. — Nempe non legerat vir doctus quae ab illis interpretibus jam allata erant. Sed magis reprehendendum, quod in textum receptum ab eo istud γαμολογίζειν, verbum inauditum! Barthium vides cum lectione *fluctuante* fluctuare et ipsum, quem quas in testimonium advocat glossas cave credas in codicibus legisse. Exscripsit enim eas e Vulcanii thesauro (p. 345), quem ne laudaret, consulto cavit. Non magis igitur glossae illae adjuvant, quam quodlibet aliud lexicon Graecum. Quapropter lectionem omnium simplicissimam et sensui maxime accommodatam ὑμνολογεῖς in textum recepi. In alio enim libro (palaeogr. crit. III §. 376 seq.) uberius de variante disserui orthographia, et ne insueta se morari sinant interpretes admonui, praesertim autem (IV. §. 526) literam Gamma saepe pro spiritu adhibitam esse

revelato. Ne tu, inquam, desipis, admodumque perspicui operis *ἐγέρβιμον* noscens

(p. 326; add. Heyn. ad Apollodor. p. 266) docui, id quod in illo ipso verbo probe advertit Schneider (in lex. Gr.). Jam vero in codicibus Monacensibus (B.D.) scriptum legitur *ΓΥΜΝΟΛΟΓΙC*: licebat igitur *ὑμνολογεῖς* substituere, quoniam, ut saepe dixi, variam scribendi rationem minime curo, atque I et EI invicem poni (Quinctil. 1, 7, 15 p. 181 Spald.) non nisi orthographiae prorsus rudes ignorant (v. palaeogr. mea §. 277 not. EI).

ne] Lege cum Ms. *nae*, et dele interrogationis notas. Gnot. — Recte! In aliis bibliothecae Leidensis membranis extat *non tu*, teste Munckero ad Fulgentii Virg. cont. p. 742 ed. Staveren. Id si placeat, *non* accipiendum est pro *nonne*, de quo usu dixi pluribus in specim. observ. c. 3. Arntz. (misc. p. 198). — Bodianus et Vulcanius habent *ne*: male! Goez. — Cur male? Profecto perinde est utro modo legas, siquidem ab optimis scriptoribus Cicerone et Sallustio pro Graeco *ναὶ* ponitur *ne*, quod alii scribunt *nae*, prout Graecam diphthongum alii literis AE, alii simplici E (§. 905. not.) reddere maluerunt (Palaeogr. crit. IV. p. 528). Infra apud nostrum (§. 32) iterum *ne* reperies eodem sane sensu. Quid? quod Malaspina (v. comment. ad Cic. epp. ad Att. 6. 1. T. I. p. 173 Graev.) negat ante Laurentii Vallae tempora apud Latinos diphthongo scriptum *nae* inveniri (conf. et Garaton. ad Cic. pro Mil. p. 260 Orell. Kritz ad Sallust. Catil. p. 276 sequ.). Sic in Afranii fragmentis (poët. scen. II. p. 167. 188 Bothii) editor temere *nae* posuit pro *ne*, quod recte legitur apud Nonium (p. 246 Merc.).

ἐγέρβιμον] In Grotiana editione pariter atque in anterioribus legitur *ἐγειρομνημεῖον*. Libri autem scripti verbum mirifice variatum exhibent. Grotius in suo legit *ἐγερυμιον*, Bongarsius *egiruemion*. Equidem in Monacensibus (B. C. D.) inveni *EIΓE-PYMION*, in alio (E) *EIΓPYMYON*, in alio (G) *EIΓOPYMYON*, in Basileensi *EIΓEPIMION*, in Darmstattensi *HΓHPIMIΩN*. Atque interpretes si audieris veteres, vix doctior abibis. Corrupta enim haec tradunt: »Egerimion, i. e. resurrectionem vel ascensionem vel mutationem. Egerimio Graecum verbum, i. e. surgo. Est enim Egerimion liber apud Graecos de apotheosi«; quod sic explanat alius (E): »est liber, in quo refertur, qualiter homines divi facti sint.« Quam quidem explicationem facile apparet ab apotheosi Philologiae desumtam esse ab hominibus Graecae linguae adeo ignaris, ut ne *ἐγείρω* quidem verbum recte scribere potuerint. Contra bonae frugis plenissima Grotii nota haec est: »*Ἐγειρομνημεῖον* vox notha. Ms. *ἐγερυμιον*. L. *ἐγέρβιμον*, vox nota vel ex libro IX, ubi ait: Tunc *ἐγέρβιμον* ineffabile virgo concludens. Scholiastes Theocriti: *τῶν ἐπιθαλαμίων τὰ μὲν ἄδεται ἑσπέρας, τὰ δὲ ὄρθρια ἃ καὶ προβαγορεύεται διεγερτικά*. Et ea quidem quae scholiastes *κατακοιμητικὰ*, a Capella *κοίμησις* appellantur, ut Meursius noster docuit, quae vero ille *διεγερτικὰ*, a Capella *ἐγέρβιμον* dici ego animadverti: nisi quis malit dici Egersimon, ut Varro in fragmento: »vocis suscitabulum cantantiumque gallus gallinaceus.« Hucusque Grotius, cujus conjecturam a Goezio in contextum receptam esse ut olim improbaveram, ita nunc probo, postquam in illo, quem Grotius laudat, loco (§. 911), etsi omnes editi, praeter Grotianam editionem, in qua *egersimon* legitur, corruptum illud *egerimion* exhibeant, in Monacensi tamen codice (C) scriptum ipse vidi *egersymon*, levi vocalium mutatione, in Darmstattensi vero rectius *egersimon*. Quum igitur ex inferiori hoc loco appareat, corrumpi vocem illam in *egerimion* potuisse, emendandi autem locum

creperum sapis? nec liquet Hymenaeo praelibante disposita nuptias resultare? Si vero concepta cujus scaturiginis vena profluxerint, properus perscrutator

aliquem ex alio *ejusdem* scriptoris loco ratio certe optima sit; Grotianam illam opinionem pluris quam meram conjecturam faciendam esse censui.

creperum] Identidem (§. 116. 805) hac voce noster usus est. Significatio quidem nota (Symmach. epist. 1, 13); sed inprimis Nonius (p. 13 Merc.) de vario vocis usu conferendus. Totius loci sensus hic esse videtur: Martianus pater filium corrigens: »profecto insipis, inquit, qui excitantes versus, quos prooemii loco declamavi, audisti, et nihilominus fingis te ignorare praeclarum opus, quod moliar.«

praelibante] In manu exarato codice legitur *perlibante*. Ego adverbium *praelibanter* ansam errori dedidisse opinor, quod finxit more suo pecudalis, ut fatetur ipsemet per risum eloquii, senex. Hymenaeo disposita sunt in gratiam ejus scribenda, *praelibanter* vero, quod ejus imperium toto opere celebrans tangit ipsomet in exordio. Bantu. (adv. p. 409). — *Praelibante* Vossianus etiam codex, pro quo Barthius nulla necessitate *praelibanter*. Arntz. (misc. 198). — Musaeo vocatur γαμοστόλος ἀγγελιώτης. Goez.

resultare] Resonare, succinere. Infra: »Idque deditum mundo loquax triviatim dissultaret humanitas«; hoc est rumoribus atque canticis differret. Sic capiendum hoc verbum initio Cyclopaediae, si diis placet, Alani ab Insulis:

»*Ut sibi juncta magis naturae dona resultent*
Et proprium donet donis mixtura favorem
Cudit opus, per quod operi concluditur omni.«

Qui scriptor ingenii non absurdi cum aliis aequalibus vel tempore, vel studio, plane eloquentiam suam ad Martianum conformavit. Bantu. (advers. p. 409). — Resultare paene unice ad strepitum et sonum multitudinis refertur. Vid. Gesner. ad Claud. p. 511:

— — — — *edissere caussas*
Laetitiae: cui pompa toro tam clara resultet?«

»Domus tota lauris obsita, taedis lucida, constrepebat Hymenaeum.« Goez. — Claudiani locus est in epithalamio (50), quod ante oculos habuisse Martianum mihi quoque verisimile fit. Sed restrictum illius vocis usum neutiquam probo, quandoquidem vel unus Appulejus contrarium docere potest, verbum nempe *resultare* saepius usurpari ubi sonus ne cogitari quidem possit. Scribit enim (apol. p. 424 Oud.): »radii in speculum incidentes *resultant*«; (metam. p. 213): »paulatim terra *resultat*« magnimirum evolare tentans; (p. 552): »Pegasus in altum adusque coelum *resultat*.« Translatum sensim ad alium sensum hoc verbum esse ex Franco-Gallico *resulter* patet. Glossae Vindocinenses (ap. Cang.) *resultare* explicant »similitudinem referre.« Apud nostrum infra (§. 11) tamen verbo *resultare* omnino *resonare* denotatur, verum non ut hic cum accusandi casu junctum, cujus constructionis exempla praebent iterum Appulejus (met. 5. p. 332 Oud.) verbis »saxa cautesque parilem sonum *resultarent*«; et Calpurnius (Ecl. 4, 5. in Burm. poët. min. I. p. 620) versu:

»*Carmina jam dudum, non quae nemorale* resultent.«

Atque sic etiam apud nostrum ad *disposita* vox *carmina* suppleri debet.

scaturiginis vena] Fulgentius (p. 13), scilicet ne in Martiano exscribendo manifeste deprehenderetur, »poëticam pruriginem« substituit.

profluxerint] Ita codd. Dresdensis, Darmstattensis, Reichenauensis et Britannicus: Vulgata *perfluxerint*. Verborum ordo hic est: Si vero properus

inquiris, fabellam tibi, quam olim Satura comminiscens hiemali pervigilio marcescentes mecum lucernas edocuit, ni prolixitas perculerit, explicabo. Quum 3

perscrutator inquiris, (c) cujus scaturiginis vena profluxerint concepta (haec) cet. *Perscrutator* pro Grotii *scrutator* varians lectio est ad libri Norimbergensis marginem annotata, quam in textum recepi.

satura comminiscens] Martiani genus scribendi satyricon est, non invectivum, sed opus miscellum; ideoque Satyram librum suum, et in principio, et in Geometria, et in Astronomia *κατὰ προσωποποιΐαν* loquentem inducit. Gnor. — Martianus Saturam (sic enim in Mstis exprimitur, v. Cortius ad Sallust. p. 549 et Bünemann ad Lactantium p. 139.) quasi deam sibi familiarem illud Hymenaeum carmine celebrantem inducit. Inde »Satura comminiscens mecum edocuit.« Gozz. — Quod ad vocis orthographiam et scripta satyrica attinet, conferantur Vossius (in etym.), Cellarius (in orthogr. 1768. 8. p. 349.), Casaubonus (in Crenii musaeo p. 1 sequ.), Petronii interpretes (Burm. p. 1 sequ.), Fulgentius Martiani simia (myth. I. p. 22 Munck.), Turnebus (in advers. 26, 34), Heindorf (ad Horat. sat. 1, 4. p. 86) et Barclaius (in sat. praef.). Sed quamvis recte Grotius adverterit, Saturam loquentem a Martiano non semel induci, id hoc etiam loco factum esse mihi quidem neutiquam est persuasum. Poëtica potius licentia inest in verbis »Satura comminiscens fabulam marcescentes mecum lucernas edocuit.« Nec magis Satura Martianum edocuit, quam lucernas. Ceterum jure Grotius contendit Martiani *Saturam* opus miscellum esse. Eo enim sensu et Paulus apud Festum »Satura« inquit »et cibi genus dicitur ex variis rebus conditum, et lex multis aliis conferta legibus, et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur.«

lucernas] Pluribus hoc symbolum locis Martianus usurpavit (§. 124. 219. 996); quod avide arripiens Fulgentius (myth. 1. p. 597 Stav.), ut jam monuit Goezius, »nocturna« inquit »praesule lucerna fabulam commentus sum.« Omnium fere, quae noctu fiebant, consciam veteres venerabantur lucernam (Aristoph. Concion. ab init., Lucian. Catapl. T. 3. p. 209 Bip.), unde Graecorum proverbium »*λήκυθον* sive *λύχνον ὄζειν*. Libanius (in vita Demosth. p. 4. v. 15 Reisk): »*Οὐδὲ τὰς νύκτας ἐκάθευδεν, ἀλλὰ διεπονεῖτο πρὸς φῶς περὶ λόγους. Ὅθεν καὶ Πυθέας ὀκώπτων ἔφη, τοὺς λόγους τοῦ Δημοσθένους λύχνων ἀπόζειν ὃν ὁ Δημοσθένης ἀστείως ἅμα καὶ πικρῶς· Οἶδα, ἔφη, ὅτι λυπῶ σε λύχνον καίων.*« Et Cinna (ap. Isidor. etym. 6, 12, p. 259 Arev.).

»*Haec tibi Arateis multum invigilata lucernis*
Carmina — — —

Causam vero cur tantopere amarint hanc allegoriam scriptores, Epicharmus (ap. Cornut. 14. p. 161 Gal.) prodit hisce verbis: »*εἴ τέ τι ζητεῖς σοφὸν, τῆς νυκτὸς ἐνθυμητέον.*« Omnia enim praeclara, Cornutus addit, melius noctu, quam die, cogitando reperiuntur. Quapropter Propertius »extremas« memorat »lucernas«; et Juvenalis (1, 51) Venusinae lucernae nomine Horatianas lucubrationes insignivit. Utrumque junxit Ausonius epigrammate (4) quod fastis praemisit, versibus:

»*Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe* noctes,
Obsequitur studio nostra lucerna *tuo.*«

Unde et Gellius librum suum *Noctes* inscripsit Atticas. Arnobius denique (4. p. 144) *lucernarum moderatricem* Minervam appellat ipsam.

prolixitas] Sensus idem est, qui in Arnobii (l. 1. p. 138 Salmas.) verbis: »ne forte prolixitas fastidium audientiae pariat.« Multo elegantius eadem Virgilius (georg. 1, 177) exprimit versu:

»*Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas.*«

inter deos fierent sacra conjugia procreationesque undique numerosae, liberique praeclues ac nepotum dulcium aetherea multitudo inter se quodam coelicolarum complexu ac foedere potirentur, praesertimque potissimos connubialis bearet adjectio, idque debitum mundo loquax triviatim dissultaret humanitas,

sacra conjugia] Apud Graecos quoque ἱεροὶ γάμοι deorum erant conjugia, in primis Jovis et Junonis, quatenus mystice et symbolice explicare illud solebant (conf. Casaub. ad Athen. 6, 10. p. 426 f. Valcken. ad Theocr. Adon. p. 364, ibique laudat. Wernsdorf. excurs. 11 ad pervig. Ven. T. 3. p. 538. Lobeck. Aglaopham. Königsb. 1829. 8. I. p. 608). Quapropter sacra Junonis teste Lactantio (1, 17) nuptiarum ritu celebrabantur, quae et ipsa ἱεροὶ γάμοι appellata sunt: unde etiam οἱ γαμοῦντες ποιοῦσι τῷ Διὶ καὶ τῇ Ἥρᾳ ἱεροὺς γάμους (Lexic. rhetor. post Phot. Porsoni p. 670. 29). Platoni tamen (de R. P. 5. p. 458 f. de legg. 8. p. 841 Steph.) hae nuptiae nil nisi sanctae, id est rite institutae et inviolabiles esse videntur. De Cereris nuptiis v. Serv. ad Virg. georg. I. 344.

procreationesque] Grotius ediderat quidem *procreationis*; addita tamen nota: »Legendum et distinguendum: Cum inter deos fierent sacra conjugia, procreationes undique numerosae.« — Atque ita codex etiam Dresdensis habet. Sed e variis lectionibus, quas Bondam (p. 52) attulit, meliorem in textum recepi, qua non solum *procreationesque* legitur, sed etiam paulo post in verbis *et inter* deleta copula est, quae etiam a codicibus Monacensi (E) et Hugiano abest. Goezius quidem substituit *indeque*, additque »ad manuscriptorum fidem«; sed falsus est. In nullo enim *indeque* legitur.

praeclues] Vox est illius aevi. Glossae nostrae: »*praeclues*, praenobiles«, et alibi: »*praecluibus*, honestis.« Et glossa Isidori: »*cluis* nobilis, *cluior* nobilior, *praecluis* valde clarus et inclitus.« Gron. — Saepissime (§. 24. 337. 429. 566. 897. 906) hoc vocabulo utitur noster. Neque quasi ex Graeca Latinaque lingua compositum forte damnandum; siquidem Plautus toties jam verbo *cluere* utitur. Attamen Latinum ejusdem stirpis esse, cujus Graecum κλύειν, negare nolim.

adjectio] Mss. *adlectio*. Tertull.: »adlectio explorata.« Goez. — Vellem dixisset in quibus libris scriptis *adlectio* legatur, quam pravam ego lectionem in nullo reperi. Multo igitur minus in textum recipienda erat. Sensus est: »Amplexibus quidem gaudebant dii, sed beatissimi fiebant accedente connubio.« Adjectio connubialis enim hypallage est, quam figuram noster saepe usurpat.

debitum] Ediderat Grotius, sicut erat in ante eum editis, *deditum*, hac tamen addita nota: »Sic in Rhetorica: »Deditaque fient quae vetustas praeterit.« Sed sane malim diditum et didita. Didere enim est dispergere. Glossa: Dide διάδος, μέριζε. Virgilius: — — »tua terris didita fama«, et alibi: »Diditur hic subito Trojana per agmina rumor.« Glossa Isidori: »Diditum, percrebratum, divulgatum.« Gron. — Repetiit Goezius, et quod magis reprehendendum, in textum recepit verbum, quod nullo in codice legitur. Equidem Dresdensis et Hugiani codicum auctoritate substitui *debitum*. Sensus est: »ne careret mundus diis varii et multiplicis generis, qui eum implerent.« Totum enim mundum plenum esse deorum et semideorum recepta erat opinio (conf. §. 150 seq.). Pro *mundo* Claudianus, quem noster saepe imitatus est, posuerat *naturam* hisce (rapt. Proserp. 2, 370) versibus:

poëtaeque praecipue Oeagrium citharistam secuti, caecutientisque Maeonii suaviloquam senectutem, epica vulgo lyricaque pagina consonarent: nec aliquid

»*Jam felix oritur proles: jam laeta futuros*
Exspectat natura deos. *Nova* numina *rebus*
Addite *et* optatos *Cereri proferte* nepotes.«

Unde infra (§. 32) Jovi consuluit Apollo ut concederet nuptias Mercurio, quibus proferret nepotum numerum ad culmen polorum. Id quod probans deinde Jupiter jussit (§. 93): »jungantur paribus auspiciis, et nostris cumulent astra nepotibus.« Cui vero nostra lectio non placebit, is sane vulgatam contra Grotium tueri poterit e Donati quidem verbis: »Dare est quod repetas, *dedere* est ad perpetuum.« Sed *debitum* rectius esse mihi quidem e Martialis (4, 1, 9) verbis »*debita terris*« persuasum est.

triviatim] In triviis enim populi confabulabantur. Musaeus: *Γλῶσσα γὰρ ἀνθρώπων φιλοκέρτομος, ἐν δὲ διωπῇ Ἔργον, ὅπερ τελέει τις, ἐνὶ τριοδοῖσιν ἀκούει.* Catullus: »Omnibus in triviis vulgetur fabula passim«: adeoque inibi etiam carmina cani solita. Maro: » — Tunc in triviis indocte solebas stridenti miserum stipula disperdere carmen«: quo alludit Capella. Gnot. — Adde Horatium (ad Pison. 215), Appulejum (in metam. 1. p. 28 Oud.), et confer omnino doctissimum Luciani (de historiae conscribendae ratione c. 10 extr. p. 118) interpretem C. F. Hermannum. Sensus infra (§. 96 f.) idem est verborum »per compita.«

dissultaret] Glossa: »dissultaret, divulgaret.« Sic »nuptias resultare« et »sonitu resultabant« dixit. Gn. — Inter utrumque verbum distinguendum potius erit. De verbo *resultare* conferas velim quae modo (ad §. 2) observavi et quae infra (§. 11) observo. *Dissultare* vero, quo Virgilius (Aen. 8, 240 et 12, 923) utitur, verbum est intransitivum, unde apud nostrum (§. 5) post verba »debitum mundo« supplendum videtur »esse.«

Oeagrium] Ubique Euagrium legitur. — De Orpheo sermo, qui Oeagri filius. Hyginus de Argonautis loquens: »Celeusma dixit Orpheus Oeagri filius.« Gnot. — Euagrium nomen foedissime corruptum muta in Oeagrium. Gorz. — Equidem non miror Euagrium scriptum esse, et Oeagrium illo nomine intellectum. Graecum nomen enim *Οἴαγρος* est: *οι* autem et *ευ* pronuntiatione confundebantur, unde *Εὐάγριος* idem est qui *Οἰάγριος*. Quid? quod *κατευχηβας* scripsere pro *κατοιχηβας* (Oderici diss. p. 27). Quoniam igitur variantem orthographiam interpres ego haud curo, minime dubitavi Oeagrium in contextum recipere, ne Euagrius imperitis fucum faceret. Confer praeterea de eo Diodorum (4, 25), et Apollodorum (1, 9, 16).

caecutientis] Solemne scriptoribus sequioris aetatis fuisse videtur, Homerum a caecitate denominare. Tertullianus: »quod clausis vel in totum Homericis oculis liquet.« — Gorz. — Repetit illud Homeri epitheton noster infra (§. 19).

consonarent] Etsi vulgata lectio non ineptum sensum fundat, tamen vestigiis veteris scripturae, Bongarsio probatae, »Euagrius (l. Oeagrius) citharista«, a qua plane editi aberrarunt, ut insistamus, tam nexus, quam etiam genius, ut ita dicam, Martiani suadere videntur. Praecipui poëtae, iidemque grandaevi pontifices, Oeagrius et Homerus, id in lyricis et epicis carminibus sequebantur, quod humanitas de diis deabusque triviatim dissultaverat, i. e. divulgaverat. Orpheus et Homerus veteres illos de diis deabusque et eorum connubiis mythos, quasi divinitus sibi traditos, carminibus suis intexuerunt, et his grandaevis, cana vetustate venerandis pontificibus in testimonium vocatis promtior fides accessit. Scholiastes Euripidis in Alcest. 967: *Πρῶτος Ὀρ-*

dulcius Jovi inter aethereas voluptates una conjuge loquerentur: hisque accederet promtior fides, quae suadente aruspicio grandaevos pontifices in testimonium convocat, quum quid Jupiter hominum votis trepida curarum ambage suspensis multa implacabilis hostia denegaret, exorata ejus matrona provenire, et quicquid ille ex promta sententia Parcarum pugillo asservante dictaverit,

φεὺς μυστήρια θεῶν παραδέδωκεν, ὅθεν καὶ θρηϊκεία τὸ μυστήριον καλεῖται, ἀπὸ τοῦ Θρᾳκὸς Ὀρφέως, καὶ ἄλλως καὶ ποιητὴς καὶ μάντις ἦν ὁ Ὀρφεύς. Et Fulgentius (fab. 14), qui fabulas suas maximam partem e Graecis Latinisque scholiastis compilasse videtur: »Orpheus, Oagri et Calliopes Musae filius, Thrax urbe Flevia, quae est in Olympo monte, ad flumen Enipeum, mantis citharista.« Goez. — Ad ista omnia non possum non animadvertere, mixta esse a docto interprete antecedentia, et subsequentia, et, ut ille exiret sensus, totum orationis ordinem mutatum. Praeterea non erat, quod Bongarsium, qui solus »Euagrius citharista« primo casu legit, sequeretur, quum reliqui omnes quartum casum habeant, veriorque sententia sit, »praecipuos poëtas secutos esse exemplum Orphei et Homeri.« Sed quam Goezius vult dictio: »poëtae sequuntur quod humanitas dissultat«, a nemine intelligeretur. Majorem vero video difficultatem, quam ne verbo quidem attigerunt docti illi viri. Tot enim a Martiano praemissa nulla sequi videtur conclusio. Incipit nempe a »Quum«, cui addidit subjunctivos modos »fierent — potirentur — dissultaret — consonarent — loquerentur — accederet« — atque ex hisce omnibus nihil assumit, sed abrupta esse videtur oratio. Quapropter vix alio modo defendi potest verborum structura, quam si, mutata interpunctione, uti correctam eam supra vides, statueris incipere apodosin a verbis (§. 5): »hac igitur fama«, quibus resumserit orationem, multis insertis interruptam.

nec aliquid dulcius] Spectare videtur ad famosum illum Jovis cum Junone congressum (Il. 14, 292 sequ.), in quo figmento Homerum non temere reprehendit Plato (de R. P. 3, p. 390 Steph.).

una conjuge] Alii *una cum conjuge*, sed male. Intrusit scilicet aliquis illud *cum*, qui sensum non ceperat, neque viderat, conjungendum esse cum »*poëtaeque*« verbum »*loquerentur*.« Sensus est: »Nil Jovi dulcius *una* conjuge«, sive: »Jovi una conjux dulcissima.« Ita Cicero (Brut. 6): »rem unam esse omnium difficillimam«, et (in Verr. 1 ab init.) »quod unum ad invidiam vestri ordinis minuendam maxime pertinebat.«

quum quid] Lege »cum quod.« Sensum perspice et laudabis. Gron. Ego vero neutiquam laudare possum, quandoquidem Afer noster magis latine locutus est, quam correcturus eum Grotius. *Quid* enim positum hic est pro *aliquid*, ut apud Senecam (de ira 2, 9): »num quis irascitur« cet. atque apud ipsum Ciceronem legeris »quo quis versutior« cet. (offic. 2, 9) et (ibid. 3, 19) »Dixerit quis«; quapropter falsi sunt grammatici, qui contendunt non nisi antecedentibus particulis *ne* vel *si* poni posse *quis* pro *aliquis*. Meliora jam statuit Ramshorn (§. 160). Noster certe hujus rei non ignarus fuit. Scribit enim (§. 539) »Sat erit *cui*« pro *alicui*.

provenire] Infinitum modum hunc, pariter atque illum, qui sequitur, *removere*, pendere arbitror ab antecedente voce »testimonium.«

Parcarum pugillo] Servius (ad Virg. Aen. 1, 22): »una loquitur, inquit, altera scribit, alia filia

delinitum svadae conjugis amplexibus jussuque removere. Nec solum superum 4
regem attestabatur uxorium, idque etiam Diti propositum, idque Portuno,

deducit.« Scribentis Parcae effigiem olim (in palaeogr. mea crit. III. §. 527) lectorum oculis subjeci.

removere] Adeo uxorius est Jupiter, ut vota, quae jam, quamvis pingui honoratus hostia, praefracte denegaverat, et ut solemni modo irrita esse declararet, Parcis abolenda commiserat, delinitus conjugis suae osculis et amplexibus revocet et rata esse jubeat. Goez. — Non erat quod adderet vir doctus verba »irrita, abolenda, et revocare.« Parcae enim Jovis erant scribae, notabantque omnia, quae fieri ille jubebat (§. 89).

uxorium] Uxorius est nimium deditus conjugi. Glossarium Philoxeni: »Uxorius, γυναικομανής, γυναικοκρατούμενος; uxoriosus, ὁ τὴν ἰδίαν γυναῖκα φιλῶν.« Virgilius: »pulcramque *uxorius* urbem exstruis.« Et qui quid in gratiam earum facerent, alioqui quod minus facerent. Ita Martianus. Et Horatius: »sinistra labitur ripa Jove non probante *uxorius* amnis.« Alioquin contra Jovem minime facturus. Quare adhuc in ea sum sententia, scribendum in Philoxeno: ὁ τὴν γυναῖκα λίαν φιλῶν. Secus qui *osculans* hic accipit Eusta. Swartius noster, cum quo tamen non pugnavero. In alio glossario γυναιμανὴς pariter *uxorius* exponitur. Bentl. (adv. p. 277). — Poëtarum loci laudati sunt Horatii in odis (1, 2, 19) et Virgilii in Aeneide (4, 266). Apud nostrum igitur Jupiter uxorius est, unde infra (§. 30) Apollo dicit, notum sibi esse, quod in Junonis arbitrio posita mariti sit voluntas. Alio sensu L. Afranius apud Nonium (p. 28) *virum* mulierosum, et *feminam* (p. 21) *virosam* appellat.

Portuno] Portunus, deus portuum, ipse est Neptunus. Gloss. D. — Cognomen hoc non solum Palaemoni, sed et Neptuno tributum, ut hic et libro quinto: »Portuni trifidam suspirans flagitat hastam.« Sic intelligendus videtur Apulejus: »Et Portunus caerulis barbis hispidus et gravis piscoso sinu Salacia, auriga parvulus Delphini Palaemon.« Namque apertissime sejungit Portunum a Palaemone, et Salaciae jungit. Alibi aliter intelligo: »Neptunus cum Salacia, et Portunus cum omni choro Nereidum.« Pro nobis est Tullius, qui de natura deorum disserens ait: »Datum igitur est Neptuno alterum« (malim *alteri*, in qua opinione postea et Lambinum esse comperi) »ut volunt, fratri maritimum omne regnum, nomenque productum ut Portunus a portu, Neptunus a nando paulum primis literis immutatis.« Et quis neget de Neptuno sensisse Virgilium, cum canit:

— — — — »*imis sub fluctibus audiit omnis*
Nereidum Phorcique chorus Panopaeaque virgo
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Impulit« — —

Et ut in his quidem locis Neptuno Palaemonis nomen attribuitur, ita vicissim videatur Neptuni nomen Palaemoni ab Ausonio assignatum, qui:

»*Isthmia Neptuno data sunt, et Pythia Phoebo.*«

Verum, ut dico, *videtur*, nam locus hic etiamnum vereor ne in mendo cubet, et pro Neptuno, Portuno restituendum sit. Grot. — Grotium quamvis Heyn. ad Aen. 5, 241 in illis Virgilii versibus explicatis reprehendat; apud nostrum Portunus omnino est Neptunus.

Gradivum] Unde hoc nomen Gorallus ad Albinovanum (eleg. 1, 23. p. 7 not.) explicare studet hisce verbis: »Existimarim *gradi* in cascorum Latinorum sermone significasse interdum idem ac frequentativum *grassari*, hoc est, latrocinium exercere.« Quae quidem observatio satis placet: quemadmodum enim Minerva *praedatrix* cognominatur, ita et Mars *praedator* dici potest.

certumque esse Gradivum Nerienis Nerinae conjugis amore torreri; Aesculapio quoque non dispar affectio, similique persuasione transduci Ope conjuga Cybeleque permulsa moestissimum seniorem deorum: Janusque Argionam

Nerienis] Deae hujus Mavortiae meminerunt Ennius, Plautus, Imbrex, Agellius grammaticus, et Cn. Gellius historicus antiquus, quem tamen (ut et hoc obiter dicam) Agellii nomine citare videtur Nonius in voce Bubo. Dicta ceterum haec dea a voce Sabina, quae fortitudinem denotat, a qua et Nerones. Glossa: Nero ἀνδρεῖος. Gnot. — Concinit cum hisce Goezius. Sed hi docuissent vellem, cur *Nerienis Nerinae* noster scripserit? *Nerio* enim, sive *Neria*, vel *Neaera*, erat Mavortiae conjugis nomen (Licin. Imbrex ap. Gellium 15, 22. p. 180 Conr. Gellii in annal. locum a Grotio laudatum reperies in append. ad Cortii Sallust. p. 33); Nerinus autem est a Nereus, ut a mare marinus. Unde Martianus infra (§. 915) *Nerinam* chelyn dixit pro *marinam*. Sed vix credo nostrum illius originem ducere voluisse a Nereo. Porphyrionem potius in mente habuisse videtur, cujus ad Horatii carmina annotationem hanc Gyraldus (op. I. p. 320) affert: »A Minerva Mars victus est, et obtenta virginitate Minerva Nerine est appellata (vel potius Neriene).« Utrumque igitur nomen conjunxisse noster videtur. Praesidium certe haec conjectura habet in iis, quae sequuntur, ubi et Saturni conjugi duo pariter tribuuntur nomina. Nerina igitur, sive Neriene Minerva est, non Galatea, ut Scaliger (ad Orph. p. 285. n. 8 Gesn.) sibi persuaserat, qui et Nerienis cognomine Martem appellari affirmat. Sed nullum affert auctorem, suspicorque hanc meram esse viri docti conjecturam e Gellio et Martiano perperam intellectis captam. Minervam igitur amore prosecutus Mars erat, sed eam ipsam conjugem non habuit, quae Bellona potius erat (Augustin. de civ. dei 6, 10). Sed, ut nihil in obscurissimo hoc loco praeteream, in Basileensi codice legitur *Nerienis Neriae*, addita glossa: »filia Neriae.« Temere etiam Burmannus (in anthol. Lat. I. p. 57 not.) correcturus erat Stephanum et veterem editionem Romanam, quae in epigrammate copulam *et* inter nomina Nerienes ac Minervae omisit.

Ope conjuga] Lege et distingue: »Aesculapio quoque non dispar affectio, similique persuasione transduci. Ope conjuga Cybeleque permulsum moestissimum seniorem deorum.« Aesculapii uxor Lampetie, ut Hermippus testatur, quem auctorem citat nonnunquam Arnobius. Scripsit τριμέτρα. Vocem illam »*conjuga*« apud Madaurensem invenias. Cybelen et Opem eandem esse quis ignorat? Ceterum animadvertas et hic et alibi saepius sensum non satis cohaerere. Sed nec illud reticendum, et Meursio meo, et mihi in mentem venisse, commodius hic forsan legi posse »Ope consiva« vel »Consivia.« Vide si lubet Varronem, Festum, Macrobium: festorum Opeconsivorum mentio in calendario veteri. Gnot. — Ego nihil praeter interpungendi rationem mutare ausim. »Ceterum ἀνακόλουθον Hygino, Fulgentio, et nostro etiam Martiano familiare neminem morabitur. Goez. — Omnino servanda Martiani verba erant: quamvis enim Ops Consivia appellaretur veluti Janus Consivius; inde neutiquam sequitur Martianum hocce cognomen scripsisse. Neque interpunctio mutanda erat, ut mox videbitur. »*Opem* appellamus« sunt verba Macrobii (in Saturn. 1, 12) »quod ipsius *auxilio* vita constet.« Quae qui legerit satis mirari nequibit Pluchetium qui (in hist. coeli 1, 2, 38) deae hoc nomen ab Hebraeo vocabulo, quod *putrescere* significet, derivare potuerit!

permulsa] Ita in omnibus libris, tam editis,

quam scriptis. Quapropter supra contendi, non posse hoc comma interpungi, quemadmodum Goezius et Grotius jusserant. Nulli enim usui antecedentium emendatio est, si ea admissa obscuriora redduntur, quae sequuntur. Verba quidem melius cohaererent, si Saturnum ab uxore permulsum esse Martianus scripsisset; at vero non scripsit: quare interpretis officium est, verba scripta, quoad fieri potest, interpretari. Intelligo igitur »moestissimum deorum seniorem« *permulcendo* uxorem minus fieri moestum. Quumque hoc tantum modo obscura illa explicari possint, omnino comma a verbis »similique persuasione transduci« repetendum est. Moestissimum denique illum seniorem deorum esse Saturnum e Servii (6, 325) patet verbis: »Ops terra est, uxor Saturni, quam Graeci Rheam vocant.«

moestissimum] Hujus Saturni dei effigiem praebent monumenta (ap. Montf. I. p. 19. Passer. in lucern. I. 9 sequ. Stosch. dact. tab. 14. 15. Raspe tab. 14. Spon. recherch. 69. Cuper. apoth. Hom. 44. Graev. thes. XII p. 1045. tab. 8. et Museum Pio-Clem. VI. 39).

Argionam] An *Angeronam*, cujus meminit Varro et Festus? an potius *Ageroniam*, cujus Augustinus? Glossa vetus: »Angeronia ἡ θεὸς βουλῆς καὶ καιρῶν«, l. Ageronia. Sane Arnobius Juturnam Jani uxorem facit, non Angeronam vel Ageroniam. Gnot. — Locus haud dubie est mendosus, nec placet *Angeronam* reponi cum viro magno. Heins. (ad Ovid. met. 14, 334. p. 962 Burm.). — Nomen alias mihi non est lectum, nec dubito mendosum esse. Castigavi certe plurima *ex ingenio* (11), et si vacaret singula examinare, nulla esset plagella, in qua non errores possem exhibere commissos. Heins. (in Burm. syll. epist. III. p. 460). — Bond. et Vulcanius *Argionam*, Bongarsius *Argonam*. »Feriae sunt (Macrob. saturn. 1, 10) divae Angeroniae, cui pontifices in sacello Volupiae sacrum faciunt, quam Verrius Flaccus Angeroneam dici ait, quod *angores* ac animorum sollicitudinem propitiata depellat.« Gozz. — Cf. monumenta Montf. ant. expl. 1 p. 359. Causei mus. II. 35. Cayl. recueil II. 79. III. 44. IV. 72. Graevii thes. IV. 1785. Sed neutiquam *Angeroniam* in textum recipere debebat Goezius, et sic aenigma in aenigmatis locum substituere. Nemo enim veterum unquam Jani aut uxorem aut amicam dixit Angeroniam, praesertim quum Opem, Saturni conjugem modo nominaverit noster. Heinsii etiam temeritas hic elucet corrumpentis semper fere e sola conjectura scriptores. Nihil enim mutandum erat, siquidem Argiona est Juno, quae inde ab Homeri aetate (Il. 4, 8) cognomen nacta erat τῆς Ἀργείης (Herodot. 1, 31. 6, 81. Strabo 5. p. 215. 9. p. 413. Casaubon. Jamblich. Vit. Pythag. 14 f. p. 49). *Argivam* appellant Cicero (N. D. 1, 29 f.) et Virgilius (Aen. 3, 547). Gentile autem *Argiona* pro vulgari *Argia*, sive *Argiva*, Martianus e Graeco Ἀργειώνη (v. Antimach. ap. Steph. Byzant. p. 102) mutuatus est. At plures forsan ignoraverint, quid Jano cum Junone fuerit commune? Istis haec igitur revocamus in memoriam: Junoni certe cujusvis mensis initium sacrum erat (Laurentius Lyd. 3, 7. p. 98 Roeth.) secundum illud Ovidii (fast. 1, 55):

»*Vindicat Ausonias Junonis cura Calendas.*«

Quin Junonem etiam quasi *Janonem* dictam esse legimus (Isidor. etym. 8, 11, 69 Arev.). Janus vero Junonii cognomine gaudebat, quia teste Macrobio (Saturn. 1, 9 et 15) non solum Januarii, sed omnium mensium ingressus tenebat. Facile igitur perspicitur, quo pacto noster dicere potuerit Jani Junonem esse amicam. At vero ne sic quidem dixit: sed »Janum miratum esse utraque facie Argionam«, quod idem est atque in unoquoque anno. Confer Aurelium Victorem (de orig. gent. p. 6 Bip.).

utraque miratur effigie. Nam reginam lacrimas tantum dicunt marito dependisse Memphiticam, ut obsita luctu perpetuo nunquam eum contenta sit invenire.

utraque] Passive dixerat Ovidius (fast. 1, 95):
— »*ancipiti mirandus imagine Janus*«
Martialis autem (10, 28, 6):
»*Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.*«
Romae enim positus erat inter duo fora. Adde Livium (1, 19, 8), Florum (1, 2, et 4, 12), Eutropium (9, 2), Aelium Lampridium (in Commodo Antonino 16), Julium Capitolinum (in Gordiano tertio 26), et Herodianum (1, 16). Ceterum permultae hujus dei in monumentis adhuc supersunt effigies (v. Montfauc. I. p. 25. Passer. in lucern. I, 6. Choul. de relig. Roman. p. 11 et 13. Cuper in Harpocr. p. 204).

nam] Lege: *Jam reginam*. V. Gronovium (ad Macrob. in somn. Scip. I. 2. c. 16). Vonck. — Non tanti haec animadversio est, ut vulgaris mutanda sit lectio.

reginam] In pluribus lapidum titulis (ap. Grut. 83, 12 et 13) Isis appellatur *regina*, et ab Appulejo (metam. 11 p. 753 Oud.) »regina coeli«, siquidem sol coeli erat rex. Sunt etiam in permultis monumentis Isidis effigies (ap. Caus. thesaur. I, 2. Casal. de rit. 67. 72. 74 et 85. Stosch. dactyl. I. 3. 8. 11. II. 52. 60. 62. 64. 66. 70. 101. Spanh. num. I. 302. 689. Cuper. Harp. 35. 46. 47. 51. 70. 109. Choul. relig. Rom. 272. Schlaeg. num. Hadr. 13. 62. 88. 137. 187. Montf. I. ad p. 311. II. 271. Suppl. II. 35. sequ. Beger III. 300 Raspe tab. V. n. 321. 323. tab. VII. 277. 280. 324. 327. Mensa Isiaca 34 et tab. I. n. 4. 8. 9. Gorl. II. 466. 468. 470. 675. Wilde gemm. tab. 3. Chifflet. 112. Augustin. gemm. I. 1. 68. II. 4. Cayl. I. 4. 5. III. 9. IV. 4. 6. 10. 23. 125. VI. 23. VII. 9. Spon. recherch. 465. Marm. Oxon. I. tab. 42. n. 71).

tantum] Alii »tantum dicunt.« Male! Gozz. — Cur male? Immo melius censeo. Infiniti enim modi jam cessaverant, quum praecedat »Janus *miratur*.« Unde rectius »dicunt dependisse«, quam si nullum additum esset verbum finitum. Sed ne sic quidem vox *dependere* intelligitur, nisi adjeceris »*lacrymas*«, id quod e codicibus adjectum vidi a docto quodam viro in libri Norimbergensis margine et in textum recepi.

marito] Alii tamen de filio narrant, ut Lactantius: »Isidis Aegyptia sacra sunt, quatenus filium parvulum vel perdiderit, vel invenerit. Nam primo sacerdotes ejus deglabrato corpore sua pectora tundunt, lamentantur, sicut ipsa, cum filium perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quasi inventus et in laetitiam luctus ille mutatur, ideo Lucanus: » — *nunquam satis quaesitus Osiris*.« Quo in loco duo veniunt animadvertenda: primo quod carmen Ovidianum Lucano attribuit; deinde quod, cum alii de marito Osiride narrent, ille de puero edisserat. Utramque, nisi fallor, sententiam conjungit Arnobius: »Aethiopicis solibus Isis furva maerens perditum filium, et membratim conjugem lancinatum.« Videndus et Plutarchus in libro de Isid. Gnor. — Adde Servium (ad Aen. 6, 154). Ex recentioribus notandus Casalius (de Aeg. ritib. p. 81 f.), qui Lactantium incaute exscripsit errore non animadverso.

Memphiticam] Pro *Aegyptiacam*. Pariter noster infra (§. 225) Memphin ponit pro Aegypto, et (§. 178) Memphiticum mensem pro Aegyptiaco.

nunquam eum] Lege: »nunquam eum *non tenta* sit invenire.« Nam sensus exigit. — Vonck. (spec. crit. p. 78. Ejusd. lect. Lat. p. 54). — Vonckii scilicet sensus, qui non idem est Martiani. Lucanus (8, 833) Isidem allocutus cecinit:
»*Et quem tu plangens hominem testaris Osirin.*«

Hac igitur fama, hisque deorum alternis amoribus commotus concitatusque 5
Cyllenius, simulque quod cunctorum affectiones et thalamos, dum paret pluribus, conspicatur, uxorem ducere instituit. In quam sententiam mater illum anxia, quum annua peragratione Zodiaca in Pleïadum numero salutaret, impu-

Prudentius (c. Symm. 1, 630) meminit

»*Isidis amissum semper plangentis Osirim.*«

Sed haud dubie noster ad illud respexit Ovidii (met. 9, 692): »nunquam satis quaesitus Osiris.« Uterque autem, et Ovidius, et Martianus, procul dubio sacra illa Aegyptiorum notissima, Osiridis *ἀφανισμὸν* et *εὕρεσιν*, in mente habuere. Quodsi Vonckius festa illa quotannis repetita non ignorasset, et legisset, tam luctum ob *deperditum* Osirin, quam gaudium ob *inventum*, singulis annis renovata esse (Orphei Argon. 32. Plutarch. de Iside p. 366. Serv. ad Aen. 4, 609), profecto corrigendi pruritum suppressisset. Suo igitur critico doctior noster, et jam ante eum Minucius Felix, qui (21, 7) de Aegyptiis: »nec desinunt« scribit »annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt.« Tertullianus etiam (adv. Marcion. 1, 13): »Sic et Osiris quod semper *sepelitur*, et in vivido *quaeritur*, et cum gaudio *invenitur*, reciprocarum frugum, et vividorum elementorum, et recidivi anni fidem argumentantur.«

commotus] Ediderat Grotius »motus concitusque«; pro quibus e codicibus Vossiano (v. Voss. ad Melam p. 47. Arntzen. misc. p. 198), Hugiano et ad librum Norimbergensem notatis substitui superiorem lectionem.

Cyllenius] Quantopere in dictione variationem noster amet, maxime e mutatione propriorum nominum videre licet. Eundem enim Mercurium permultis nominibus appellat, ut Arcadis (§. 7. 34. 705), Atlantiadis (§. 38. 726. 889) nempe nepotis Atlantis (Horat. od. 1, 10, 1), Majugenae (§. 39. 92. 211. 217. 228. 422 f.), Thoyth (§. 102), et saepissime Cyllenii (§. 34. 39. 100. 111. 210. 214. 218. 223. 258. 330. 365. 587. 705. 725. 734. 815), quod quidem cognomen vel ab Arcadiae monte Cyllene deducendum (Strabo 8. p. 388 Casaubon. Mela 2, 3. Virgil. Aen. 8, 139), vel uterque et deus, et mons a Cyllene, Elati filio (Pausan. 8, 17, 1), nomen accepit. Alia apud Festum (p. 110 Dacer.) et Servium (ad Aen. 8. 138) de eo reperies.

affectiones et thalamos] Tam furtivos amores, quam conjugales. Goez.

dum paret pluribus] Nuptiae enim sine mutuo verborum commercio fieri nequeunt. Vulcan. — Nugae! Sensus potius est: dum plurium deorum, non solius Jovis, dicto audiens est, qui inde ab Aristotele (rhet. 2, 24) *κοινὸς ἑρμῆς* appellatur, et *commune* profundis et superis *numen* erat (Claudian. Proserp. 1, 88; add. nostr. §. 126 et Macrob. Saturnal. 1, 19), occasionem saepe nactus est deorum advertendi amores. Erat enim Mercurius, ut verbis Horatii (od. 1, 10, 18) utar,

»*superis deorum Gratus et imis.*«

mater] Nimirum Maja, quod nomen Aegyptiacum esse Ham (quantitas) Hugius (in myth. p. 276) contendit. Absurda de hoc nomine Pluchet (hist. coeli 1, 2, 39) profert.

Zodiaca] Pro Zodiactea leg. vel Zodiacea, vel si hoc mavis, cum patre meo hoc pacto: »cum annua peregrinatione Zodiaci eam« cet. Gnot. Qua annotatione deceptus Goezius edidit *Zodiacea* addiditque alios habere *Zodiactea*, alios *Zodiaci*. At *Zodiaci* nemo habet, et *Zodiacea* aeque vitiosum ac

lerat, praesertimque quod palaestra crebrisque discursibus exercitum corpus lacertosis in juvenalis roboris excellentiam toris virili quadam amplitudine renidebat. Ac jam pubentes genae seminudum eum incedere, chlamydeque

Zodiactea. Zodiacus enim jam est adjectivum (ζωδιακὸς, ἡ, ὸν. Manetli. apotel. 4, 168) quapropter ab eo aliud adjectivum formari nequit. Martianus veram scribendi rationem haud ignorans aliis locis semper recte »zodiacum tractum (§. 44), zodiacum cyclum (§. 824), zodiaca hospitia (§. 8)« scribit: quumque critica ars jubeat e scriptore ipso ejus vel librariorum errata corrigere, haud dubitavi *Zodiaca* reponere, quamvis si semper zodiacteus scriptum esset, hoc cum Flori (2, 9), Frontonis (II. p. 340 Maji), Solini, Isidori, aliorum serioris aevi scriptorum *Syriaticus* comparare liceret. Paulo post pro *salutarat* meliorem lectionem *saluturet* recepi e Darmstattensi, Vossianoque (Arntz. misc. p. 198) et illis codicibus, e quibus variantes suas ad libri Norimbergensis marginem annotavit anonymus quidam.

Pleïadum] Πληϊάδες Graeco nomine appellantur. Isidorus (etymol. 3, 71, 13. p. 162 Arev.): »a pluralitate dictae, quia pluralitatem Graeci πλειότητα appellant. Sunt autem stellae septem ante genua Tauri, ex quibus sex videntur: nam latet una. Has Latini Vergilias dicunt, a temporis significatione, quod est *ver*, quando exoriuntur. Nam occasu suo hiemem, ortu aestatem primaeque navigationis tempus ostendunt.« Transierunt haec e Romanis in Germanica calendaria ea quae *Runenkalender* appellant, quorumque antiquitatem imperiti nimis extollunt, siquidem ne discernere quidem possunt literas Gothicas a Runis, id quod et Sheringhamo (p. 217. 231. 257. 258. 243. 244. 283 — 287. 343. 358) vitio vertimus. In loco autem Pleïadibus assignando variant auctores (Gellius 13, 9). Geminus (in apparent. c. 2. p. 43) Pleïades esse docet sex stellas in *dorso* Tauri, nempe in gibbo (v. imag. in Hygin. astr. 3, 20 p. 439 Munck.), in fronte autem quinque nominari Hyades. Adde Apollodorum (3, 4, 3). Quod reliquum est, de Maja, Mercurii matre, noster infra (§. 32. 180) iterum agit.

lacertosis] Lacerti eminentia musculorum. Colum. »Feminibus lacertosis.« Glossae toros *humeros* exponunt. Gnor. — Virgilius de equo »quod toris animosum pectus.« Gloss. B. — Sen. Herc. fur. 624: »agnosco toros humerosque« et Val. Flacc. »conspicuusque toris Hercules.« Gorz. — Hunc Martiani locum ita imitatus est Lactantius de opificio dei cap. 10: »Valida et substricta nervis ad fortitudinem brachia, toris insignibus extentum lacertorum ingens robur.« Priscianus (ad Appul. apol. V. III. p. 467. Oud.) — Immo versa vice Lactantium Martianus imitatur. Certe hunc multo juniorem ille imitari non potuit! Sed in Priapeis etiam legere licet (36, 2):

»*Phoebus comosus, Hercules lacertosus.*«

Conf. praeterea inferiorem locum (§. 84 et not.).

juvenalis] Grotius: *juvenilis*: sed nostram lectionem hoc loco et infra (§. 36) e libris scriptis Leidensibus suppeditat Oudendorp (ad Appulej. I. p. 723), et concinit Darmstattensis codex.

renidebat] Legendum *renitebat*. Prisc. (ad Appul. III. p. 467 Oud.) — Cave corrigas verbum, quo noster quam saepissime utitur (§. 17. 67. 76. 208. 581. 727. 728), quodque apud optimos eodem sensu legitur scriptores, atque multoties repetitur a Catullo (39 per tot.). Nec perspicio cur Priscaeus

indutum parva invelatumque cetera humerorum cacumen obnubere sine magno Cypridis risu non sinebant. Rationabili igitur proposito constituit pellere

renitebat praeferat: sensus enim idem erit, utrum legeris (v. vir doctos ad App. I 108 Oud.) *Renidens* enim placet ob hilaritatem, *renitens* ob nitorem. Prius Cicero (de fin. 1, 8) expressit verbis »leniter arridens.«

pubentes] Ita Vossianus codex pro Grotiano *pubescentes*. *Pubentes* vero malim, ut »*pubentes* herbae« apud Virgilium Aen. 4, 514. Adde Junium de coma c. 4. p. 405. Anvrz. (misc. 198) — Ita et codices Hugianus, Reichenauensis, Basileensis, et Darmstattensis, variansque lectio in Norimbergensi libro ad marginem annotata.

chlamyde indutum] Sic Appulejus de eodem Mercurio: »adest luculentus puer, nudus nisi quod ephebica chlamyde sinistrum tegebat humerum.« Hic enim mos ephebis, unde ἐφαβικὰ εἵματα Theocrito (ut docte collegit Meursius meus) et ἐπωμίδες. Lucilium hinc intellige: »Inde parectato chlamides.« Hujus rei exempla aliquot in antiquissimis manuscriptis Germanici figuris, quas brevi edemus. Gnor. — De chlamyde ephebica cf. Locella ad Xenoph. Ephes. p. 157. Jacobs ad Antholog. gr. I. 1. p. 24; Anecdota Hemsterhusiana p. 219 ed. Geel. Adde ad Appulejum (Op. I p. 737) notas, et Ovidium (met. 2, 733). Chlamys praeterea vestimentum erat peregrinantium (Plauti Pseud. 4, 2, 8. Mercat. 5, 2, 71), quod deorum nuntio omnino conveniebat. Zoega apud Hugium (myth. 269 not.) Hermetis nomen Aegyptiacum esse docet *EP-ME* quod vertit »Veritas«, unde tradente Plutarcho (de Iside 28) acclamatio illa in festo die: γλυκὺ ἡ ἀλήθεια.

invelatumque] Distingue »invelatumque cetera humerorum, cacumen obnubere« cet. Vonck. (spec. crit. p. 78) — Profecto id agere videtur iste criticus, ut totum corrumpat Martiani opus. Absit certe ut sic distinguamus! Risum enim Veneris movebat, quod »parva chlamys humerorum tantum cacumina obnuberet«, cetera autem (pudenda praesertim) nuda essent. Et sane in permultis Mercurii imaginibus humeros tantum tectos fuisse chlamyde (Montfauc. ant. expl. I. tab. 68. 74. 75. 76. Agostin. dial. p. 172. Beger spicil. p. 139. Velseri op. p. 567. Fabretti inscr. p. 432. Boissard. IV. 79. 80. 128. Cayl. III. 43. Choul relig. Rom. p. 140. 141. Spon recherch. p. 469. Graev. thesaur. V. p. 746. VI. 841. Mus. Florent. I, 70 sequ.) videre licet. Quarum imaginum unam a Causeo (mus. Rom. I. 47) vulgatam, ut ad manus sit, non gravamur infra subjicere.

Quod reliquum est, verborum in Hugiano codice ordinem »magno Cypridis risu« praetuli. Altiorem praeterea in hac fictione sensum capere sibi visus est Johannes Sarisberiensis (metalog. 4, 29. p. 909), quem vide.

6 coelibatum. Itaque pro industria et dignitate quam conveniret accipere, cuncta merito longae deliberationis alternat. Nam Sophiam ipsam miro quidem cupiebat ardore, quod prudens sanctaque sit intemeratiorque cunctis pulchriorque virginibus; sed quod sororis ejus collactea et indiscreto amica foedere videtur, perindeque ad innubas ipsa quoque transisse, eam in Palladis injuriam non placuit coaptari. Non dispar illum formae desiderabilis grataque

pellere coelibatum] i. e. exuere. Pariter Ovidius (metam. 2. 838):

»Pelle *moram, solitoque celer delabere cursu.*«

industria] Grotius habebat »industriae dignitate«: ad quae Vonckius (p. 79): »lege: pro inlustri ea dignitate. Dignitas notat corporis staturam et formae pulchritudinem (Nepos in Eumene c. XI).« — Haec ille: sed cessat conjectura, siquidem e codice Dresdensi veram restituimus lectionem.

cuncta merito] Eleganter conjicio *cunctamento*. Gaor. — Perquam eleganter Grotius *cunctamento* conjiciebat. Gozz. — Sed finxit Grotius istam vocem, quae Latinis auribus inaudita est. Quare satius duco Martiani verba retinere, quae sic intelligo: »Mercurius *cuncta*, quae sint longae deliberationis, *merito* ponderat examinatque.«

alternat] Glossa Isidori: »alternanti, diu cogitanti.« Gaor. — Alternare cum quarto casu significat facere ut alternatim res compareat. Ita Ovidius: »*alternare* fidem«, et »*alternare* vices« dixit. Similiter Justinus (36, 4, 1. p. 627 Gron.): »Regni mutatio inter novos reges alternabatur.« Et certe Mercurius modo de hac, modo de illa ducenda cogitabat deliberabatque.

nam] Deleatur *nam*. Walthard. — Perperam alii *nam* addunt. Gozz. — Praeter Grotianum omnes etiam codices Monacenses, Dresdensis, alii, exhibent *nam*, nec sine causa conjunctio haec addita est; nam verbum *alternat*, sive alternatio nunc explicatur.

sororis ejus] Mercurii nimirum, Minervae.

collactea] Vossianus codex *collactanea*: sed idem est; quamvis Cornelius Fronto, teste Ausonio Popma (p. 116), nimis subtiliter statuerit »*collactaneum* iisdem mammis, *collacteum* autem uno eodemque lacte educatum esse.« Certe promiscue usurpantur collactaneus et collacteus, non solum in libris (Juvenal. 6, 307, si lectio vera; Brisson. de verb. sign. h. v. Hygin. fab. 224. et Munck. p. 292); sed in lapidum etiam inscriptionibus (Reines. p. 555, n. 16 et aliae p. 556 laudatae). Noster etiam infra (§. 111) eadem utitur voce, quare nihil mutandum.

innubas] Hinc est, quod Minervam, cui *innuptae* cognomen erat (Virg. Aen. 2, 31, Athenaeus 3, 20), eam protegere dicat.

coaptari] Usitatius forte et melius *cooptari*. Sic et libro secundo lubens legerim: »quae adhuc mortalis adversus vim superam in praesidium *cooptarat*« et infra in fine libri primi »in deorum numerum coaptentur« in MS. fuit *cooptentur*. Gaor. — *Cooptari* habent Grotius et Bongarsius: Bodianus vero *coaptari*. Gozz. — Neque Grotius *cooptari* habet, sed conjecit tantum, neque Bongarsius, neque ullus ex omnibus codicibus id exhibet, et quamvis in Dresdensi pro coaptari legatur *coaptare sibi*, idem tamen verbum non mutatur. Eo minus etiam uniformis lectio a Goezio corrigenda erat, quo certius noster eodem verbo infra (§. 111) utitur, et quo facilius intelligi poterat. Significat enim *apte conjungere*, quo sensu Augustinus, Hieronymus, Pru-

luculentas in Manticen quoque succenderat. Nam et nobilitas generis illam, quippe Pronoees majorem filiarum, et providum perspicacioris prudentiae commenda-

dentius (psychom. 557) et Sarisberiensis (de nugis curial. 3, 10) aliique eodem verbo utuntur. Namque compositum id ad analogiam est *τοῦ coaequare*, quod optimis scriptoribus Ciceroni et Sallustio jam usitatum fuit: neque absurda sententia: Mercurius e rationibus praemissis noluit, ut Sophia sibi coaptaretur, quemadmodum marito uxor coaptanda est.

grataque luculentas] Lege »non dispar illum formae desiderabilis gratiaeque luculentae«, aut »forma desiderabilis grataque *juventas*. Voncx. (p. 79) — *Μαντική* divinatio est, quam licet per prosopopoeiam mulierem finxeris, juventutem tamen ei vix alius quisquam tribuerit. Neque apud Martianum legitur, sed »*formae* desiderabilis grataque *luculentas*«, quod nomen substantivum, quamvis non nisi apud nostrum legatur, non magis tamen quam *luculentitas*, quo ejusdem aevi scriptores utuntur, barbarum est. Si quis omnia, quae Martiano propria sunt, expungere vellet, profecto non hunc, sed semet ipsum ille legeret. Atque scriptorem veterem intactum servare, omnino criticis prima lex esto.

Manticen] *Μαντικὴν* antea *Μανικὴν* dictam esse docet Plato (Phaedr. p. 244 Steph.) qui quidem divinationem non male a furore ducit. Eadem Mantice infra (§. 25) redit, nomine etiam *Συμβολικῆς* (§. 894). De ea conferendus Cicero (de legg. 2, 13).

Pronoees] Lege cum Ms. *Pronoea*. Pronoea enim dea. Tullius de diis agens: »neque anum fatidicam Stoicorum *πρόνοιαν*. Meminit et glossarium ab Henrico Stephano editum titulo de deabus: »Providentia, *πρόνοια*.« Innuit hanc Capella lib. secundo: »Zeno ducebat feminam providentem.« Gaot. — Lege ex MS. »quippe Pronoës majorem filiarum.« Zinzerl. (promuls. 19. in Schmineк. synt. crit. p. 227). — Certe erravit Grotius jubens *Pronoea* legere: unde miror Goezium vel in textum recepisse malam illam lectionem. Non enim *Πρόνοια* filia erat *τῆς Μαντικῆς*, sed contra haec illius filia. Et non solum in editis ante Grotium *Pronoës* legebatur, sed in melioribus etiam libris scriptis legitur vel *Pronoeae* (Munck. ad Hygin. p. 62. Oudend. ad Appulej. I. p. 97), vel *Pronoees* (Bondam in var. lect. p. 52. Arntzen. misc. p. 198. 199), et recte quidem ad exemplum Graeci *Προνοίης*: modo ne vulgari sensu Graecam vocem pro Providentia (v. §. 32 not.) acceperis, sed speciali potius, quo cauta sive provida circumspectio est. Id quod ex eo patet, quod *Πρόνοια* mater dicitur *Μαντικῆς* sive divinationis, cujus *providum perspicacis prudentiae ingenium* tantopere placuit Mercurio.

majorem filiarum] Edidit Grotius: »quippe Pronoë major est filiarum.« — Lege ex MS. »quippe *Pronoës majorem* filiarum.« A nobilitate generis commendat, majorem natu esse Providentiae filiarum, scilicet ex tribus, quae sunt: cognitio praeteritorum, praesentium, et futurorum. Major ideo, quia majoris prudentiae futura praescire, quam nosse praeterita.« Zinzerl. (l. c. p. 227 Schmineк.) — Auctore cod. MS. mecum legendum esse non dubitabis: »Pronoees *majorem* filiarum« Bondam. (var. lect. p. 52). — Vossianus codex *Pronoës*, quod unice verum est, nisi malles »Pronoës *majorem* filiarum.« *Pronoae* ex alio codice Leidensi malebat Muncker. ad Hygin. fab. 24, qui praeterea ostendit, *major* hic poni pro superlativo, de quo usu vide et vir. doct. ad Liv. 5, 20. Arntz. (misc. p. 198. 199). — Adde nostrum infra (§. 121. 180.

bat ingenium. Sed ipsis diebus forte immensi amoris impatientia, ultro juvenem
7 secuta, Apollini fuerat copulata. Voluit saltem Entelechiae ac Solis filiam po-

891. 919 f.) et cf. Davisium (ad Cic. de div. 1, 31 n. 6. p. 71). Enallage vel Graecismus est (Wurm. in Dinarch. p. 142), quo noster non solum infra (§. 121) verbis »decentiorque coelitum« utitur; sed saepe Martianus positivum etiam cum secundo casu junctum pro superlativo ponit (§. 54. 88. 659), quem grammatici »superlativum comparationis« vocant. Codicibus supra laudatis adde Dresdensem, in quo »*Pronoeës majorem filiarum*« legimus. Quod reliquum est, Zinzerlingius »*majorem filiarum*« non pro natu maxima, sed potius pro praestantissima accepit.

providum perspicacioris] »Praevidum perspicatioris« ita ms. Leid. Gorz. — Haud scio cur pro bona malam substituere voluerit lectionem. *Praevidum* enim vox inaudita est, *providum* nemini non nota, et apta sane huic loco (Cic. div. 2, 57. Liv. 25, 36). Sed *perspicacioris* e Bongarsio eo magis recepi, quod in Hugiano codice corrupta vox *prospicaris* illius etiam vestigia prodit.

impatientia] Eodem sensu Appulejus (metam. 2, p. 106): »Lacinia remota *impatientiam Veneris* Fotidi meae monstrans« cet.

est secuta] Certe melius hoc quam Grotianum *consecuta* e Basilecnsi codice recepi; sed paulo post copulativum *et* e variantibus in libro Norimbergensi inserendum non duxi.

Entelechiae] Attingit hic Psyches fabulam, de qua Apulejum legimus et Fulgentium. Scripserunt de ea et Saturantius et Aristophantes. Alludit autem hic ad definitionem Aristotelicam ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. Sic infra: »Aristoteles per coeli quoque (l. obiter *quaeque* ex codice Veicetino) culmina Entelechiam scrupulosius requirebat.« Gnot. — Utrum Endelechia, an Entelechia scribi debeat, multis jam disputatum est. Ego sane τὸ Endelechia amplector. Sic ipsum animum ἐνδελέχειαν appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem et perennem. Cic. Davis. in ejusd. Quaest. Tuscul. p. 25, 4. Gorz. — Vix credo hoc Ciceronis (Tusc. 1, 10) loco illius vocis orthographiam probari posse. Non enim certa lectio est; siquidem Ernesti (in clav. Cic. Graec.) potius Ἐντελέχεια legit ipsumque Davisium interpretem reprehendit. Sed utro modo vocem scripseris, recte feceris. Quamvis enim Lucianus (jud. vocal. 10) contendat, scribendum esse ἐνδελέχειαν, Corinthius tamen docuit attice ἐντελέχειαν usurpari (Maitt. dial. ab init. lit. T). Adde insuper quae Naeke (ad Fragm. Choerili p. 175) ad diversum vocis sensum respiciens disputat. Quo autem modo Aristotelem Martianus intellexerit, ex inferiori loco (§. 735) patet, ubi tradit »quatuor elementis quintum esse addendum, videlicet mundum.« Quam quidem sententiam popularis ejus Arnobius (2. p. 48) Aristoteli expressis verbis attribuerat. Male etiam Goezius ad hunc locum affert Ciceronem; qui ex Aristotele Entelechiam quintum interpretatur elementum, animam igitur mundi ipsam; quum potius noster hominis animam *filiam* esse (v. Pythag. ap. Cic. in N. D. 1, 11. et Platon. in Phil. p. 30 Steph.) Entelechiae, sive animae mundi, doceat. E sua enim sententia Sol pater est, mater anima mundi, cui continuatus ac perennis adscribitur motus. Pariter horum filiae, τῆς Ψυχῆς, motionem circularem esse Neo-Platonici docebant (Plutarch. de anim. procreat. p. 1013. Jamblich. myster. Aeg. 7, 2. Hermes ap. Stobaeum ecl. 1, 52, 5. p. 807 Heer.), quod ipsum Alcmaeon, Pythagorae auditor (Diog. Laert. 8, 83. p. 542 Meibom.) jam

stulare, quod speciosa quam maxime, magnaque deorum sit educata cura. Nam ipsi Ψυχῇ natali die dii ad convivium corrogati multa contulerant. Jupiter quippe diadema, quod Aeternitati filiae honoratiori detraxerat, capiti ejus

statuerat (add. Arist. ap. Stob. 1, 52, 28, p. 871 Heer.), animamque esse numerum sese moventem Xenocrates, Platonis discipulus, docuerat (Macrob. somn. Scip. 1, 14. Quinctil. 5, 14, 10. p. 397 Spald.) Unde et Cicero (Tusc. 1, 66): »mens est praedita motu sempiterno« scribit. Et alio loco: »nunquam animus agitatione et motu vacuus esse potest« (de divin. 2, 128) et (Tusc. 1, 23): »Sentit animus se moveri, quod quum sentit, una sentit, se vi *sua*, non aliena, moveri.« Adde Appulejum (de dogm. Platon. p. 199 Oud.) Atque Solis etiam filiam Celeritatem esse noster infra (§. 50) fingit. Animam mundi autem olim (in pal. crit. §. 487) repraesentavi tam e gemma, quam ex Aegyptiorum monumentis, quorum quidem icones hic subjeci:

corrogati] Vera haec lectio est. Sic enim et infra: »sed de tertia regione unum placuit corrogari.« Item: »corrogantur ex proxima transcursis domibus conjugum regum Ceres« cet. Gaor. — Confer inferiora (§. 49. 52. 131. 225).

contulerant] De donis natalitiis sive ὀπτηρίοις apud antiquos egregie egit Stanlejus ad Aeschyl. Eumen. v. 7. Omnium vero maxime ante oculos fuit nostro Hesiodi locus de Pandora (Opp. v. 72 seqq.):

Ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
Ἀμφὶ δέ οἱ Χάριτές τε θεαὶ καὶ πότνια Πειθὼ
Ὅρμους χρυσείους ἔθεσαν χροΐ· ἀμφὶ δέ τήν γε
Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
Ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης
Ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος

Τεῦξε κ. τ. λ.

Praeterea Hermetis locum comparasse juvabit (Stob. ecl. 1. 52. 40, p. 947 Heer.) de beneficiis a singulis diis in animam humanam collatis.

quod] Codex Vossianus: *quam*, sine dubio ex ipsa Capellae manu. Similia enim Graecorum neutra fuerunt etiam primae declinationis apud Latinos feminina. Vid. Voss. art. gramm. IV. 20. Anvtz. (misc. p. 199). — Haud sufficiens haec causa mihi visa est, ut vulgatam mutarem lectionem.

Aeternitati] De ejus symbolica et poëtica descriptione alio loco (in palaeogr. crit. IV §. 701)

apposuit. Juno quoque ex purgatioris auri splendente vena addiderat crinibus sociale vinculum. Tritonia etiam interula, resoluto ricinio, strophioque flam-

egi. Prosopopoeia autem hic adhibetur, qua doceatur »aeternitatem donum dei esse.« Neque sua tantum auctoritate noster personam Aeternitatis induxit, quandoquidem et in marmore (Grut. 32, 9) legitur: »Aeternitati sacrum.«

honoratiori] MS. refert *oneratiori*. Gron. — Aeternitati *munusculis* deorum quasi *onustae*. Nullus dubitavi manuscripto Bongarsii (?) adjutus hanc lectionem prae vulgata *honoratiori*, et, quam nonnulli habent, *ornatiori*, in textum recipere. Goez. — Sed male id factum. Primum enim *oneratior* non differt ab *honoratior* nisi scribendi ratione. Qui enim plures legerint libros scriptos, non ignorabunt literam H ab aliis addi, ab aliis omitti solere, quum verum elementum esse multi negarent (palaeogr. crit. I. §. 311, p. 268). Unde in lapidum titulis (Reines. p. 183. n. 163) »astiferorum« legitur pro »hastiferorum«, et apud Ovidium (art. am. 3, 411) et Virgilium ubique »ederae«; et contra apud eundem *ahenum*, quod alii scribunt *aënum*. Sed operae pretium est hac de re disputantes legere Gellium (2, 3) et Quinctilianum (1, 5, 19. p. 101 Spald.) ridentemque etiam Catullum (epigr. 84). Deinde confundit Goezius Aeternitatem cum Psyche. Non illam donis onustam esse noster scripsit, sed hanc. Et certe diadema, quo ornata Aeternitas erat, ad epitheton *honoratior* commode referri potest. Honoratior autem Jovis filia fuit, quia reliquarum nulla eam aetate praecedere poterat. Quod reliquum est, omnes perspicient de animae aeternitate doctrinam significari, praesertim qui divinaverint, cur Martianus Psychen *Entelechiae* dixerit filiam. Plato enim, animae immortalitatem docturus (Phaedr. p. 245 Steph.) argumentum ab eo sumserat, quod semper se ipsam anima moveret.

interula] Eadem hac voce inter alios utitur Tertullianus. Huic opponitur *superaria*, ἐπένδυτις, glossae. Utitur Martianus hac voce adjective, sic libro nono: »Quin etiam interulos gaudens dissolvere nexus.« Gron. — Sub tunica habebatur et ἀμέσως corpori insidebat, atque ἐπὶ γυμνοῦ, ut vocant Graeci. Linteae autem erant interulae et nostris camisiis respondebant. Conf. Salmasium ad Tertull. pall. p. 469. Goez. — Conferantur praeterea quae ad Appulejum (Florid. II. p. 33. Oud.) observarunt viri docti, inprimis autem Böttiger in Sabina T. II, p. 113.

ricinio] Spinula, qua feminarum crines resolvuntur. Vulc. — Festus: »ricinium pallium muliebre quadratum.« Goez. — Non sunt haec Festi verba (v. *recinium* et *rica*), ac si omnia legeris a duodecim tabularum temporibus inde (Cicero de leg. 2, 23) usque ad novissima tempora a diversis scriptoribus (Fest. v. *recin.* et *rica*. Varro L. L. lib. 4. p. m. 37. Non. Marc. c. 14. n. 16 et n. 23. p. 789. 790. Gothofr. Serv. ad Aen. 1, 282. Isid. etym. 19, 25. 4. Salmas. ad Vopisc. Aurel. 45. Pitisc. h. v. et abundans scr. copia ab eo laudatorum; Herald. ad Arnob. VI. 209 p. 256; Graev. thesaur. IV. 1480. VI. 1063. Winckelm. hist. art. 6, 1, 32. Marini fratr. Arv. p. 278. Visconti ad mus. Pio-Clem. ed. Mil. T. V. p. 21 not.) scripta; incertus tamen abibis. Ex glossario Arabico-Latino Vulcanius (p. 709) haec affert: »Ricinus *verticum* vocatus est, quod rejectum de toga in *verticem*«; sed absurde nos illa (in not. p. 106) corrigere et legere jubet »Ricinis vermis ita vocatus est«! De *mimis riciniatis* cf. Osanni Anal. crit. p. 77.

flammarum instar] Transposita sic verba codd. Basileensis et Darmstattensis praebuerunt.

marum instar e cocco atque ipso sacri pectoris ac prudentis amiculo virginem virgo contexit. Delius quoque, ut ramale laureum gestitabat, divinatrice eadem conjecturalique virga volucres illi ac fulgurum jactus, atque ipsius meatus coeli siderumque monstrabat. Uranie autem praenitens speculum, quod inter

e cocco] E purpura intensioris et vegetioris luminis. Gozz. — Lego: strophioque instar flammarum coccco. Susius (in Gurlitt. animadvers. 4. p. 8) — In Guelferbytanis Cortius, et in Vossiano Arntzenius (misc. p. 210) legerant »e croco«, quod modo rubrum, modo puniceum cognominat Ovidius (fast. 1, 317. 342). Certe rutilum fulgentemque colorem a nostro hic designari ex inferiori loco (§. 140) patet. Susii autem conjectura nullius fulcitur codicis lectione. Quodsi quis verbum omissum esse mecum posuerit, facile supplere poterit *tinctum* aut simile aliquid, neque opus erit vulgatam lectionem contra manuscriptorum fidem mutare, id quod Arntzenius quoque sensisse videtur. Nobilius crocum in Coryco monte nascebatur, unde nomen fortasse ductum esse Salmasius (ad Solin. 38) conjicit.

ramale] In monumentis etiam antiquis id manu tenet Apollo (Cuper apoth. Hom p. 250), quo divinandi potestatem transferre in Psychen hic fingitur. Transpositorum enim verborum sensus est: Delius quoque Apollo, quippe qui ramale laureum gestitabat, per hanc divinatricem conjecturalemque virgam illi (Psychae) volucres (augurales) ac fulgurum jactus, ac meatus ipsius coeli siderumque monstrabat.

gestitabat] Ita pro Grotiano *gestitat* e codicibus Dresdensi et Cantabrigiensi reposui. Hugianus quidem dat *gerebat*; sed parum interest utrum eligas.

volucres illi] Lege »volucris linguas, fulgurum jactus.« Vorck. — Absurda correctio: »Apollo monstrabat volucris linguas«! Contra si nude *volucres* legeris, de carum volatu etiam cogitare poteris, siquidem de augurali arte hic sermo est. Accuratius infra (§. 10) »volucrum diversi meatus et oscinum linguae« dicuntur. Secundum auguralem enim disciplinam aves vatidicae, quas Graeci *χρηστηρίους ὄρνιθας* appellabant, vel *oscines* erant, quae ore, vel *praepetes*, quae volatu futura significabant (Serv. ad Aen. 3, 361).

fulgurum jactus] Hos eleganter Lucanus (7, 197) »*tela Jovis praesaga*« vocat. Similiter Plinius (2, 20 f.): »*ignes praescita secum afferentes*«: qui et doctrinam deinde ipsam (2, 54) exponit. Conferendi praeterea Cicero (de div. 2, 18 sequ.), Seneca (nat. qu. 1, 1. p. 683. 2, 32. p. 711 Lips.), et noster infra (§. 551). Paulo post e Darmstattensi codice reposui *atque* pro *ac*.

meatus] Ita et Virgilius (Aen. 6, 850), Plinius, Manilius, et Appulejus (I. 807 Oud.) »siderum meatus« dicunt. Infra (§. 813) noster *meacula* scripsit.

Uranie] In MS. erat »monstrabatur Aniae.« Lege cum patre »monstrabat: Uranie« nominandi casu. Nam et in libro secundo in MS. est »Uraniae Calliopeque« pro »Uranie.« Grot. — Ita et Ovidius (fast. 5, 55.) *Uranie* scripsit; neque tamen mirum, quum litera Eta modo Latina litera E, modo diphthongo AE redderetur, librarios posteriorem interdum orthographiam usurpasse. Praetereo Goezium, qui ne Grotium quidem intellexit. Cortius certe »Uraniae« in Guelferbytano codice se legisse ad marginem libri Lipsiensis adnotavit. Ceterum erunt fortasse, qui e speculi dono colligere velint, hanece Uraniam esse Venerem coelestem, quum veri

dōnaria ejus adytis Sophia defixerat, quo se recognoscens etiam originem vellet exquirere, clementi benignitate largita est. Lemnius quoque faber illi insopibiles perennitatis igniculos, ne caligantibus tenebris nocteque coeca opprimeretur, incendit. Omnes vero illecebras circa sensus cunctos apposuit Aphrodite. Nam et unguentis oblitam, floribusque redimitam, halatu pasci foverique docuerat, et melle permulserat, et auro atque monilibus inhiare, membraque vinciri honorationis celsae affectatione persuaserat. Tunc crepi-

non sit simile, diis immixtam esse Musam: mihi tamen haec aliter intelligenda esse videntur. Speculum enim in adytis Uraniae a Sophia defixum fuisse dicitur, quo ad philosophiam revocamur. Notum e Platone (Phaedr. p. 250 Steph.) Uraniam Musam a philosophis maxime celebratam fuisse, cujus rei causa facile perspicitur, modo perpendamus, ipsam hanc Musam astronomiae praeesse, Psychen autem sive animam secundum Platonis doctrinam visibili harmonia in coelo conspecta admoneri, ut in usum mentis suae convertat quae in coelo perspexerit (Tim. p. 47 Steph. Cf. Plutarch. de an. procr. f. p. 1030. Diog. Laërt. 2, 33 ibique a Meibomio laudatos Senecam, Phaedrum, Appulejum). Quapropter etiam in Juvenalis (11, 27) verbis:

— — »e coelo *descendit Γνῶθι σεαυτὸν*«

plus inesse arbitror, quam docti ejus interpretes viderunt. Certe speculum, quod Sophia in adytis Uraniae defixerat, illud est, quo semet ipsam cognoscere Psyche jubetur. Infra (§. 346) etiam noster »inter omnia animalia« ait »naturam solis hominibus ad se cognoscendum rationari permisisse.« Scripserat enim Cicero (de fin. 5, 16): »Intrandum est igitur in rerum naturam, et penitus, quid ea postulet, pervidendum. Aliter enim nosmet ipsos nosse non possumus. Quod praeceptum, quia majus erat, quam ut ab homine videretur, idcirco assignatum est Deo. Jubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmet ipsos.« *Speculi* autem similitudine haud raro utuntur veteres in describenda cognitione sui; cf. Wyttenbach ad Plut. Morr. p. 152.

originem] Animas enim ex astris in corpora humana descendere veterum erat opinio (v. notas ad §. 165 et 169, et Pal. crit. IV. §. 739). Hinc Psychen noster fingit ex Uraniae speculo potuisse discere originem suam.

Lemnius faber] Vulcani cognomen ab Homeri fabula originem trahens (Heraclid. in Galei opusc. p. 445. Cic. N. D. 3, 22. Tusc. 2, 10. Virgil. Ovid. cet.). Sed quamvis ignobili isto nomine utatur noster, e reliquis tamen patet, eum ad Platonem respexisse, qui (Crat. p. 407 Steph.) Vulcanum Ἥφαιστον quasi *luminis* praesidem esse vocatum docet.

illi insopibiles] Ita Basileensis et Darmstattensis codices multo melius, quam *insopibilis illi* apud Grotium.

halatu] Suavibus delectari odoribus: namque eodem sensu hac voce noster infra utitur (§. 215): »Arabicis laetabantur halatibus.« Martianum Veneri in primis tribuisse hunc appetitum ex eo patet, quod Veneris adeo stellae (§. 14) virtutem adscripsit »odore et halatu illiciendi.« Infra (§. 85) de Veneris ipsius »fragrantissimis spiritus halatibus« agit.

crepitacula] Eadem quae crepundia. Arnobius:

taculat innitusque, quis infanti somnum induceret, adhibebat quiescenti. Praeter ea ne ullum tempus sine illecebris oblectamentisque decurreret, pruritui sub-

»Et ut ad silentium pavidi nutricis motibus crepitaculisque adducerentur auditis«, et noster ipse libro musico: »infantibus crepitacula vagitus abrumpere.« Gnor. — (V. §. 927). Cave putes solis Afris scriptoribus hanc vocem usitatam esse: bonae enim notae est, eaque utuntur Martialis, Lucretius, Columella, Quinctilianus.

quis] Utitur saepissime hoc vocabulo Martianus pro *quibus*, quod, quanquam novum non sit, saepenumero tamen non advertenti sensum turbat. Gnor. — Confer. Cortium (ad Sallust. in Jug. 80, 5. p. 768), Appulejum (in met. 4. p. 290), Virgilium, alios.

somnum induceret] Grotius, Goezius, et veteres editiones omnes habebant: *somnium duceret*: sed meliorem nostram lectionem Monacenses suppeditarunt codices (B. C. D. E.), Vossianus praeterea (Arntzen. p. 199), Reichenauensis, Bodleianus primus, et Britannicus. Darmstattensis *somnum duceret*.

pruritui — voluptatem] Cod. Mon. E *voluntatem*, male. Mirum tamen ne verbum quidem ad illustrandum locum a doctis interpretibus allatum esse, qui facile obscoenitatis crimen incurrere possit. Certe Barthius (in advers. p. 1551) inde affirmabat »scalpere pruritui« libidinosum verbum esse. Id quod nego. De anima enim sermo est, quae Psyches personam induit; cujus quum duae partes sint, altera ratione praedita, altera rationis expers (cf. Plat. Phaedr. p. 246 Steph.; Tim. Locr. de anima mundi p. 100; Aristid. Quinctil. de Musica 2. p. 103 Meib.; Euseb. praep. ev. 15. 60. p. 851; Max. Tyr. II, p. 289 Reisk.); hactenus melior pars ornata est: primum enim a Jove aeternitatem accepit, deinde a Junone mutuae societatis desiderium, a Minerva prudentiam, ab Apolline virtutem conjecturalem, ab Urania sui ipsius cognitionem, a Vulcano potestatem in tenebris lucem perspiciendi; sequitur nunc deterior, quae a Venere accepisse dicitur variae luxuriae cultum deliciarumque omnium cupiditatem, voluptatem et socordiam; pariter atque Astrologi (cf. Macrob. ad somn. Scip. I. 12) »desiderii motum, quod ἐπιθυμητικὸν vocatur, in Veneris orbe produci« docebant. Huic autem animae parti in *imo corpore* sedem assignabant veteres, quo nomine saepe medius inter pectus et crura venter significatur. Sic Appulejus (de dogm. Plat. p. 207 Oud.) ait »cupidinem atque appetitus, postremam mentis portionem, infernas *abdominis* sedes tenere, ut popinas quasdam et latrinarum latebras, diversoria nequitiae atque luxuriae«; Claudianus autem (IV. Cons. Hon. v. 248):

»*At sibi cuncta petens, nil collatura* cupido
In jecur *et tractus* imos *compulsa recessit.*«

In *jecinore* sitam esse concupiscentiam jam Plato docuerat in Timaeo, cujus locum Cicero (Tusc. 1. 10) ita latine convertit, ut »cupiditatem *subter praecordia* locatam esse« diceret (cf. et Theocrit. 11. 16; Horat. od. 1. 25. 15, epist. 1. 18. 12; Pers. 5. 120, pluraque apud Fabric. ad Sext. Emp. p. 432, Valckenaer. ad Eurip. Hippol. 1070, et Jacobs. ad Achill. Tat. p. 870). Hanc igitur circa partem Venus animae »pruritui subscalpentem apposuerat voluptatem.« *Subscalpere* pro simplici *scalpere* dictum est ex scriptorum illius aetatis more verba supervacaneis praepositionibus augendi (cf. not. ad §. 2 et 43). *Scalpere* autem *pruritum* dici Plinius testis est (hist. nat. 9. 45. 68). Eodem redit apud Senecam (Epist. 92, p. 585 Lips.) »*titillatio* corporis«; cf. et Cicer. de Finib. 1. 11: »si ea sola

scalpentem circa ima corporis apposuerat voluptatem. Sed vehiculum ei atque volatiles rotas, quis mira posset celeritate discurrere, tradiderat ipse Cyllenius, licet etiam auri compedibus illigatam memoria praegravarit. His igitur Ψυχὴν opimam superis ditemque muneribus, atque multa coelestium collatione decoratam, in connubium Arcas superiorum cassus optabat. Sed eam virtus, ut

voluptas esset, quae quasi *titillaret* sensus, ut ita dicam«, et Ausonii (epigr. 108. 15) verba:

»Titillata *brevi quum jam sub fine* voluptas
Fervet«;

omnium vero maxime huc pertinet alius Plinii locus (11. 37. 77): »in eadem membrana (diaphragmate) praecipua hilaritatis sedes, quod *titillatu* intelligitur alarum, ad quas subit; non alibi tenuiore cute humana, ideo *scabendi* dulcedine ibi proxima.«

celeritate] Grotius cum reliquis ediderat *velocitate*: sed lectionem praetuli codicum Bongarsii, Hugiani, Basileensis, Darmstattensis, Monacensium plurimorum (B. C. D. E. G.) et ad libri Norimbergensis marginem notati, quamvis parum referat utrum legeris. Argutior tamen grammaticus Agraetius (apud Gothofr. 1349) »*velocitatem* pedum ac corporum« esse contendit; »*celeritatem* animorum atque factorum«; quod e Cicerone (Tusc. 4, 15) sumsisse videtur. Certe hoc quidem loco de Psyches facultatibus sermonem esse patet.

etiam] Ante omnia hoc erat restituendum pro Grotiano *eam*, quod typographorum mendo adscribo comparatis libris prius editis.

auri] Corruptam lectionem *aut*, pro *auri*, jam Grotius repudiavit. »Auch wenn er (?) mit goldnen Ketten gefesselt würde; so könnte er doch nur durch die Schnelligkeit der Gedanken eingeholt werden.« Gorz. — Ingenue fateor me non intelligere doctum interpretem, bene vero Martianum. Quamvis enim Afranius apud Gellium (13, 8) Memoriam Sophiae matrem dixerit hoc versu:

»*Usus me genuit, mater peperit Memoria;*
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam«,

Martianus tamen hoc loco sic intelligendus est: »quamvis cogitationum celeritas et imaginandi vis a Mercurio animae humanae dono essent datae, quibus longe lateque vagaretur, per memoriam tamen praegravata et impedita fuit.« Ceterum Grotianam lectionem *auri compedibus* confirmant codd. Monacenses (B. C. E.), Bodlejani, Cantabrigiensis, Mertonianus, Hugianus, Vossianus (Arntzen. misc. p. 199), Reichenauensis, Basileensis, et Darmstattensis.

cassus] Casus superiorum est Mantices et Sophiae: Casus vero *cassus*. Sic in MS. libro nono »casae dulcedinis« et lib. VI »dispendiaque lini casum devorante Mulcibero.« *Casus* itaque (nisi quis a *careo* deducat) praeteriti temporis participium est a cado, ut »Sol occasus.« Cadere vero est ἀποτυγχάνειν, ut cadere spe, cadere causa. Est ergo *casus*, vel geminate *cassus* ἀποτυχών, superiorum casus, ταῖν προτέραιν ἀποτυχών. Gron. — Hugianus codex *cassus* exhibet. De qua voce confer notata ad Appulejum (I. p. 361. II. p. 79. III. ind.) et Appulejum ipsum (met. 6. p. 435 Oud.), Gellium (10, 15) et ad eum Bandelotium (util. d. voyag. I. p. 394). Quae, quamvis plerumque cum sexto casu construatur, interdum tamen cum secundo etiam constructa legitur (Cic. Arat. 369). Explanatur paulo post (§. 8) a nostro verbo *frustrantur*. Atque adeo vera haec mihi visa sunt, ut ne Barthiani quidem codicis, qui *causa* pro *cassus* habet,

adhaerebat forte Cyllenio, paene lacrimans nunciavit in potentiam pharetrati volitantisque superi de sua societate correptam captivamque adamantinis nexibus a Cupidine detineri. Super his igitur virginum thalamis, dum eum de libertate 8

auctoritate permoverer ut a vulgata lectione recederem. Quamvis enim ille (advers. p. 1236) addat verissimam sui codicis lectionem esse, quae claram et perspicuam faciat sententiam; multum tamen abest ut praedicata illa claritas mihi arrideat.

Virtus] Romanis enim dea erat (Varro de L. L. 4, 46. Cic. N. D. 2, 23 et 31; de legib. 2, 11. Liv. 27, 25; 29, 11 f. Valer. Max. 1, 1. P. Victor reg. urb. 1. Juven. 1, 115. Sil. Ital. 15, 22. 40 et 69. Plaut. Amph. prolog. Claudian. in Ruf. 1, 52. Lactant. 1, 20. Augustin. in civ. dei 4, 20. 22. 24 et 5, 12. et 7. 3. Arnob. 4, p. 127) in lapidum etiam titulis (ap. Grut. 100, 4. 5. 102, 4. 106, 6. 436, 3).

sua societate] Quippe anima humana a virtutis studio cupiditatibus saepe detrahitur.

adamantinis] Manilius (1, 921) »*adamanteas* catenas« dixit, et Hyginus (fab. 22. p. 68 Stav.) »*adamanteum* jugum«: sed illa adjectivi forma ab optimis usurpatur scriptoribus. Adamante firmissima quaeque denotantur: unde Ovidius (met. 15, 815):

»*Invenies illic inclusa* adamante perenni
Fata tui generis« — —

(Adde eund. trist. 4, 6, 14, et Horat. od. 3, 24, 5). Pariter apud Claudianum etiam (bell. Gild. 202) »Jovis voces *adamante* notavit Atropos.« Adde Propertium (3, 9, 9. 4, 11, 4), Pindarum (Pyth. 4, 125), Platonem (de R. P. 10. p. 616. Steph.), Sophoclem (ap. Stob. in ecl. 1, 6, 11. p. 173 Heer.), Apollodorum (1, 1, 3. 2, 4, 2), Pausaniam (8, 18, 2), et confer Barthium (in advers. p. 331). Unde et Plinius (37, 4, 5) »adamantem duritia enarrabilem esse docet, igniumque etiam victricem, unde et nomen indomita vis Graeca interpretatione.« Nimirum ἀπὸ τοῦ ἀ καὶ δαμάζω. Virgilio (Aen. 6, 552) vocatur »Tartari porta ingens solidoque *adamante* columnae« cet.

Cupidine] De anima humana insatiabili cupidine constricta veteres permulta artis opera ediderunt, quibus captiva Psyche repraesentatur, veluti in hac gemma, quam (ex Agostini gemm. 150, Maffeo et Montf. I. tab. 122) hic subjeci:

de libertate sortis] Nunquam placebat Grotiana lectio »*deliberatae*.« Vix enim intelligitur quid sit *sortem deliberare*. Opportune igitur Hugianus codex nostram nobis praebuit lectionem. *Sors* enim pro *electione* sive *optione* accipienda, quam sibi nullam esse demum viderat Mercurius. Erunt fortasse qui Grotii lectionem defensuri putent deliberatam sortem esse eam, quae ex deliberatione pro-

sortis blandimenta frustrantur, nec facile quaepiam praeterea, quae congrua parilitate Tonantis nurus deligeretur, occurrit, amplius deliberandum suggerit Virtus; neque eum sine Apollinis consilio quidquam debere decernere, aut fas ab ejus congressibus aberrare, quum zodiaca eum hospitia permeantem nunquam abesse menstrua praecursione permitteret. Igitur constitutum, ubicun-
9 que locorum frater esset, adiretur. Ac tunc volatilem virgam, uti secum

dit, quemadmodum in genethliaca aut vitae generis electione a Platone animis imposita: sed neque in *deum* Mercurium haec quadrare possunt, neque cum verbis, quae sequuntur »amplius deliberandum« conveniunt.

praeterea] Pro edito *praeter eam* reposui illud non solum Monacensium codicum (C. D. E.) auctoritate, sed Grotiani etiam, Hugiani, Basileensis, Darmstattensis, Cantabrigiensis et Britannici.

sine Apollinis consilio] Arnobius (3. p. 125) de diis: »de *matrimonio* ille *consulitur*, hic medelas incommoditatibus praestat«, cet.

ab ejus] Apollo et Mercurius adeo juncti memorantur, ut eis communem Olympiae fuisse aram Pausanias (5, 14, 6) referat. Conf. et Scholiast. Pindar. (Olymp. 5. 8.) Pariter Megalopoli, Arcadiae urbe, templi Mercurio cum Apolline Musisque communis ruinas Pausanias (8. 32. 1) vidit. Aperte etiam Claudianus (laud. Stilich. 2, 440) Cyllenium Phoebi comitem appellat. Quae quidem omnia astronomiae originem debere videntur (Plato Epinom. p. 987 Steph.).

permeantem] Sed Muncker e suo Leidensi codice restituit lectionem Martiani ingenio, ut mihi videtur, accommodatam *praemetantem*. Zodiaca hospitia, quae (sic!) Mercurius incumbit et in quibus praemetatur. Gozz. — Licet frustra locum apud Munckerum quaesiverim, sunt tamen codices, qui a vulgata aberrent. At vero cur melior vox sit *praemetantem*, equidem non perspicio. *Peragrare* supra (§. 5) noster dixit, quod hic *permeare*. Neque Mercurius reliquorum planetarum in Zodiaco domicilia *praemetari* dici potest, quippe quae fixa sint, et cuique propria. Aliud est infra (§. 811) ubi Astronomia *itinera* sua praemetata esse dicitur. De Mercurii autem isto officio nihil apud veteres legitur. Satius itaque duxi vulgatam retinere lectionem.

praecursione] Plinius (2, 8, f.): »Mercurii sidus modo ante Solis exortum, modo post occasum splendens, nunquam ab eo viginti tribus partibus remotior (remotius? aut supplendus Mercurius).« Ptolemaeus (tetrabibl. 1, 18) Mercurium nunquam plus, quam per unius signi spatium, a Sole abesse contendit. Eadem tradit Hyginus (astr. 4, 16. p. 485. Munck.) additque: »modo nocte prima, modo autem ad Solis exortus cum incipere apparere, nonnunquam etiam perpetuum signis quatuor esse cum Sole: redeuntem autem cum Sole non amplius esse, quam tertiam partem signi.« Cicero (N. D. 2, 20) »nunquam cum a Sole« dicit »discedere longius unius signi intervallo, tum *antevertentem*, tum *subsequentem*.« Sed conferas velim infra (§. 25 et 880) nostrum et quae ibi a nobis sunt observata.

ac] E Darmstattensi, Cantabrigiensi, Britannico, Hugiano codice, atque e Cortii variantibus hoc recepi pro Grotiano *at*, quod mirabar, quum anteriores jam editiones multo melius *ac* haberent.

volatilem] Caduceum, *κηρυκεῖον*. Libro secundo: »Cujus vigentis virga Dirum stupet vene-

mundi penita permeare aethereosque recessus irrumpere parili celeritate posset, Virtuti de more permittit; ipse pedibus talaria nectit aurea, et nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denudata pecudum caede fissiculatis extorum prosiciis viscera loquebantur, quibusque

num.« Gnor. — A virga vero caduceum distinguere videtur Apul. met. l. X: »adest luculentus puer — quem caduceum et virga Mercurium indicabant.« Gorz. — Plura olim (in palaeogr. crit. IV. v. ind.) de hac virga attuli. Confer nostrum infra (§. 126).

penita] Substantivo hoc utitur noster et infra (§. 600). Nihili lectio in codice Dresdensi est *pevenita*. In glossis, quae nomine Isidori veniunt (ap. Vulcan. 692) »Penita« explicantur »aula regia.« Martiano penita sunt mundi intima.

celeritate] Ita Monacenses (B. C. D. E.), Hugianus, Reichenauensis, Darmstattensis, Basileensis, Britannicus, Cantabrigiensis, et ad marginem libri Norimbergensis notata lectio, quam et supra (§. 7) vidimus. Continuata enim est allegoria.

de more permittit] Fallor an egregie conjeci »*demere* permittit.« Gnor. — Reprehendendum in hac conjectura, quod *demere* sive auferre hoc loco verba minus sunt apta, quo capere, sumere, prehendere, potius desideraremus. Quumque in omnibus codicibus legatur *de more*, malim quam corrigere quae vere scripta sunt retinere, et adverbio *urbane* sive *comiter* explicare, ut oppositum sit Virgiliano (Aen. 8, 235) »sine more.« Sed non repugnabo, si quis intelligere maluerit, semper morem esse Mercurio virtutem ducere, pariter atque apud Lucianum (in his accus. 7. p. 56 Bip.) ille Justitiam duxerit.

pedibus] Utitur scilicet ipsis Virgilii (Aen. 4, 239) verbis: »pedibus talaria nectit Aurea«: hicque Homerum (odyss. 5, 44) imitaturus erat. Affatim de his egit I. H. Vossius Mythol. Brieſe p. 119 seqq.

obliquis] Exempla suppeditant Cicero (de div. 2, 56) et Ammianus (25. p. 265 Lind.). Ad Virgilii locum (Aen. 6, 99) de Cumaea Sibylla canentis »horrendas *ambages*« noster respexisse videtur. Graece *λοξὰ*, unde *Λοξίας* Apollo.

denudata] Ita pro *denuntiata* Hugianus codex: quemadmodum Vonckius (spec. crit. p. 144) legere jam malebat, licet vulgarem etiam lectionem defendi posse Arntzenius (misc. p. 200) recte monuerit, modo vocem *denuntiata* quarto pluralis casu acceperis.

fissiculatis] Ita melius legitur quam *physiculatis*. De fissiculatione videsis lector quae acute collegere viri ill. I. Scaliger et P. Colvius ad Apulejum, cui eadem haec vox usurpata. Dicta est fissiculatio a fisso in extis, cujus meminit Cicero de observatione haruspicum: »aut quomodo est collata inter ipsos quae pars inimici, quae pars familiaris esset, quod *fissum* periculum, quod commodum aliquod (l. aliquid) ostenderet« et alibi. Vel (ut maxime Europae Semoni Scaligero placet) *physiculare ὑποχοριστικῶς* pro *physicare*, *φυσικεύειν*. Quod verius videtur: sic nescio quis dixit *musicare* pro *μουσικεύειν*: id ipsum glossa Isidori comprobatur, in qua legitur: »*Physiculo*, propitio divos. *Physiculator*, augur naturam in extis animantium quaerens.« Gnor. — *Physiculatis* male. Fuit autem *fissum*, a quo fissiculare, linea imaginaria exta bipartito dividens, ut altera pars ad hostes, altera ad sacrificantem ejusque amicos pertingeret. Conf. Ernest. clav. Cic. *fissum* et Salmas. ad Sol. p. 91. Gorz. — Multa de hoc verbo dabunt Stephanius

solitus sortitus excedere, vel logia personare, sagaci eum investigatione disquirunt.
10 Sed his adytorum fastigiis specubusque viduatis, absque lauri arentis paucis

(ad Sax. p. 42), Arntzenius (in misc. p. 199) et viri docti ad anthologiam Latinam (Burm. II. p. 506) et ad Appulejum (II. p. 134. III. p. 669 Oud.). Locus, quem e glossis Isidori affert Grotius, neque apud Vulcanium, neque in editis ab Arevallo reperitur. Sed scriptum etiam a quibusdam fuisse *physiculare* satis probatum est, siquidem non Martiani solum libri plurimi sic scriptum verbum exhibent, sed Appuleji etiam et Saxonis grammatici libri. Quum vero codex Monacensis (G), Bodlejanus primus et secundus, Hugianus, Basilecnsis, Darmstattensis, Cantabrigiensis, Britannicusque *fisiculatis* habeant, et infra quoque (§. 151) pro *physiculant* in Guelferbytanis esse *fessiculant* Cortius ad libri Lipsiensis marginem annotaverit; ad Appulejum denique (II. p. 134) viri docti observarint, in vetustissimis Martiani Mstis esse *fissiculare*; hoc ego ut magis notum in textum recepi.

prosiciis] Prosiciorum apud Festum Arnobiumque mentio. Glossa: »Prosele ἐκροθίνια.« l. Prosiciae. Prosecta dicuntur Macro in ὀρνιθογονίᾳ: »Vulgari tosta vapore Cum virgis prosecta ferunt.« Flacco Argonauticis: — »prosectaque partim Pectora.« Lucano: »Lavi calido prosecta cerebro.« Statio: — »ubi adverso dederant prosecta Tonanti.« Ovidio Fastis: — »prosecta sub aethere ponit.« Qui et alibi: »Imposuit prosecta calentibus aris.« Prosicies Varroni: »Prosiciem extorum in mensam porriecre«, et Lucilio: »Caenam inquit nullam neque divis prosiciem ullam.« In Solino emendatiores codices *prosicias* habent: nonnulli vero *porricias* a porriciendo, quod vocabulum multi usurpant, Varro, Arnobius, Virgilius, alii. Gnor. — Quibus haec non sufficiunt, adeant Ovidium (in metamorph. 15, 136), Macrobium (in Saturnal. 3, 2), et Taubmannum ad Plautum (Mostell. 3, 3, 3. p. 562. Poen. 2, 8. p. 877), Dacerium ad Festum (p. 387), Elmenhorstium ad Arnobium (p. 187), Saubertum de sacrificiis (c. 20. p. 486), Brissonium de formulis (p. 22. al. 24). De omni hoc divinandi genere pulchros lege versus Tibulli (1, 8, 3):

»*Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum;*
Praecinit eventus nec mihi cantus avis.«

solitus] Id ante *sortitus* recte supplent codices Monacenses (B. D. E.); siquidem hoc verbum cum infinitivis *excedere* et *personare* conjungendum est.

excedere] Bulengerus (de sort. 1, 7. in Graev. thes. V. 596) legere nos jubet *exedere*. Quid hic voluerit hoc verbo, non perspicio; et vereor ne ille pariter ac Grotius glossa inducti, quae *sortitus* interpretatur *divinationes*, hanc vocem pro nomine substantivo, nempe pro sortitione acceperint, quum participium potius hoc loco sit a *sortior*. In omnibus enim locis Mercurii frater (Apollo) quaesitus erat, quibus solitus *excedere* (exire) sortitus. Sortitum Pythium intellige eum, qui ex illis locis excedens responsa dat et eventura denunciat. Ita et a Virgilio (Aen. 3, 376) rex deorum »sortiri fata« dicitur, cujus poëtae versus Martianum in sequentibus quoque (§. 10) ante oculos habuisse patebit.

logia] Λόγια oracula sunt pedestri sermone edita, ut χρησμοὶ carmine. Videtur autem vox hic aliqua deesse, ut sit »logia personare solebant«, nisi »personare« et ante »excessere« legas, aut si quid aptius. Gnor. — Cessat hoc, postquam e codicibus Monacensibus supra inserui »*solitus*.« Unde autem priora habeat juvenis doctus haud scio. Certe contrarium discimus ab Aristophane, qui (equit. 120. 121) λόγιον et χρηδμὸς promiscue usurpat.

admodum foliis vittisque semivulsis, quas in Cumano antro post Sibyllam tinearum morsus cariesque carpebant, nihil ejus potuit inveniri. Per aëreos etiam tractus, quibus formare solitus et volucrum diversos meatus, et oscinum linguas, et praepetis omina pennae, frustra in cassumque disquiritur. Jam pridem quippe offensus contamine monendorum dedignabatur Augur Pythius nun-

lauri] In lauri foliis solita erat Sibylla sua responsa scribere. Vulcan. — Ad Virgilium nempe respexit doctus interpres (Aen. 3, 445). Martianus autem non hunc, sed alium ejusdem poëtae locum (3, 360) ante oculos habuit, ubi *Clarii lauri* memorantur. De Apolline enim investigando agitur, non de Sibylla. Poterat noster etiam Claudiani (de rapt. Proserp. 1, 109) verba »venturi praescia laurus« in mente habere.

arentis] Arens idem quod aridus. Cicero (ap. Macrob. in somn. Scip. 1, 4): »laureis arescentibus« dicit de iis quae arere incipiunt. Quumque laurus vaticinandi virtutem repraesentet, facile intelligitur, lauro arente significari oracula evanescentia. Unde Propertius (2, 21, 36):

»*Et tacet extincto laurus adusta foco.*«

et Statius (Theb. 8, 202):

— — — »*ipsaeque volent arescere laurus.*«

Voce autem ipsa utitur alio versu (2, 12, 51) Propertius:

»*Ac veluti folia* arentes *liquere corollas.*«

vittisque semivulsis] Alii *vitibusque*. Goez. — Prior lectio, quam codices etiam Monacenses (C. et D.), Basileensis, Darmstattensis, Hugianusque habent, omnino praeferenda erat, quum oraculorum reliquiae hoc loco recenseantur, vittaeque designent interpretem. Ita Virgilius (Aen. 3, 370), loco illo, quem totum ante oculos habuisse Martianum dixi, de vate:

»*Exorat pacem divom vittasque resolvit.*«

Adde Lucanum (3, 143 et 170), Senecam (in Agam. 702), alios. *Semivulsum* ut apud Ovidium (met. 7, 344) *semilacer*, et Claudianum (in consul. Probi 109) *semirutae*.

Cumano antro] In templo Apollinis, quod erat prope Cumas, Campaniae civitatem, in qua Sibylla quondam vaticinabatur. Vulc.

tinearum morsus cariesque] Utrumque noster viderat conjungi ab Ausonio (epigr. 34) hoc versu:

»*Si tineas cariemque pati te charta necesse est.*«

oscinum] Cum Cicerone (div. 1, 33) subtilius distinguit noster alites inter et oscines (conf. Fest. p. 315 Dac.). De utroque avium fatidicarum genere consule Bulengerium (de augur. c. 4. in Graev. thesaur. V. p. 413). Omne autem hoc divinationis genus complectitur Manilius (4, 915) verbis:

»*Pecudum mortes aviumque attendere cantus.*«

praepetis] Virgil. Aen. 3, 360: »*Et volucrum linguas et praepetis omina pennae.*« Voxcx. — Jamque manifestum est Martianum hunc Virgilii locum ante oculos habuisse. De voce *praepes* lexica vulgaria respondent; sed consulere operae pretium erit Spanhemium ad Callimachum (p. 628), virosque doctos ad Appulejum (I. 140. III. 86. Oud.) et Pomponium Laetum de sacerdotiis Roman. c. 5 (ap. Clausing. in jur. publ. I. p. 99).

contamine monendorum] Spurcitia sacrificiorum. Monenda enim dicuntur sacrificia, per quae dii monentur, ut succurrant mortalibus. Vulcan. — Miror Grotium et Goezium, qui absurda haec a Vulcanio e glossa hausta repetierint. Dii enim monent, non monentur. Monere hoc loco est »praedicere res

cupari. Item eum in Helicona, Delon, Lyciumque sectantur. Sed alibi lauros primores arentesque hederas, alibi cariantem tripodem crepidasque

futuras.« (Cic. de harusp. 25. Virg. Aen. 8, 336. georg. 1, 353. Tibull. 1, 6, 50). Voce *contamen* praeter Martianum nemo, quod sciam, nisi popularis ejus, Tertullianus (in carm. c. Marcion. 1, 1. 4, 4. et 5, 1) utitur. Hugianus quidem codex habet *cunctamine*; sed *contamen* e verbo *contaminare* facile intelligitur, de quo docte nuper disputavit, nec nostro neglecto, Grauertus in Analectis p. 118 sqq. Dixit igitur noster »deserta omnia fuisse loca, quibus Apollo solitus esset oracula edere, quia offensus fuerit turpibus et inhonestis quaestionibus, ad quas ut responderet et eventura praedioeret postulare ausi essent improbi. Nonne Plutarchi de oraculorum defectu librum Martianus legisse tibi videbitur, si quae Planetiades ibi (p. 413) disserit, in memoriam revocaveris? »Hoc enim, inquit, disputandum vobis propono, cur non jam dudum ab edendis oraculis animum Apollo averterit, aut ei Hercules vel deorum alius tripodem sustulerit, oppletum obscenis et impiis quaestionibus, quas deo proponunt, alii eum tanquam sophistam tentantes, alii de thesauris, hereditatibus, incestisve nuptiis sciscitantes.« Adde Ciceronem (de divin. 2, 57) et Juvenalem (6, 555), in primis autem Lucan. 5. 111:

— — »*Non ullo secula dono*
Nostra carent majore deûm, quam Delphica sedes
Quod siluit, postquam reges timuere futura
Et superos vetuere loqui« cet.

Olim Christo nascente conticuisse oracula jactabant, sed cf. Dalaeum de orac. II. p. 425 seqq.

dedignabatur] Unus Britannicus meliorem hanc lectionem pro *dedignatur* suppeditavit teste Federo nostro.

Delon] Servius (ad Aen. 6, 38) docet »Apollinem sex mensibus apud Lycios, et sex apud Delon responsa dedisse.«

Lyciumque] Lege Lyciamque, ut jam visum fuit ill. viro Nic. Heinsio, qui ad calcem libri sui sic emendandum monuerat. Firmat, quem tamen Heinsius non adscripsit, Maro (Aen. 4, 143):

»*Qualis ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta*
Deserit ac Delum maternam invisit Apollo.

Ubi id ex Apollonio transsumsisse notant interpretes. Voncк. (spec. cr. p. 144) — Conjectura profecto haud contemnenda foret, nisi ei omnium librorum lectio repugnaret. Et certe ante quam corrigas legas velim hosce Papinii Statii (Theb. 1, 696) versus:

»*Phoebe parens, seu te Lyciae Patarea* nivosis
Exercent dumeta jugis« — —

atque alio in loco (sylv. 1, 2, 222), quo Latoo vatum patri (Apollini) assignat

— — — — — »*Lycios* montes.«

Suppleri igitur eo magis post *Lycium* licebit *montem* apud nostrum, quo certius *mons* etiam supplendus apud Virgilium (georg. 3, 314) est in verbis »summa Lycei.« Ipsius Apollinis cognomen Lycium fuisse nemo ignorat (Macrob. Saturnal. 1, 17).

primores] Veteres et pervetustas. Vulcan.

arentesque hederas] MS. *erantes*, puto errantes, ἐπίθετον consuetum. Gnot. — Quamvis vox *errantes* in nullo codice legatur, in textum tamen eam recepit Goezius, Virgilium, puto, secutus (ecl. 4. 19). Ego vero a corrigendo scriptore abhorreo, maxime, quum aliquo modo lectio defendi potest. Potest autem ut supra, ubi et »lauri *arentis*« meminerat. Namque hederas Apollinis vestigia prodere, nemo ignorat, quum poëtae iis coronarentur (Hor. carm.

situ murcidas, praesagiorumque interlitam memoriam repererunt. Tandem 11
Fama nunciante cognoscunt, quod Phoebo gaudet Parnasia rupes; licet indo
quoque ad Indici montis secretum obumbratumque scopulum nube perpetua

1, 1, 29; epist. 1, 3, 25. Ovid. met. 5, 338; fast. 5, 79. Virg. ecl. 8, 13) notumque illud:

»*Nunc ederae sine honore jacent.*«

(Ovid. art. am. 3, 411). Sed quid multa? deus ipse ab Aeschylo ὁ κυβδενὺς Ἀπόλλων appellatur, uti Macrobius (Sat. 1, 18) jam observavit.

crepidasque] Poterit quidem tripodis basis intelligi eo magis, quod ex Herodoto (9, 81) jam constat, e spoliis, quae Persis devictis Graeci collegerant, Apollini aureum tripodem dedicatum fuisse insistentem triplici serpenti aeneo, ita ut ad Graecam vocem κρηπὶς hic respiciendum sit: malim tamen per crepidas calceamenta vulgari sensu intelligere. Videntur enim deum consulturi non nisi certo quodam habitu ornatuque admissi, iisque calceorum etiam genera praescripta fuisse. Cujus rei ocularem habemus testem Pausaniam, qui Trophonii oraculum se adiisse narrans, inter vestimenta, quibus induti esse deberent adituri (9, 39, 4 f.), recenset »ἐπιχωρίας κρηπῖδας.« Quidni igitur calceamentis etiam oraculorum vestigia significare voluisse Martianum dicamus?

situ] Ita Virgilius (Aen. 7, 440) et Statius (Theb. 7, 745) »*situ* vieta« dixerant; et Florus (2, 3): »ne rubiginem ac *situm* arma sentirent.« Ovidius (e Pont. 1, 5, 8) »*situ* iners« scripsit. Idemque (in fast. 4, 928) »inquinet arma *situs*« optat.

murcidas] *Murcidas* pro *marcidas* veteres. Gloss. — Adde Augustinum (civ. dei 4, 16), qui Pomponium excitans scribit: »murcidus est nimis desidiosus et inactuosus.« Solus Hugii codex *marcidas* exhibet. Infra (§. 999) iterum *murcidum* scribitur. Verum Valerius Maximus (6, 9. ext. 5) *marcidum* habet.

Fama] Prosopopoeia, ut apud Virgilium (Aen. 9, 473), Ovidium (met. 12, 43), Valerium Flaccum (2, 117) et Claudianum (cons. Prob. et Ol. 34; laud. Stil. 2, 408).

Phoebo gaudet] Hic Virgilii (ecl. 6, 29) iterum ad verbum exscripsit versum:

»*Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes.*«

rupes] Non Virgilius tantum, sed Lucanus (5, 77 et 164) etiam *rupis* nomine montem illum insignivit, qui a Strabone (9, p. 410 Casaub.) πετρωδὴς esse dicitur, cujusque poëtae (Ovid. met. 1, 315. 2, 221. Pers. prol. 2. Lucan. 5, 72) geminum verticem celebrarunt.

obumbratumque scopulum] Nysam intelligit, Indiae montem, ubi feruntur Liberi crepundia esse. Vulc. — Nysa nomen quidem urbis est, mons autem prope Nysam Merus appellatur (Curtius 8, 10, 12. Arrian. exp. Alex. 5, 1. p. 340 Raph.). Explanandum igitur Vulcanio erat, quid Apollini cum hoc monte, qui Iovi sacratus erat, vel cum urbe illa, qua Bacchi continebantur incunabula, commune fuerit. Non enim de hisce diis, sed de Apolline Martianus agit. Parnassum quidem Apollini cum Baccho communem fuisse (Sophocl. Antig. v. 1140. Eurip. Jon. v. 565; Phoeniss. v. 227. Pausan. 10, 32, 5. Lucan. 5, 73. Catull. 64, 391. Macrob. Sat. 1, 18) Nysamque Baccho sacratam (§. 695) non ignoramus; sed de Indiae monte nemo, quod sciam, idem docuit, neque docere potuit. Accedit et alia difficultas. Docebant enim (Serv. ad Aen. 4, 155) »Apollinem hiemalibus sex mensibus continuis a Delo abesse.« Quo igitur pacto Martianus fingere potuit, Virtutem et Mercurium, licet compertum haberent, »ad Indici montis secreta

posterius migrasse perhibebant, tamen Cirrhaeos tunc recessus, et sacrati specus loquacia antra conveniunt. Illic autem circumstabat in ordinem quidquid imminet seculorum, fortunae urbium nationumque omnium regum ac

illum migrasse«, nihilominus Delum petiisse? Nemo sane explanare id poterit, nisi ad illud placitum confugerit, quo affirmabatur, Solem Liberumque Patrem eundem fuisse (v. Palaeogr. crit. III. §. 465, ubi tolle mendum in nomine). Quo quidem posito huic Martiani loco e Macrobio (Sat. 1, 18) lux afferri posse mihi videtur, quippe qui »in sacris« inquit »haec religiosi arcani observatio tenetur, ut Sol, quum in *supero*, id est *diurno hemisphaerio* est, Apollo vocitetur; quum in *infero*, id est *nocturno*, Dionysus, id est Liber Pater habeatur.«

migrasse] Solem quum homines animadverterent semper locum mutare, haud mirum est poëtas (Sil. 3, 204) Apollinem finxisse *migrantem*, Delphicum praesertim (Artemid. oneirocrit. 2, 33. p. 126 Rigalt.). Lepide hac de re Lucianus (in bis accusat. 7. p. 48 Bip.) agit.

perhibebant] Infimae latinitatis scriptoribus maxime frequentata loquendi ratio. Fulgentius: »*Licet* Petroniana *subit* Albutia.« Macrob. (Sat. I, 11): »*licet* ex libertate in servitutem venum *ierat*.« Spart. Adrian. (c. 16): »omnes professores et honoravit et divites fecit, *licet* eos quaestionibus semper *agitavit*.« Goez. — Et Appulejum addere potuisset, et Ammianum Marcellinum, et Solinum (37), et Macrobii alium locum (somn. Scip. 1, 19 p. 101 Zeun.), et inprimis corpus juris Romani.

Cirrhaeos] Cirrheos, alii Chirrheos. Goez. — Haud dubia orthographia est. A Cirrha enim Cirrhaeus. Atque hisce recessibus Delphi significantur. Confer infra (§. 119. 631) »oppidum Cirrha«, cui Delphi adjacent. Apollinem etiam ipsum cognomine Cirrhaei appellatum esse Gyraldus quidem affirmat, sed nullo laudato auctore. In Basilecnsi codice a secunda manu insertum ante *Cirrhaeos* est *ad*; qua tamen emendatione non opus erat, quia verbum *convenire* cum quarto casu construi potest.

in ordinem] Desunt haec in nonnullis editionibus. In Monacensibus autem membranis pluribus (B. C. D. E.) legitur *in ordine*, in uno (G) *in ordinem*, quod, quum melius sit, retinui. Pendet enim ab *imminet*. »Quod imminet in ordinem seculorum« intelligo »quae eventura sint labentibus tot seculis sese excipientibus.«

fortunae urbium] Haud dubie Martianus Ovidii (met. 15, 260) verba in mente habuit haec:

— — — »*sic ad ferrum venistis ab auro*
Secula: sic toties versa es fortuna *locorum*.«

Interpunctione etiam separanda illa erant ab iis, quae praecedunt.

nationumque] Malim »urbium *regionumque* omnium, regum, ac totius populi videbantur.« Forte et pro *regum* reponendum fuerit *rerum*. Suadent quae habet p. 7: »Hi igitur cursus discoloris amnes praedictas rerum nationumque fortunas immensis primo sinibus ambiebant.« Sed et ibi praeferam »*regum* nationumque«: dixit autem »nationum fortunas«, quod hic »totius populi.« Ut ex iis adeo nihil nostrae emendationis merito derogetur. Vonck.— Ex omnibus libris scriptis unus Vossianus codex (Arntz. p. 200) habet *regionum*; sed in ejus gratiam reliquorum lectionem eo minus mutari velim, quo certius inferiori loco (§. 15), a Vonckio laudato, vox *nationum* repetitur. Inepta praeterea emendatio esset illa *rerum* pro *regum*, siquidem *populi* et *regum*, minime *rerum*, sibi opponuntur. Hic enim de varia fortuna agitur urbium et nationum, tam regibus, quam populis imminente. Atque legisse

totius populi. Videbantur aliae transacti cursus emenso spatio fugientes; consistebant aliae sub conspectu; adveniebantque quam plures: atque ita nonnullis eminus vanescebat disparata prolixitas, ut velut fumidae caligationis incredibilis haberetur aura. Inter mira haec spectacula fortunarumque cursus,

mihi videtur Martianus, quum illa fingeret, Sallustium philosophum (de diis et mundo 9. p. 262 Gal.) similiter ita disputantem: »Quemadmodum providentia et fatum sunt *nationum* et *urbium*, ita et singulorum hominum; ita et *fortuna*, de qua nunc agere orationis series postulat. Diversa igitur ac praeter exspectationem accidentia in bonam partem dirigens vis deorum *fortuna* existimatur; ideoque *urbes* praesertim hanc deam honoribus afficere addecet.« Longa serie Seneca (consolat. 6 seqq. p. 76. 77. Lips.) illa populorum locorumque fata recenset, concluditque: »Ita fato placuit, nullius rei eodem loco stare *fortunam*.«

aliae] In editis legitur: »Aliae transacti cursus emenso fugientes consistebant. Aliae sub conspectu adveniebantque quam plures.« Locus omnino mendosus est: in quibusdam legitur »emenso spatio« sententia faciliori. Heinsius: »aliae aevi transacto spatio.« Vonckius: »aliae transacto cursus emenso fugientes. Consistebant aliae sub conspectu.« Arbitror hic factum esse, quod in principio capitis monui, ut a magistro vel discipulis quaedam fuerint addita, dum in scholis praelegebantur, quae tamen nequaquam sunt ipsius Martiani. Veram Martiani manum arbitror praeferre quantivis pretii Vossianum codicem: »Aliae consistebant sub conspectu, adventabant quam plures«; ut de duobus loquatur Capella, et qui jam consisterent et qui advenirent. Arntz. (misc. p. 200). — At si teste Arntzenio sunt, qui post *emenso* habeant *spatio*, quae quidem vox in Monacensibus (B. D.) etiam addita est, omnia facile intelliguntur, modo solam interpunctionem mutaveris, ut feci. Tria enim tempora tribus illis commatibus denotantur: Videbantur fugientes — consistebant aliae — adveniebantque quam plures«; *praeteritum* videlicet, *praesens* et *instans*. Id quod pulchrius veriusque omnino quam si cum Arntzenio duas tantum temporis partes statuere volueris. »Omne enim tempus« Martiano ipso docente (§. 105. 733. 893) »*tribus* variatur vicibus.«

disparata] Legebatur ante *disperata*, quod Vulcanius explicabat *negata*, Grotius autem esse putabat *desperata*, quemadmodum codices etiam Monacenses (B. C. D.), Darmstattensis et Britannicus praebent. Quum vero in Basileensi legissem *disparata*, quod Vonckius (p. 144) olim volebat, hoc praetuli, ut verba »nonnullis eminus vanescebat *disparata* prolixitas« explicanda essent »nonnullis procul *remota* erat omnis stabilitas.« Saepius noster etiam verbo *disparare* utitur (§. 24. 25. 525. 714), pariter atque Saxo Grammaticus, qui nostrum ubique fere imitatur (Stephan. ad Sax. p. 21). »*Disparatum* autem«, Cicero (invent. 1, 28) inquit, »est id quod ab aliqua re per oppositionem negationis separatur.«

fumidae] Tangit eorum fortunas, qui mox nati nullo sibi concesso vivendi spatio sine ullo vitae officio transeunt. Vulc.

motusque] Illud *que*, quod Grotius ad marginem rejecit, omnino legendum e codicibus etiam Basileensi et Monacensi (C). In aliis Monacensibus (B. D.) priora verba »Inter mira« transposita sunt, quemadmodum supra ea posui.

motusque nemorum etiam susurrantibus flabris, canora modulatio melico quodam crepitabat appulsu. Nam eminentiora prolixarum arborum culmina perindeque distenta acuto sonitu resultabant. Quidquid vero terrae confine ac propinquum ramis adclinibus fuerat, gravitas rauca quatiebat. At media ratis per annexa succentibus duplis ac sesquialteris, nec non etiam sesquitertiis, sesqui-

modulatio] Lege *modulatione*. Vonck. (spec. cr. p. 144) — Elegantem Vonckii conjecturam firmat codex Vossii, et sensus postulat. Ultima syllaba, ut saepe fit, absorpta est ab initio sequentis. Arntz. (misc. p. 200) — Miror utrumque, maxime Arntzenium, qui elegantem appellare potuerit discipuli sui emendationem. Namque criticorum error inde provenit, quod vocem *motus* cum sequentibus conjunxerunt, licet ad praecedentia pertineat, id quod annexa particula *que* satis docet (v. not. praeced.). Quapropter haud video, cur longe plurimorum codicum lectionem corrigere debeamus, praesertim quum clarum et aptissimum illa hunc praebeat sensum: »Inter enim haec spectacula fortunarumque cursus (de quibus modo dixerat) motusque etiam nemorum, (inter haec inquam) susurrantibus flabris canora *modulatio* melico quodam appulsu *crepitabat*. Ita non solum »sistrum crepitans« Propertius (3, 9, 45) dixit; sed Virgilius, quem noster hic imitatur, (Aen. 6, 209) pariter de arbore aurea cecinit:

»*Sic leni* crepitabant *bractea vento.*«

Pro *vento* noster reposuit *flabris*.

melico appulsu] Musica collisione. Vulc. — Lege *applausu*. Vonck. (sp. crit. p. 145). — Cave corrigas! est enim vox musica atque infra leges (§. 27) »*pulsus* modulationis«, et (§. 28) »graves *pulsus*«; apud Ovidium etiam (fast. 5, 667) »lyrae *pulsum*.« Veteres de musica scriptores distinguebant inter vocem humanam, et *τὴν χροᾶν*, quae manibus fiebat (v. not. ad §. 120). Hanc igitur musicam in nemore illo noster *ramorum appulsu* fieri recte dicit, neque corrumpenda haec dictio *critica*, si diis placet, *arte* erat.

perindeque] Valde, multum. Vulc. — Cave credas! Certe infra (§. 34) Vulcanius *perindeque* explicare »valde, multum« non potuisset. Neque *paribus intervallis* interpretari id adverbium ei licet, qui illa *imparia* esse *debere* non ignorat. Equidem intelligi posse ita arbitror, ut respiciat *culmen*, nimirum »in culmen distenta« quibus acutum fieri sonum pluribus persuasum erat (§. 28 not.).

rauca] Hypallage pro gravis raucitas. Vulc. — De tali sono Catullus (64, 264):

»*Multis raucisonos efflabant cornua bombos.*«

Hinc infra (§. 28) Lunam, quae proxime terram est, ait »graves pulsus modis raucioribus personare.« Rationem alibi (palaeogr. crit. III. §. 256. p. 305) exposui. Sed adde Nicomachum in harmon. man. 1, 2, 5. p. 6 Meib.) qui »a Lunari« inquit »motu, qui omnium infimus est, et terrae proximus, acutissimus dictus est *nete* (*νεάτη*). Etenim *νέατον* idem est quod *infimum*.«

ratis] Ratis hic adjectivum est, ne te fallant glossae substantivum putantes. Gnor. — Succentus nimirum pro *rata* et apta *portione* per annexa harmoniam efficiunt.

sesquialteris] Sesquialtera proportio in arithmetica, diapente vocatur in musica: limma Graece semitonium, cujus media pars diesis dicitur. Octavis vel sesquioctavis sive *ὑποδιοδοους*, i. e. superoctavis. Gloss. (cod. Monac. C.). Omnino semitonii

octavis etiam sine discretione juncturis, licet intervenirent limmata, concinebant.

dimidia pars est diesis (Sext. Emp. 6, 47. p. 366 Fabr.). Vitruvius (5, 4. p. 136 Bip.): »Diesis autem est toni pars quarta: ita in hemitonio duo dieses sunt collocatae.« Plura dabunt scriptores rei musicae a Meibomio editi, et Boeckhius (in Daubii et Creuzeri studiis III. p. 65). Sed hoc loco adeundus potius Boethius, qui (in arithm. 1, 23; op. p. 1312) rem dilucide sic exponit: »Superparticularis est numerus ad alterum comparatus, quotiens habet in se totum minorem et partem ejus aliquam. Qui si minoris habeat medietatem, vocatur *sesquialter*: si vero tertiam partem, *sesquitertius*: si vero quartam, vocatur *sesquiquartus*, et si quintam, vocatur *sesquiquintus*. Atque his omnibus in infinitum quoque *superparticularium* forma progreditur.« Theo Smyrnaeus (ap. Tennul. p. 141 ad Jambl. in Nicom. arithm.): *ἐπιμόριος δέ ἐστι λόγος, ὅταν ὁ μείζων ὅρος ἅπαξ ἔχῃ τὸν ἐλάττονα καὶ μόριον ἕν τι τοῦ ἐλάττονος.* Ad quae Tennulius: »Notandum *μόριον* ab arithmeticis dici de superparticulari, *μέρη* de superpartiente.« Confer nostrum infra (§. 757. 759). Haud dubie Martianus illa e Cicerone desumsit, qui ipse sua a Platone (de an. mundi p. 36 Steph.) habet. Ciceronis enim verba (de univ. 8) haec sunt: »*Sesquialteris* autem intervallis, et *sesquitertiis*, et *sesquioctavis* sumptis ex his colligationibus in primis intervallis, *sesquioctavo* intervallo *sesquitertia* omnia explebat, quum particulam singulorum relinqueret« cet. Macrobius (s. Sc. I. 1) graecis vocabulis utitur» epitritus, hemiolius, epogdous.« De origine vocis *sesqui* egit Jul. Caesar Scaliger in poët. 2. 26.

sesquioctavis] Ita non solum varians lectio in libri Norimbergensis margine notata, sed codices etiam Vossianus (Arntz. misc. p. 200) et Hugianus habent pro *octavis* apud Grotium, quem errorem facile corrigere potuisset, si fontem cognovisset, e quo noster hausit.

sine discretione juncturis] Sine intervallo consonantiis. Vulc.

limmata] Recta est scriptura. Liquet ex Plutarcho: *λεῖμμα τῶν τμημάτων ἀνίσων ὄντων τὸ ἔλαττον ὅτι τοῦ ἡμιδέως ἀπολείπει.* Glossa: »Limmata hemitonia.« Gaor. — Minus accurate! A Platone ejusmodi intervallum jam hemitonium appellatum fuisse observat quidem Macrobius (in somn. Scip. 2, 1. f.), sed monente Censorino (10, 7) abusive, quum duo hemitonia tonum complere non possint: quapropter Macrobius etiam semitonium definit »sonum tono minorem«, cui adstipulatur Boeckhius (in Daubii et Creuz. stud. III. p. 60 §. 11). Neque enim ita accipiendum esse addit Macrobius, ut dimidiatus tonus putetur, quia nec semivocalis in literis pro medietate vocalis accipienda. Adde igitur alium Plutarchi locum (de animae procr. p. 1017. f.). Plurimi Martiani codices perperam *limata* scriptum exhibent; melius duo Monacenses (C. G.) *lymmata*: Y enim saepe pro EI poni alibi (in palaeogr. crit. IV. p. 543) docui. Alia sunt *lemmata* quasi *indicaturae* (Scalig. poët. 1. 59). In codice Monacensi E glossa haec legitur:

»Quinque musicas consonantias exsequitur. Duplis succentibus, i. e. duplis organis. Diapason videlicet symphonia. Quod enim in arithmetica duplum, in musica vocatur diapason. Est dupla proportio, ut minoribus utamur numeris, duo ad unum. Diapason vero est symphonia, quando vox voculam dupla sui quantitate superat, sive in extensione acuminis, sive in remissione gravitatis.« — Et ad voce.: *ac sesquialteris* etc.: »Sexqualtera proportio in arithmetica diapente vocatur in musica. Sexqualter autem numerus est, quando major numerus minorem

Ita fiebat, ut nemus illud harmoniam totam superumque carmen modulatione
12 congrua personaret. Quod quidem exponente Cyllenio Virtus edidicit, etiam in coelo orbes parili ratione aut concentus edere aut succentibus convenire. Nec mirum, quod Apollinis silva ita rata modificatione congrueret, quum coeli quoque orbes idem Delius moduletur in Sole: hincque esse quod illic Phoebus,
13 et hic vocitetur Auricomus. Nam Solis augustum caput radiis perfusum circum-

habet in se totum numerum, insuper et ejus medietatem; ut sunt tres ad duo. Diapente vero symphonia est, quando vox vocalem totam sui praecedit quantitate et insuper superatae vocis medietatae (l) sive in acumine, sive in gravitate. — Sexquitertia propositio est in arithmetica, quae in musica dicitur diatessaron symphonia. Est autem sesquitertia proportio, quando major numerus habet in se minorem et ejus tertiam partem, ut sunt IV ad III. Diatessaron symphonia est, quando vox vocem tota superat sui quantitate et ejus insuper partem in acumine, ut dictum est, vel gravitate. — Epogdous in arithmetica, tonus dicitur in musica. Est autem epogdous, quando major numerus habet in se minorem et ejus octavam partem, ut IX ad VIII. — Semitonia *lima* (lege *leimma* vel *limma*) graece. Semitonium cur media pars diesis dicitur. Haec omnia poëtica in nemore Apollinis finguntur fuisse, quia ipse est moderator musicae coelestis.«

nemus illud] Dixerat etiam Arnobius (L. 3. p. 112): »Sunt in *sidereis* motibus (al. montibus) silvae, sunt lustra, sunt *nemora*« cet.

modulatione congrua] E codicibus Monacensibus B. D. E.) et Dresdensi hanc lectionem recepi pro eo quod legebatur »modulationum congruentia.«

etiam in coelo] Conf. Heraclid. alleg. Hom. ed. Gal. p. 425. Cic. somn. Scip. et Macrob. Goez. — Permulti de sphaerarum harmonia laudari possunt scriptores (Cic. divin. 1, 3. N. D. 3, 11. Max. Tyrius II. p. 206. 207. Reisk. conf. nostr. §. 27). Copiosius de ea alibi (pal. cr. III. §. 256. 259) egi. Plato (R. P. 10. p. 617 Steph.) Sirenum ope eam perfici finxerat, vocibus, ut videtur, Σειρὴν et θειρὰς ludens, ut nexum inter orbes coelestes simul exprimeret. Pythagoram eam audivisse fabulantur Pythagorici (Jambl. in vit. ejus 15. p. 53 Küst.). Ceterum codicum Darmstattensis, Reichenauensis, Basileensis et Bongarsii lectio *edidicit* omnino melior est, quam quod editum erat *edicit*.

succentibus] Aliis *succentor* erat, qui cantori respondebat (Burmann syll. epist. III. p. 461), *concentor*, qui consonabat (Cang. voce *Succentus*): sic chorus ei qui praecinebat (Aristot. de mundo 6). Nostro etiam succentus sunt, qui consonant, id quod ex addito verbo *convenire* patet.

ita rata modificatione] Lege »aethereae modificationi.« Voncк. Absit ista correctio! Bene se habet *rata modificatione*: vide supra »*ratis succentibus*.

esse] Grotius ediderat *est*, quod non cohaerebat cum reliquis. Neque probandum erat *esse dicitur*, quod Arntzenius (misc. p. 200) substituerat. Superiorem igitur lectionem, solamque veram, e codicibus Monacensibus (C. D. E. G.), Darmstattensi, Basileensi, Reichenauensi et Hugiano substitui.

illic] E codicibus Monacensibus (B. C. D. E.) hoc recepi. Grotius habebat *ille*.

Auricomus] Ita enim Valerius Flaccus (4, 92) Latine; Graece Macrobius sed Latinis literis (Sat. 1, 17) Chrysocomes (χρυσοκόμης).

nam Solis] Vide ad haec Macrobium. Gnor. —

actumque flammantibus velut auratam caesariem rutili verticis imitatur. Hinc quoque Sagittarius, hinc quoque Vulnificus, quod possit radiorum jaculis icta penetrare. Demonstrabat praeterea Virtuti Cyllenius amnes quosdam coelitus de- 14
fluentes, quos transeundos esse perhibebat, ut ad eum ipsum, quem reperire curae est, pervenirent. Verum eosdem amnes diversicolor fluentorum discrepantium unda raptabat. Quippe primus diffusioris ac prolixi ambitus gurges liventis aquae volumine nebuloso, atque algidis admodum pigrisque cursibus haesitabat. Interius alius lactis instar candidaeque lucis mitis per omnia quietusque

Saturnalia dicit (1, 17). Hi radii fuere duodeni, Solis ad exemplum, sicut Virgilius (Aen. 12, 163) vult, de rege Latino canens:

— — — »*cui tempora circum*
Aurati bis sex radiis fulgentia cingunt
Solis avi specimen.« — —

Sagittarius] Naevius (ap. Macrob. Sat. 6, 5): »Deinde pollens *sagittis* inclytus arquitenens sanctusque Delphis prognatus Pythius Apollo.« Maximus Tyrius (10, 8. T. I. p. 182 Reisk.): »Ξυνίημι καὶ τοῦ Ἀπόλλωνος, τοξότης ὁ θεὸς καὶ μουσικὸς· καὶ φιλῶ μὲν αὐτοῦ τὴν ἁρμονίαν, φοβοῦμαι δὲ τὴν τοξείαν.« (Add. Burm. ad Propert. p. 814, et Ammianum 19, p. 149 Lind.).

Virtuti Cyllenius] Ita transposita sunt verba in codicibus Darmstattensi, Monacensi (D), Hugiano, et in libri Norimbergensis variantibus.

amnes quosdam] Septem intelligit planetas. Ita dicuntur, quia in modum amnium lubrico quodam flexu periodico volvuntur. Diversicolores sunt, id quod Plinius dicit. Gloss. (cod. Monac. E) — Isid. orig. (l. 14, 27): »Amnis fluvius est nemore ac frondibus redimitus, et ex ipsa amoenitate amnis vocatur.« Non inepte igitur a Martiano planetae sub amnium imagine describuntur. Radii enim e stellis emicantes *non incommode* cum flumine comparari possunt. Gorz. — Neque commode, ut mihi quidem videtur. Non enim planetae ipsi, sed eorum cursus fluviis sunt similes et Mercurio transeundi erant comitante cum Virtute. Hoc pacto explicari etiam potest »primi diffusior ac prolixus ambitus«, quod non nisi ad circulum, quem meando efficit, spectare potest. Ac ne quid dubites, adi fontem e quo noster hausit (Plat. Tim. p. 36 f. Steph. et de R. P. 10. p. 616. 617). Ubi contra gurgitis nomine utitur Martianus, ibi planetam ipsum intelligit.

coelitus] Ne quid omittam, codd. Darmstattensis et Hugianus *quodam cetu* habent; et paulo post pro *ad eum* exhibent *ad deum*, pro *curae* deinde *cura*; pro *fluentorum* denique Hugianus *fluentium*.

diversicolor] Latinum non est. Sed de scripturae sinceritate dubito. Burm. (ad Ovid. met. 11, 611. p. 794) — Cur dubitat? Quia Martianum cursim, non totum legit. (Vide infra §. 67. 811)

primus] Saturnus innuitur. Gorz. — Planetae potius cursus: non enim Saturnus ipse ambitu est diffusior; sed cursus, ut dixi, longior, unde ipse tardior esse videtur (§. 70. 855. Vitruv. 9. p. 264. 266 Bip. Lucian. Astrol. 21. p. 225. Bip. Palaeogr. mea crit. III. §. 232).

interius alius] Jupiter. »Deinde est hominum generi prosperus et salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis« (Cic. somn. Sc.) Gorz. — Propertius (4, 1, 105) hunc planetam felicem appellat. Sed lege Mar-

motu undas volvebat argenteas. Tertius vero nimio rubroque igne rutilantes festinaque rapiditate praecipites fragososque cursus anhela sulphureus celeritate torquebat. Qui hunc sequebatur, auratus ac fulgidus et flammis coruscantibus rutilans, sed diversitate fluminum utrinque conjunctus, quibusdam rivulis intermixtis, quantum pensabat moderatio, temperabatur. Verum interior ille

tianum ipsum, cujus verbis optima ejus fit interpretatio. Infra enim (§. 196) »temperamenti esse salubrem«, et inferius »stellam Jovis salutarem esse ad omnia« scribit. (Adde palaeogr. crit. III. §. 241. 297). Cum lacte autem comparationem repetitam mox (§. 15) deprehendes, ubi hujus planetae cursum *lacteum* fluvium appellat, et infra (§. 209) Jovi ipsi *lacteum* subsellium tribuit. Clarum enim colorem planeta habet. Confer praeterea Senecam (in Oed. 495), virosque doctos ad Appulejum (I. p. 62. Oudend.) et infra (§. 17) nostrum.

alius lactis instar] Ita melius transposita verba sunt in Hugiano et Darmstattensi codice.

tertius] »Tum rutilus, horribilisque terris, quem Martem dicitis.« Cic. somn. Scip. Goez. — Planetam hunc Claudianus (tert. cons. Honor. 166) »*flammam nocentem Gradivi*« appellat. Sed pluribus docui (pal. cr. l. c.) noxium eum habitum rubrumque ei colorem tributum esse, unde et infra (§. 82) Marti ipsi noster speciem »rubri juvenis« tribuit: unde et Chaldaeis ejus stella מאדים audit ab אדם *rubrum esse*. Similiter Plato de eo (Epin. p. 987 Steph.) »*πάντων δὲ τούτων οὗτος ἐρυθρότατον ἔχει χρῶμα.*«

nimio] Rejectam hanc ad marginem a Grotio lectionem praetuli edito *minio*, quia *ruber* color proxime sequitur.

rubroque] Ita pro Grotiano *rubeoque* habent codices Monacenses (C. E. G), Basilecnsis, Darmstattensis, Britannicus, et Cantabrigiensis; Vossianus etiam, teste Arntzenio (misc. p. 201), qui licet Martiani aevo non indignam esse vocem *rubeus* observet, ego tamen praetuli illorum codicum lectionem; quia ipse Martianus pluribus locis (§. 82. 677. 699. 700) voce *ruber* utitur.

festina rapiditas] E variantibus libri Norimbergensis lectionibus melius visum est, quam vulgaris lectio *festinata*.

fragososque] Grotius *fragrososque*, varians in libro Norimbergensi adscripta lectio propius ad verum *fragusesque*, codices Bodlejanus primus, Britannicus, Cantabrigiensis, Basilecnsis, Darmstattensis et Monacenses (D. G.) optime *fragososque*. Sic Valer. Fl. Argon. 2. 198:

— — »*nimbisque et luce* fragosa
Prosequitur polus et tonitru pater auget honores.

auratus ac fulgidus] Facile hoc epitheto Solis cursus agnoscitur. Infra etiam (§. 75) Sol ipse cognominatur »*auratus*« et inferius (§. 185) »*fulgor* dicitur splendentis Olympi«, cujus caput (§. 188) »*aurea* lumina ferat.« Catullus (63, 39) »oris *aurei* Solem« appellat. Vidimus et supra (§. 12 f.) cognomen *auricomi* (*χρυσόκομου*) ei tribui. E coloribus denique *aurum* huic planetae sacrum fuisse alibi (Pal. crit. III. §. 282. 292. 311) docui.

moderatio] Lege »quantum pensabat moderatio temperata«, aut »quantum pensata moderatio temperabat.« Vonck. — Neutram veram esse lectionem jam e codicibus patet in libri Norimbergensis margine laudatis, in quibus legitur »temperabatur.« Docuisset potius vellem criticus ille, quomodo tota intelligenda sit periodus; siquidem verba sic acci-

electro purior resplendebat amnis, quem praeter ceteros fortunarum ille consistens populus appetebat: quarum alias ejus odor et halatus illexerat, alias lenis undae canori permulsere modulatus. Gustum autem haustumque quam plures ex eodem dulcissimo gurgite sitiebant. Nec deerant, qui eadem foveri abluique lympha ac se in illam jacere cupiebant. Praeterea duo restrictiores sinu ambituque parvo raptabantur interius: quorum uterque pro aliorum vicinia

pienda sunt: »Qui sequebatur, auratus ac fulgidus erat et flammis coruscantibus rutilabat: sed diversitate fluminum, quibus utrinque conjunctus erat, quibusdam rivulis intermixtis, (quantum necesse erat), temperabatur.« Posteriora facilia; Solis enim vis in temperantia cernitur (§. 18); unde et infra (§. 186) noster eum alloquitur: »dans solus amicam Temperiem superis«; et (§. 34) Phoebum *placiditatem* afferre solitum« dicit (conf. Auson. ecl. 369. p. 404 Delph.). Sed in prioribus quid voluerit »rivulis illis intermixtis«, nemo interpretum explanavit. Equidem primum conjiciebam nubes sub iis latere. Nubila enim minuunt aestum et interdum Soli opponuntur. Ita Ovidius (trist. 5, 8, 31):

Si numeres anno soles et nubila toto«,

et tritum illud »*post nubila Phoebus.*« At vero secundis curis adhibitis et totius loci contextu perpenso nunc Zodiaci signa, maxime ad sortem fortunae facientia, intelligo (Manil. 3, 87 seqq.). Verbis denique »diversitate *fluminum* utrinque conjunctus« illi cursus, qui Soli sunt vicini, mihi videntur denotari.

interior] Veneris planeta. Gloss. — Confirmant quae de ejus odore et de halatu sequuntur, quibuscum conferenda, quae supra (§. 7) observavimus.

electro purior] Imitatur Virgilium qui et ipse (georg. 3, 522): *electro purior amnis.*

fortunarum] Omnia, quae sequuntur, mihi persuadent, ad astrologiam verba illa referenda et cum Propertio (4, 1, 104 seqq.) artem descriptam esse e planetarum concursu et signorum constellatione, ut vocant, varias et hominum et nationum (§. 11) fata praedicendi. Sed fortunarum nomine melius noster utitur quam fatorum. Manilius certe *sortem fortunae* semper dicit. Confirmabitur denique nostra interpretatio infra (§. 15).

deerant] Sic Monacenses (B. C. D. E.), Darmstattensis, Basileensis, Reichenauensis, Dresdensis, Britannicus, Bodlejanus primus, Cantabrigiensis, et teste Arntzenio (p. 201) Vossianus. Pariter paulo inferius veteres jam editiones praeferebant *cupiebant.* Utrumque et in margine Grotianae videmus adscriptum.

restrictiores sinu, ambituque] Ita Vossianus codex (Arntzen. p. 201) et Norimbergensis liber. Mercurii enim et Lunae cursus breviores, et ideo circuli, quos faciunt, minores sunt quam eorum, quos hactenus recensuit; unde et *interiores* dicuntur. Illud *ac*, quod apud Grotium ante *sinu* insertum, in Darmstattensi codice a prima manu quidem scriptum sed postea deletum est.

pro aliorum] De Luna, quae lucem a Sole accipit, verba facile intelliguntur, difficilius de Mercurio: sed vide notam, quae sequitur, et consule Plinium, qui (2, 18): »colores« inquit »ratio altitudinum temperat, siquidem earum similitudinem trahunt, in quarum aëra venere subeundo, tingitque appropinquantes utralibet alieni meatus circulus.« Atque circuli iidem Plinio sunt, qui nostro, ut supra (§. 14) affirmavi, amnes.

et confinio coloratus, exiguum proprii saporis haustum multa mutabilis admixtione traxere. Nam alter nimia celeritate festinus, ac plerumque consistens relabensque ferebatur; alius vero quandam undarum originem gestans, flexuosisque anfractibus errabundus spumabat cunctis seminibus fluentorum. Hic igitur cursus discoloris amnes praedictas rerum hominumque fortunas immensis primo sinibus ambiebant. Tum diversa undarum violensque rapiditas

mutabilis admixtione] De Luna, quae luce aliena lucet, iterum aperta ratio est. De Mercurio autem consulendus Ptolemaeus (tetrab. 1, 4), comparandique Manilii (1, 870. secund. cod. Gemlac.) hi versus:

— »*sicut Cyllenius orbis*
Et Venus, accenso cum ducit Vespere noctem,
Saepe nitent falluntque oculos, rursumque revisunt.«

traxere] Pro *traxerat* e Basileensi codice.

nam] Lego: *jam*: de qua confusione videndus cl. Drakenborch ad Sil. Ital. 9, 242. Voxck. (spec. cr. p. 145). — Non est, quod Drackenborchium consulamus. Demus enim sexcenties particulas illas confusas fuisse, neutiquam inde cogitur, istud hoc etiam loco esse factum. Immo servandum »*nam*« est, siquidem utriusque amnis mutabilitas, modo praedicata, nunc explicatur.

consistens] Lego *concidens*. Voxck. — Immo *consistens*. Vide quam perverso modo critici, verum sensum ignorantes, falsam lectori lectionem obtrudant. Nullum tibi remanebit dubium lectis duobus inferioribus locis (§. 25. 280), ubi idem Mercurius »remorata statione *consistens*« appellatur.

alius vero] Luna. »In infimo orbe Luna radiis Solis accensa convertitur« (Cic.) Goez.

undarum] Ab antiquissimis temporibus persuasum hominibus erat, Solis igne et Lunae humore omnia ali. Hinc Plinius (2. 9) non solum »Lunae maculas non aliud esse« docet, »quam terrae raptas cum humore sordes«; sed vim etiam ei adscribit »humorem, quem Solis radii absumant, augendi.« Quocum conferre licet Porphyrium (de antro nymph. 11, p. 12) aliosque recentiores. Ptolemaeus enim (tetrabibl. 1, 4): »major«, inquit, »Lunae vis est humectandi: est enim terrae propior, a qua vapor humidus ab imo usque ad eam adscendit«; et paulo superius (c. 2) »Solem« ait »calefacere, Lunam humectare. Pariter Macrobius (somn. Sc. 1, 19) scribit: »Luna aëris et aquae faex habetur; omnium enim physicorum assertione constat, calorem humore nutriri«, et Alcman lyricus apud eundem (Saturn. 7, 16) Rorem Aëris et Lunae filium appellat. Inde etiam in lapidum titulis (Grut. inscr. 39, 8) Diana *undarum* appellatur *regina*. A poëtis autem Luna cognominatur *roscida* (Virg. georg. 3, 337. Sil. 1, 570. Claudian. 5 consul. Stil. 288. Burm. anthol. Lat. 5, 5, T. 2. p. 301) et *roriflua* (catalect. 2, 14. ap. Burm. 5, 46, 14. p. 327); noster denique, sicuti hoc loco »cunctis eam seminibus fluentorum spumare« vult, ita infra (§. 165) »sub Luna circa ipsum terrae circulum aërem ex halatu madoreque infero turbidatum esse« addit (conf. §. 169).

hominumque] Ita Hugianus codex pro Grotiano *nationumque*; et certe hoc loco melius *rebus* opponuntur *homines*, quam nationes, quae supra (§. 11) cum regibus sunt conjunctae.

sinibus] Dresdensis et in libro Norimbergensi varians lectio adscripta, Monacenses quoque (B et E) male cum anterioribus editionibus dant *finibus*.

singulas quasque pervadens improvisa vi per declivis alvei praecipites lapsus rapidis turbinibus pertrahebat, ita ut alius easdem plerumque alteri transfunderet fluvio, et quam ille exercitam longa collisione vexaverat, alter aut ripae redderet, aut amne mersaret. Non tamen fortunas omnes illi sanguineus aut caeruleus involutas gurgites rapiebant. Plerumque illius lactei praenitens unda repente correptas eminentis tractus vertice subvehebat. Aliquando etiam sublimatas atque fluctu elatiore suspensas in illum cruentae similitudinis rejiciebat aestum, aut in torrentem lividum vorandas hiatu picco despuebat. Alterna

tum] Reposui hoc pro *tunc*, Hugiani et Reichenauensis codicis auctoritate.

aut amne mersaret] Plutarchus (de facie Lun. p. 943), animarum e corporibus egredientium fortunam describens, »multas«, inquit, extrudit, aestuandoque projicit, jamjam Lunam subire affectantes; nonnullae etiam, quae jam eo pervenerunt, subversae conspiciuntur tanquam in profundum devolutae.«

gurgites rapiebant] Ita lege ex MS. pro *gurgite rapiebat*. Movit *gurgite* corrigentes φοράδες illa »*gurgites sanguineus aut caeruleus*« quam rhetores, ni fallor, κατ' ἐπάνοδον appellant. Gron. — Vossianus codex pariter atque ille Grotii: »Non tamen fortunas omnes illi *sanguineus aut caeruleus involutas gurgites rapiebant*.« Anvtz. (misc. p. 201). — Nonne igitur miremur Walthardum et Goezium edidisse: »non tamen fortunas omnes illi *sanguineos* aut *caeruleos* involutas gurgites rapiebant« — sententia quam nemo unquam intelliget? Scilicet non adverterunt, sola typographorum incuria apud Grotium »*sanguineos* aut *caeruleos* legi, id quod hujus tam nota addita, quam priores omnes editiones, Hugianus praeterea codex et Darmstattensis manifesto docent. Sed clarus nunc sensus est, modo observes vocem »*involutas*«, Martiani more transpositam, ad »*fortunas omnes*« pertinere.

praenitens] Codices Monacenses (B. C. D. E. G.), Hugianus, Reichenauensis, Bodlejanus primus, Britannicus, Cantabrigiensis, Vossianus, aliique (Oudendorp. ad Appulej. I. p. 62) pro Grotiano *renitens* habent *praenitens*, quod praetuli, tum ob antecedentem *lactis colorem*, tum ob subsequens verbum *subvehebat*.

vertice] Vertex vel vortex, turbo, δῖνος. Gron. Virgilius (Aen. 1, 117):

——————»*et rapidus vorat aequore* vortex.«

Quinctilianus: »Vertex est contorta in se aqua, vel quidquid aliud similiter vertitur« (8, 2, 7. p. 199 Spald.). Unde et Appulejus (de mundo p. 317 Oud.): »*Turbo* autem dicitur, qui repentinis flabris prosilit atque universa *perturbat*. *Vertex* ille est vel, uti dicitur, *Dine*.«

sublimatas] Ita Grotius jam conjecerat; Walthardus ex manuscriptis attulit. Concinunt Bodlejanus codex secundus, Mertonianus, Hugianus, Basilecnsis et Darmstattensis.

cruentae] Idem quod supra (§. 14) verbis »nimio rubroque igne rutilans« significaverat. Sensus est: »e Jovis benigni planetae radiis in malignorum Martis et Saturni noxium conspectum relabuntur.«

vorandas] Licet permulti codices Monacenses (B. C. D. E. G.), Dresdensis, Darmstattensis, Reichenauensis, Bodlejanus primus, Britannicus et

igitur permixtione fluviorum illo fortunarum populus agebatur. Neque enim ulla prorsus erat, quae ab omni immunis incursu cunctoque esset gurgite
16 feriata. Denique Virtus secuta Cyllenium, dum sola cunctos interrite transmearet, licet eam magno fragore colliserint, tamen opprimere nequiverunt. Tandem trans fluvios, qui ad quoddam Phoebi spectaculum ferebantur, cum Virtute Mercurius constiterunt. Ac tunc Latoium conspicati edito considentem arduoque suggestu, atque in conspectu quatuor urnulas adopertas vicissim

Cantabrigiensis, Hugianus, nec non Arntzenio teste (p. 201) Vossianus, dent *vorandum;* Grotii tamen lectio praeferenda est, siquidem non ad torrentem hoc adjectivum, sed ad fortunas spectat.

agebatur] Nemo profecto haec probe intelliget, nisi aliquam saltem astrologicarum artium notitiam sibi comparaverit. Ante omnia enim notandum quod Manilius (3, 86) hisce versibus tradit:

»*Ordo ducem sequitur donec venit orbis in orbem*
Has autem facies rerum per signa locatas,
In quibus omnis erit fortunae *condita summa,*
Ut quum jam stellae septem *laeduntve juvantve;*
Cardinibusque movet divina potentia mundum:
Sic felix aut triste venit per singula fatum,
Talis et illius sors est speranda negotI.«

Deinde tenendum, quamvis septem illorum planetarum alii benefici, alii malefici sint (Pal. cr. III. §. 241), eorum naturam tamen vicinitate aliorum mutari, qualitatemque naturalem per eos, qui contrarii ipsis obstant, infirmari (Ptolem. tetrab. 2, 8). Quibus praemissis nunc intelligitur »discolores planetarum amnes« planetarum esse cursus, a quibus pendeat fortunae sors, prout hanc aliquis pertraxerit, vel in alius cursum duxerit, qui eam vel servare, vel perdere possit. Non enim Martem planetam (gurgitem sanguineum), aut Saturnum (caeruleum gurgitem) fortunas omnes involutas rapere, sed plerumque Jovis (lactei) cursum eas tueri, quamvis sic levatae aliquando tamen in Martis (cruentae similitudinis) aut Saturni cursum (lividum) rejiciantur. Hoc igitur modo sortes fortunae cursibus planetarum aliis aliis transeuntibus *agitari*. Videbis apud Orphicum (hymn. 6, 5) istam jam legi superstitionem.

nequiverunt] Ita praeter anteriores editiones Cantabrigiensis et Hugianus codex pro Grotiano »*non quiverunt*.« Damnat hic Martianus astrologicas artes, quibus Virtus, Mercurii comes, terreri non potuerit. Vide et Senecam (ep. 88. p. 566. 567 Lips.).

Latoïum conspicantur] Grotius *conspicati*. Bongars. *Latonium conspicantur*. Gorr. — Verbi tempus quidem melius in Darmstattensi pariter et Hugiano codice; sed nomen *Latoïus* Ovidio usitatum retineri potest. Similiter enim »Latoïa Diana (§. 914), Latoïa proles, Latoïa stirps, Latoïs, Latoidae, Latoïdes« legeris. Quin noster etiam infra (§. 897) idem illud Apollinis cognomen repetit.

urnulas] Urnulae hae Phoebi sine dubio decantatis Homericis doliis originem debent, et ex eorum imitatione effictae sunt (Il. Ω. 527—34) Gorr. — Immo conf. Orphicum hymnum in Apollinem v. 20:

Πάντα πόλον κρίνας κρίνεις βιοθρέμμονα φῦλα,
Ἁρμονίῃ κεράβας παγκόσμιον· ἀνδράβι μοῖραν,
Μίξας χειμῶνος θέρεός τ' ἴσον ἀμφοτέροιβι.

Nam hic quoque anni tempora innuit noster. Ferrea

atque alternis inspectionibus enudare, quae diversa specie metallisque formatae erant. Nam una ex ferro, quantum conjici potuit, duriore: alia ex argenti fulgentiore materie: tertia liventis plumbi fusili robore videbatur: at vero propior deo perlucentis vitri salo renidebat. Singulae autem rerum quaedam semina elementaque gestabant. Nam flamma flagrantior, et ab ipsis cecaumenis exan- 17

urna, cui nomen *Vulcani vertex*, ex qua flamma flagrantior anhelat, aestatem continet. Argentea, quae dicitur *risus Jovis*, coeli temperie renidens, auctumnum comprehendit. Plumbea, *Saturni exitii* nomine insignita, et plena undosae hiemis atque algidi frigoris, ipsam continet hiemem. Vitrea denique et salo resplendenti similis, quae totius aëris seminibus referta, quibus *Junonis uberibus* nomen inditum, ver complectitur.

erant] Omissum hoc apud Grotium e Dresdensi codice supplevi.

plumbi] E metallis hoc Saturno planetae uno ore omnes tribuunt (Pal. cr. III. §. 282. 292).

robore] In Vossiano codice prima manus dedit *fulvi robore*; quid illud *robore* sibi velit non perspicio, neque perspexit Heinsius, qui ad Gronovium epist. 372 Syll. Burm. T. III. p. 460 emendabat *rodere* vel *rodo*. Id si placeat, *fulvo* posset legi. Arntz. (misc. p. 201) — Haud placet. De urna enim sermo est, quae »liventis plumbi fusili *robori*« similis videbatur. Plumbo Saturnus planeta et hiems denotantur. Atque fusilium vasorum aeneorum noster infra (§. 860) meminit. Robur addidit memor Horatii verborum »*robur* et *aes* triplex« pro »*robur aeris*«; quae sane praeferenda est interpretatio illi, qua *robur* pro *arbore* circa pectus accipere volunt.

salo renidebat] Infra »urnam sali resplendentis« dixit. MS. tamen hic habet *salore nidebat*, et in libro Germ. *vernantis aethrae salore renidebat*, pro *colore*, ut sit »salor« splendor; sed satius est dicamus utrobique ex syllabae geminatione erratum. Gnot. — Quodsi altius inquisiveris, cur hanc urnam ita designaverit, videbis *salore* et *salo* mare, quod viride est, intelligi (§. 581 not.); unde ipse Martianus (§. 643) dictas esse narrat *insulas* quasi *in salo*; cum autem colorem urnae, qua *ver* contineretur, optimo jure tribuit. Legerat quidem Barthius (ad Stat. III. p. 100) hoc loco *salore* pro *salo*; sed neque in editis, neque in codicibus, hanc lectionem deprehendi, neque vulgari melior est.

elementaque] Cave quatuor illa intelligas ignem, aërem, aquam, et terram, siquidem haec nunquam cum diis illis, solo excepto Vulcano, conciliabis. Sed aëris elementa secundum diversas tempestates in mente habuisse videtur. Flamma itaque flagrantiorem tempestatem Vulcano, quia ignis ipse est, tribuit; serenum coelum Jovi, quia pro aethere sumitur; perfrigidam tempestatem Saturno, quasi frigidissimo planetae; fructiferum humorem Junoni, quia haec dea aër est inferior.

cecaumenis] MS. »*ipsis cecaumenis*.« Cecaumeni fontes (?) ambusti, *κεκαυμένοι*. Quemadmodum Hyginus zonam torridam *διακεκαυμένην* appellari testatur. Gnot. — Solinus (c. 32): »Aegyptium limitem, qua ad Diacecaumenen tendit.« — Graecorum est *Διακεκαυμένη*. Strabo lib. XVII: *τῶν δὲ πρὸς τῇ διακεκαυμένῃ τινὲς καὶ ἄθεοι νομίζονται*, et alibi passim. — Martianus Capella Cecaumenen vocat duobus (?) locis. Servius: »Garamantes populi inter Libyam et Africam juxta Cecaumenen.« Sic vocatur et Acroni ve-

tlata fomitibus ex ferri praedicta anhelabat urna: quae tamen Vertex Mulciferi dicebatur. Alia etiam, quae fuerat ex argenti materie, praeferebat serena fulgentia et vernantis coeli temperie renidebat: hanc dicebant Risum Jovis. Illa vero metalli gravioris plena undosae hiemis atque algidi frigoris, nec non etiam

teri interpreti Horatii. Theophylactus de Nilo: *διὰ γὰρ τῆς Κεκαυμένης ῥέοντα λίαν φασὶ καθέψεσθαι.* Diodorus, a quo accepit, *διὰ γὰρ τῆς Κατακεκαυμένης.* Sic et Catacecaumene regio in Maeonia *ab adustione* vocata. Salmas. (ad Sol. p. 473. pr. edit.).

Mulciferi] Quasi mulcens ferrum. Gloss. — Ignis aërius, quasi mulcens imbrem. Cum enim nubes altiora petierint, resolvuntur in pluvias. Vulc. — Certe melior scholiastes ille interpres fuit, quippe qui cum Festo concinat: Vulcanius nimirum ad illum potius deum respicere debebat, qui, ut Ciceronis (N. D. 3, 22) verbis utar, Lemni fabricae praefuit. Martianus forsan, quum aliis locis (§. 48. 576. 889) *Mulciber* scribat, hic consulto, Festi etymologiam amplexus, *Mulcifer* scripserit, quo propius ad *ferream urnam* nomen accederet, quamquam et hoc sensu Mulciberi nomine utuntur (Macrob. Saturnal. 6, 5).

fulgentia] Lege: »serena fulgera«, vel praefer: »serena fulgentique vernantis coeli temperie.« Vonck. (spec. crit. p. 79) — Profecto Vonckius non is est, cujus ad arbitrium substituamus lectionem, quae in nullo vel edito vel scripto exstet libro. Itane inauditum isti erat adjectivi *serenus* neutrum pro substantivo positum? Nonne legerat Virgilii (georg. 1, 393) »aperta *serena*«? nonne Silii (5. 88): »caligo nitido resoluta *sereno*«? Utinam critici, quibus tantus secandi pruritus est, scriptori, in quem incidunt, toti prius noscendo operam darent! Martianus enim ipse infra (§. 74) eadem locutione utitur verbis: »candentibus *serenis* enituit.« *Serena* igitur *fulgentia*, sive serenum, quod fulget, Jovi planetae noster tribuit, quod idem astrum infra (§. 197) dicit »*fulgentibus* blandisque vibratum *candoribus*.« Unde ne codices quidem Monacenses (B. D. E.) secutus sum, qui *fulgida* pro *fulgentia* exhibent, sed vulgarem et Martiani dictioni magis conformem lectionem retinui.

temperie] Haec ipsa qualitas jam Jovem designat planetam (v. infra §. 196).

Risum Jovis] Finxit hoc urnae nomen ex illo Virgilii (Aen. 1, 254):

»*Olli* subridens *hominum sator atque deorum*
Vultu *quo coelum tempestatesque* serenat.«

De sereno hoc Jove infra (§. 67) plura leges.

hiemis atque] Ita Claudianus (tert. consul. Honor. 168): »Algenti qua zona *riget* Saturnia tractu.« Lucanus (10, 205): »*Frigida* Saturni glacies, et zona nivalis cessit.« Virgilius (georg. 1, 336) »*frigidam* Saturni stellam« dicit, repetitque hoc Plinius (18, 25, 57) affirmatque alio loco (2, 6, 8) »Saturni sidus gelidae ac *rigentis* esse naturae.« Pariter Vitruvius (9, 1) eandem stellam »vehementer frigidam esse« docet. Ptolemaeus denique (tetrabibl. 1, 4 et 18) eam »natura *frigidam* et calori contrariam« dicit. Sed noster ipse infra (§. 197) eundem planetam »deorum rigidissimum creatorem in algido haerentem pruinisque nivalibus« appellat, alioque loco (§. 70) »ipsius canitiem pruinosis nivibus candicantem« memorat. Quid mirum ex quatuor anni tempestatibus hiemem ei hic tribui?

frigoris] Hoc pro Grotiano *rigoris* codices habent Monacenses (B. C. E.), Hugianus, Darmstat-

pruinarum: haec Saturni vocabatur Exitium. At vero sali resplendentis, atque ad ipsius dei dexteram sita, aëris totius seminibus erat referta: hanc Junonis Ubera memorabant. Ex his igitur urnis deus alternatim, quantum dispositis 18
sat erat, hauriebat. Nam quoties orbi complacito vitalis spiritus salubres ministrabat auras, ex illa argenti clementia aëris hausti permiscens semina temperabat. Quum vero pestem diram commeritis mortalibus minabatur, aëri

tensis, Bodlejanus primus, Britannicus et Cantabrigiensis, quod praeferendum esse videbatur, quia paulo post Apollo ex hac urna »torpentis *frigoris* venena miscere« (§. 18) dicitur. Nec tamen altera lectio, quam Basileensis etiam praebet, contemnenda erit, praesertim si plures illos, quos in nota praecedenti laudavi, scriptores cum nostro conferre placebit.

exitium] Lege *Saturni exsilium*. Vorcx. (spec. crit. p. 79) — Neutiquam! Nomen *tam absurdum* Martianus quidem urnae illi non dedit. Criticus autem de Saturno nihil compertum habuit, quam regno eum pulsum fuisse, nihil de *exitiali* hujus planetae vi (v. palaeogr. meam III. §. 241) unquam audivit! Neque Porphyrium (ap. Euseb. in praep. ev. p. 257) legit, qui *ναχὴν ἀταρπὸν* ei tribuit; neque poëtas, e quibus Orpheus (Argon. 424) *Κρόνον αἰνολέτην* appellat, Lucanus (1, 652) »Saturni stellam *nocentem*«, Appulejus (florid. 2, 10. p. 41 Oud.) »perniciosam«, Virgilius (georg. 1, 336) »frigidam« est. Neque lapidum titulos novit, in quibus (Donat. suppl. I. p. 33) »Saturnus deus *malus*« dicitur; neque, quod omnium pessimum est, censor iste Martianum ipsum, quem corrigendum sibi sumsit, perlegit. Quod si fecisset et majori diligentia, quam secandi pruritu, praeditus fuisset, sane inferiori loco (§. 197) eundem nostrum observasset »de *exitialis* Saturni horrore« agentem! Hoc igitur loco »Saturni planetae *exitium*« idem illud est.

temperabat] Plinius enim de tempestatibus agens (2, 39): »Solis natura«, inquit, »*temperando* intelligitur *anno*.« Similiter Ovidius (met. 1, 770) Solem laudat, »*qui temperet orbem*.« Et Ciceroni (ap. Macrob. in somn. Sc. 2, 3) »dux est, et princeps, et *moderator* luminum reliquorum.« In Aegyptiaci quoque obelisci inscriptionis explicatione, quam Ammianus (17, 4. p. 177 Gron.) nobis servavit, Sol ter appellatur *δεσπότης οὐρανοῦ* et *χρόνων*. Sed constat sibi noster tam inferioribus (§. 34. 180), quam superioribus locis (§. 14).

pestem] Res est nota ex Homeri Iliadis primo. Quod vero Apollinem pestilentiae auctorem facit, ex Aegyptiorum disciplina id habet, qui teste Clemente Alexandrino *λοιμικὰς νόσους ἡλίῳ ἀνατιθέασιν*. Conferatur Munckerus ad Hyginum p. 215. Heraclides suo more super hac re philosophatur. Goez. — Heraclidis verba melius leguntur in Galei opusculis (p. 418). Clementis Alexandrini locus est stromat. V. (p. 567). Apud Munckerum autem nihil reperies, et vereor ne voce *pestis*, qua loco laudato minime *ὁ λοιμός* significatur, sed formido, terror, Goezius deceptus fuerit. Ceterum quum Apollinem non tantum immittere, sed etiam sedare pestilentiam veteribus persuasum fuerit (Pausan. 1, 3, 3 et 10, 11, 4. Horat. carm. 1, 21 f.) etiam noster utrumque innuere videtur, Solis tam beneficia, quam damna; atque in iis describendis omnino ante oculos habuit Macrobium (Sat. 1, 17 et 20). Confer et superiorem locum (§. 15).

aëri] Ita e codicibus Basileensi, Reichenauensi

similiter anhelos ignes aut torpentis frigoris venena miscebat, et in affligen-
19 dum meare cogebat orbem. Tali dei temperamento Virtus admonita, magisque quum eum salutares auras miscere conspiceret, Graeci poëtae Grajum versum Mercurio comprobante commemorat:

Φοῖβος ἀκερβεκόμης λοιμοῦ νεφέλην ἀπερύκει.

Ex quo pestem fugari posse Mercurius, si voces primae vestigiis ejus accederent, admonebat. Subdendae tamen Clario fidibus personanti, atque inter serta
20 laurigera infularum lubrico implexoque crine redimito. Talia conserentes ut procul Pythius adventare conspexit, causamque adventus primis adspectibus

et Britannico reposui pro Grotiano *aëris*. Id enim si legeris, sensus contrarius exibit, siquidem flagrans aestas et torpens frigor mixta salutarem dant temperiem, neutiquam noxium mortalibus venenum.

cogebat] Basileensis *ablegabat*, non male.

salutares] E codicibus Monacensibus (B. C. D. E.), quamvis *salutaris auras* quilibet etiam intellexisset, e literarum I et E confusione.

Graeci poëtae] Pro *Graeci* Grotius ediderat *caeci*, explicans haec verba de Homero, addensque: »sic supra caecutientem Maeonidem dixit, et Tertullianus Homericos oculos pro caecis libro de pallio.« — Haec ille: sed olim (in palaeogr. crit. III. §. 61) jam observavi apud Homerum frustra illum versum quaeri, licet Walthardus (p. 83) cum Homeri esse contenderit. Me quidem haud fugit, plures laudari ejus versus, qui non in omni editione reperiantur (Quinctil. 5, 11, 40. p. 335 Spald.); neque ignoro eundem poëtam canere pestem, quam Phoebus immiserit, sedatam (Il. α. 472): verum illo neutiquam utitur versu. Opportune igitur Hugianus codex lectionem praebuit »Graeci poëtae«, quam e causis in nota sequenti expositis lubens recepi.

ἀκερβεκόμης] Ita codex Britannicus et Cantabrigiensis. In eo, quem Walthardus in medium protulit, Latinis quidem scripta literis leguntur »akerscekomes« et »aparukei« pro quibus Grotius edidit *χρυσοκόμης* et *ἀπ' ἔρυκεν*. Quum vero lectio illa, quam recepi, eadem sit, quae apud Lucianum (in Alex. 36. T. 5. p. 97 Bip.) legitur, Homerus autem hunc versum non habeat; verisimile est, Martianum ex illo hausisse.

ejus] Intellige *pestis*. Quippe *τοῦ λοιμοῦ ἀλεξιφάρμακον* habebatur, ut ait Lucianus, ille versus, quo januis inscripto arceri pestem domibus arbitrabantur.

subdendae] In codice Britannico male *subdendo*. Intelligendae enim *voces* sunt, quae *mitis* Apollinis imagini subscribantur.

fidibus personanti] Hoc est placido, conditis sagittis. De Apolline Servius (ad Aen. 3, 138): »Hic contra, si citharam teneat, *mitis* est. Unde Horatius: Condito mitis placidusque telo, Supplices audi pueros Apollo.« Confer et Maximum Tyrium loco supra (§. 13 not.) inserto.

conspexit] Manuscriptus codex bonae antiquioris-que notae, quam omnes, ut puto, hactenus collati, habet *praespexit*. Quod ordinem rei videtur argutius concipere. *Praespexit* enim nondum aliis videndum coetum; quid vellet idem primis ex adspectibus velut antea notum recognovit. Miro modo

recognovit, throno quo insidebat exsurgens Musas jussit occurrere. Quae licet in Majugenae officium properare viderentur, ratis tamen incessibus movebantur. Ac tunc germano in participatum operis consessumque suscepto, prior orsus est Phoebus:

omniscientiam Apollinis ingerit. Bantu. (advers. p. 934). — Equidem unius codicis variantis auctoritatem non tanti facio, ut vulgarem mutari lectionem velim; praesertim quum melior etiam haec mihi videatur. Non enim opus erat addere verba »primis adspectibus«, si ante adspectus *jam praespexerat* Apollo adventus causam.

properare] Veram lectionem, nemini adhuc visam, e codice mihi instar thesauri charo, erui: »quae licet in Majugenae officium *properari* videbantur, suis tamen incessibus movebantur.« Haec totidem literis scriptura est casci libri. Suos quidem incessus Musarum, dicit, ad numerum et harmoniam compositos nec aliis nominibus tali modulo aut regula usitandos. Legebam ante ex conjectura »*statis* incessibus«, quod statutis velut et ordinariis notat, unde peccare ne unus quidem velit. Sed manuscripti lectio tollit dubium omne. Ex illo vero, quod priori loco disjunctas voces offendo, scribendum puto »quae licet in Majugenae officium prope *rapi* videbantur.« Tantus amor, tanta veneratio Mercurii, ut prope rapi aliena vi videantur Musae ad ejus officium. Nihil utraque lectione hoc loco dignius. Bantu. (in adv. p. 934). — Lectionem »prope fari«, quam Grotius jam in margine notaverat, e libro suo Munckerus reposuit. Vulgatae editiones satis taediosa tautologia *properare* legunt. Nihil magis nostro frequentatum, quam *fari, fatus, profata* cet. Gorz. — Equidem, quamvis Bodlejanus primus et Cantabrigiensis *prope fari* habeant, vulgatam tamen retinui lectionem, arbitratus neque Barthium, neque Goezium intellexisse, quae sibi in hac periodo sint opposita. Conferas velim annotationem, quae sequitur. Praeterea quem sensum Goezius tribuerit verbis »in officium fari« nemo, puto, quisquam perspiciet. Codex Britannicus male etiam »prope *facere*«, et illud »*prope fari*«, quod in Reichenauensi erat, a prima manu jam correctum vidi.

ratis] Grotius ediderat *satis* hac addita nota: Distinguo: »quae licet in Majugenae officium properare viderentur *satis*; tamen incessibus movebantur.« Incessus sunt graves grandesque passus. — Barthius, ut modo vidimus, legit *suis*; quae quidem lectio melior erat Grotiana, qua adverbio *satis* incommodus adsignatur locus: sed praefero *ratis*, quod Cortius in Guelferbytano codice invenit, recte interpretante glossa: »*definitis*.« Concinnis enim et aptis, vel minus Latine *proportionatis* incessibus moveri Musas dixit noster, ut mitigaret verbum, quo antea usus erat, *properare*. Perperam, ut mihi quidem videtur, *ratum* apud Ciceronem (N. D. 2, 37 et 38) interpretantur *certum* et *immutabile*. Ratum a *reor* quidem est, sed eo sensu quo *rationem ineo, computo*, significat. Germani dicunt *berechnet*, id quod glossa habet: *definitum*. Vitruvius (3, 1): »Proportio est *ratae* partis membrorum in omni opere, totiusque commodulatio.« Ne vero dubites Martianum hoc loco *ratis* scripsisse, inferiores confer locos, ubi noster: *ratis* modis (§. 41), *ratum* silentium (§. 117), *rata* congruentia (§. 909), et supra: *rati* succentus (§. 11), *rata* modificatio (§. 12) identidem usurpat, et ubi vocabulo *ratio* computationem intelligit (§. 104—107).

21 Anxia quum trepidis nutat sententia rebus,
Fluctuat incertis aut sors ignota futuris,
Consultat mortale genus, quodque indiga veri
Cura facit dubium, vel spes incerta fatigat.

trepidis] Confer pulcherrimos Horatii (od. 3, 29, 29) versus:

»*Prudens futuri temporis exitum*
Caliginosa nocte premit deus,
Ridetque si mortalis ultra
Fas trepidat.«

Unde et noster supra: (§. 3) »hominum votis *trepida* curarum ambage suspensis.«

nutat sententia] Similiter Sedulius (1, 225):

— — »*quocunque trahit* sententia nutu.«

Et Minucius Felix (12, 2): »*nutat sententia*, ut sit nobis *ambigendum*.« Sed ipse Cicero (de fin. 2, 2) »*nutare* Epicurum« dixit. Seneca (in Agam. 704): »Incerta *nutant* lumina.«

rebus] Res argumenta concludendi notant, quasi tu rationes argumentandi dicas. Julianus J. C. (l. 51 ad l. Aquil.): »multa autem jure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse innumerabilibus *rebus* probari potest.« Claudianus (l. 2. Stilic.):

— — »*quamquam nullis mihi cognita* rebus
Fabula, vix tanto risit de crimine rumor.«

Barth. (advers. p. 1241) — At vero ista viri docti observatio nihili hoc loco esse mihi videtur.

consultat] Sententia est, deos per divinitatem suam opus non habere, ut anxium animum habeant rerum administrandarum eventibus; hominibus conditione mortalitatis id expetere. Scribendum itaque »*consultet*« cet. In MS. uno lacuna est, unde suspicamur τὸ *quodque* mendosum etiam esse. Vel sane *quod* quia exponetur, ut *fatiget* reponendum putes. Nos tamen nihil amplius sollicitamus. Barth. (advers. p. 1241) — Sed cur nihilo secius sollicitavit, quod probum est? *Consultet* Arntzenius quoque (misc. p. 201. 202) legi vult; sed eodem redit indicativus, qui »alias mortalibus, alias divis consultandi Apollinis causas esse« significat: illis, quia futura ignorent, his, siquando ipsa voluntas non constet. Nec *quodque* mutandum, licet cod. Guelf. Cortio teste habeat *atque*, Hugianus *proque*; modo ne pro *quia* accipias, sed ita construas: »genus mortale et quod cura reddit dubium.«

indiga] Sic legendum opinor ex Vossiano codice et aliis. *Indaga*, quod editum, lexica tuentur hoc Capellae loco. Sed cum codices aliam vocem praeferant, eamque magis usitatam, nihil inde autoritatis depromi potest, ut Latina civitate hoc vocabulum donemus, praecipue hoc loco, cum et syllabae quantitas repugnat. »Cura veri indiga« est, quae veritate caret atque verum perspicere nequit. Arntzen. (misc. 201. 202). — Legerat *indiga* etiam Barthius (advers. p. 1241), eandemque lectionem, quam Grotius tantum in margine notavit, praebent codices Monacenses (C. D. E. G.), Bodlejanus, Britannicus, Cantabrigiensis, Hugianus, Basileensis, Darmstattensis et Reichenauensis. Sententia eadem in Senecae (Hercul. fur. 183) versibus:

»*At gens hominum fertur rapidis*
Obvia fatis, incerta sui;«

et apud Virgilium (Aen. 10, 501):

»*Nescia mens hominum fati sortisque futurae.*«

cura facit dubium] Hypallage: neque enim cura facit dubietatem, ut ita dicam, sed dubietas curam. Vulc. — Hoc quidem loco non opus est statuere hypallagen. Aperte enim *mortale genus* dixerat, quod dubium redditur cura.

At praescire deis vacuum est, cunctatio nulla est;

praescire] Ita etiam Arnobius, Martiani popularis, (3. p. 112) »deos non esse« demonstrat, »qui ventura praedicere inscitia nesciant.« Adde quae hujus disputat discipulus (Lactant. 1, 11); quorum uterque scilicet sua e Ciceronis de divinatione libro habet.

deis] Grotii liber: »At *nobis* praescire *vacuum*.« — In eo, quo nos usi sumus: »At praescire *deis facile* est.« Quod ut a glossa esse non dubito, ita puto varietatem lectionis scriptae hoc facere, ut Capella aliter quam in utroque nunc sit scripsisse *credendus* sit. Lege: »At praescire *deis factum* est.« Ante ita, nec dubitem quin vere; non turbant sequentia quoque, cum excipiat deus iste se non de perfecta praescientia jam loqui. Confirmat belle quod sequitur: — »cunctatio nulla est.« Barth. (advers. p. 847) — Viro docto equidem assentiri nequeo (v. notas, quae sequuntur): sed lectionem *deis* probo. Licet enim non Grotii tantum codex, sed Vossii etiam (Arntzen. misc. p. 202), Bongarsii, Hugii, Dresdensis, Basileensis, Darmstattensis et Monacenses (B. D. E. G.) habeant *nobis*; metrum tamen poscit *deis*.

vacuum est] De diis ita Ovidius: — »Quicquid superi voluere, *peractum* est.« An leges melius in Capella ad junctiuras veterum literarum: — »praescire deis *actum* est.« Barth. — *Vacuum est* glossas interpretari *concessum est* scribit Grotius, idemque testatur Munckerus ad Fulgentii mythol. I. p. 596 ad. Staver., ubi plura de hoc significatu. — Versus constat, si *vacuum* fit bisyllabum, et ita posterior syllaba eliditur. *Vacuum* expono per *inutile, temerarium*, et *vanum*: vid. Barth. ad Claudian. in Rufin. 1, 15. quem locum notasse etiam video Wopkensium in observ. misc. 7, 2. p. 205; adde eundem ad Sedul. 4, 117. Quae et ratio est, quod librarii frequenter hanc vocem cum *vanus* confundant, ut ibi ostendi, eademque significatio est in Graeco κενός. Aelian. var. 2, 12: εἰς κενὸν, διὰ κενῆς (Bos ad epist. 1. ad Thessal. 3, 5); κενεαυχέες apud Homer. Il. Θ. 230 Scholia exponunt per κενὰ καὶ μάταια καυχώμενοι. Adde Pric. ad epist. 1. ad Timoth. 6, 20. Eodem sensu διακενῆς Hesychio restituit Munckerus ad Anton. Liber. c. 6. p. 49. Sententia ita Martiani haec est: »Consultet mortale genus in rebus dubiis, et spe incerta, nobis tamen temerarium est ea praescire, quae his in rebus incertis futura sunt.« Egregie conspirat Minucius Felix Octav. p. 30: »Ut neque quae supra nos coelo suspensa sublata sunt, neque quae infra terram profunda demersa sunt, aut scire sit datum, aut scrutari permissum, aut stuprari [lege: sciscitari] religiosum — coelum ipsum et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus.« Arntzen. (misc. p. 203). — Haud equidem nego, ita intelligi vocem *vacuum* posse, immo debere aliis in locis; sed hoc Martiani loco in sensum mentemque docti sane Arntzenii intrare nequeo, quin potius glossae veteri subscribo. *Concessum* nimirum cuilibet est rem occupare possessore *vacuam* (Justin. 19, 3; 6. 31, 3, 2. Cic. de orat. 3, 31), eumque hoc loco verum verbi *vacuum* sensum esse, ex illis quae infra leguntur »superis praescire *datum*« omnino colligo. Pari sensu Fulgentius (myth. p. 2 Munck.) vocem usurpavit: »*Vacat* potentibus *opprimere*, — miseris *flere*.« Neque serioris tantum aevi scriptoribus illam locutionem usitatam fuisse testis est Sallustius (fragm. hist. 1. p. 935 Cort.) scribens: »simultates exercere *vacuum* fuit.« Quem imitatur Tacit. annal. 14, 28: »ante *vacuum* id solutumque poena fuerat«; et hist. 2. 58: »aemulis urbibus excisis securas opes concupiscere *vacuum* fuit.«

Quod superi voluere, licet; de pectore fixis
Praeoptare caret; si quid placet, atque necesse est.
Sed tibi quod nondum venit mansura voluntas,

pectore] Ita Cantabrigiensis codicis auctoritate reposui pro Grotiano *pectora*. De interpretatione hujus periodi tot sensus reperies, quot capita. Valcanius quum, ut apud Grotium est, *pectora* legeret, verba sic colligebat et explicabat: »Licet careat (inane atque inutile sit) praeoptare (hominum) pectora de fixis (de iis quae immutabili modo disposita sunt), tamen quod (diis) placet necesse est ut fiat.« Contra Barthius (in advers. p. 847), pro *licet* substituens *liquet*, sensum hunc esse voluit: »Liquet quod voluere dii, pectora de placitis sibi praeoptare, dubio quasi voto, non indigent.« Vonckius autem (sp. cr. p. 80) legi jussit:

»*Quod superi voluere licet: de pectore fixis*
Praeoptare caret si quod placet atque necesse est.«

Arntzenius denique (misc. p. 203) totum locum ita distinguendum arbitrabatur:

— — »*vel spes incerta fatigat;*
At nobis praescire vacuum est. Cunctatio nulla est,
Quod superi voluere, licet de pectore fixis.
Praeoptare caret, si quod placet, atque necesse est.«

Sententia, inquit, est: »Nulla est cunctatio eorum, quae superis placuere, licet sint ex iis, quae quis pectore suo fixit, atque proposuit. Non opus aliquis habet praeoptare, si statim necesse sit, ut id fiat quod placuit. Cur enim id optaret, quod ex rei necessitate fieri deberet?« Haec ille; mihi vero in universum verborum sensus hic esse videtur: »Futurorum ignaros homines anxia quum cura fatigat, ii quidem consultant; nos autem praescimus. Quod superi voluere, licet; neque eis opus est praeoptare de iis quae pectore fixa sunt. Si quid enim placet (superis), statim (ut fiat) necesse est.« Singulorum rationes suis locis reddidi.

praeoptare caret] Infinitivus *praeoptare* Graeco more est pro substantivo. Similia exempla pete ex notis ad Livium (37, 33, 5 et 40, 47, 5); copiose Vechnerus (Hellenol. L. 1. P. 2. c. 10). Arntz. (misc. p. 203 f.) — Addas velim Horatium (od. 1, 2, 8. 1, 23, 9), Ciceronem (Tuscul. 1, 26), Virgilium (Aen. 1, 527), Quinctilianum (9, 3, 9. p. 455) et Scioppium (in gramm. philosoph. p. 15 Herz.).

quid] Ita reposui pro Grotiano *quod*. Non solum enim Hugianus et Monacenses codices (C. G.) meliorem illam lectionem praebent; sed in aliis etiam libris scriptis sic legi, ad marginem Norimbergensis libri annotatum vidi.

atque] Hoc est *statim*, exemplis a Nonio in medium datis. »*Simul* ut quid placet id fieri etiam necesse est.« Sententia similis apud Ciceronem 3 de nat. deorum: »Nihil est quod deus efficere non possit et quidem sine labore ullo.« Ovidius (metam. 8, 622): »quicquid superi voluere, peractum est.« Capella vero suis expressit de Venere verba Appuleji libr. 4: »Ecce jam profundi maris udo resedit vortice et ipsum quod incipit velle *statim*, quasi pridem praeceperit, non moratur marinum obsequium.« De *atque* exempla habes apud Gellium libr. 10. c. 29, Palmerium Spicilegiis, L. Carionem Emendat. L. 2. c. 12; quae indicare juvat, non recoquere. Barth. (advers. p. 848. 1241.) — De particula *atque* plura dabit Burmannus ad Phaedr. 1, 16. Vonck. (spec. critic. p. 80). — Plura et Parcus in lexico crit. p. 125, et Drak. ad Liv. 27, 21.

Consilium vis ferre meum: sic semper ab omni
Velle capis socium, faciunt atque addita mentem.
Est igitur prisci generis doctissima virgo 22
Conscia Parnaso, cui fulgent sidera coetu:
Cui nec tartareos claustra occultare recessus,
Nec Jovis arbitrium rutilantia fulmina possunt;

consilium] Cicero (de orat. 1, 45) scribit: »Pythius Apollo apud Ennium se cum esse dicit *unde sibi* si non *populi* et *reges*, at omnes sui cives *consilium exspectant*

»*Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex*
Incertis certos compotesque consili
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.«

velle] Ita et infra (§. 32): »*Tuumque velle* est ante praescientias.« Notissimum illud Persii (5, 53): »*Velle suum cuique est.*«

addita] Grotius *abdita*. — Nonnullae veteres editiones *addita* offerunt. Sed praestat recepta scriptura. Gozz. — Nempe *abdita*. Cur praestet non dixit. Ego vero ingenue fateor, reposita voce *abdita* me locum prorsus non intelligere. Vox *addita* contra ad ea, quae praecedunt: »ab omni *velle* capis *socium*« spectat. Vocabulum *mens* hic majus aliquid quam *velle* sive voluntatem significat, et »facere mentem« idem est ac »dare mentem.« *Addita* igitur sic intelligo, ut spectet ad superiora: »nondum firmam esse voluntatem; nunc, si quid ei a consulto *adderetur*, eam firmari.« Quod deest, suppleri Horatii (epist. 2, 2, 6) versu potest:

»*Verbis quae timido quoque possent* addere mentem.«

Hugianus etiam codex *adita*, Basilecnsis autem et Darmstattensis *abdita* praebent.

est igitur] A principio versuum ad hunc usque praefatus est Apollo: nunc laudes Philologiae aggreditur. Vulc. — Quod prisci generis sit, omnium rerum gnara, et, ut cum Horatio loquar, arcanis Jovis admissa. Gozz. — De Philologiae laude confer totum aureum Wowerii de polymathia librum.

coetu] Scriptum hoc pro »*coetus*.« Vulcan. — Lege »*cui tu*.« Bantu. (advers. p. 935. 975. 1242). — Lege »*coeli*.« Voncк. (spec. crit. p. 145). — Ego vero: lege quod scriptum vides! Constans enim omnium librorum lectio praebet *coetu*; quae si aliquo saltim modo defendi potest, mutandi causa nulla erit. Potest autem. Namque »cui fulgent sidera *coetu*« idem est ac si dixeris »cui fulget siderum coetus.« Accedit quod infra (§. 90) noster »coetum siderum« simili fere modo dixit. Sensus autem est »quae callet astronomiam.«

claustra] Habet membranaceus codex *flaustra*; unde eo veni, ut Capellam putaverim *flustra* a mari ad Erebi tranquillitatem detorsisse. Bantu. (advers. p. 935). — Ut hanc suam vir doctus conjecturam defendat, ad Festum provocat et Tertullianum (de pallio), quae omnia apud ipsum legas licet. Ego enim constantem omnium librorum lectionem tueor. Quidni »*claudi* tartareos recessus« dicere potuerit, e quibus nemini concessus erat reditus? Philologiae igitur ne tartarei quidem recessus *claustris* occultari possunt. Vide quantum spatium Hesiodus (in theog. 724 seqq.) a coelo ad terram atque a terra ad tartarum usque finxit!

possunt] Scribendum »fulmina *possit*.« Invitis enim diis superna cognosci a mortalibus non raro ajunt ethnici. Bantu. (advers. p. 1241). — Hanc

Fluctigena spectans qualis sub gurgite Nereus,
Quaeque tuos norit fratrum per regna recursus;
Pervigil immodico penetrans arcana labore,
Quae possit docta totum praevertere cura,
Quod superis praescire datum; quin crebrius in nos
Jus habet illa deos, urgens in jussa coactos,
Et quod nulla queat superûm tentare potestas,

conjecturam omnium librorum auctoritati repugnantem vix proposuisset vir doctus, si rectam verborum construendorum viam ingressus esset. »Fulmina rutilantia non possunt occultare Jovis arbitrium« vel simpliciter: »fulmina deterrere non possunt a noscendo Jove«, vel paulo obscurius significat: »nec fulminum portenta posse latere Philologiam, quin ea explicet.«

qualis sub] Rescribendum: *quod alit sub.* Bene, puto. Nam et intima maris penetrare humanam curiositatem autumat. Quod et ipsum contra deorum voluntatem fieri autumabant antiqui. Pedo Albinovanus:

»*Di revocant, rerumque vetant cognoscere finem*
Mortales oculos; aliena quid aequora remis
Et sacras turbamus aquas, divumque quietas
Turbamus sedes?« —

Bentl. (advers. p. 933. 1242). — Correctione certe non opus est, licet duae sint lectiones, altera *quali* (praeter Grot. et Darmstattensis codex), altera *qualis* (in Dresdensi cod.). Illud si legeris, de loco explicabis, quo maris deus degat, quem et ipsum nosse Philologia fingitur. Haec contra si vera lectio est, ad ipsum mare spectat; Nereum enim mare sive aequor significare testes fere omnes sunt poëtae. »*Qualis* igitur sit sub gurgite Nereus« Philologiam scire quum affirmatur, hoc ita explicandum erit: »et altissimorum in mari gurgitum naturam ab ea esse exploratam.«

fratrum] Fratres sunt Planetae astraque reliqua; aut, quod potius reor, tres fratres, Juppiter, Neptunus, Dis, per quorum regna instar veredarii quotidie sursum et deorsum currit Mercurius. Bentl. (advers. p. 933). — Vox *tuos* non ad *fratres* pertinet, sed ad *recursus*, Mercurii nimirum, male igitur *Planetam* Mercurium intelligit Barthius, quum de hujus dei nuntii, recurrentis officio sermo sit (§. 5 not.).

immodico] In libro est *indomito*, quod ego magnopere reducendum censeo; infatigato quippe ea vox in meliorem partem bene saepe ab auctoribus accipitur. Bentl. (advers. p. 933 f.). — Vulgarem equidem retinui scripturam.

labore] Ita infra (§. 39) Philologiae »incessabilis labor« memoratur. Confer etiam quae ad verba *pervigilia laborata* (§. 37) observamus.

praevertere] Hoc est *anticipare*, prinsque scientia adsequi, quam is, de quo loquimur. Sic carmine sequenti:

— »*nam solitus ciere pectus,*
Et praeversa *vigil monere sensa.*«

Alioquin *praevertere*, praeponere. Tertullianus (de pallio): »An aliter mutavit Anacharsis cum regno Scythiae philosophiam *praevertit.*« Bentl. (advers. p. 934).

coactos] Omnino operae pretium erit inferiorem locum (§. 37 f.) cum hoc conferre, ubi illa Philologiae in deos potestas uberius explanatur.

Invito scit posse Jove. Ut stent ardua magno,
Alterutrum cumulat parilem meruisse jugalem.

His Apollinis dictis lactabunda Virtus, quod tam excellentis Virginis 23
suasum videt esse conjugium, ut nihil amissum ex supradictarum duceret dignitate, nomen tamen ejus inquirit. Quod ubi cognovit Philologiam esse, de qua foedus instabat, tanta gratulatione alacritateque concutitur, ut aliquanto

scit posse] Ita infra »sciat esse« dixit. Gnot. — Equidem intelligo: »Philologia *se* posse scit, quod invito Jove nulla superùm potestas tentare possit.« Similiter solus Apollo Jovis noverat consilia, quae praeter eum nullus scire poterat (Homeri hymn. in Mercur. 534).

ut stent] Ego vitium in distinctiuncula puto, et sensum esse: »Ut ardua magno constent, perstent, consentiant, alterutrum ex his mereri conjugium Mercuriale in laudatissima virgine.« Bartii. (advers. p. 934). — In distinctione mutanda Barthium secutus punctum, quod sustuli post *magno*, reposui post *Jove*. Etenim *ut* concessive dictum est pro *licet*, ut Cic. de div. 1, 6; Tusc. 1, 39 cet.

alterutrum] *Alterutrum*, penitius intuenti, *utrumque* Capellae Martianismo quodam de Africa notat. Ambos cumulat, hoc est concludit, parilem conjugem meruisse. Quodsi penitissime videas, videbis *alterutrum* »mutuo« sonare. Ardua magnis cumulant sese. Eo exemplo sermonis Tertullianus (apol. c. 39): »Vide, inquit, ut invicem se diligant, ipsi enim invicem oderunt; et ut pro *alterutro* mori sint parati, ipsi enim ad occidendum *alterutrum* paratiores erunt.« Qui ipse et *cumulandi* verbo ita usus, sed loco nobis memoria jam elapso. Bartii. (advers. p. 934). *Parilis* jugalis est Mercurius, quo non indignam Philologiam sponsam vel ob alterutrum meritum magiae et astronomiae, utraque enim in ea commendavit modo, retur, quod junctis ambabus nunc illa cumulat. Bartii. (p. 1242). — In praemissis quidem nihil, quod ad magiam spectet, legitur; sed ad inferiorem locum fortasse vir doctus respexit, ubi vide (§. 37 f.) quae notamus.

cumulat] Auget. Sensus est: alter alterius consortio beatus, atque extollitur Mercurius Philologiae, et Philologia Mercurii. Vulc. — Sed edoceri potius ab interprete maluissem, quo pacto infinitus modus *meruisse* cum reliquis verbis jungi possit; quod mihi quidem fieri non posse videtur, nisi *cumulat* interpretemur »utrique *honori est* meruisse« cet.

jugalem] Conjugem. Aliis locis (§. 31. 39) Junonem appellat *jugalem*, sed κατ' ἐξοχήν, quippe deam pronubam. — Ceterum verborum ordo in his versibus hic esse videtur: »Est igitur virgo prisci generis doctissima conscia Parnaso, cui fulgent sidera coetu, cui nec possunt claustra occultare recessus tartareos, nec fulmina rutila arbitrium Jovis; spectans fluctigena qualis (sit) sub gurgite Nereus; quaeque novit tuos (Mercuri) recursus per regna (trium) fratrum (Jovis, Neptuni et Plutonis); quae pervigil immodico labore penetrans arcana potest docta cura totum, quod superis praescire datum, praevertere; quin crebrius etiam in nos (deos) jus habet illa, urgens deos in jussa coactos (§. 37. f.), et scit (se) posse quod nulla potestas superùm invito Jove tentare queat. Licet igitur ardua magno (pretio) stent, utrique tamen honorificum erit, si (alterum sibi) parilem conjugem meruerit.«

foedus] Sic infra (§. 31) »pignoris (filii) pro foedere.« Foedus simpliciter pro conjugio. Gnot.

de ingenito rigore descendens etiam corpore moveretur. Quippe propinquam esse commemorat, et laudatae illius Mantices patronam, in ipsam quoque Sophiam supellectilis multae remuneratione largissimam. Nam Ψυχὴν incultam ac ferino more versantem apud hanc asserit expolitam: ita ut, si quid pulchritudinis ornatusque gestaret, ex Philologiae sibi cultibus arrogarit: quae ei tantum affectionis impenderit, ut eam semper immortalem facere laborarit. Nihil igitur immorandum, quum impigrum gerendorum sciat esse Cyllenium. Sed acceptis Apollinis fatibus respondit ipse Majugena:

21 Certum est, Lauripotens decusque divum,

concutitur] Haec quidem *alacritate concussa*, alia apud Petronium (c. 18) »*gemitibus* largis *concussa*.«

aliquanto] Perperam codex Britannicus a manu priori habebat *aliquando*.

descendens] Grotius e MS. reposuit *discedens*, cum in vulgatis *descendens* legeretur. Cicero: »Ennio delector, ait quispiam, quod non *discedit* a communi more verborum.« Goez. — Vulgatum *descendens*, quod in plurimis etiam codicibus legi, retinui. *Descendere* enim Virtus de ingenito rigore (severitate) omnino dici potest; licet Cicero eo loco, quem Goezius affert, scribere non potuerit »descendere a *more verborum*.« De alia omnino re alia usurpantur verba.

etiam corpore] Agroetius (ap. Widemann. de pr. serm. p. 110 et Putsch. p. 2271): »Gaudium animi laetitia est, exsultatio *membrorum* atque factorum.«

patronam] Nutricem. Goez. — Nonne dilucida vox *patrona* est? Cur igitur ad alium sensum eam detorqueamus?

ferino more] Confer Ciceronem (de inv. 1, 2).

immortalem] A Philologis animae immortalitatem demonstratam esse contendit. Hos igitur Philosophia imbutos fuisse sequitur.

impigrum] Editum a Grotio: »quippe cum impiger gerendorum sciat esse Cyllenius, sed acceptis — respondit« cet. Nullum vitium hic subolnisse Grotio equidem miror. Si enim totius loci nexum advertas et antecedentia, de veritate lectionis, quam suggerit codex, non dubitabis. Legendum utique cum MS. »quippe cum *impigrum* gerendorum sciat (Virtus nempe) esse *Cyllenium*.« Boxhax (var. lect. p. 55). — At vero ita legens apodosin forsan exspectes, quae nulla sequitur. Unde Dresdensis etiam codicis auctoritate istud *quippe* expunxi. Defendi quidem hoc sicut totam lectionem Grotianam posse non ignoro; cur vero non reponamus quod clarius est, quum codicum auctoritate minime simus destituti?

certum est] Sensus hujus carminis hic est: Mercurius Apollinem seque ipsum ait iisdem patribus oriundum, eademque a stirpe venire, probari luculenter posse ex perpetuo voluntatum utriusque consensu. Numquam vero magis, quam quum in praesenti negotio tam apte inter se de ducenda in uxorem Philologia ambo conveniant. Quocirca se ait lubentem equidem pariturum monitis, et conjugem domum ducturum, modo Apollo, quem in manu sua habeat, coeptis favere Jovem, parentem communem, faciat.« Barth. (advers. p. 935). — De metro glossa in codicibus Monacensibus (B. E.):

Nostrum ex contiguis venire pectus,
Et quidquid socium ciere numen
Junctus compererim probare rerum:
Sed nunquam mage velle disparamus,

»Metrum Phalcutium (l. Phalaecium) Pentametrum, quod constat ex Spondeo et Dactylo et tribus Trochaeis.«

et quidquid] Moram facit τὸ quidquid, quod interpretaberis *omne, quidvis.* Deinde minus obvium est, properantibus certe, quid τὸ *ciere* sibi velit, et distinctio vulgo recepta. Tu ciere *cieris* cape, et expone: »Et quidquid rerum tu cieris, ego numen compererim probare junctus.« Vel adeo junctus *junctiras consensusque* sonat; ita sententia sit: »Quidquid socium numen cieris, junctus rerum compererim probare.« Hoc est harmoniam et consonantiam, si ita dicere licet. Utcunque haec sint, mihi tamen legendum etiam contra libros cum hac distinctione istud comma sic videtur:

»*Et quidquid socium ciere numen:*
Nunc jus *compererim probare* verum.«

Ut prior versus optimo sensu adhaereat primis duobus carminis istius. Sic *quidquid* valet *quidvis*: alter ea lectione interprete non eget. Praeivit vero, ne quid in armum alieni tollamus, MS. liber, in quo diserte *verum* legitur. Bantu. (advers. p. 935). — Scribendum:

»*Est quidquid socium ciere numen*
Junctos compererim probare verum.«

Graecismus est: »quidquid *est* ciere numen«, quidquid *contingit.* Compererim propter versum conjunctivus grammaticorum modus pro indicativo est. Bantu. (l. c. p. 1242). — Vide quam incertae conjecturae sint, scilicet ab uno eodemque auctore diversae ad unum eundemque locum propositae! Ego vero verba ad manuscriptorum fidem retenta sic explicare conor: »Et quidquid rerum (omne quod) junctus (ego Mercurius) socium numen (Apollinem) ciere compererim, (me) probare (certum est).« Manifestum enim infinitos illos modos omnes pendere a »certum est« quod in carminis initio legitur. *Ciere* autem significat *annuntiare*, vel etiam *suadere.*

sed nunquam] Quintus hic versus omnem sententiam intercludit; contra enim pronuntiat ac debeat. Sententia enim est, nunquam in re aliqua tam consensisse pectora horum fratrum, quam in istoc matrimoniali judicio. Error autem omnis in verbo *disparamus* latet, quod ad sensum et stilum Martiani disjungendum, inque plane contrarium ducendum. Lege: »Sed nunquam mage velle *sic paramus.*« Quam veram puto Capellae scripturam; deque ea prolixe verba facere extra propositum sit. Parare, quod pariare alioqui, in usu veterum fuisse notat compositum disparare. Si enim in quaquam, in vocum censione habet auctoritatem logicorum sententia, privationem supponere, ut technice loquamur, habitum. A manuscripto miror hic nihil mutari. Bantu. (advers. p. 935) — Haec ille loco laudato: audi nunc eundem inferiori loco sibi ipsum repugnantem: — Nihil in his versibus mutandum, licet intricatius suo more *ganniat.* Nunquam, ait, amplius dissentimus, quam ut alter alterum interroget; statim vero ut interrogatio facta est, consentimus; tunc enim perit prior voluntas alterius, et ambigere de adsensu nefas arbitramur. Bantu. (adversar. pag. 1243) — Mihi quidem Barthius, quod pace ejus Manium dictum sit, *gannire* ipse videtur. Versuum enim obscuritas

Et fit collibitum manere jussis,
Quam quum Deliaco meare fatu
Cura atque arbitrio monemur isto.
Hunc quippe ambiguum nefas putamus:
Et quaecunque fuit, perit voluntas.
Quocirca officio decentiore
Paret praecluibus libens profatis
Arcas in thalamos venire jussus.
Sed tu Delie, quo Tonantis exstet
Compar propositum volensque nutus,
Instes, nam solitus ciere pectus,

ex ambigua tantum verbi *disparamus* relatione oritur, et interpretis est subjectum quaerere, de quo hoc dicatur. Quod si ad Mercurium et Apollinem junctos referre volueris, totius orationis prorsus contrarius sensus evadet. Sed de Mercurio tantum, qui nunc loquitur, illud *disparamus* eo magis intelligere licet, quo certius id quod sequitur »*monemur*« etiam de *Mercurio solo* dici potuit. Contextus igitur orationis hanc postulat interpretationem: »Sed nullo unquam tempore magis disparo (amoveo) velle meum, et nunquam magis lubet parere jussis, quam quum Deliaco obedire oraculo cura et arbitrio Apollinis moneor.«

hunc] Id est Apollinem. Vulc. — Non placet, quia proxime praecedit *fatis*, haud Apollo. Guelferbytanus quidem codex pro *hunc* habet *nunc*, et sic legere Barthius (p. 1242) etiam jussit. Sed vulgatam retinui lectionem, quia perspicua est. *Fatus* enim quartae declinationis *oraculum* est (v. §. 124 et not. praeced.), unde Prudentius (apoth. 394): »Promite secretos *fatus*«; et Apollinaris Sidonius (epist. 9, 13. p. 276 Sirm.) »ficta *fatu*« pro »falsis oraculis« scripsit. Quin apud Ciceronem etiam (de divinat. 1, 31) »fari *fatus*« pro »oracula fundere« Cassandra dicit. Loci apud nostrum sensus est: »quippe nefas putamus hunc (fatum) ambiguum (credere).« Ambigua enim oracula vulgo habita esse notum est.

perit] In membranis: »Et quaecunque fuerit perit voluntas«; ut suspicio nos subeat »pracit« Capellae relictum. Quaecunque fuit antea, pracit ista voluntas. Bartii. (advers. p. 936) — Vide quam male nostrum, quem interpretari aggrediuntur, habeant critici. Martianus omnino recte sibique constans scripserat; sed censor cogere eum conatur, ut absurda proferat.

Quocirca] Tres illos versus sic construe: »Arcas (Mercurius) in thalamos venire (ab Apolline) jussus officio decentiore praecluibus (§. 3) profatis (nobili oraculo) libens paret.« Dresdensis quidem codex *praefatis* exhibet; sed melior vulgaris lectio ad Apollinis divinandi potestatem referenda.

ciere] *Ciere* pectus, ut supra »numen«, *commovere* et *ducere* sonat. Sic in quinto carmine hujus libri: »Ne vulgata *ciant* corda doloribus.« Bartii. (adv. p. 936).

Et praeversa vigil monere sensa:
Illum contribuas favere jussis,
Et coeptis sacra fulserit voluntas.

Haec dicente Mercurio, quin potius, inquit Virtus, uterque vestrum Jovem voce conciliet. Nam et hic ejus consiliorum conscius, et tu praeceptionis arcanus. Ille mentem novit, tu verba componis. Phoebo suevit instanti concedere, sed tibi solitus aperire. Addo quod vos non convenit disparari, et licet hic

praeversa monere sensa] Lege: *movere*. In altero viri docti codice erat *perversa*; sed *praeversa* melius. Vonck. (sp. crit. p. 145). — Quodsi in ullo codice *movere* legeretur, equidem *perversa* praetulerim. In nullo vero legitur, quapropter *praeversa* retineo. Nam »praeversa monere sensa« Martiano est »de praeproperis (v. Aen. 1, 721) sive praecipitibus sensibus monere«, idem quod praepropere arbitrantem corrigere.

favere] MS. *favere*. Sed ego vulgatam scripturam *manere* se tueri allusione ad versum sextum arbitror. Barth. (adv. p. 937). — Illic de Mercurio, hic autem de Jove sermo est, unde praetuli *favere*, quod praeter Bongarsianum Hugii etiam codex exhibet et Darmstattensis.

et coeptis] Jubet quidem Barthius (ad Stat. Theb. 6. p. 492) reponere *ut* pro *et*; sed correctione non opus est, siquidem facile intelligitur, Mercurium Apollini dixisse: »facias — illa — *et* (tunc) sacra fulserit voluntas«; nimirum si illa feceris.

sacra] Confirmata et sacrata velut. Jovem enim praesse sanciendi foederibus cujuscunque generis, ad eaque peculiari quodam fulmine uti, constans doctrina scriptorum. Barth. (advers. p. 937). — Nisi *sacrum* epitheton tantum sit, quod principibus et eorum actis adscribi solitum erat, cujus rei multa in Corpore juris prostant exempla.

consiliorum conscius] Haec ex Homero (hymn. in Merc. 535) vel Virgilii hisce versibus (Aen. 3, 250):

»*Accipite ergo, animis atque haec mea figite dicta,*
Quae Phoebo pater omnipotens, *mihi Phoebus Apollo,*
Praedixit« cet.

instanti] E Dresdensi codice pro Grotiano *instante*, quod varianti literae E pronuntiationi originem debuit.

aperire] Ita Hugianus codex. Supple e superiori versu *mentem*. Ita etiam infra (§. 92) Jovi Mercurius »interpres meae mentis« audit. Quoniam autem vulgaris lectio habet »tibi *sectus*«, haec vox variis doctorum virorum conjecturis, quae nunc sequuntur, ansam praebuit: »*Sectus*, ductus et eloquia. Verba enim quasi quaedam semitae sunt animi. Hinc et *sectas* dicimus philosophorum.« Vulc. — »*Sectus* id est eloquia.« Gozz. — »*Sectus* lege *sensus*.« Vonck. (sp. cr. p. 80) — Quodsi etiam Vonckius hic hariolando locum esse statuerat, non tamen talem conjecturam proferre debebat, qua e sex literis duae essent mutandae, immo ne unam quidem mutare opus fuisset, si cognitum habuisset, P formam aliquando quam simillimam fuisse literae S. Exemplo sint figurae in Palaeogr. crit. I. p. 106 f. vel alia in novo op. dipl. tab. 29. Facile igitur fieri potuisse consentaneum est, ut ab incautis librariis *sectus* pro *pectus* legeretur. Sed ista non nisi eo

cursor Apollinei plerumque axis celeritate vincatur, ac remorata statione consistens captetur, demumque festinat praevertere; tamen dum consequitur, ita libratus antevenit, ut cessim plerumque recursitans gaudeat occupari. Unà igitur vestrum Jovem pia pignora convenite. Certum quippe est, quod et

consilio protuli, ut ostenderem, quam perversus iste interpretandi per conjecturas modus sit, quarum aliae aliis semper meliores, certae nullae sint; quarum si quam in textum receperis, eam deleas necesse erit, sicubi codex forte repertus fuerit, cujus lectio defendi possit.

non convenit] Reichenauensis, Basilcensis et Darmstattensis *nunquam* pro *non* habent.

cursor] Confer Lucani (1, 662):

— — »*motuque* celer *Cyllenius haeret.*«

et in Priapeis (76, 10) versum, quo sacrata esse dicitur »Cyllene *celeri* deo nivosa.« Vocem *cursor* Cornelius Nepos etiam hoc sensu (in Miltiade 4) usurpavit. Idem Graecis δρομεὺς erat. Plura de cursoribus Pignorius (de serv. p. 147 ed. 1613) dabit.

remorata statione] Remoratur interdum Mercurius planeta post Solem, id quod infra (§. 880) clarius docetur. Adde Lucani hos versus (10, 201):

— — »*Sol tempora dividit anni,*

Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra

Ire vetat, cursusque vagos statione moratur«;

quos verisimile est nostrum in mente habuisse.

consistens] Ad hunc locum glossa codicis Monacensis (E) observat: »radiis enim Solis confixus stare videtur immobilis et tunc *stationarius* dicitur.« Cf. pal. cr. III. §. 285, ubi etiam de Mercurii nomine *Μοναῖον* disserui. Conferatur praeterea noster duobus aliis locis (§. 8 et 880).

captetur] Bongarsius legebat *'captetur*, quod etiam Grotius in margine annotavit. Sed nihil mutandum. Gerz. — Haud quidem ignoro, a nostro vocem *licet* tam cum indicativo quam cum subjunctivo jungi (§. 11); attamen hoc loco, quo subjunctivus *vincatur* proxime praecedit, vix credi potest cum eo indicativum *captat*, quem Grotius edidit, junctum fuisse. Praetuli igitur anteriorum editionum lectionem *captetur*, et *demumque* pro Grotiano *demum*, praesertim postquam vocem *festinat* pro *festinata* etiam restitueram codicum Dresdensis et Darmstattensis auctoritate.

libratus] Male Monacensis (E) *liberatus*. Vide infra (§. 880 not.).

Cessim] Retro. Sic infra lib. VIII.

Cessimque formidantes

Abeunt pedes tremore.

Apulejus: Et lagena juxta orificio cessim dehiscente patescit. Justinus in Epitome Pompeji: Aut si hoc parum est, ite cessim, inhibete remos et a bello discedite. Glossa: Cessim, gradatim. Utitur hac voce Alphenus J. C. bis in lege »Si ex plagis« sexta a fine ff. ad l. Aquiliam. Gnor. — Adde omnino Stephanium (ad Saxonem p. 165) et doctos, qui ex eo hauserunt, viros ad Appulejum (Op. P. I. p. 126 Oud.).

occupari] Praecedi a Sole. Vulc. — Intelligo »Jungi cum Sole quippe cum assecuto.« Cicero quidem (de univ. 9) scribit: »eaque conversione, quam inter se habent Lucifer, *Mercurius*, *Sol*, *alii alios vincunt*, *vicissimque vincuntur*«; sed hoc loco omnis oratio Mercurii cum Apolline conjunctionem postulare videtur, unde etiam lectionem *occupare*, quam Cortius affert, negligendam, et vulgari inhaerendum duxi.

Phoebeo connivens splendori succumbat, et cum Stilbonte incedens, connubiorum copulis allubescat. His dictis, Virtus praecedentis officio ac Mercurialis virgae perflatione concussa, in coelum itura sustollitur. Augurales vero alites ante currum Delio constiterunt, uti quis vellet vectus ascenderet. Nam futura plerumque conformans, his praesagire consueverat. Petaso autem ac talaribus concitatus coepit praeire Mercurius. Sed scandente Phoebo, Mu- 26

connivens] Male Cortius *conhibens* et codices Cantabrigiensis atque Britannicus *cohibens*: melius Bodlejanus *conibens*. B enim pro V scriptum eos non morabitur, qui palaeographiam meam (III. §. 378, 397, 410, 416 — 418) legerint. Eleganter ambigua illa voce utitur ad utrumque sensum, tum Jovis oculorum prae splendore Solis nutantium, tum consentiendi; quod isti capere nequiverunt qui olim *cohibens* reposuerunt.

[1] *Stilbonte*] Mercurio. Eratosthenes: πέμπτος τοῦ Ἑρμοῦ στίλβων, λαμπρὸς καὶ μικρὸς. Cic. de nat. deor. (l. II. 53): »Infra hanc (stellam Martis) stella Mercurii est. Ea στίλβων appellatur a Graecis; quae anno fere vertente signiferum lustrat orbem, neque a Sole *longius* unquam *unius signi intervallo* discedit, tum antevertens, tum subsequens.« Conf. Fulgent. myth. l. 1, 25. Gozz. — Magis cum Cicerone facit Hyginus (astron. 4, 16. p. 485).

allubescat] Faveat. Gloss. — Quamvis hoc verbo jam Plautus utatur, haud tamen scio an nemo ante Appulejum eo sensu, quo Martianus (§. 31. 181. 726. 915), id usurpaverit. Appulejus (met. 9. p. 598 Oud.) »aquam *allubescere*« pro *desiderare* dixit.

Mercurialis virgae] Vide de ea Homerum (hymn. in Mercur. 526. seqq.) Gozz. — Conf. superiorem locum (§. 9) et inferiores (§. 126. 176).

concussa] Sensus est: »Postquam haec dixerat, Virtus praecedentis (Mercurii) in officio coelum ascensura Mercurialis virgae (§. 9) perflatu concussa tollitur.

Augurales] Cygni. Catalect. Pith.:

»*Jam dimitte tuos, Paean o Delphice*, cygnos:
Dignior haec nox est, quae tua templa colat.«

Gozz. — Sed Virtus quum comes sit, magis placet Ciceronem advocare, qui (Tusc. 1, 30) de Socrate scribit: »Itaque commemorat, ut *cygni*, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes, quid *in morte boni sit*, cum cantu et voluptate moriantur, sic omnibus bonis et doctis esse faciendum.« Adde Hugium (in myth. p. 281).

Delio] In libri Norimbergensis margine adnotata lectio erat *Delium*, quam et Vossianum codicem habere Arntzenius (misc. p. 205) affirmat, ut referretur ad currum: quae lectio primo quidem adspectu placebat; sed quum ex iis, quae sequuntur, Phoebi, sive Delii ipsius nomen praemissum fuisse utique appareat, vulgarem lectionem retinui. Quantumvis enim dura locutio videatur »ad currum consistunt equi *alicui*« pro »ad nutum vel usum alicujus«; defendi tamen potest ex dativi, quem vocant commodi, natura, quo facto facile intelligitur ita periodus: »Augurales alites constiterunt Delio (ad nutum et arbitrium ejus parati) uti quis (ut si iis) vectus esse vellet ascenderet.« Basileensis *ut* pro *uti*, quod, licet parum intersit, tamen clarius est.

concitatus] Nihil in his quod quis jure desiderare possit: vide tamen, num placeat codicis nostri lectio: »Petaso autem ac talaribus *concitatus* coepit praeire *Solem* Mercurius.« Ita »Ver praeire

sarum pedisequus adhaerensque comitatus candenti canoraque alite vehebatur.
27 Tunc vero conspiceres totius mundi gaudia convenire. Nam et tellus floribus luminata, quippe veris deum conspexerat subvolare Mercurium, et Apolline conspicato aëria temperies sudis tractibus renidebat. Superi autem globi orbesque septemplices suavis cujusdam melodiae harmonicis tinnitibus concinebant, ac sono ultra solitum dulciore, quippe Musas adventare praesenserant, quae quidem singulatim circulis quibusque metatis, ubi suae pulsum modu-

aestatem« dicitur auctori de Aetna p. 18; »cursu feras praeire« dixit Adamus Bremensis c. 251. Bosnam. (var. lect. p. 53. 54). — Vulgo enim *concitatis*. Parum quidem interest; quoniam autem Hugianus quoque codex *Solem* et *concitus* pro *concitatus* exhibet, Bondamum secutus sum.

pedisequus] Basilecensis uno S, quae melior scribendi ratio est, quam Grotiana geminato. Notat hanc vocem Quinctilianus (1, 5, 68. p. 135 Spald.) utpote ex ambabus corruptis conflatam. Confer de pedisequis Pignorium (de servis p. 212) nostrumque inferioribus locis (§. 39. 111. 146).

luminata] Aliis *lumina;* forte *luminabat* voce Capellae usitata. Gloss. luminata, decorata. Gaor. Atque ex glossa jam patet, olim *luminata* lectum fuisse; sed accedit plurimorum codicum fides: *luminata* exstat in Basilecensi, Cantabrigiensi et Bodlejano altero, quod Federo acceptum refero, in Vossiano, quod Arntzenius (misc. p. 205) docet, in Monacensi (G), quod ipse legi. Adde, si tanti est, virorum doctorum annotationes in Vellejum Paterculum (P. Burmanni ed. 2. Lugd. Bat. 1744. p. 278).

veris deum] Ad haec Remigius monachus Antesidorensis: »quod et ipse fertur praecesse seminibus maris et terrae, et ipse est dictus Favonius.« Quem locum vide apud Alexandrum (in tab. Heliaca p. 85), qui multis defendere studet hanc Martiani opinionem. Vulcanius etiam Mercurium ita appellari observat »quod praesit sationibus.« Fortasse ab eo Veris dei nomen invenit, quod mense Majo, quo ver incipit, Mercurio sacra fiebant (Plutarch. in Numa p. 72. Quaest. Rom. p. 285; add. Macrob. Saturn. 1, 12. Censorin. de die nat. 22, 12. Laur. Lyd. mense Majo 53. p. 244 Roeth.); licet praesidere huic mensi Apollinem non ignorem (Pal. crit. IV. §. 324). Certe noster utriusque dei vires discernit, Mercurii in terram, Apollinis in aërem. Apud Ovidium (met. 2, 27) Ver novum deae personam sustinet, eademque dea ab Appulejo (met. 10. p. 744. 745 Oud.) celebratur. Martianus infra (§. 52 f.) *Veris fructus* nomine deum inducit.

temperies] Ita a Cicerone (in somn. Scip. s. de R. P. L. 6. §. 4 p. 128 Zell.) Sol »mens mundi et *temperatio*« dicitur. Ita superiori loco (§. 18) noster Phoebum »aëris semina *temperare*«, ita infra (§. 54) »cum *placiditatem* afferre solitum esse« scribit.

septemplices orbes] Planetae, quorum nunc tangit harmoniam. Uberius eam explicat Aristides Quinctilianus (de musica 3. p. 145 Meibomii). Nicomachus praeterea (in harm. manuali 2. p. 37. Meib.) »Quotquot« inquit »abusi sunt septem sonorum consonantia ut naturali, non hoc sumsere ab orbibus, sed ab ipsis universo inditis sonitibus modulate constitutis, quos etiam solos ex elementis vocales et sonabiles appellamus.« In gemma antiqua (ap. Wild. n. 165) quinque Planetae effinguntur.

singulatim] Grotius habet hoc loco *singillatim*,

lationis agnoverant, constiterunt. Nam Urania stellantis mundi sphaeram per extimam concinit, quae acuto raptabatur tinnitu. Polymnia Saturnium cir- 28

et infra (§. 707) *sigillatim*. Codices Monacenses (A. B. C. D. E. G.), Basileensis, et Darmstattensis *singillatim*, Hugianus codex *sigillatim*. Alios autem esse libros scriptos, qui *singulatim* praebeant, a viris doctis (ad Appulej. met. 7. p. 501 Oud. add. T. II. p. 57) accepimus: quumque vera haec scriptio sit et noster ea infra (§. 525) etiam utatur, hanc reposui. Nec movemur iis, qui Ciceroni (de inv. 1, 30) *sigillatim* obtruserunt: Leidensis enim codex omnino rectius *singulatim* habet, pariter atque Coelius Antipater apud Nonium (v. Cortii app. ad Sallust. p. 39).

suae modulationis] Statuit enim esse suam cuique Musae affinitatem in modulatione (cantu) cum coelestis harmoniae genere aliquo; Macrobii nimirum (in somn. Sc. 2, 3) de Musis in orbibus coelestibus sententiam amplificans. Adde hunc Martiani locum iis, quae Hugius (in myth. p. 235) disseruit. Atque ante Martianum popularis ejus Arnobius (3. p. 112) jam scripserat: »In coelo cantatur et psallitur, ut intervalla et numeros vocum *novem* conserant *scitulae* ac modulentur *sorores*.« Similiter in opusculo de musica coelesti, quod Isidoro olim tribuebatur (Op. VII. p. 25 Arev.) legitur: »Philosophi Musas novem finxerunt, qui a terra usque ad coelum novem consonantias deprehenderunt, quas homini naturaliter insitas invenerunt.« Explicat intervalla illa a terra usque ad summum coelum Censorinus (de die nat. 13). Cui adde Boeckhium (in Daubii et Creuz. stud. III. p. 90. 91). Plato autem (de R. P. 10. p. 617 Steph.) cuilibet orbi Σειρῆνα tribuit, vocem (φωνὴν) unam edentem.

Uranie] Ei in primis sphaeram extimam tribuit, quae proprie coelum appellatur (Macrob. 2, 4), Graecum nominis etymon secutus. Ausonius (Eid. 20):

»*Uranie coeli motus et astra scrutatur.*«

Unde et astrum capiti ejus apponitur in numis (Beger thesaur. Brandenb. II. p. 570. not. 4).

extimam] E somnio Scipionis (Macrob. 1, 17) explicandus hic locus, ubi Ciceronis haec sunt verba: »Novem tibi orbibus vel potius globis connexa sunt omnia, quorum unus est coelestis *extimus*, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus arcens et continens ceteros, in quo sunt *infixi* illi qui volvuntur stellarum cursus sempiterni.« Unde patet sphaeram extimam eam esse, quae *aplanes* vocata stellas fixas complectitur. Unde planetas Manilius (1, 804) sidera appellat,

»*Quae coelum terramque inter volitantia pendent.*«

Appulejus quoque (in dogm. Plat. p. 205 Oud.) ἀπλανέϛι primum ordinem esse ait.

concinit] Lege *concipit*. Eruditi viri unus codex habebat *concinnat*, alter *concinat*, utrumque male. Voscr. (sp. crit. 145) — Nullus autem *concipit* habet, quod in critici tantum cerebro conceptum. Sed vide quam periculosa omnis correctio sit, quae a codicum auctoritate destituatur. Scilicet *concinit* illud bene se habet, postquam ab Arntzenio (misc. p. 205) et ex libro Norimbergensi didicimus, esse codices, in quibus »mundi sphaeram *per* extimam« legatur.

acuto] Hominum enim opinio ferebat, sphaeras, quo magis remotae a terra essent, eo acutiorem sonum edere (Pal. crit. III. §. 256). Ceterum, quod insertum apud Grotium est *sonora* delevi: abest enim rectius ab Hugiano codice.

Polymnia] Ita Graeci v. c. Hesiodus et Diodorus (4, 7); Latini poetae plerumque *Polyhymnia* scribunt, Horatius, Virgilius, Ovidius, Martialis,

culum tenuit; Euterpe Jovialem. Erato ingressa Martium modulatur; Melpomene medium ubi Sol flammanti mundum lumine convenustat. Terpsichore Venereo sociatur astro. Calliope orbem complexa Cyllenium; Clio citimum circulum; hoc est, in luna collocavit hospitium, quae quidem graves pulsus modis raucioribus personabat. Sola vero, quod vector ejus cygnus impatiens oneris atque etiam subvolandi alumna stagna petierat, Thalia derelicta in
29 ipso florentis campi ubere residebat. Interea tractus aëreos jam Phoebus exierat, quum subito ejus vitta crinalis immutatur in radios, laurusque, quam dextera retinebat, in lampadem mundani splendoris accenditur; fiuntque vo-

Ausonius, cet. Attamen in Anthol. lat. 1, p. 31 Burm. legimus:

»*Flectitur in varios facilesque* Polymnia *motus.*«

Saturnium] Planetas recensens hoc quidem loco a supremo incipit: infra (§. 169) ab infimo. Copiose de eorum ordine olim (in pal. crit. III. §. 282. 284) disserui, quem versibus complectitur Manilius (1, 805) sidera nominans

»*Saturni, Jovis, et Martis, Solisque; sub illis Mercurius Venerem inter agit Lunamque locatus.*«

medium] Ausonius (Eid. 20 f.):

»*In* medio *residens complectitur omnia Phoebus.*«

astro] Alii *auro*. Aurum et alibi pro sidere dixit; hic vero assignate *aurum Venereum*; Ἀφροδίτη enim χρυσῆ, et Lucifer stella Veneris: sed et infra »aurato Phosphoron auro.« An et hic *astro* mavis? Gnor. — Malo. Primum enim Venus Planeta et Lucifer hoc quidem loco confundi non debent: deinde *aurum* a nostro tribuitur Soli (§. 14. 66. 75. 188), interdum quidem Veneri *deae*, *Planetae* nunquam (Palaeogr. crit. III. §. 292); denique *astro* legitur in codice quodam in libri Norimbergensis margine laudato, aeque ac in Vossiano (Arntzen. misc. p. 205).

citimum circulum] Proximum. Cicero (in somn. Scip. §. 5) Lunam dicit »ultimam a coelo, *citimam* terris.«

raucioribus] Vide quae supra (§. 11) observavi.

Thalia] In attribuendis huic Musae »florentibus campis« allusit Martianus ad vocem θάλλειν, eamque solam in terra relictam esse pari ratione finxit, qua in numis (Beger thes. Brandenb. II. p. 576. n. 6) aratrum ei, astrum vero (ibid. n. 4) Uraniae tribuitur. Sic apud Plutarchum (symp. 9, 14. p. 744. 745) Dionysius Melitensis »Nos« inquit »*agricolae Thaliam* nobis vindicamus, plantarum et seminum germinantium (hoc est θάλλειν) curam ei adscribentes«, et paulo post (p. 746): »Μοῦσαι δὲ εἰσὶν ὀκτὼ σφαῖραις, μία δὲ τὸν περὶ γῆν εἴληχε τόπον.« Confer et Virgilium (ecl. 6, 2).

vitta] Qui hactenus Apollo fuit Delius, ad coelum appropinquans nunc in Solem convertitur, quapropter omnia ejus mutantur insignia. Male apud Grotium legitur *immutari*; lectionem igitur praetuli codicum Dresdensis, Guelferbytani, Darmstattensis, Monacensium (B. C. D. E. G.), Bongarsii, Hugiani, Vossiani, et quinque codicum Leidensium, in quibus legitur: *ei vitta crinalis immutatur*. (Conf. Arntzen. in misc. p. 205). Basileensis praebet *ejus* pro *ei*, sed parum refert utro modo legas.

lucres, qui curru Delium subvehebant, anheli flammis lucis alipedes. Atque idem pallio rutilante ac reserato stellantis poli limine Sol repente clarus emicuit; Cyllenius quoque in sidus vibrabile astrumque convertitur. Atque ita meta- 30
morphosi supera pulchriores per Geminos proprietate quadam signi familiaris invecti augusto refulsere coelo, ac mox Tonantis palatium petiverunt. Qui postquam introgressi et coram data copia fandi, ut vidit Clarius consortio patrem Junonis haerentem, quam noverat suffragari plurimum ac favere connubiis, laetus primo omine ipsamque concilians, in cujus arbitrio positam mariti noverat voluntatem, ita mitis affatur:

Possem minore ambigens fiducia 31
Solum Tonantem pignoris pro foedere

anheli] Sic Virgilius (georg. 1, 250):

»*Nosque ubi primus equis oriens adflavit anhelis*« et Ovidius (met. 15. 418):

»*Deseret ante dies et in alto Phoebus* anhelos
Aequore tinget equos« cet.

flammis] Lege *flammantis lucis*, ut p. 17 flammantem coronam, et p. 38 substantiae flammantis, ut legendum monui. Voncк. (sp. crit. p. 145) — At vero ex eo, quod vox aliqua pluries apud scriptorem quendam legitur, minime sequitur, eandem ubique apud eum legi debere. Contra, quoniam *flammantis* in nullo, quod sciam, Martiani libro hoc loco legitur, retinendum censeo, quod in omnibus est, *flammis*, praesertim quum noster Ovidii (met. 2, 152) versus:

»*Interea volucres Pyroeis, Eous, et Aethon,*
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent« — — —

ante oculos habuisse videatur, et pro *flammiferis* posuisse *flammis lucis* (flammis igneis). Construo: »qui hucusque volucres erant, fiunt nunc alipedes flammis igneis anheli.« Eosdem alipedes infra (§. 190) Soli iterum tribuit.

clarus emicuit] Conferendus hoc loco Homeri hymnus in Apollinem (440 seqq.) Gorz.

Geminos] Castores. Gloss. (cod. Monac. E) — Sive Dioscuri, Jovis filii. Scite noster Apollinem et Mercurium transeuntes hoc Zodiaci signum fingit, propter fraterni amoris similitudinem, in quo *proprietatem* illius spectari mox significat. Sed subest praeterea causa ab astrologis petita, siquidem Mercurii planetae primum domicilium Gemini sunt (Palaeogr. crit. IV. §. 282). Isidorus (etym. 3, 71, 25. p. 165. Arev.) scribit: »Castorem et Pollucem post mortem inter notissima sidera constituerunt, quod signum Gemini dicunt.« Jamblichus (in vita Pythag. 28 p. 131 Rüst.) docet »Castoribus rerum omnium harmoniam celebrari.«

postquam introgressi] Totum Virgilii (Aen. 1, 320) inseruit versum:

»*Postquam introgressi et coram data copia fandi.*«

possem] Huic carmini adscriptum in glossa Monacensis codicis (E) legitur: »Metrum Jambus senarium.«

Bupaeda vixdum vel paterna contremens
Praecepta adire, ni jugata coelitum
Omen pararent prosperum consortia
Tabensque divûm nunc moneret nexio.
Junone thalamos quis rogare conscia

Bupaeda] *Pubeda.* Sic libro nono »Phrygium pubedam« dixit, uti nos emendamus. Glossae Isidori«: Pubeda, vel Pubeta, adolescens.« Glossa nostra: »Pubeda, juvenis sine pube.« Et alibi: »Pubeda, adultus.« Gnor. — Sane *bubeda* inveni in veteribus membranis Capellae. Festus (in *bulimam*): »Hinc est, quod grandes pueros *bupaedas* appellant.« Muncк. (ad Fulgent. p. 105). — In codicibus Monacensibus quibusdam (C. et G.) legitur *pubeda*, in Basileensi *bubeda.* Apud Walthardum variat lectio, siquidem Bongarsium legisse *bupaeda* observat. Tanta scriptionis diversitas inde orta esse videtur, quod alii vocem, Latinam putantes, a pube derivarent; alii, Graeci *βούπαις* non ignari, hinc facerent *bupaeda*, sicut monente Munckero a *perdix* fecerunt *perdica*, ab *Arcas Arcada*, ab Atlas Atlanta, a *tripus* tripoda, omnia nominandi casu, quod improbat Quinctilianus (1, 5, 62. p. 129 Spald.). Sed noster (§. 330. 893. 924) etiam *Tritonida* (pro *Tritonis*) casu recto scripsit. Restat ut quaeramus, cur Apollo ipse sibi hoc nomen imposuerit? Si quid video lusit Martianus in verbis *Phoebus* et *ephebus*, quum nonnullos etiam ab hoc illud nomen duxisse ex Isidoro (etym. 8, 11, 54 p. 386 Arev.) pateat, et certe imberbis ille esset.

moneret] Grotius *moveret;* Walthardus ex Bongarsii lectione et Curtius ex alia *moneret*, sicut et codices habent Darmstattensis, Reichenauensis et Basileensis. Cantabrigiensis quidem praebet *maneret;* sed haud dubius praetuli *moneret;* de omine enim sermo est (conf. §. 10).

nexio] Martiani popularis (Arnobius 3. p. 156) hac voce utitur. Priores hujus carminis versus sic construendi esse videntur atque explicandi: »Possem adire (adirem) vixdum bupaeda vel paterna contremens praecepta (vixdum pubes et patris adhuc metuens monita) minori ambigens fiducia solum Tonantem (minori quidem fiducia Jovem solum) pro foedere pignoris (de concedendis ipsius filio nuptiis), ni coelitum jugata consortia (nisi Jupiter Junoque juncti) omen pararent prosperum, tabensque divum nexio (eorumque blandior complexus) nunc moneret (de prospero successu).«

Junone] Vide an e tribus hisce versibus verborum ordo sic possit restitui: »Quis deorum nolet rogare thalamos Junone conscia, quum eadem futura pronuba, quaeque (et ea sit quae) profecto suffragabitur.« Vide etiam paulo post (§. 34): »nuptiis Juno non solita refragari.« Satis enim nota Juno Pronuba est vel e poëtis (Virg. Aen. 4, 166. Ovid. her. 2, 4. 4, 136. 6, 43. Claudian. epist. 2, 54), e nostro (§. 705. 905) et e Plutarcho (qu. Rom. p. 264).

conscia] Consentanea et favente. Vulc. — Haussisse Mart. hoc videtur vel ex Ovidii (her. 12, 87):

»*Conscia sit Juno, sacris praefecta maritis*«;

vel e Maronis (Aen. 4, 116):

— — »*et conscius aether connubiis.*«

jugalis] Alio quidem loco (§. 22) noster hac voce simpliciter conjugem intellexit, hoc vero et inferius (§. 39) eam eminentiori sensu usurpavit, Serviique verborum memor fuit, qui ad Aen. 4.

Nolet deorum? quum futura pronuba
Eadem profecto quaeque suffragabitur.
Jugalis ergo blanda nutus praestrue
Nostrisque suada quo allubescat nisibus.
Te nunc parentem principemque maximum 32
Fatumque nostrum, quippe Parcarum chorus

16) observaverat: »unde etiam Juno jugalis dicitur.« Latine enim pronuba et juga, Graece ζυγίη (Nonn. 13. p. 805 Falk.) sive ζυγία, ἀπὸ τοῦ ζευγνῦναι τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι (Dion. Hal. τέχνη, Opp. II. p. 35 Sylb.) appellabatur, quam vocem Appulejus (met. 6. p. 389 Oud.) Latinis etiam literis scriptam exhibet.

nutus] Voluntas, arbitrium, satis notum, et paulo post »cujusque nutu« nimirum Jovis (v. Hom. Il. 1, 524); sed Junoni Martianus dum tribuit nutus, Virgilii (Aen. 7, 302) verba »*nutu Junonis eunt res*« respexisse mihi videtur.

suada] Emacula: *suade*. Ut nostris votis faveat persuade Jovi, ut tu jungas simul tuam quoque voluntatem. Suadere ἀντὶ persuadere superioribus libris notatum. Bartu. (adv. p. 1242) — Vellem *suade*. Grot. — E manuscriptis plurimis reponendum »*suada* quo allubescat nisibus.« Oudend. (ad Appulej. I. p. 114) — Lege *suade*, vel *suadeas* dissyllabum: et ita aliquoties aliis (?). Sic apud Coripum emendabat Barthius l. 21 adv. c. 2: »Hoc mihi da de fonte bibam, tu pabula praebeas.« Legitur vulgo: »tu pabula praebens« quod et retinere nil prohibet. Voncx. (sp. cr. p. 145. 146) — Nec quidquam prohibet retinere *suada*, quod et Vossianus codex (ap. Arntzen. in misc. p. 205 f.) exhibet. Inuno omnibus iis est praeferendum, quae titubans criticus nec Martianum intelligens docere voluit. Quinque quidem nuptiarum fuerunt dii: Jupiter, Juno, Venus, Πειθώ, et Diana (Plutarch. qu. Rom. ab init. p. 264); unde dixerit fortasse aliquis, Jupiter et Juno quum jam nominati sint, Suadam a nostro nunc addi. Ego vero eam hoc loco non pro dea accipiendam esse existimo, sed innui iterum (per appositionem) Junonis persuadendi vim, a Martiano ei supra (§. 3) jam tributam. »Πειθώ«, inquit Cicero (in Brut. 15), »quam vocat Graeci — hanc Suadam appellavit Ennius: ejus autem Cethegum medullam fuisse vult, ut, quam deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitavisse, hujus hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit.« *Suada* igitur, neglecta prosopopoeia, eadem est, quae *suadela*; et orationis nexus postulat, ut hanc persuadendi virtutem Junonis esse interpretemur, sicut inferiori loco (§. 888) Veneris. Quod reliquum est, perperam ab Oudendorpio post *suada* interpunctionis signum positum esse, quicunque sensum ceperit, videbit. *Allubescat* denique pro Grotiano *lubescat* praeter Leidenses codices etiam Dresdensis et Reichenauensis praebent.

te nunc] Verbum ad hanc ἀποστροφὴν pertinens si quaesiveris, multa esse inserta videbis, et infra demum *deposco* huc pertinere. Antecedentem autem periodum sic construe: »Jugalis (Juno ζυγίη) ergo blanda (blandiens, permulcens) nutus (sententiam de hac re) praestrue (praefare): et quo (et ut) suada (suada quae es, sive persuasio tua) nisibus nostris allubescat (conducat); te nunc — Jovem — deposco« cet.

fatumque] Seneca (nat. qu. 2, 36): »Quid enim

Humana pensat, tuque sortem coelitum;

intelligis fatum? Existimo necessitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat.« De Ciceronis verborum »praeter *naturam* praeterque *fatum*« sensu conferatur Gellius (13, 1).

Parcarum chorus] Male! Lege potius *colus*. Heins. (ad Ovid. Heroid. 12, 3. p. 156 Burm.) — An *trium* recte dicatur chorus dubito. Vonck. (sp. crit. 146). — Scilicet vulgari tantum opinioni inhaesit vir doctus, ignorans fortasse a multis scriptoribus Parcarum numerum omnino majorem statui. (Mem. de l'acad. des inscr. V. p. 26). Sed ut tres tantum exstiterint, nonne absurde reprehenditur poëta, praesertim qui quinto saeculo exeunte scripsit, in eo quod tres chorum posse efficere sibi persuasit? Demus et Heinsium et Vonckium melius voce *colum* usuros fuisse, non illos tamen, sed Martianum jam legere lubet, cujus libri omnes tam scripti, quam editi, *chorum* habent. Ignorabant praeterea critici isti *chorum* etiam de tribus dici, id quod non solum ab Appulejo discere licebat, qui (met. 2. p. 108 Oud.) in Veneris comitatu »Gratiarum *chorum*« recenset, sed a Seneca etiam, qui (de benef. 1, 3. p. 263 Lips.) item »Gratiarum *chorum*« dixit, postquam ternarii earum numeri paulo ante expressis verbis meminerat; et profecto hi Homeri jam (Odyss. 18, 193) auctoritate nitebantur.

humana] Distinguit Martianus hominum fata ac deorum; haec in Jovis, illa in Parcarum potestate esse statuit. Parcas jam Orphicus (hymn. 58. 18) παντοδοτείρας, ἀφαιρετίδας, θνητοῖσιν ἀνάγκην alloquitur, pariterque Homerus (Il. 6. 488): Μοῖραν, inquit, οὔτινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν. Unde Seneca tragicus (Oed. 580):

»*Fatis agimur; cedite fatis;*
Non sollicitae possunt curae
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto
Servatque sua decreta colus
Lachesis — — —
Non illa deo vertisse licet,
Quae nexa suis currunt causis.«

Ne superos quidem »ferrea veterum decreta sororum« rumpere posse Ovidius cecinit (met. 15, 780), Homerum scilicet secutus, qui ipsum Jovem ne filii quidem sui mortem avertere potuisse tradiderat (Il. 16. 441); pariterque Lucretius (5, 310) »nec sanctum numen fati protollere fines posse« affirmat, Silius vero (13, 857) »nulli divum mutabile fatum« praedicat. Adde Graeci poëtae versum (apud Cicer. de divin. 2. 10):

»*Quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem*«

et Anton. Liber. (19, p. 225 Verh.) Quanquam Pausanias (1. 40. 3) »Fata parere Jovi« ait, quem inde »*Moeragetae*« nomen invenisse alio loco (8. 37. 1) testatur; ipsique Stoici, licet, ut Taciti verbis utar (annal. 6. 22), »fatum quidem rebus congruere putarent — apud principia et nexus naturalium causarum«, illud ipsum tamen divinitus constitutum esse docuerunt. Seneca certe (de prov. 5. p. 141 Lips.): »ille ipse, inquit, omnium conditor et rector *scripsit* quidem *fata*, sed sequitur«, id quod alio etiam loco (qu. natur. 2. 45, p. 716) confirmat; Boëthius autem (consol. 4, 6; Opp. p. 1084): »Deus providentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit, fato vero haec ipsa quae disponit, multipliciter ac temporaliter administrat.« Adde Statii versus (Theb. 1, 212):

»*Incipit ex alto, grave et immutabile sanctis*
Pondus adest verbis et vocem fata sequuntur«;

Tuumque velle est ante praescientias;
Ac mente gestas, quidquid instabit deis:
Cujusque nutu gignitur necessitas,

et Claudiani locum (de bello Gildon. 201), ubi, postquam Jupiter dicere coepit,

»*voces adamante notabat*
Atropos, et Lachesis jungebat stamina dictis«

quem mirum est interpretes (p. 218 Burm.) explicare non potuisse. Distinguit enim poëta inter duas Parcas, quarum priori officium tribuit Jovis dicta excipiendi (v. §. 65), alteri stamina dictis conformia jungendi; Jovis igitur dicto audientes erant. Digna praeterea est quae conferatur philosophica distinctio de Fati duplici natura apud Aristidem Quinctilianum (de musica 3, p. 160 — 162 Meib.). Ipsum adeo Jovem Fatum esse et omne quod de Fato dicatur, quum pridem contendit Augustini interpres Vives (de civit. dei, 7, 11; p. 641), tum nuperrime Eduardus Reinholdus Lange (Einl. in das Stud. d. griech. Mythol. Berl. 1825, p. 100 sqq.)

coelitum] Hoc quoque multis quaesitum est antiquitus, utrum a fatis dii regerentur annon. Et de mundi regimine fatis obnoxio jam superiori in nota egimus; sed ne deo quidem ipsi *τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀλεείνειν* licere Herodoti est sententia (1, 91), quod idem de Jove jactat Prometheus Aeschyleus (v. 517) et ipse confitetur apud Ovidium (met. 9. 433):

»*Vos etiam, quoque hoc animo meliore feratis,*
Me quoque fata regunt«

et Sidonium Apollinarem (7. 123, p. 334 Sirm.)

— — »*Fatum, quo cuncta reguntur,*
Quoque ego, non licuit frangi.«

Adde Lucianum (Jov. confut. 7, p. 207 Bip.), Arnobium (3, p. 112), hujusque discipulum Lactantium (1, 11), qui »fata esse, quibus dii omnes, et ipse Jupiter pareat« ex vulgi opinione tradit. A contraria tamen parte stat non Jamblichus modo, qui (de myst. Aegypt. 8. 7, p. 162): *οὐδ' αὐτοῖς θεοῖς*, inquit, *τὴν εἱμαρμένην ἀνήψαμεν, οὓς ὡς λυτῆρας τῆς εἱμαρμένης ἔν τε ἱεροῖς καὶ ξοάνοις θεραπεύομεν* (conf. et Porphyr. ap. Stobaeum in ecl. 1. 52, 49; p. 1028 Heeren.); verum etiam, quem certe noster legerat, Claudianus, qui Jovem induxit deos hoc versu alloquentem (gigant. 51):

»*Coeli progenies, nullisque obnoxia fatis.*«

quidquid instabit] Orphicus (hymn. 58, 13):

— — — *ἐπεὶ γ' ὅσα γίγνεται ἡμῖν*
Μοῖρα τε καὶ Διὸς οἶδε νόος διαπαντὸς ἅπαντα.

et Pacuvius (ap. Gell. 1, 14 p. 211 Conr.):

»*Nam si, quae eventura sunt, provideant;*
Aequiparent Jovi.«

nutu] Ex Homeri versibus (Il. *α*, 527)

— — »*οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλόν,*
Οὐδ' ἀτελεύτητον, ὅ τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.«

Confer Horatium (od. 3, 1, 8) de imperio Jovis »cuncta supercilio moventis«, neque poenitebit contulisse Hugium (in myth. p. 241). Quanquam Fortunae quoque talis *nutus* tribuitur apud Appulejum (met. 7, p. 146): »affulsit Fortunae *nutus* hilarior«, et (10. p. 227): »haec feralem Fortunae *nutum* latere non potuerunt.«

necessitas] Trismegistus apud Appulejum (de nat. deor. T. 2. p. 323 Bip.): »O Asclepi, ea est *necessitas* omnium, quae geruntur, semper sibi *catenatis* nexibus *vincta*. Haec itaque est aut effectrix rerum, aut summus deus, aut ab ipso, deo qui so-

Futura cujus alligat decretio:
Instatque quidquid velle vel serum potes —
Te ne igitur illo quo benignus numine es
Deposco, coeli blanda temperatio
Piùmque culmen, jure qui divûm pater,

cundus effectus est deus, aut omnium coelestium terrenarumque rerum firmata divinis legibus disciplina. Haec itaque εἱμαρμένη est *necessitas*, — necessitas vero cogit ad effectum (ea) quae ex illius primordiis pendent.«

alligat] Substitui hanc lectionem, quam editi libri ad marginem habent, quibuscum e scriptis etiam Hugianus, Dresdensis, testeque Arntzenio (misc. p. 206) Vossianus concinit, pro *illigat*. Arbitrium enim Jovis non involvit, sed alligat, sive immutabilia reddit, futura.

decretio] Dresdensis quidem codex habet *discretio*, ut pro electione sit, quae a libero pendet arbitrio: sed vulgatam retinui lectionem. Construe: »cujus decretio alligat futura.«

instatque quidquid] Lege: *instare quidquid*. Voncx. (sp. cr. p. 80) — Hoccine est versum interpretari obscurum? Certe non magis intelligeretur hac admissa emendatione, quae prorsus igitur est inutilis. Equidem, quid voluerit noster, non nisi hoc pacto explicare ausim: »Omne quod velle sive jubere potes, etiamsi *sero* demum eventurum videatur, tamen protinus *jam instat*.« Ita utrumque sibi opposuerat Claudianus (in Eutrop. 2, 53) scribens: »*serumque quod instat creditur*.« Ita et Seneca (de benef. 4, 32. p. 323 Lips.) de dïis: »Nota est enim illis rerum per manus suas iturarum scientia, in aperto semper est: nobis *ex abdito* subit, et quae *repentina* putamus, illis *provisa* veniunt ac *familiaria*.« Adde Ciceronem (de divin. 1, 56).

Te ne] Lege *ted* aut *te te*. Gnor. — Particula *ne* vacat: *te* deposco. Vulc. — Lege *te te*. Voncx. (sp. crit. p. 146) — Nihil profecto facilius, quam *lege* semper scribere, ubi scripti sensum non capimus. Nos vero communem lectionem neutiquam mutamus, sed syllabas tantum separamus, ut *ne* sit, quod alii *nae* scribunt (v. §. 2); quemadmodum apud Plautum (in Trinummo 3, 2, 8): »*tu ne*« et (in Curcul. 1. 2. 49): »*tibi ne*« cet.

quo] Darmstattensis codex quidem causale *quod* praebet; sed praefero vulgatam lectionem. Jovem enim, ut ceteros deos, modo tristem et severum, modo blandum et benignum fingebant. Hoc igitur loco invocatur quo numine benignus esse credebatur.

temperatio] Ibi glossa: Alludit ad Jovis planetae naturam, qui est temperatissimus.« Gnor. — De Jove planeta quidem superior (§. 17) et inferior locus (§. 196) conferendi sunt; sed hoc loco non de planeta, verum de Jove ipso sermo est, unde Martianum potius suspicor respexisse ad Horatii (carm. 1, 12, 14) hos versus:

— — — »*qui res hominum ac deorum*
Qui mare ac terras, variisque mundum
Temperat *horis*.«

pium] *Blandum* glossae. Libro sexto: »Moxque imitata *pium* lactea luna diem.« Gnor. — Diffidere glossae Grotius debebat: nunquam enim *pius* et *blandus* aequivoca fuerunt. Loco etiam, quem laudat (§. 585), dies pro Sole, Lunae fratre, positus est, qui pius sit erga sororem; hic autem Jupiter pius erga prolem appellatur.

Concede proli quo nepotum provehat
Numerum, supernis astra quem vibrant polis;
Majae tuumquo flagitat pignus sacrum,
Thalamis jugetur virginis doctissimae.
Sed te parentis cura si stringit pia: 33
Par est deorum convoces coetum potens,
Connubium ipsa sanciens cum conjuge:
Quo prolis exstent lege supera nuptiae,
Perpesque vinclum coelitum signet decor.

Hic postquam Delius conquievit, conversus ad conjugem Jupiter, quid 34
ejus voluntas haberet, inquirit. Verum illa multa ratione permulsa — primo

concede proli] Ita distinguo ex patris sententia. Gnor. — Neque intelligo hanc notam, neque distinctionem video ullam, nisi in versu sequente post vocem *supernis*, quae tamen tollenda. Sic enim locum intellige: »O pium culmen (pie Jupiter deorum summe), qui jure divùm pater (es), concede proli, quo (*ut*, §. 24) numerum nepotum provehat (augeat), quem (numerum) astra vibrant polis supernis.«

vibrant] »Numerum astra vibrant« poëtice dictum est pro *indicant*, fulgoribus nempe suis. Tot igitur nepotes, quot astra in polis supernis. *Poli* autem summum coelum significant, unde locutio »inter polos recipi«, ut in illo Rutilii (itin. 48):

»*Inter* sidereos *Roma recepta* polos.«

(Palaeogr. crit. III. §. 285).

sed te parentis] Transponendae hae voces »sed si te« postulante carminis ratione et MS. Gnor. — Concinunt quidem cum Grotiano codex Basileensis, Hugianus, et ille in libro Norimbergensi laudatus; sed minime carminis ratio istam postulat lectionem, quapropter servavi vulgatam.

coetum deorum] Primus Homerus, quarto Iliadis ab initio, deorum cecinit concilium. Secuta poetarum turba est, Euripides (Hel. v. 878), Lucilius (I. p. 186 Bip.), Virgilius (Aen. 10), Ovidius (met. 1, 167), Statius (Theb. 1, 198) Claudianus (Proserp. 3, 6), Apollinaris Sidonius (carm. 7, 38 sequ. p. 331 Sirm.) cet., quos suo more ridet inter Graecos Lucianus (deor. concil. T. IX Bip. p. 191. Jup. trag. VI. p. 228. 229. 239); inter Latinos Seneca (apocoloc. p. 825 Lips.). Martianus certe, ut ex sequentibus liquet, eandem, quae Romanorum erat, diis tribuit rem publicam, adeo ut ad normam etiam legum Romanarum ipsos vivere fingeret (conf. §. 218). Quod reliquum est, in marmoribus, quae supersunt, legimus tam »consessum« quam »concilium deorum« (Grut. inscr. 2, 11. 12).

primo] Ediderat Grotius: »primo quod ei qui placiditatem afferre solitus Phoebus orabat quique etiam a se ejusdem filias eruditas ad parentum quoque conspectum fecerat subvolare.« Miror antecessorum meorum nullum operae pretium duxisse, corrupto huic loco aliquantulum lucis afferre! Etenim quamvis melior nunc procedat lectio, postquam

quod eam qui placiditatem afferre solitus Phoebus orabat, quique etiam a se ejusdem filias eruditas ad parentum quoque conspectum fecerat subvolare; dehinc nuptiis Juno non solita refragari, tunc etiam Cyllenium diligebat, quod ejus uberibus educatus poculum immortalitatis exhauserat: perindeque et matris gratiam conferebat; accrescebat votis, quod multa eam Clarius conciliatione devinxerat — faciendum profecto accelerandumque persuadet, ne itidem Cyllenius Cypridis lactatus illecebris Hermaphrodito fratrem gignere succensus optaret.
35 Stimulabat paululum Jovem, ne uxoris Cyllenius fotibus repigratus somno-

codicis Dresdensis ope *eam* pro *ei* reposui; tota tamen periodus multum obscuritatis habet. Equidem verba sic construo: »primo quod *eam* (Junonem) Phoebus orabat, qui placiditatem afferre solitus, quique (Phoebus) ejusdem (Junonis) filias (Musas) a se (Phoebo) eruditas ad parentum (Jovis et Junónis) conspectum subvolare fecerat.« In sequentibus singula explicare studebo.

filias] Ejusdem Junonis filias Musas; quarum licet vulgo Mnemosyna mater statueretur, tamen quum Mnemosynam latine Monetam interpretarentur (Liv. in Odyss. ap. Prisc. 6 init. Hygin. praef. p. 10 Munck.), Junonem etiam in illius locum substituisse videntur, quam Monetae cognomine cultam esse constat.

eruditas] Ab Apolline nimirum, qui lyram manu tenet, quique Musagetes appellabatur (Orph. hymn. 33, 6. Diodor. 1, 18. Strabo 10. p. 468 Casaub. Corn. 32. p. 227 Gal. Aristid. in orat. pro Rhet. contra Plat. III. p. 10. Macrob. somn. Sc. 2, 3).

conspectum] Musae enim, ut supra vidimus (§. 26), in comitatu Phoebi in coelum adscenderant.

Juno] Vide supra (§. 31). Huic enim (Virg. Aen. 4, 59) »vincla jugalia curae«, datque (Stat. Silv. 1. 2. 239) »Juno verenda vincla.«

uberibus] Lactatum a Junone Mercurium esse tradunt Hyginus (astr. 2, 43. p. 418) et Albricus (c. XI. ap. Munck. II. p. 315). Lac autem Junonis Nonnus (35. p. 882 Falk.) appellat *ἱερὰν ῥαθάμιγγα προηγήτειραν ὀλύμπου*. De poculo immortalitatis v. infra (§. 141).

matris] Nutricis, quae Plauto »mater quae mammam dedit.« Gnor. — Non solum Plautus, sed Virgilius etiam (Aen. 8, 631) vocabulo *matris* hoc sensu usus est. Certe Mercurium Juno materno amore, quasi ipsa ejus fuerit mater, prosecuta est.

Hermaphrodito] Ausonius (epigr. 100):

»*Mercurio genitore satus, genetrice Cythere,*
Nominis ut mixti, sic corporis Hermaphroditus
Concretus sexu« — — —

Fabulam exponunt idem Ausonius (epigr. 69. 101), Ovidius (met. 4, 288) et Laurentius Lydus (mens. Apr. 44. p. 214 Roeth.). Adde anthologiam Graecam (4, 12, 42 Bosch.). Imaginem quoque videre licet in monumentis antiquis (apud Augustin. in gemmis II. 18. Cayl. III. 28. 29. Pignor. magn. mat. p. 1; in museo Florent. III. 40. 41. Spon. recherch. 121. misc. 9).

stimulabat] Stimulantem cave Junonem intelligas. Jovem potius cura stimulabat, id quod ex iis patet quae sequuntur. Cic. ad Att. 13. 28: »abüt illud, quod tum me *stimulabat*.«

lento repente marcore torperet, et jam velut maritali vacatione feriatus discursare sub praeceptis Jovialibus denegaret. Nam illum jam pridem, ait, 36
Philologiae sentio amore torreri, ejusque studio comparatas habere quamplures in famulitio disciplinas, ipsumque linguae insignis ornatibus fandi nimiam venustatem quo placeret virgini consecutum, deinde barbito aurataque chely ac doctis fidibus personare. Addo quod celebrat mirabile praestigium elegantiamque pingendi quum vivos etiam vultus aeris aut marmoris signifex animator inspirat.

repigratus] De verbo *repigrare* non Appulejo tantum et nostro, sed Saxoni etiam grammatico familiari adi Stephanium (ad hunc p. 151).

vacatione] Alii libri scripti *vocatione* habent, quod ad marginem tam Norimbergensis, quam Lipsiensis libri adnotatum legi. Sed illud melius: vacationem significat a nuntii discurrentis officio, quo aspirare posset Mercurius, si in patris familias statum pervenisset.

quamplures] Grotius *quamplurimas*; sed praestat illud, quod e codicibus Reichenauensi, Darmstattensi et Basileensi recepi.

disciplinas] Hae septem illae sunt artes, quas infra Philologiae in donum nuptiale (§. 113 not.) confert Mercurius, quaeque septem libris posterioribus traduntur.

barbito] Haud semel a nostro memoratur (§. 910. 913) hoc instrumentum musicum (Euripid. Alcest. 345. Athenaeus 14. p. 635. 636 Casaub. Pollux 4, 56. Horat. od. 1, 1, 34 et 3, 26, 4. Ovid. heroid. 15, 8. Stephan. ad Saxon. p. 87. Heskin in Bion. p. 27 ed. Oxon.), quod alii ab Anacreonte inventum (Athen. 4. 77), vetustum alii barbarumque origine (Strab. 10. p. 471 Casaub. Athen. 4. 80) praedicant.

chely] Mercurium Ovidius (fast. 5, 667) alloquitur »Laete *lyrae* pulsu«, atque eundem appellat Horatius (od. 1, 10, 6) »curvae *lyrae* parentem.« Sed nota haec ex Homeri hymno in Mercurium. Instrumenti hujus musici descriptionem dedit Burette (in Mem. de l'Acad. X. p. 217).

doctis fidibus] Enallage pro »personare fidibus doctum«, ut infra (§. 124) »peritis lucernis« scribit. Similia sunt »falx docta« apud Propertium (2, 15, 12), »docta prece« apud Horatium (epist. 2, 1, 35), et »docta manu« apud Ovidium (art. am. 1, 518. fast. 3, 832. 6, 792).

addo] Exponitur nunc illa Mercurii virtus, quam Aegyptiorum quoque Mercurio Diodorus (1, 16) tribuit his quidem verbis: »τῆς εὐρυθμίας καὶ τῆς περὶ τὸ σῶμα πρεπούσης πλάσεως ἐπιμεληθῆναι.«

praestigium] Insueta haec vocis forma in glossa Graeco-Latina προχάλυμμα (Vulcan. thes. utr. ling. p. 591) et in onomastico (ap. eund. p. 117) γοητεία explicatur: in glossa autem Basileensi ad Martianum »miraculum, quod *praestringit*«, solemni *praestringendi* et *praestinguendi* confusione, (cf. Giese ad Cicer. de divin. 1. 60, p. 107, et Otto ad eund. de senect. 12 p. 109). Ceterum Sarisberiensis (nug. cur. 1, 9. p. 35) »*praestigium*«, inquit, »Mercurius dicitur invenisse — fuitque magorum peritissimus« cet.

pingendi] Galenus (Protrept. 3) Mercurium dicit λόγου δεσπότην ἐργάτην δὲ τέχνης ἀπάσης, et simulacrum ejus cingi omnium opificum corona

Totum certe complacitum est, quidquid comit decorem juvenalium gratiarum. Se igitur eos jam pridem amore mutuo colligatos idcirco paululum distulisse, ne in thalamum primaeva affectione festinans, quum discurrendum esset, totis
57 noctibus repigrior paululum simularet anomalum. Tunc Juno: Atquin, ait, ejusdem convenit virginis subire vinculum', quae illum etiam quiescere cupientem connivere non perferat. An vero quisquam est, qui Philologiae se asserat pervigilia laborata et lucubrationum perennium nescire pallorem?

fingit: proximos deo liberalium artium professores, quos sequuntur pictores, statuarii et id genus; hos denique alii omnes, qui artes aliquas exercent. *Πάντες δέ*, inquit, *πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσι κοινὸν, τῷ παρ' αὐτοῦ προστάγματι πειθόμενοι* (conf. Woweri polymath. c. 13 §. 20, pag. 157). Quanquam Seneca (epist. 88. p. 567 Lips.): »Non adducor« inquit »ut in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis quam statuarios, aut marmorarios, aut ceteros luxuriae ministros.«

signifex] Cortius in Guelferbytano codice legit *signifer* et ita etiam in Hugiano scriptum vidi; sed hoc librariorum errori tribuendum esse facile apparet. Nostra quoque lectio corrigenda visa est Oudendorpio (ad Appul. II. p. 93), qui duobus verbis sublatis legi vult: »quum vivos etiam vultus *aeri* aut *marmori* signifex inspirat«; sed vide, an sic forsan *ὀκοτεινὸς* 'noster intelligi possit: »Quum signifex Mercurius aeris aut marmoris animator vivos etiam vultus inspirat« (nempe aeri et marmori, quod facillime supplebitur). Dixerat et Appulejus (met. 11. p. 789 Oud.) »simulacra *spirantia*«, et Martialis (7, 84, 2):

»Spirat *et arguta picta tabella manu.*«

Ceterum vel male imitatus est noster duos Virgilii (Aen. 6, 849) versus hos:

»*Excudent alii* spirantia *mollius* aera,
Credo equidem vivos *ducent de marmore vultus*«;

vel certe legerat quae Graecus ille poëta (in anthol. 4, 7) *εἰς ἀγάλματα ζώων* larga profudit manu.

juvenalium] Grotius *juvenalem*, alii *juvenilem*, codex Dresdensis *juvenilium*; Oudendorpius autem (ad Appulej. I. 723) ex libris scriptis Leidensibus ut supra (§. 5) *juvenalium*, id quod Bongarsius etiam apud Walthardum, Britannicus praeterea, Cantabrigiensis et Darmstattensis codices habent.

idcirco] Ita Reichenauensis codex. Aures certe offendit *iccirco*, quod Grotius edidit.

repigrior] Grotius ediderat quidem *repigritior*, emendavit autem *repigratior*. Quem qui sequi voluerit, praesidium habebit in voce *repigratus*, qua superius (§. 34) noster utitur; tamen quum hoc loco in nullo codice legatur, equidem *repigrior*, quod Vossianus codex praebet (Arntzenius misc. p. 206) substitui, quandoquidem compositum hoc e simplici *pigrior* defendi et explicari potest quasi e diligenti deinde pigrior factus. Basileensis quoque codex a prima manu quidem *repigritior* habebat, sed correctum postea et repositum est *repigrior*.

anomalum] Inaequalem. Anomala dicuntur signa, quando pro latitudine Zodiaci vagantur nec lineam naturalem sui cursus peragunt. Vulcan. et ab eo Gorz. — Quid sit anomalum nemo ignorat (conf. §. 325), in genere nimirum declinans a regula, hic declinans ab officio.

pervigilia] »Laborata pervigilia« primo adspectu

Quae autem noctibus universis coelum, freta, tartarumque discutere, ac deorum omnium sedes curiosae indaginis perscrutatione transire, quae textum mundi, circulorumque volumina vel orbiculata parallela, vel obliqua decussata polose, et limmata, axiumque vertigines, cum ipsorum puto siderum

offensionem praebent. At si figurarum memineris, quibus noster studiosissime utitur, videbis hypallagen pro »a *pervigili* Philologia laborata.« Ita enim supra (§. 22) de ea dixerat: »*Pervigil* immodico penetrans arcana labore«; et infra (§. 124) »vigil ejus cura«, atque (§. 39) incessabilis labor memoratur, deinde etiam (§. 143) per prosopopoeiam Labor Philologiae »pedisequus ejusque alumnus« dicitur. Alios si perlustrare volueris poëtas, videbis Ovidium (trist. 2, 11) »vigilatorum laborum« dixisse, ac Claudianum, qui saepe Martiano exemplo fuit, (bell. Get. 360) »pervigil labor.« Sed quid multa? Statius (Theb. 1, 341) sicut noster »laborata vita« scripsit, Virgilius (Aen. 1, 659) »laboratae vestes«, Quinctilianus (2, 3. 6. p. 269 Spald.) »laboratam studio actionem« etc.

pallorem] Legisse videtur hunc Persii (5, 62) versum:

»*At te nocturnis juvat* inpallescere *chartis.*«

coelum, freta] Ita Hermes (in Stob. ecl. 1, 50, 8. p. 709 Heer.): »Homo siquidem animal est divinum, nec est cum terrenis brutis, sed cum diis coelestibus comparandus. Quin imo, si audendum est verum fateri, homo verus vel coelicolis est praestantior, vel saltem pari sorte potitur. Nullus enim coelitum descendit ad terram, coeli limitem deserens; homo autem ascendit ad coelum, illudque metitur: nec cum fugit, quae ima sunt, quaeve sublimia, ac reliqua omnia diligenter inquirit, quodque majus est, terram quidem haud dimittens in coelum attollitur; tam ampla est humanae naturae potestas.«

discutere] An *discurrere*, quia subnectit *transire*? Grot. — Praestat recepta lectio, quae etiam veterum librorum auctoritate firmatur. *Discutere* est cogitando inquirere. Gozz. — Posterius probo non obstante Darmstattensis codicis lectione *discurrere*.

textum mundi] Id est junctaram sive machinam. Vulc. — Similiter Appulejus (de deo Soc. p. 140 Oud.) »texta corporum« scripsit.

obliqua] Locus mecastor luxatus. Sic sano: »oblique decussatos polos et climata.« *Decussare* pro dividere usitatum Martiano. *Climata* tum ex sensu, tum ex MS. lituris restituo. Sic et *oblique* pro *obliqua*. Error (?) tamen hic vetus: agnoscit enim cum glossa Isidori, in qua invenio: »Polose, alte. Polosas, altas.« Grot. — Quod saepe animadverti criticos, qui locum, quem non intelligunt, *sanare* sibi videntur, auctorem non semper totum ante oculos habere; hoc etiam in Grotio nunc reprehendendum est. Equidem nihil muto; nam si quid video, ex astronomia, quae infra (libro octavo) docetur, satis huic loco lucis affulget. Philologiam enim solere noster dicit numerare *circulorum volumina vel orbiculata parallela* (circuli sunt *paralleli* de quibus §. 817), vel *obliqua* (circuli *obliqui* §. 825), *decussata* (circuli, qui colluris *decussantur* §. 823), *polos* (v. §. 815. 816. 817), *limmata* (spatia inter circulos §. 857), axiumque vertigines (§. 815. 816. quib. add. §. 201). Grotii igitur in codice lituras, e quibus locum, mihi quidem non obscurum, emendaturus erat, nentiquam curo.

decussata] Sic scripsi pro *decusata*, quia Mar-

multitudine numerare, nisi haec Philologia gracilenta quadam affectione consuevit, quoties deos super ejusdem coactione instantiaque conquestos, quum eos concubiae aut intempestae noctis silentio quiescentes ad se venire inaudita

tianus ipse infra (§. 208) recte *decussare*. Cortius ad marginem libri Norimbergensis legit: »obliqua decussat polos climat.« Cui lectioni non solum obstat tertia verbi persona inter infinitos modos; verum verborum etiam sensus, siquidem illâ decussatio ipsa Philologiae neutiquam tribui potuit, sed rei tantum cognitio. *Decussatio* autem est crucis instar persecatio, unde agrimensoribus lapis decussatus est, qui cruce signatus: licet hi *decus* cum *decussis* confundant. Plura de hac voce dabunt Rigaltius (ad rei agrar. auct. p. 300 Goes.) et Cangius (ad voc. Decuria). Martianus igitur hoc loco directionem descripsit, qua circuli illi sese persecent (conf. et not. ad §. 85). Atque pro enormi sua eruditione forsan ad Platonem etiam respexit, qui (in Tim. p. 36 Steph.) orbium coelestium cursus in speciem Graecae literae X sese persecare docuit. De voce *polose* pro *alte* vel *prope polos* conf. Cangium.

limmata] Limma Macrobius quidem (somn. Scip. 2, 1, f.) explicat semitonium: sed nostro spatium est inter orbes coelestes, siquidem et tonos et hemitonios pro spatiis usurpat (§. 169. 171. 181. 182. 194. 196 — 198). Sed conf. superiorem notam (ad §. 11).

Philologia] Sic, non *Philologiae* legendum esse patet e codicibus Monacensibus (C.D.E.G.), Britannico, Bodlejano primo, Hugiano, et teste Arntzenio (misc. p. 206) etiam Vossiano.

gracilenta affectione] Sic scripsi e cod. Dresd. pro Grotiano *adfixione*. Intellige tantam Philologiae affectionem, ut *gracilis* inde facta esset. Paulo etiam superius de ejus *vigiliis* et *lucubrationum perennium pallore* sermo erat. Tales figurae nostro familiares sunt. Sic infra (§. 140), postquam inter divos recepta Philologia, »*gracilenta* ejus perit *macies*« (conf. §. 109 et Vellejum Paterculum 1, 17, 2. p. 114 ibique Burm.)

coactione] Unde supra (§. 22) de Philologia: »*Jus habet ista deos urgens in jussa* coactos.«

instantiaque] Grotius *constantia*; Cortius in Guelferbytano codice legit *hiantia*, quod glossa addita explicat *desiderio*. Secutus equidem sum codices Dresdensem, Cantabrigiensem, Basileensem, atque Bongarsii, qui omnes *instantiaque* habent: itaque correctum etiam in Britannico ac Monacensi (G).

concubiae] Quod jam Grotio suboluerat substituendum esse ei, quod in editis erat, *connubiae*, optimi confirmarunt codices Basileensis, Darmstattensis, Bongarsianus, vetustissimus Scriverii (ap. Oudend. ad Appulej. I. p. 151), et Vossianus (ap. Arntzen. in misc. p. 206). De voce conferendus Nonius Marcellus (p. 91). Dici enim divisio docente Macrobio (Saturn. 1, 3) haec erat: »Primum tempus dicebatur *mediae noctis inclinatio*, deinde *gallicinium*, inde *conticuum* quum et galli conticescunt, deinde *diluculum*, inde *mane*, deinde de mane ad *meridiem*, hoc est ad *medium diei*, inde jam vocatur tempus *occiduum*, et mox *suprema tempestas*, deinde *vespera*, deinde *concubia*, et inde *intempesta*. Haec, inquit, est diei civilis a Romanis observata divisio.« Addit deinde ad majorem sibi de voce *concubia* conciliandam fidem quosdam Ennii versus. Eadem fere apud Appulejum (metam. 2. p. 151 Oud.) reperies.

quadam obsecratione compelleret? Tam vero abest, ut sub hac possit pi- 38
gresceve intricarique Cyllenius, ut commotis ab eadem suscitatisque pennis extramundanas petere latitudines urgeatur. Cur igitur, rex optime, differantur nuptiae, quum pro sola Atlantiadae solertia duos pervigiles repromittam? Haec quum Juno affixa, ut adhaerebat elatiori plurimum Jovi, acclinatis ejus 39
auribus intimaret, de quodam purgatioris vibratiorisque luminis loco allapsa

obsecratione] Barthius (advers. p. 1242) de magia intelligit, sed diversis modis interpretari hoc verbum possumus. Poëtas forsan noster innuit, qui deos Musasque saepe advocant, ut sibi adesse velint. At solutae etiam orationis auctores deos in auxilium vocasse testis nobis Varro est (de R. R. 1, 1, 4 et 7. p. 144 Gesn.). Praeterea qui mythos tractant philologi semper deos in scenam producunt.

tam] Unus tantum codex Monacensis (D) *tamen* praebet, Hugianus *jam*, nullus autem *tantum*. Nihil tamen mutare ausus sum.

intricari] Retardari. *Tricae* enim dicuntur impedimenta gressuum. Vulcan. — Vide Nonium. A Cicerone (ap. Gell. 6, 2 f.) »intricari Chrysippus« dicitur, id est, laqueis sese implicare.

pennis] Respexisse videtur Graecum *πτεροῦν* et *ἀναπτεροῦν*, quod, ut Beckius ait (ad Aristoph. Aves 1444), proprie est *alas addere*, sed tropice excitare aliquem ad agendum, ad suscipiendum aliquid. Respexit etiam forsitan Platonem (Phaedr. p. 251 Steph.).

extramundanas] Uno verbo. Sic et alibi, et *ultramundanus*. Usitata haec Afris. Gnor. — Confer inferiora (§. 185. 910) et Appulejum (I. p. 204 Oud.). E Neo-Platonicorum doctrina haec explicanda sunt, sicut et infra (§. 202) deus ille »empyrico mundo gaudens. Latine enim reddit Graecum *ὑπερκόσμιον*, quo Jamblichus et Sallustius philosophus utuntur duo deorum genera distinguentes: *ὑπερκοσμίους* et *ἐγκοσμίους*, ut Sallustius (6, p. 25 Gal.), sive ut Jamblichus (8, 8, p. 163) *περικοσμίους*.

differantur nuptiae] Ita codex Dresdensis. Apud Grotium vox *nuptiae* negligenter omissa, quum tamen in anterioribus editionibus exstaret.

Atlantiadae] Grotius edidit *Athlantidae*, quod corrigendum erat e Martiano ipso (§. 726).

pervigiles] Ita reposui Monacensium codicum (B. D. E.) auctoritate pro Grotiano *vigiles*. Philologia etiam supra (§. 22) »*pervigil* immodico penetrans arcana labore« dicebatur.

elatiori] Male in Vossiano codice (Arntzen. misc. p. 206) et in libro Norimbergensi legitur *alacriori*. Junone enim elatior Jupiter, id quod paulo post repetit. Ovidius (met. 1, 178) de Jove:

»Celsior *ipse loco, sceptroque innixus eburno.*«

Augustinus (de civ. dei 4, 10) »Jovem esse aetherem, Junonem aërem, junctos quidem, sed alterum *superius*, alterum inferius.« (Conf. §. 66 not.).

intimaret] Vox est posteriorum seculorum. Gnor. — Non noster tantum saepissime ea utitur (§. 319. 587. 724. 727. 743 f. 867. 963) sed Ammianus etiam, Solinus, Prudentius, Arnobius, Tertullianus, alii (conf. Elmenhorst. ad Arnob. p. 172. et doct. interpr. Spartiani ad Pesc. Nigr. 7, et ad Capitol. Ver. 1).

purgatiori] E Diodoro haec hausisse videtur. Ille enim (1, 12) aërem (melius aetherem) Athenam appellatam Jovisque filiam et *virginem* putatam esse tradit, ideo quod aër suapte natura cor-

sensim Pallas corusca descendit, atque ita ut videbatur vertici Joviali inhaerere, supervolans tandem constitit sublimiore quodam annixa suggestu. Quam quum Jupiter, ut jugali elatior adhaerebat, de proximo contiguoque suspexit, sic exorsus est: O virgo nostri pars melior, opportune votis intermixta Majugenae,

ruptioni non obnoxius sit et summum universi mundi locum occupet; unde etiam fabulam originem traxisse, e Jovis vertice illam natam esse (Strab. 14. p. 655. 667; 16. p. 744). Clarius etiam Augustinus (4, 10) Minervam aetheris partem superiorem tenere, ideoque a poëtis originem ejus de Jovis capite esse fictam (add. eund. 7, 16). Nostro eadem »Celsior una Jove flammantis circulus aethrae« (§. 568) appellatur. Seneca (de ira 3, 6. p. 44 Lips.): »Pars superior mundi et ordinatior ac propinqua sideribus nec in nubem cogitur, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem: omni tumultu caret, inferiora fulminant.«

allapsa] Legerat illud Ovidii (met. 3, 101):

— — — »*superas* delapsa *per auras*
Pallas adest.«

Sed et *allabi* Virtutem et Voluptatem ad Scipionem finxerat Silius (15, 21).

Pallas] Ut trias compleretur, Minerva addenda erat. Veteres enim solebant Jovem, Junonem et Minervam jungere (Pausan. 10, 5, 1. Cic. in Verr. 5, 14. Liv. 6, 16. Dio Cass. p. 655 Reim. Dion. Hal. 3. p. 201 Sylb. Ovid. fast. 5, 231. Macrob. Sat. 3, 4. et inscript. ap. Fuchs. in hist. Mogunt. I. 20). »Prudentes Etruscae disciplinae ajunt«, inquit Servius (ad. Aen. 1. 422), »apud conditores Etruscarum urbium non putatas justas urbes fuisse in quibus non tres portae essent dedicatae et votivae, et tot templa, Jovis, Junonis, Minervae.« Sic Romae etiam in Capitolio (cf. eund. ad Aen. 2, 225), ubi ad Jovis epulum ipse in lectum, Juno autem et Minerva in sellas invitabantur (Valer. Max. 2, de matrim. 1, 2. p. 110 Torr.) et P. Victor (regione 8) retulit: »In templo Jovis optimi maximi erant tria delubra, medium Jovis, dextrum Minervae, laevum Junonis.« »Nec defuerunt, Arnobius (3. p. 125) inquit, »qui scriberent, Jovem, Junonem, Minervamque penates existere, sine quibus vivere ac sapere nequeamus, et qui penitus nos regant calore ac spiritu« (conf. §. 41). Copiosius eadem Macrobius (l. laud.) explanat. Tertullianus (ad nation. 2, 12) e Varrone repetit, antiquissimos hos esse deorum. Adde Valerium Maximum (5, 10. p. 517 Torr.).

vertici Joviali] Arnobius (3. p. 118, add. 4. p. 137) »Minervam aetherium verticem esse« scribit »et summitatis ipsius summam.« Macrobius (Saturn. 3, 4) iisdem fere verbis »Minervam summum aetheris esse cacumen« tradit, alioque loco (1, 17 f.): »Porphyrius testatur«, inquit, »Minervam esse virtutem Solis, quae humanis mentibus prudentiam subministret. Nam ideo haec dea Jovis capite prognata memoratur, id est, de summa aetheris parte edita, unde origo Solis est.« Unde Ovidius (fast. 6, 427) »*aetheream* deam« eam appellat. Adde Cornutum (20. p. 185. Gal.). Eodem spectat in proxime sequentibus »sublimior suggestus«; aether enim summum omnium, quem deus, ut Ovidius ait (met. 1. 67):

— — »*superimposuit liquidum et gravitate carentem*
Aethera, nec quidquam terrenae faecis habentem.«

est] Supplevi hoc e Darmstattensi codice.

quae sive Deliacis vocibus permulsa descendis, sive absque te Jovis non erat formare consilium, seu consensus noster ne mutilus videretur approperas: noveris tamen Philologiae Cyllenium nuptias postulare. Nondum mea prompta sententia est; exspecto quid suadeas. Novi quippe quam ejusdem virginis incessabilis labor tibi semper acceptus, et ut e tuis numeretur illa pedisequis. Par est igitur ipsa praesertim decernas, quidquid de ejus connubio provisura dispensas. Tunc Pallas aliquanto submissior, ac virginalis pudoris rubore 40 suffusa, oculosque peplo quod rutilum circum caput gestabat obnubens, im-

pars melior] Quippe Jovis e capite prognata. Sic Platoni (Crat. p. 407 Steph.) nomen *Ἀθήνη*, quasi *ἡ θεονόη, θεία νόησις* erat. Observat Faber (ad Apollodor. p. 164): »quod de nativitate Palladis ad oram fluvii Tritonis scribunt nugae sunt. *Τριτὼ* vox est Aeolica, quae *caput* significabat.« Scholiastes Aristophanis (Nubb. 985) id firmabit. Et quamvis Horatius (carm. 1, 12, 19) secundum post Jovem ei tribuat locum, noster tamen infra (§. 567. 568) eam »ingenium mundi, prudentiam sacram Tonantis« appellat, quae sit »celsior una Jove.« Ovidius etymon nominis *captae* (capitae) ita (in fast. 3, 837) investigat:

»*Nominis in dubio causa est: capitale vocamus*
Ingenium sollers: ingeniosa dea est.
An quia de capitis fertur sine matre paterni
Vertice cum clypeo prosiluisse suo.

Unde alii etiam (Cornutus 20 p. 184 Gal. et Fulgent. myth. 2, 2) Minervam ideo de Jovis vertice natam esse dicunt, quia ingenium positum sit in cerebro. Valerius Flaccus (4, 542) eam Jovis appellat *optimam prolem*. Praeterea ad dictionem quod attinet, in memoriam nobis revocantur illa Virgilii (georg. 2, 40) »famae *pars maxima* nostrae«, vel senis illius apud Gallum (1, 5): »periit *pars maxima* nostri«, vel Rutilii (itin. 493): »nostrae *pars maxima* mentis.« Adde Juvenalem (15, 133).

consilium] Minerva enim ipsa apud Homerum (Od. 5, 298) »*ἐγὼ δ' ἐν πᾶσι θεοῖσι*, inquit, *Μῆτι τε κλέομαι*.« — Athenis autem Antiphon (orat. pro Choreuta c. 45) tradit: »*ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ Διὸς βουλαίου καὶ Ἀθηνᾶς βουλαίας ἱερόν ἐστι καὶ εἰσιόντες οἱ βουλευταὶ προσεύχονται*.« Memoratu digna praeterea sunt, quae ex Orphici recentioris cujusdam doctrina Suidas (h. v. p. 740) tradit, nempe »summum aetherem omnium antiquissimum esse, quo rupto lumen terram illustrasse, quod nominari *βουλήν, φῶς, ζωήν*.«

mutilus] Vossianus codex *inutilis*, quod non spernendum est. Arntz. (misc. p. 206) — Mihi tamen praeferenda esse vulgaris lectio videtur. Modo enim dixerat, Palladem *partem* Jovis esse *meliorem*; hac igitur *parte* deficiente *totum mutilum* esse sequebatur.

incessabilis] L. c. continuus. Fulgentius: »publicae *incessabiliter* vexantur actiones.« Et Capella libro nono: »Superum *incessabiliter* pectorum arcana tenuerunt.« Goez.

peplo] De Palladis peplo passim auctores, et Servius ad illud Aeneidos (1, 480):

»*Crinibus Iliades passis peplumque ferebant.*«

De peplo Minervae apud Athenienses conf. Meurs. lect. Att. II. 12 et Boecklius de trag. gr. princ. p. 192. Jam apud Homerum (Il. 6, 275) peplum

probabat aliquantum, quod super nuptiis virgo consulitur, praesertimque ejus, quam propter consociationis officia manere cuperet semper intactam. Dedignabatur praeterea hujusmodi adhibere consensum, quum ita expers totius copulae censeatur, ut neque de ulla commixtione progenita, neque ipsa procreare quidquam Arithmetica teste monstretur. Ac tunc septem radiorum

Minervae offertur. At ibi *vestis* est, ut plerumque apud antiquos; noster pro *velo* accipere videtur, ut haud scio an etiam Claudianus (de nupt. Hon. 123):

»*Et crines festina ligat, peplumque fluentem*
Allevat et blando spirantem numine cestον
Cingitur« cet.

Arithmetica] Arithmetica teste ἑπτὰς Palladi comparatur, quod ex nullo numero duplicato conflata sit, neque ex ea duplicata nascatur numerus, qui sit intra decadem, quemadmodum Pallas omnis copulae virilis ipsa expers est, et sine copula procreata. Sic infra ad Palladem:

— — — — »Ἑπτὰς *in numeris*« — —

et in Arithm. ad Heptada: »Quae quod naturae opera sine foeturarum contagione conformaris, inter deos Tritoniae virginis vocabulum possedisti.« Macrobius de Heptada: »Huic autem numero, hoc est septenario (Glossema), adeo opinio virginitatis inolevit, ut Pallas quoque vocitetur« cet. Gnot. — Quae de septenario numero dicenda erant, ea in palaeographia critica jam congessi (P. III. §. 244—257). Conferendus praeterea Arnobius (L. 7. p. 227). Quod autem neque gignere, neque gigni septenarius numerus dicitur, de primo numerorum ordine intelligendum est, quem primum versum noster (§. 243 seqq.) appellat, in quo nullus est numerus, cujus multiplicatione septenarius gignatur quemve multiplicando ex se gignat.

ipsa procreare] Editi: »*ipsa procrearі*«; Dresdensis codex »*ipsam procreare*«: plurimi autem codices, Leidensis (Munck. ad Hygin. p. 19), Monacenses (B.C.D.E.G.), Basileensis, Darmstattensis, Britannicus, Cantabrigiensis, et ille etiam, quo Cortius usus est, »*ipsa procreare.*« Pendet nimirum primus casus *ipsa* a verbo *monstretur*.

ac tunc] Pro Grotiano *at tunc*, Basileensis, Guelferbytanus, Darmstattensis, Reichenauensis, et qui ad Norimbergensis libri marginem laudatur.

septem radiorum] Hac corona perfecta scientia septem artium designatur. Pallas autem summae sapientiae figuram tenet: Philologia typus est rationis: Mercurius symbolum sermonis. Plerumque ergo dum philosophi posthabita ratione cultui sermonis insistunt et minus inquirendae veritatis studium gerunt, Pallas, quae typum tenet sapientiae, quaeque solet rationis curam, non verborum gerere, fugere videtur. Qua fugiente corona septem radiorum aperitur, quia, quum sapientia verborum ornatum negligit, septem liberalium artium scientia demonstratur. Non ergo detrectat Pallas nuptias Mercurii et Philologiae; sed interesse recusat, quis sapientes debent quidem facundiae et eloquentiae studere, plus tamen inquirendae veritati operam dare. Vulc. — Verum vidisse virum doctum affirmare nolim: quamquam Laurentius Lydus (mense Apr. 46 p. 222 Roeth.): ὁ δὲ στέφανος τελειότητος δεῖγμά ἐστι. Hoc solum certum, numerum septenarium a nostro tam Minervae quam virginitati (§. 738), pudori igitur virginali, tribui. Praeterea non reticendum, in Virginis, signi coelestis, veste itidem *septem* esse stellas (Hygin. astr. 3, 24. p. 445. Munck.) et in concilio deorum a Luciano (15. p. 192)

coronam solivaga virginitas renudavit, ne futurarum causis et copulis interesset. Quia tamen ejus optaverat Jupiter exegeratque consilium, suadet deos maritos dearumque grandaevas in haec decernenda conduci. Quippe convenire Cyllenio, ut pro officiorum praemiis potissimorum favor coelitum ejus vincla sanciret. Augustius quoque fieri Joviale decretum, quum coetu deorum attestante depromitur, ipsamque nupturam deo convenire non posse, nisi super senatus consulto mortalis esse desineret. Id genus plurima suadente 41
Tritonia, regum conjugum uterque consentit. Ac mox Jovis scriba prae-

etiam fingi septem quaesitores (ἐπιγνώμονας) e majoribus deis eligendos.

renudavit] Pariter Claudianus Minervam »Gorgonos ora *revelare*« (de raptu Pros. 2, 205) et »praetentas *aperire* cristas« (225) finxit. Attamen vide ne potius praegnanter dictum sit pro »*detraxit, deposuit* coronam«, adeo ut *nudum* ejus caput appareret neque corona virginalis deliberationibus de matrimonio interesset.

futurarum] Sc. nuptiarum. Vulc. — Lege *futurorum* aut *futurarum rerum*. Gnot. — Sed recepta veterum editionum lectio non sollicitanda est: subintelligendum enim *nuptiarum*. Gozz.

maritos] In MS. *deos maris*, optime. Gnot. — Haud approbandum. Licet enim Grotio facile concedamus, e neglecta pronuntiatione literae E scribi potuisse *maris* pro *mares*, nexus tamen orationis, quandoquidem de matrimonio agitur, vocem *maritos* poscere videtur, quam reliqui omnes libri habent. Temere igitur Goezius *deos maris* in contextum recepit.

coetu deorum] Suaserat id (§. 33) jam Apollo.

super] Hoc est *de* consulto senatus. Phronesis enim, mater Philologiae, mortalis fingitur fuisse, ideoque et Philologia mortalis. Vulc. — Legendum »*superi* S. C.« Infra enim sic loquitur, et in Geometria »coelestis S. C.« dixit. Gnot. — Ista quamvis infra (§. 96. 676) legantur, hoc tamen loco omnes libri, tam editi, quam scripti, *super* habent. Quo magis Goezium in eo reprehendimus, quod in textum intrusit *superi*, praesertim quum altera et constans lectio nullo negotio defendi possit, modo illud *super* pro adverbio accipiamus. Primum enim agitur de eo quod fieri Joviali decreto debeat, deinde vero additur, quid *insuper* senatus consulto confirmari necesse sit. *Super* enim pro *insuper* vel ab optimis scriptoribus poni testis est Ovidius (met. 12, 206):

— »*Dederatque* super, *ne saucius ullis*
Vulneribus fieri ferrove occumbere posset.«

regum] Hic *rex* (uterque) poni pro rege et regina recte monet Muncker. ad Hygin. fab. 159; adde notas ad Livium I. 20. Notandum vero, quod in Vossiano illud *conjugum*, ut saepe, scribitur *conjugium*. Anvtz. (misc. p. 206) — Jupiter nimirum βασιλεὺς (Pausan. 9, 39, 3. 4. Arrian. 3, 3. p. 187. Raph.) sive rex (Virg. Cir. 320. Aen. 2, 648, 10. 112. Ovid. fast. 3, 334. Sil. 3, 217) appellabatur, pariter atque Juno regina (Aen. 1, 46. 7, 575. 620. Ovid. 6, 37. Sil. 7, 78. Plaut. Cist. 2, 1, 37. Cic. in Verr. 5, 72. Liv. 5, 21. 27, 37. Arnob. 4. p. 144. Victor urb. region. 13) id quod in lapidum etiam titulis observatur (Grut. 4, 7. 8, 12. 5, 3—6. 7, 1 seqq. 24, 6. 7. 25, 8. 1063, 4. 1065, 1,

cipitur pro suo ordine ac ratis modis coelicolas advocare, praecipueque senatores deorum, qui penates ferebantur Tonantis ipsius, quorumque nomina quoniam publicari secretum coeleste non pertulit, ex eo quod omnia pariter
42 repromittunt, nomen eis consensione perfecit. Vulcanum vero Jovialem ipse Jupiter poscit, licet nunquam ille de sede corusca descenderet. Tunc etiam

§. 7. Fuchs Mog. I p. 6. 11. 20. 22. 25. 26. 30. II. p. 1. 232. 266. 408; conf. infra §. 68).

scriba] Constat Parcas esse exceptrices et arcarias Jovis. Vulcan. — E sequentibus hoc quidem patet; sed scriba hic singulari numero profertur; nisi ita accipere volumus, ut supra (ad §. 3 in nota) legimus de Parcis: »*una scribit.*« Ceterum Grotius, licet observasset lectionem in voce *scriba* variare, edidit tamen *scribae*, et sic cum aliis Arntzenius quoque (misc. p. 207 f.) legit; Oudendorpius contra (ad Appulej. I. p. 202) e codice praebet *scriba* aeque ac Hugianus codex, quod eo magis praetuli, quo certius infra (§. 705) similiter legitur »Geometria praecipitur.« Eadem verborum constructio est in *jubetur* et *jussitur* apud Catonem (de R. R. 24, 1. p. 32 Gesn.).

penates ipsius Tonantis] Cave vulgari sensu nomen illud accipias, quo res divina penatibus ab hominibus fiebat. Hoc loco penates Jovis consiliarii sunt *intimi*. Interpretatio petenda ex hisce Arnobii (L. 3. p. 123) verbis est: »Nigidius — exponit, disciplinas Etruscas sequens, genera esse Penatium quatuor, *et esse Jovis ex his alios*, alios Neptuni, inferiorum tertios, mortalium hominum quartos; inexplicabile nescio quid dicens.« Sed vide Camdeni praelect. acad. p. 694 sequ. et Müllleri Etrusc. II, p. 87. Eorundem infra (§. 46) sedes indicantur in prima coeli regione.

secretum] Haec quoque ex Arnobio explicanda, cujus verba (L. 3. p. 123) haec sunt: »Varro, qui sunt introrsus atque in intimis *penetralibus* coeli, deos esse censet quos loquimur, *nec eorum numerum, nec nomina sciri*. Hos *Consentes* et Complices Etrusci ajunt et nominant.« Iidem esse videntur quos Seneca (nat. qu. 2, 41 f. p. 715 Lips.) »deos superiores et involutos« vocat.

eis] Ita omnes fere, Basilcensis, Darmstattensis, Monacenses (B. C. D. E.), Bodlejanus primus, Britannicus, Cantabrigiensis, et in margine a Grotio laudati codices. Male vulgo *ejus*.

consensione] Meminit Arnobius deorum Consentium et alii. Huc forte pertinet antiqua inscriptio Spoletana: »Consentio deorum Mariana Sozomene imperio fecit.« Gnor. — Ipsis »Diis Consentibus« duas dicatas invenies apud Gruterum (p. 3). Quos Martianus a *consensione* appellatos censet, alii a *consulendo* (Voss. Etymol. L lat. p. 154), alii quasi ὄντες a *cum* et *esse*, ut *praesentes* a *prae* et *esse*; cf. Müllleri Etrusc. T. II, p. 84, qui Arnobii quoque loco (III. extr.) utitur. Praeterea observandum, Martianum *Consentes* distinguere a »his senis collegis Jovis«, quos plerique ipso illo nomine insigniunt.

Vulcanum Jovialem] Haud scio an praeter Martianum nemo quisquam ejus meminerit. Sed facile intelligitur distingui hunc deum ab illo sine patre nato, de quo infra (§. 87). Jovialis enim Vulcanus patre Jove (Homeri Il. 1, 578. Apollodor. 1, 3, 6. Cornut. p. 181 Gal.) sive Aethere (Cic. N. D. 3, 21), qui idem est, procreatus erat. Cognomen praeterea illud aliis etiam diis tribuitur; ita Joviam Venerem (Grut. inscr. 59, 8), Jovialem

ut inter alios potissimi rogarentur ipsius collegae Jovis, qui bisseni cum eodem Tonante numerantur, quosque distichon complectitur Ennianum:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Genium (Arnob. 3. p. 123. 125) et Jovium Herculem (Grut. 18, 4) inscriptiones prodant.

rogarentur] Invitarentur, advocarentur, proprie ad coenam. Apulej. met. Lib. 1: *Rogat te inquit.* Gnor.

bisseni cum eodem] Prorsus ut Plautus (Epidic. 5. 1. 4):

»*Si undecim deos* praeter sese *secum adducat* Jupiter«

et Ovidius (met. 6, 72):

»*Bis sex coelestes* medio Jove *sedibus altis*
Augusta gravitate sedent« — — — — — —

Plato quoque (in Phaedro p. 246 Steph.) Jove primo nominato addit »τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη.« Infra noster iterum (§. 914) »*bissena* numina« laudat eaque *Hetruscorum* esse observat, qui quidem locus eorum theologiam illustrans probe notandus. Aegyptiorum duodecim deorum jam meminit Herodotus (2, 4), in quibus tamen Herculem (Aegyptiacum) fuisse (2, 43) dicit. Graecorum duodecim deos memorant Plato (de legib. 5. p. 745 Steph.), Apollodorus (2, 7, 2 et 3, 14, 2), Pindarus (Olymp. 11, 51), Strabo (13. p. 605. 622 Casaub.), et Pausanias (1, 3, 2. 1, 40, 2. et 8, 25, 3). Quibuscum conferre licet Plinium (35, 10, 36). Sed memoratu omnino digna sunt, quibus Sallustius philosophus duodecim illos distinguit. Sic enim docet (c. 6. p. 254 Gal.): »mundum *efficiunt* Jupiter, Neptunus, Vulcanus; *animant* Ceres, Juno, Diana; *adaptant* Apollo, Venus, Mercurius; *custodiunt* Vesta, Pallas, Mars.«

Ceres] In Vossiano legitur *Ceresque*: sed male illud *que* intrusum est a librario nesciente primam in *Diana* recte produci, ut docuit Heinsius (ad Ovidii met. 8, 353) ubi eadem ratione peccatum est. Arntz. (misc. p. 208) — E nominis nempe origine prima syllaba producenda; quam quidem originem qui ignorarunt, eam corripuerunt, ut in multis aliis, praeter Vossianum, codicibus, Bongarsii, Britannico, Cantabrigiensi, Guelferbytano, Basileensi et Dresdensi fecerunt.

Jovi'] Alii *Jupiter*. Quo factum est, ut scholiastae ad hosce versus haesitando deliberarent quo modo legendum esset ut versuum numerus constaret. Ita glossa Monacensis (E) legi vult *Neptunus*, additque »aliter scandi non potest.« Vulcanius autem haec adnotat: »Sciolus aliquis reposuit *Jupiter*, omnemque versus rationem sustulit. Legendum itaque est *Jovis*, sed nominandi casu, ut veteres id nomen usurpabant. In scansione autem eliditur ultima litera S, more Enniano, et constat versus.« Laudare etiam poterat Lucilium (v. Gorall. ad Albinovan. eleg. 1', 23. p. 7). Edidit quidem Grotius *Jupiter*; sed codicem, quo usus est, habuisse *Jovis* ex addita colligo nota, qua scripsit: »*Jovis*. Citantur hi versus et ab Apulejo. Nominativum *Jovis* inter recentiores et Hyginus usurpat.« Unde patet illud *Jupiter* vitio vel amanuensis vel typographi tribuendum esse: quod tamen non advertit Walthardus in repetita Martiani editione. Onuphrius Panvinius (de lud. Circens. 2, 2. in Graev. thesaur. X. p. 355) et Vossius (v. Burmanni anthol. Lat. I. p. 1) apud nostrum legendum *Jovi'* esse

43 Item et septem residui, qui inter duodecim non vocantur; post hos quamplures alii pro suis gradibus coelites, ac deorum omnis populus absque

probe observarunt. Nam ita etiam Appulejus (de deo Socr. p. 121 Oud.) habet, quem a Martiano saepe exscriptum esse quilibet videbit, qui utrumque legerit. Sed multo etiam magis scire refert, quo pacto Ennius ipse versum illum scripserit. Hunc *Jovi*? scripsisse Ludovicus Vives (ad Augustin. de civ. dei 4, 23) testatur, cujus auctoritas eo major esse debet, quo certius constat (vid. ad Aug. 2, 21. et Fabric. bibl. Lat. 4, 1. p. 20 Ern.) Ennii eum editionem molitum esse. Omnibus igitur illis perpensis eo adductus sum, ut *Jovi*? in textum reciperem. (Conf. Cup. in Harpocr. p. 69. Reines. inscr. p. 4. Gyrald. op. I. p. 18. Voss. idolol. 1, 14. Montf. antiqu. expl. praef. p. 94 et T. I. p. 35. Casal. de ritib. p. 100).

septem residui] Habebat Grotius »Item ex his septem residui.« Unde animadvertebat: »quomodo septem, quum duodecim nominarit? At quinque praesentes jam erant, Jupiter, Juno, Mercurius, Apollo, Pallas. Septem igitur alii advocati, et magna turba, quae isto numero non erat comprehensa.« Ingeniosa omnino haec est explanatio, quam tamen glossae debebat Grotius, Grotioque Goezius. Nihilominus superiorem praefero lectionem, quam Cortius ex libris scriptis Guelferbytanis prodidit, et quacum Monacenses (C et E), Britannicus, Cantabrigiensis, et Bodlejanus primus concinunt, nisi quod hi particulam *et* omittunt, quo parumper, aut nihil, a superiori differunt. Obstat certe Grotianae explicationi illud *item*, quo innuitur, *praeter* duodecim jam nominatos, septem etiam residuos quosdam esse convocatos. Neque Grotius, neque Goezius, fontem detexerunt, e quo Martianus sua hauserat. Deos enim Maximus Tyrius (17, 12. p. 337 Reisk.) ὁρατοὺς et ἀφανεῖς distinxit, quorum priores Appulejus (de deo Socr. p. 119. 121 Oud.), e Platonis doctrina, Solem, Lunam et quinque vagas dicit, posteriores autem deos *consentes*, quos considerare non datum sit. Ita et Ovidius (trist. 4, 4, 20) de diis:

»*Quorum hic aspicitur, creditur ille deus.*«

Praeter duodecim igitur residui nostro sunt septem Planetae, siquidem hoc loco alios vult haberi Solem, Lunam, Saturnum, Jovem, Martem, Venerem, et Mercurium, *planetas* conspicuos; alios Apollinem, Dianam, Saturnum, Jovem, Martem, Venerem, et Mercurium, *deos* νοητούς. Superiori etiam loco (§. 29) ad coelum adscendentes Apollinem et Mercurium, illum in solem, hunc in planetam transmutari finxerat: et inferiori (§. 741 f.) septem diis aperte planetas designat. Distinguendi igitur hi a veris diis. Atque hoc pacto locum sane Müllero etiam (Etrusc. II. p. 84) obscurum equidem interpretor. Ipse Cicero (de N. D. 3, 20) »Solem« inquit »deum esse Lunamque, quorum alterum Apollinem Graeci, alteram Dianam putant.« Adde Appulejum (de dogm. Plat. p. 203, et de deo Socrat. p. 127 Oud.).

omnis] Meliorem hanc lectionem e libro Norimbergensi, Hugiano codice, Vossiano (Arntzen. misc. p. 208), et excerptis Bondami (lect. var. p. 34) recepi. Grotius habebat *omnium*. Hosce deos Lucianus (Jup. trag. p. 231 Bip.) lepide, ut assolet, νωνύμους appellat, et ἀναπληροῦντας μόνον τὴν ἐκκλησίαν. Ovidius (met. 1, 175. 595; fast. 3, 20) aliique (Senec. epist. 110. Martial. 8, 30, 3. Prudent. c. Symm. 1, 27) *plebem* sive *de plebe* deos nuncupant. Statio (Theb. 1, 205) sunt

impertinentibus convocandi. Nec mora: milites Jovis per diversas coeli regiones 44
approperant: quippe discretis plurimum locis deorum singuli mansitabant, et licet per Zodiacum tractum nonnulli singulas vel binas domos animalibus titularint, in aliis tamen habitaculis commanebant. Nam in sexdecim discerni di- 45

— — — — — — »*turba vagorum*
Semideûm, et summis cognati nubibus amnes,
Et compressa metu servantes murmura venti.« Claudiano (rapt. Proserp. 3. 15)

— — »*plebejo stat cetera more juventus*
Mille amnes. Liquidis incumbunt patribus udae
Najades et taciti mirantur sidera Fauni.«

»Quendam deorum«, Arnobius (3. p. 301) inquit, »populum plebejae multitudinis faciunt.« Qui quidem populus Graecis δαιμόνων δῆμος est (Spanhem. ad Callim. p. 60).

absque impertinentibus] Excerpta nostra manuscriptorum: »absque *discordantibus* impertinentibus.« Per *impertinentes* eos intelligo, quibus certas quasdam ab causas deorum concilio adesse, Jovisque in conspectum advenire, denegatum fuerat, quales sunt praeter alios Manes, quos ideo pag. sequ. refutatos dicit »quod hi in conspectum Jovis non poterant advenire.« Bondam (misc. p. 54) — Quamvis vir doctus vocem *discordantes* defendere studeat, et copulativam post eam inserere jubeat, ego tamen nil nisi glossema esse illud *discordantibus* censeo, praesertim quum a reliquis omnibus libris id exsulet. Praestat igitur legere, ut in vulgata est, idque explicare »praeteritis iis, qui eo non pertinerent.« Apud solum Martianum hoc duabus praepositionibus auctum verbum legi, sed quamquam talis praepositionum cumulatio seriori maxime aevo invaluit, legimus tamen apud optimos etiam scriptores »irrevocabilis, impervius«, et similia, quin apud Virgilium etiam *imperterritus* (vide Quinctilian. 1, 5, 65. p. 132, ibique Spaldingium).

milites Jovis] Iterum noster infra (§. 65) horum mentionem fecit, atque ego alio loco (pal. crit. III. §. 480. IV §. 695) hoc militum genus comparavi cum illo astrorum officio apud Graecos (Max. Tyr. 19, 6 f. p. 33 Reisk.) et צבאות apud Hebraeos.

approperant] Apud Claudianum (rapt. Pros. 3, 3) Iridis hoc negotium est, deos ad concilium vocare, namque

»*Illa colorato Zephyros praelapsa volatu*
Numina conclamat pelagi, Nymphasque morantes
Increpat, et fluvios humentibus evocat antris.
Ancipites trepidique ruunt« cet.

animalibus] Zodiaci signa innuit, in quibus deorum planetarum mansiones sunt, quas alio loco (in palaeogr. crit. III. §. 282 et 303) uberius explicavi, et quinam planetae bina habeant domicilia demonstravi (conf. Serv. ad Virg. georg. 1, 33).

sexdecim] Ex Etrusca disciplina. Cicero (div. 2, 18): »coelum in XVI partes diviserunt Etrusci.« Gnot. — Cf. Serv. ad Aen. 8, 427. Clarius Plinius (2, 54): »In sedecim partes coelum — divisere Thusci. Prima est a septentrionibus ad aequinoctialem exortum, secunda ad meridiem, tertia ad aequinoctialem occasum, quarta obtinet quod reliquum est ab occasu ad septentriones. Has iterum in quaternas divisere partes, ex quibus octo ab exortu *sinistras*, totidem e contrario appellavere *dextras*.« Locus hic prae ceteris notandus. Addo e recentioribus Müllerum (in Etrusc. II. 127 sequ.) eo libentius, quo facilius in sequentibus interpretatio ejus cum mea, si forte erraverim, conferri possit.

discerni dicitur] Ita ex Hugiano, Cantabrigiensi, Britannico, Darmstattensi et Monacensi (C) reposui pro *discernitur*.

citur coelum omne regiones. In quarum prima sedes habere memorantur post ipsum Jovem dii Consentes, Penates, Salus ac Lares, Janus, Opertanei,
46 Nocturnusque. In secunda itidem mansitabant praeter domum Jovis, quae ibi quoque sublimis est, ut est in omnibus praediatus, Quirinus, Mars mili-

Salus] Eadem haec dea Romanis quae Graecis Hygea (Martial. 11, 61, 6) sive Hygia (Plin. 34, 8, 19. 35, 11, 40). In Salutis haec templis religiose colebatur (Livius 9, 43. 10, 1. 40, 37. Taciti annal. 15, 53 et 74. 12, 23. Cic. de leg. 2, 11. N. D. 2, 23. 3, 36. Val. Max. 8, 14, 6. Macrob. Saturn. 1, 16 et 20. Fest. v. Salutar. Ovid. fast. 3, 822. Kalend. die V Kal. Apr. Terent. Hec. 3, 2, 3); et saepe etiam in lapidum titulis (Grut. 68, 12. 100, 1. 2. 118) et in numis comparet (Rasch. lex. num. 4, 1. p. 1564. 1609 sequ.). De ejus symbolis alibi egi (in palaeogr. crit. IV §. 816 f.). Conferatur praeterea Bossii commentatio de dea Salutis (in Woltereck. elect. numar.).

Lares] Illos hoc loco intelligo, quibus Romae templum erat publicum (Ovid. fast. 6, 791), quique in marmoribus (Grut. inscr. 106, 4. Donat. 46, 5) Lares *publici* appellantur. Adde Appulejum (dogm. Plat. p. 206 Oud.) et inferiorem notam (ad §. 54).

Janus] Legebantur apud Grotium inter hunc et Opertaneos »*Favores*«, quos omittendos esse censui, quia infra ter (§. 48. 50. 55) *Favor* legitur, et quia a codicibus Monacensibus (B. D. E.) rectius, ut puto, vox *Favores* prorsus abest. Volebat quidem Vonckius (sp. crit. p. 80) *Sopores* pro *Favores* reponere, audaci sane conjectura: sed quamvis »*Sopor*, consanguineus Leti« (Virg. Aen. 6, 278. Sen. Herc. fur. 690. Stat. Theb. 12, 308. Claud. Rufin. 2, 325. Prop. 1, 3, 45) nobis haud ignotus sit, Martianus tamen male finxisset *plures*, quum *unus* tantum Sopor esse posset.

Opertanei] Id est »obscuri et a scientia humana remoti.« Vulc. — Hi dii qui sint ex octavo liquet, ubi ait: »quo miraculo stupefacti aërii, terrestres, marinique divi, et si quos clausa telluris *operiunt*.« Meminit Plinius sacrorum opertaneorum. Gnor. — Plin. 10, 56. Valer. Flacc. 2, 440:

— »*sacrisque metum servemus opertis*.«

Gozz. — Sacra haec huc non pertinere recte censet Müllerus (Etrusc. II. p. 131).

Nocturnusque] Meminerunt Plautus, Papinius, alii. Gnor. — Bis quidem inducitur a nostro idem dei nomen; sed quum in omnibus tam editis quam scriptis libris legatur, repetitum expungere non audeo, sed distinguendum potius inter utrumque arbitror. Hesperum, quem Plautus (Amph. 1, 1, 116) et Statius (Theb. 6, 240) a Grotio laudati innuunt, hoc loco intelligi vix posse arbitror. Videtur enim Martianus Nocturnum vel Nocturninum, deum noctis, voluisse, de quo consulendus Taubmannus (ad Plautum p. 28 ibique Varro). Suadent certe hanc interpretationem paulo ante memorati *opertanei* dii. Nox certe dea fuit antiquissima (Hesiod. theog. 123. Orph. hymn. 2. Pausan. 5, 18, 1. 10, 38. 3), quam et Latini poëtae celebrant (Virg. Aen. 6, 390. 7, 138. 331. 12, 846. 860. Ovid. met. 8, 82. 11, 607; fast. 1, 455. Stat. Theb. 1, 498. Senec. Herc. fur. 705. Manil. 5, 60. Claudian. bell. Gild. 213), quibus adde Ciceronem (N. D. 3, 17) et Hyginum (pr. p. 1). Alius ejusdem nominis deus infra (§. 60) memoratur.

praediatus] Utitur hac voce Madaurensis philosophus Floridorum IV. Glossa: *Praediatus, dives*. Gnor. — Sensus est: Jupiter sedem et domicilium

taris. Juno ibi quoque domicilium possidebat: Fons etiam, Lymphae, Diique Novensiles. Sed de tertia regione unum placuit corrogari. Nam Jovis Secun- 47

ubique habet. Sed parum abfuit, quin correcturi *praediatus* critici (ad Appul. II. p. 102 Oud.) *praeditus* reponerent. Quod in Vossiano codice sequitur *hereditarius* merum glossema esse videtur. Sed corrigenda erat apud Grotium P majuscula et delenda ante eam distinctio. Müllerus tamen (l. c. p. 129) peculiarem deum arbitratur, cujus nomen fortasse *Praebiatum* scribendum esse conjecit; temere.

Quirinus] In excusis exemplaribus est: »Quirinus Mars Laris militaris.« Vetus codex habet: »Quirinus Mars, Mars militaris.« Ita duo Martes sint: unus pacificus dictus Quirinus, qui in urbe templum habebat; alter, qui bellis praeerat et extra urbem templum habebat. Vulc. — Forte »Quirinus, Lar tutelaris.« Voscx. (sp. crit. p. 146. Arntz. misc. p. 208) — Nonne autem omnes Lares sunt tutelares? A codice Dresdensi omnino exsulant verba »Laris militaris.« In aliis manu scriptis, ad marginem libri Norimbergensis laudatis, legitur »Lar militaris.« Quae quum ita sint, equidem codicis, quo Vulcanius usus est, lectionem praetuli, tum quod infra (§. 50) legitur: »nam Mars Quirinus et Genius superius (hoc videlicet loco) sunt postulati«; tum quod »Lar militaris« hic legi nequit, quum infra (§. 48) adcitetur, quamvis Grotius vim ei inferre et *militaris* in *familiaris* transmutare tentet, non perpendens tali potius in singulis domibus, quam in coelo locum esse. Recte igitur Goezius Vulcanianam lectionem in textum recepit, siquidem *Quirini* nomine significatur deus Romanis peculiaris (Lactant. 1, 15) sive Romulus (Fest. v. Curis. Ovid. fast. 2, 475. Plutarch. in Romulo p. 36. Arnob. 1. p. 24); Militaris autem Mars non solum in lapidum titulis (Grut. 58, 4) legitur, sed probe etiam distinguitur a Milichio Marte (ap. Nonn. in Dionys. 5, 94) vel Pacifero vel Pacatore in numis (v. Rasche lex. num. 3, 1. p. 302). Adde Servium (ad Aen. 1, 282) qui: »Mars« inquit »quum saevit, Gradivus dicitur, quum tranquillus est, Quirinus.«

Fons] Fontis dei meminit Varro: item Cicero III. de natura deorum: »itaque et Fontis aram Maso ex Corsica dedicavit.« Et de legibus II: »Eodemque ritu in eo sepulchro, quod ad Fontis aras regem nostrum Numam conditum accepimus«; in quo loco legendum meo quidem judicio »in eo sepulchro, quod procul ad Fontis aras regem« cet. Festorum fontinalium uti apud auctores, ita et in calendario veteri mentio. Gnot. — Locis laudatis adde Ovidium (fast. 3, 300. 4, 759), Arnobium (3. p. 117), et inscriptiones apud Gruterum (37, 3. 94, 4. 6. 121. 1072, 7). E Guelferbytanis Cortius quidem *Fors* legit pro *Fons*; sed hoc praeferendum, quum Lymphae sequantur.

Lymphae] Lympha idem quod nympha aut aqua. Infra (§. 928) »*Lympharum* insulae« scribit pro *Nympharum*. Antiquam hanc orthographiam esse Festus et Servius (ad Aen. 7, 377) docent. Inter rusticorum deos Lympha quoque invocatur (Varro de R. R. 1, 1. p. 144. Gesn.). Reposuit quidem Gyraldus (Op. p. 13) apud nostrum »Nymphae«; sed sine causa, nisi ex libri alicujus auctoritate id fecerit. Namque in lapidis quodam titulo etiam legitur *Lympheis* (Murat. I. p. 298, 1), in alio *Lymphae* et *Nymphae* (Gruter. inscr. 93, 1). Nec solum Ovidius quam saepissime Lympha pro Nympha scripsit; sed Phaedrus etiam (1, 4, 3) »Lympharum in speculo« pro »in aqua« posuit; pariter atque Horatius (od. 3, 13, 16) et Propertius (3, 14, 4) voce *nympha* pro aqua utuntur.

Novensiles] Videndus Arnobius sub finem libri

dani, et Jovis Opulentiae, Minervaeque domus illic sunt constitutae. Sed omnes circa ipsum Jovem fuerant in praesenti. Discordiam vero ac Seditionem

tertii adversus Paganos. Gnot. — In codice Dresdensi legitur »*Jovensiles*« cum glossa absurda si qua alia: »Jovensales, hoc est saltatores Jovis!« Varro (de L. L. 4. p. m. 23) a Sabinis repetit Novensiles. Apud Livium (8, 9) invocat pontifex *divos Novensiles*. Quare temere Scaligerus (ad Orph. hymn. 75, 2. p. 285. n. 13 Gesn.), ut archaismum affectaret, pro Musis Novensiles posuit. Sed de natura horum deorum etiam si omnes legeris diverse disputantes (Serv ad Aen. 7, 678. Arnob. 3. p. 122 sequ. Canter. ad eund. p. 14. Elmenhorst. ad eum p. 124. Salmas. ad Spartiani Adrian. c. 14. Voss. etym. v. Novem. Gyrald. Op. p. 20. Müller Etr. II. p. 84), incertus nihilominus abibis. Hoc solum e Varrone et Livio elucet, deos illos indigetibus opponi, unde a *novus* potius, quam a *novem* vox, modo Latinam putemus, derivari possit. De novenario numero dubitare Müllerus quoque videtur.

Secundani Jovis] A secundis et felicibus successibus. Vulc. — Dubito num verum viderit. Mihi Martianus consulto usus esse videtur voce *Secundani*, ne ambigua *Secundi* pro *prosperi* acciperetur. Ita infra (§. 51) etiam *Secundanus Pales* legitur. Certe e tribus fratribus Jovi proximus Neptunus erat, tertius Pluto. Quumque Pluto Jupiter Stygius audiat (Virgil. Aen. 4, 638. Ovid. fast. 5, 418), quid mirum Neptuno nomen inditum esse Jovis secundani? Sed lege hosce Statii (Ach. 1, 48) versus:

— — — »*dextramque* secundi
Quod superest complexa Jovis«

qui sane Neptunus erat. Obstat tamen, fateor, quod inferiori loco (§. 34) Neptunus vulgari hoc nomine adcitatur. Cujus quidem reiteratae adcitationis causam nondum perspicio, nisi eum duplici officio, in mari nimirum et lacubus functum esse ponamus, quippe qui ea de causa a Catullo (31, 3) etiam Neptunus *uterque* appellatus sit. Müllerus (p. 129. 139) neque Secundanum Jovem neque Secundanum Palem explicuit, quod dolemus.

Jovis Opulentiae] Quemadmodum Genius Jovialis Capellae et Arnobio dicitur, itemque Junonis Genius; sic forte Jovis Opulentiae dici videtur. An verum est, quod citatur a Gyraldo »Jovis opulenti«, tum quod Secundani praecessit, tum quod Graeci *Δια πλούβιον* et *πλήβιον* dixerint? Gnot. — Lege *Junonis Opulentiae*. Vonck. (sp. crit. p. 80) — Apage! Bene Martianus Latine, quem Pausanias (2, 19, 7) *Δια πλούβιον*· quem eundem esse censeo, qui Hermeti Trismegisto (cf. Asclep. ap. Gyrald. p. 195) est *Jupiter Plutonius*. E Pausania certe noster satis defenditur. Müllerus igitur (p. 129) non debebat *Jovem Opulentiae* convertere in *Opulentiam Jovis*.

Discordiam] Frequens hujus deae fit mentio (v. Homeri Il. 4, 440. 18, 535. Hesiod. theogon. 226. scut. Herc. 148. 156. Pausan. 5, 19, 1. Phocylid. poem. 71. Ennii annal. apud Serv. ad Aen. 7. 622. Virgil. Aen. 6, 280 et 8, 702. Senec. Herc. fur. 93. Val. Flacc. 2, 204. Stat. Theb. 5, 74. Petron. c. 124. p. 595. Burm. Claudian. in Ruf. 1, 30. Hygin. fab. pr. p. 1 et fab. 92 p. 147 Munck. Fulgent. myth. 3, 7. p. 119. Arnob. lib. 3. p. 115.). Hesiodo auctore Noctis erat filia: cur autem ad nuptias non corroganda fuerit, facile perspicient, qui memminerint, quantas haec dea turbas dederit in nuptiis Pelei et Thetidis; quam quidem fabellam explicare studuit Sallustius philosophus (4. p. 249 Gal.).

quis ad sacras nuptias corrogarit, praesertim quum ipsae Philologiae semper fuerint inimicae? De eadem igitur regione solus Pluton, quod patruus sponsi est, convocatur. Tunc Lynsa silvestris, Mulcifer, Lar coelestis, nec non etiam 48
militaris, Favorque ex quarta regione venerunt. Corrogantur ex proxima 49

Seditionem] Nec Martianus hanc per prosopopoeiam primus finxit. Certe Ovidius (met. 12, 61) ansam fictioni praebuit. Pro *corrogaret* reposui Dresdensis codicis auctoritate *corrogarit*.

praesertim] Lectionem »*praesertim* quum ipsae (Discordia et Seditio) Philologiae« e Monacensibus (B. C. D. E.) in textum recepi. Grotius *praesertimque*: Basileensis et Vossianus (Arntz. misc. p. 208) *fuerunt*: Reichenauensis *ipsi*.

patruus sponsi] Mercurii videlicet, qui Jovis, Plutonis fratris, erat filius.

Lynsa] An non Lympha? cujus meminit Varro Lib. 1. c. 1. de re rustica. Neque te moveat, quod supra dixerit »Lymphae«; multa enim hic deorum vocabula aliquoties repetita. Gnot. — Unus quidem Cantabrigiensis codex Grotii conjecturam firmare videtur; sed in textum hanc lectionem recipere equidem non ausus sum, quum epitheton *silvestris* sit additum et in codicibus Monacensibus (C. D. E. G.), qui cum Basileensi *Linsa* exhibent, glossa sane antiqua hanc »*bestiarum deam*« interpretetur, quo adducor ut credam, scholiastam a Graeco λύγξ nomen repetiisse. Confirmatur haec conjectura Vossiano codice, in quo *Lynxa* (Arntz. misc. p. 208) et Hugiano, in quo *Linxia* legitur. Multos certe noster »silvicolas« divos statuit, nominibus tamen eorum praeteritis. Certe Homerus (hymn. 17, 24) Pani, qui silvester sane deus erat, *lyncis* pellem tribuit. Jure igitur, donec certiora reperiantur, vulgata servanda lectio est.

Mulcifer] Ex Festi etymo a *mulcendo ferro* petito, quod Martianus approbasse videtur. Paulo enim post appellat Vulcanum (§. 49) alio profecto sensu. Hoc contra loco illum notare videtur, qui infra (§. 889) »Lemnius fabrilium tantum operum sollers« cognominatur.

Lar coelestis] Frustra hunc alibi quaesivi. Quoniam autem permulti erant Lares (§. 54 not.), poterat noster loco nobis jam ignoto *Coelestem Larem* deprehendere, vel poetica licentia fingere. Quumque Lares et Genii saepe confundantur (infra §. 54 not.), *Coelestis* ille Lar forsan idem est, qui in lapidum titulis (ap. Grut. 109, 8. 602, 4) *Coeli Genius* audit.

militaris] Forsan »nec non et *familiaris*« Gnot. — Cum Grotio legendum *familiaris*. Voneк. (sp. critic. pag. 146) — *Familiaris*, quod mihi sese probaret, si auctoritate librorum firmaretur. Gorz. — Sed oblitus vir doctus erat, supra (§. 46) a se ipso pro *Lar militaris* repositum fuisse *Mars militaris*, hoc igitur loco *Larem militarem* retineri posse. Haud enim video, cur Lar militaris fingi nequiverit, quum vel *Jovem militarem* (ap. Appulejum de mundo p. 371 Oud.) fictum fuisse legamus, et *Lar* etiam *hostilis* (Alexand. gen. dier. 3. p. 142) et *permarinus* (Liv. 40, 52), quorum uterque non nisi *militaris* esse potuit, reperiantur. Meram Grotii conjecturam Müllerus (p. 130) recipere non debebat.

Favorque] Favores quidem tam fortunae quam fati celebrantur a poëtis (Lucan. 5, 696. 7, 705, 8, 21); sed deum hoc nomine laudatum nondum observavi; quin ipsam etiam vocem *favor* novam esse credebat Cicero (Quinctil. 8, 3, 34. p. 259 Spald.). At si quis ex ingenio aliud reponere nomen

transcursis domibus conjugum regum, Ceres, Tellurus, Terraeque pater Vul-
50 canus, et Genius. Vos quoque Jovis filii, Pales et Favor, cum Celeritate, Solis

voluerit, nil tamen proficiet, siquidem, ut locum taceam superiorem (§. 45), ubi abesse poterat Favor, non hic solum, sed bis praeterea (§. 50. 55) redit.

Tellurus] Vulgaris haec lectio, quam unius Dresdensis codicis auctoritate in *Tellus* mutare eo minus ausus sum, quo plures dii ancipitis generis sunt, maxime autem Terra, de qua Varro apud Augustinum (civ. dei 7, 23): »una eademque Terra habet geminam vim, et *masculinam*, quod semina producat, et *femininam*, quod recipiat atque nutriat: unde a vi feminae dictam esse *Tellurem*, a vi masculi *Tellumonem*.« Tellumo igitur idem esse videtur, qui a nostro Tellurus dicitur. Servius (ad Aen. 1, 169) inter Tellurem et Terram hanc esse differentiam statuit, ut Terra ipsum sit elementum, Tellus vero dea; cujus effigies in monumentis exstat antiquis (ap. Murat. I, 52. Graev. X. 623. Choul. 118. M. A. V. N. 33. Bie 37, 15. et in Museo Florent. IV. 43. 44.) Cf. praeterea egregias ejus laudes apud Statium (Theb. 8. 303).

Vulcanus] Non faber ille, quem modo nomine Mulciferi, et supra (§. 7) Lemnii induxit; sed ignis (Accius ap. Macrob. Saturn. 6, 5), unde Terrae patrem eum nominat. Ovidium (met. 15, 239 sequ.) et Stoicos (ap. Cic. N. D. 2, 24) secutus primum elementum (§. 738) ignem dicit, e quo aër, aqua, terra. Pariter Varro (L. L. 4. p. m. 20) terrae patrem ignem, matrem aquam nuncupat, et paulo post (p. 23) »ab ignis jam majore vi Volcanus dictus.« Pluribus hac de re alio disserui loco (in palaeogr. IV. §. 669).

Genius] Principalis forsan, qui inter Deos selectos refertur (Augustin. de civ. dei 7, 2) et pars universi dicitur, quem in lapidis quodam titulo (Reines. p. 183, n. 103), pariter atque apud Augustinum (7, 13) *deum aeternalem*, in aliis inscriptionibus (Reines. p. 245. n. 293) *Genium aeternalem* appellatum legimus. Sed silentio haud praetereunda in codice Hugieno lectio *unius* pro *Genius*, quae quidem aliter defendi nequit, nisi ab *et unius* comma hoc incipiamus, vocemque ad *Jovis* referamus, quod tamen minus placebit. Ceterum de Geniis in primis disseruerunt Barthius (ad Rutil. 328 Alm. sive in advers. p. 2448 sequ.), Marinius (fratr. Arval. II. 369), Datheus (de Geniis vet. in Martini thesauro diss. II. p. 60), Baudelotius (util. des voyag. p. 218), Graevius (in thesaur. VI. p. 328 sequ.), Montfauconius (in ant. expl. I. p. 310), Lindenbrogius (ad Censor. de die nat. c. 3).

Pales] Illa sive dea, sive deus (Serv. ad georg. 3, 1. Müller Etrusc. II. p. 88), in cujus honorem antiquissima festa Palilia celebrata, et a quo certe distinguendus alius videtur, qui paulo post (§. 51) cognomine Secundani appellatur. Quo autem pacto Jovis filius dicatur, juxta cum ignarissimis ignoro (v. tamen Arnobium 3. p. 113. 123, 125, et Müllerum p. 89).

Favor] Vide supra (§. 47). In Cantabrigiensi codice pro *Favor* semper *Fabor* legitur ex solita illarum literarum permutatione. Quodsi *Labor* inde legeremus (conf. §. 143), ejusdem vocabuli iterationem vitaremus.

Celeritate] Gyraldus (p. 13) vult *Celebritate;* quo jure, equidem ignoro. Ut Veritas ab aliquo veterum poëtarum (Gell. 12, 11) Temporis filia dicta est (cf. et Plut. qu. Rom. 12, p. 266), ita Celeritas Solis, cujus »conversionis, ut ait Cicero (Tusc. qu. 1, 28) celeritas tanta, quanta cogitari non possit.« Unde Arge venatrix, quum cervum sequeretur, cervo dixisse fertur: »Tu licet *Solis* cursum sequaris,

filia, ex sexta poscimini. Nam Mars, Quirinus et Genius superius sunt postulati. Sed etiam Liber ac Secundanus Pales vocantur ex septima. Fraudem 51
quoque ex eadem post longam deliberationem placuit adhiberi, quod crebro ipsi Cyllenio fuerit obsecuta. Octava vero transcurritur, quoniam ex eadem 52
cuncti superius corrogati, solusque ex illa Veris fructus adhibetur. Junonis 53

tamen te consequar« (Hygin. fab. 205); noster autem infra (§. 76) *pennata* ipsi vestigia tribuit. In Zoroastri etiam oraculis (162) ταχὺς ἠέλιος dicitur.

Secundanus Pales] Ut supra Secundanum Jovem dixit. Palis masculi meminit Arnobius: Genium Jovialem, ait, et Palem, sed non illam feminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis ac villicum. Et Servius: Pales autem, ut diximus, dea est pabuli, quam alii Vestam, alii matrem deûm voluerunt. Hanc autem feminino genere appellat Virgilius, alii, inter quos Varro, masculino. Gnor. — Loci a Grotio negligenter laudati sunt apud Arnobium libro tertio (p. 123; conf. 113, 125) et apud Servium ad georgica (3, 1). Plerique certe Romanorum scriptores Palem feminini generis ajunt (Virg. georg. 3, 1; ecl. 5, 35. Ovid. fast. 4, 722. 729. 776. Tibull. 1, 1, 14. 2, 5, 28. Columella 10, 4. Florus 1, 20 f.), sed Servii verba nullam admittunt dubitationem. Copulam *et* ante *Pales* Gyraldus habet, eaque ad libri Norimbergensis marginem, e Vossiano fortasse codice (Arntzen. misc. p. 208) addita est; in Dresdensi etiam *Palesque*, quod idem, legitur: ego vero vulgarem secutus sum lectionem, siquidem nomen *Secundanus* solum vix quisquam interpretari poterit. Iste contra Pales eo magis superiori (§. 50) oppositus esse videtur, quod infra (§. 425) Pales inter deos minores refertur, qui itaque idem Secundanus esse potest.

Fraudem] Graecis haec Ἀπάτη, filia erat Noctis (Hes. theog. 225), eademque a Romanis etiam *Fraudis* nomine memoratur (Cic. N. D. 3, 17) vel Laverna dicta est (Horat. epist. 1, 16, 60) quae fraudibus praecesset (Arnob. 4. p. 143; add. Camden praelect. acad. p. 675. 677. 678).

quoque] Vulgo *quippe*. Illud, quod jam Vonckius conjecerat (sp. crit. p. 80), consentiente codice Bodlejano primo recepi.

Cyllenio] Ita Arnobius (IV. p. 143) quoque »Lavernam cum Mercurio simul fraudibus praesidere furtivis« tradiderat. Conf. Horatium (od. 1, 10, 7).

Veris fructus] Adeo obscurus iste deus est, ut praeter Martianum nemo ejus meminerit. Alius *Veris deus* est, quem Mercurium esse noster supra (§. 27) docuerat. *Ver* ab Ovidio (met. 2, 27) et Appulejo (met. p. 744. 745) etiam per prosopopoeiam quasi numen inducitur. Cujus fructus quum flores sint, Flora intelligi possit, quippe quae »se *Vere* semper frui« apud Ovidium (fast. 5, 207) praedicet. Sed masculinum genus interpretationem hanc respuit. Vide igitur an ex Etruscorum antiquitatibus ille forsan explicari possit? Certe apud Laurentium Lydum (Mense Febr. 20 p. 170 Roeth.) Anysius docet »Φεβρουον τὸν καταχθόνιον εἶναι τῇ Θούσκων φωνῇ, καὶ θεραπεύεσθαι πρὸς τῶν Λουπερκῶν ὑπὲρ ἐπιδόσεως τῶν καρπῶν.« Subterraneum dicit, eodem jure, quo Proserpina dea infera est, et tamen, ut Martiani verbis (§. 81) utar, »frugem exposcentibus tribuit.« Ita et Februus ille, quia sub terra omnia praeparat, ut fructus crescere possint, id quod praesertim in

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

54 vero hospitae Genius accitus ex nona. Neptune autem, Lar omnium cun-

illis regionibus jam Februario mense fieri constat, *Veris fructus* a Martiano appellari certe *potuit*. Sed meliorem fortasse explicationem legeremus, si eam nobiscum communicare placuisset Müllero (in Etrusc. II. p. 130).

hospitae] Lege *sospitae*. Ejus frequens apud auctores mentio. Cultam innuit Cicero cum pelle caprina, hasta, scutulo, ac repandis calceolis. Meminit aedis Junonis Sospitae Livius, quam ait Romanis et Lanuvinis fuisse communem. Monitus sum ab amico, assentiri P. Colvium. Notandum autem hic, quod deorum Genii memorantur, ut in illa tabula antiqua: »Genio numinis fontis. Ser. mon. Chryseros Caesaris nostri lib. Gangala.« Et in alia: »Fontis Aginees Genio B. P. Occilui P. S. T. Alexis Aqueegus. V. S. L. M.« Gaor. — Adeo placuit haec Grotii conjectura Goezio, ut non solum fuisse Junonem |Sospitam locis e Cicerone (N. D. 1, 30) et Livio (8, 14) demonstraret; sed in contextum etiam recipi *Sospitae* pro *Hospitae* inter corrigenda ad calcem editionis suae juberet. Nullus codex *Sospitae* habet, unus tantum (Arntz. misc. p. 208) *hospitio*, quam tamen spernendam esse lectionem patet. Servavi equidem communem, quam glossis antiquiorem esse liquet, quod hae illustrationis causa addunt: »quae dat jura hospitalitatis.« Quodsi perpendissent viri docti illud *hospita*, sive *hospitalis*, sive *hospitus* commune fere deorum fuisse epitheton (Pollux 1, 23. p. 15) atque hospitalium deorum a Romanis scriptoribus saepe mentionem fieri et tam Venerem (Cic. pro Coel. 21) quam Minervam (Pausan. 3, 11 f.) et Jovem (Id. l. c. Hom. Odyss. 9, 271. Ovid. met. 10, 224. Cic. de fin. 3, 20; pro Dejotaro 6; ad Quint. fr. 2, 12. Appulej. de mundo p. 337; met. 3. p. 224. 7. p. 477 Oud. conf. Virg. Aen. 1. 731) *hospitales* dici, Martiano certe veniam dedissent Junonem simili cognomine decorandi; praesertim si apud eundem nostrum (§. 81) legissent, Neptuni etiam conjugem *hospitam* appellari.

Genius] Diis quoque suos Genios adscribi e monumentis patet (Reines. p. 122. n. 85. Marini fratr. Arv. II. p. 368; add. notam ad infer. §. 92).

Lar omnium] Quasi generalis compugnantia rerum, quia ignis aquae repugnat, et terrae gravitas levitati aëris. Gloss. — Videtur Larem cunctalem, *δαίμονα πάγκοινον*, familiari opponere. Sic alibi »et generalis omnium praesul, et specialis singulis mortalibus Genius admovetur.« Vide quae ad Onomacritum. Gaor. — Locus nostri laudatus a Grotio libro secundo (§. 152) legitur: verumque est Genios ac Lares saepenumero pro iisdem accipi (Minucius Felix 3. Censorin. 3, 2. Lactant. 2, 14. Appulej. de deo Socr. p. 152 Oud.); cf. Lud. Vives (ad Augustin. 7, 13), Fabrettus (inscr. p. 72), Montfauconius (ant. expl. I. p. 316. 320). Et licet repugnare videantur quidam lapidum tituli (ap. Gruter. 106, 5. 107, 7. Boissard. IV. 137) dedicati »*Genio Larum* Augustorum«; in iis tamen Lares pro domibus accipiendi sunt, unde iidem etiam *Genii focorum* ab Arnobio (4. p. 130) dicti sunt. Alia contra inscriptio (ap. Bianch. in marm. Crem. p. 31. a): »Felicitati, Lari viali, et Genio loci« illam Geniorum et Larum confusionem probare videtur. Qui enim in hac atque apud Plautum (mercat. 5, 2, 21) est »*Lar* vialis«, idem in aliis inscriptionibus (Reines. p. 247. n. 209) »*Genius* viarum« audit. Quodsi igitur confusos a veteribus esse Lares et Genios statueris, minime Martianum inducentem Larem *universalem* miraberis. Etenim non solum varios et multiplices fuisse *Lares* ex antiquitate cognovimus, utpote Agrestem, qui etiam

ctalis, ac Neverita, tuque Conse ex decima convenistis. Venit ex altera 55

Ruralis, Compitales, Domesticos, qui et Familiares, Grundules, Hostiles, Militares, Permarinos, Praestites, Publicos, Salutares, Viales; sed etiam innumeros *Genios* fictos fuisse notum est, adeo ut Prudentius (c. Symm. 2, 444) scriberet:

———»*cur Genium Romae mihi fingitis unum,*
Quum portis, domibus, thermis, stabulis, soleatis
Adsignare suos Genios: perque omnia membra
Urbis, perque locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra?«

Sic Servius (ad Aen. 5, 85 et 95): »Nullus enim locus sine Genio est« et Festus: »Alii, inquit, Genium esse putaverunt unius cujusque loci deum.« Quibuscum conspirant etiam monumenta, in quibus multifaria obvia sunt genera Geniorum, utpote Aeternalis, Boni, Caelii montis, Centuriae, Civitatis, Cohortis, Coloniae, Exercitus, Fontis, Gubernatoris, Historiae, Horreorum, Jovialis, Jovis, Jovis Stygii, Junonis, Larum Augustorum, Loci, Magni, Municipii, Paciferi, Plutonis, Populi, Priapi, Principis, Publici, Romani populi, Sancti, Senatus, Somni, Theatri, Thesaurorum, Viarum. Vide igitur, an *Cunctalis* Lar forsan ille sit Genius antiquissimus a Varrone (ap. Augustin. 7, 5) inter deos selectos relatus, qui in lapidis etiam titulo (ap. Reines. p. 183. 165) nomine *Genii dei* decoratur, et quem praepositum esse statuebant ac vim habere *omnium rerum gignendarum* (Augustin. 7, 13). *Cunctalis* enim a *cunctus* derivandum, non a *cunctari*.

ac Neverita] Dea timoris vel reverentiae. Vulc. — Alii plerique libri *Nerita*. Forsan *Nerina* pro *Nerio*, ut Gellius l. 13. c. 21, vel *Nerine* pro *Nereides*, ut opportune Neptuno jungantur. Glossa tamen »*Neverita*, reverentiae dea.« Gnot. — Glossa lectionem *Neverita* firmare videtur. Gorz. — Sed nomen inauditum neque idem, quod *reverentia*! Audaciores quam ego, pro *Neverita* fortasse *Reveritam* substituissent; et tale quid jam Vulcanius in mente habuisse videtur. Nec deum tantum Timoris fuisse Virgilius (Aen. 9, 719), Claudianus (in Ruf. 1, 34) et Augustinus (epist. 44) testantur, quem Lacedaemonios coluisse Plutarchus (in Cleom. p. 808) docet; sed feminini etiam generis deam Paventiam apud Augustinum (civ. dei 4, 11) invenies. Quumque Plutarchus monuerit, ubi metum, ibi etiam *reverentiam* esse, et Servius (ad Aen. 7, 327) tradiderit »*Venerationis* Plutonem patrem esse«; probaveris deam ab Ovidio (fast. 5, 23) *Reverentiam* dictam eandem a nostro quoque appellari. Attamen vulgatam non ausim mutare lectionem.

Conse] Consum a Neptuno distinguit; non vero Ausonius, qui canit: »Tum Jovis et Consi germanus Tartareus Dis.« Item: »Caenida convertit proles Saturnia Consus.« Meminere Dionysius, Varro, Augustinus, Servius: sed et Livius et Plutarchus Consualia nominant festa, quae celebrata, ni fallor, vigesimo primo Augusti, iterumque decimo quinto Decembris. Pro Capella glossa vestus: »Conso τῷ υἱῷ τῆς Ἴδυος« Gnot. — *Conse* habent priores editiones et multi e libris scriptis, codices etiam Monacenses quatuor (B. C. D. E.). Alii exhibent *Cosse*, quod facile intelliges, modo breviatae scriptionis vocum qualis *consul* cet. memineris. Fortassis ad eundem deum etiam referenda inscriptio est »Cososo deo« dedicata, licet Reinesius (p. 121 n. 84) locale numen intelligat. Quoniam autem scriptores veteres omnes *Consum* appellant, hoc nomen omnino erat praeferendum. Consiliorum deum fuisse perhibent (Varro L. L. 5. p. m. 54. Festus voce Consualia. Dionys. Halic. 2. p. 100 Sylb.

Fortuna et Valitudo, Favorque, Pastor, Manibus refutatis; quippe hi in con-

et ab eo sua habens Plutarch. in Romulo p. 25. Augustin. 4, 11. Arnob. 3. p. 113. Add. Ovid. fast. 3, 199. Tertull. ad nat. 2, 11; de spectacul. 5). Inprimis notatu digna inscriptio est, quam in circo effossam Tertullianus prodit, hujus quidem tenoris: »Consus *consilio*, Mars duello, Lares comitio (vel ut Salmasius ad Solin. vult »colio« al. »Coilo« Müll. Etr. II. 94. n. 31.) potentes.« Plurimi quidem Neptunum equestrem eundem quem Consum esse affirmant (Liv. 1, 9. Serv. ad Aen. 8, 636. Auson. Eid. 12. monosyll. Dis. Epigr. 69, 9. Ascon. in Cic. Verr. 1, 10. Hieron. in vita Hilar. c. 16); Dionysius autem Halicarnassensis tradit, alia opinione statui »ludos quidem equestres Neptuno fieri: aram vero subterraneam positam Genio cuidam, cujus nomen proferre nefas sit, *δαίμονι ἀῤῥήτῳ*, occultorum consiliorum duci et custodi.«

Fortuna] Difficile dictu est quaenam hic intelligi debeat, sed verisimiliter antiquissima, quippe cui jam Servius Tullius fanum prope Tiberim extra urbem dedicaverit (Varro de L. L. 5. p. 53 f.), et cujus in honorem quotannis festum celebratum fuerit (Ovid. fast. 6, 773), vel ea, quae dicta est *publica* Fortuna (Ovid. fast. 4, 376. P. Victor in urb. regione 6.) sive *populi* Fortuna *potentis*, cujus festum IX Kal. Jun. in Kalendario (Burm. ad Ovid. fast. p. 262) notatur.

Valitudo] Quamvis bonam intelligendam esse, quae saepe Hygieae vel Salutis deae nomine invenitur, conjeceris, supra tamen (§. 45) Salus dea jam adcitata erat. Restat igitur ut ad duplicem verbi *valeo* sensum respiciens Martianus *Valitudinem* deam, quasi *validam*, finxerit pro illa, quae nomine *Valentiae* apud scriptores (Solin. ab init. c. 1) pariter atque in marmoribus (Grut. 2, 12) legitur.

Pastor] Gyraldus citat: »Favorque, Pavore (pro Pastor) et Manibus refutatis.« Probe: nisi forte *Pallore* scripserit Martianus, quod propius abest a veteri seu inveterata scriptura. Et Pallorem, et Pavorem, deos fuisse, nemo est qui nesciat. Gnor. — Quo ex codice Gyraldus lectionem illam habuerit, incertum est: equidem in nullo eam reperi. Sed et Grotius ipse vulgarem lectionem inveteratam esse fatetur; quapropter nihil ausus sum mutare; praesertim quum *pastor* ille *Nomius* esse possit, non quidem legislator (Cic. N. D. 3, 23), sed *ἀπὸ τῆς νομῆς*, ut Servius ad hosce Virgilii (in Georg. 3, 1) versus, ad quos respexisse Martianus videtur, cognomen illud interpretatur:

»*Te quoque, magna* Pales, *et te, memorande, canemus,*

Pastor *ab Amphryso.*«

Attamen non repugnabo si quis Pana maluerit intelligere, quippe quem Homerus etiam *νόμιον θεὸν* appellarit (add. Pausan. 8, 38, 8). Quin etiam fateor illud *que* voci *Favor* adjunctum Gyraldianae lectioni favere. Cuique me audaciori licebit in textum recipere »Pavore et Manibus refutatis.« Ego vero judicium meum suspendo.

Manibus refutatis] Id est: diis inferis repulsis. Vulc. — Male, si quid video. Deos enim inferos, Plutonem, Vejovem, neutiquam repulsos sed potius adcitatos fuisse ex ipso Martiano liquet (§. 47. 59). Manibus autem, Appulejo teste (de deo Socrat. p. 153 Oudend.), non nisi »honoris gratia *dei* vocabulum additum est«, quum incertum sit, »quae cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit an Larva« quippe, inquit, »tantum eos deos appellant, qui ex eodem numero juste ac prudenter vitae curriculo gubernato, pro numine postea ab hominibus proditi, fanis et caerimoniis vulgo advertuntur.« Anceps igitur Manium appellatio est, quia incertum

spectum Jovis non poterant advenire. Ex duodecima Sancus tantummodo 56
evocatur. Fata vero ex altera postulantur. Ceteri quippe illic dii Manium 57
demorati. Ex bis septena Saturnus ejusque coelestis Juno consequenter acciti. 58
Vejovis, ac dii publici ter quino ex limite convocantur. Ex ultima regione 59 60

est, boni an mali illi sint futuri. Unde idem Appulejus (florid. p. 57 Oud.) Pythagoram ait a Brachmanis in India didicisse »quot partes animi, quot vices vitae, quae *diis Manibus* pro *merito suo* cuique *tormenta* vel praemia.« De nomine ipso conf. Müller (Etrusc. II, p. 95).

non poterant] Cur manes a Jovis conspectu removeantur, haec est causa, quia Jupiter aether (§. 67. 149. 150) vel certe superior aër est, Manes autem in inferiori tantum aëre versantur (§. 162).

Sancus] Deus, qui sancit et confirmat res. Vulc. e glossis. — Hercules Sabinorum. Sic Arnobius: »At Hercules Sanctus deus.« Sanctus enim, Sangus, et Sancus idem sunt. Gron. — Male Arnobii locum (L. 4. pag. 145) huc refert Grotius; melius Goezius Ovidium (fast. 6, 215) et Tertullianum (ad nation. 2, 9 f.) laudat; sed uberiores adire poterat fontes (Liv. 8, 20. 32, 1. Fest. v. Praedia. Dion. Halicarn. l. II. p. 113; IV. p. 257 Sylb. Sil. Ital. 8, 422. Propert. 4, 10, 74. Lactant. 1, 15. Augustin. de civ. dei 18, 19 ibique Viv. Varro L. L. 4, 10. Plin. 8, 48, 74. Grut. inscr. 96, 5—8, et prae omnibus Ald. Manut. in Grut. lampade IV p. 173). *Evocatur* pro *devocatur* e Dresdensi codice reposui.

Fata] De Fatis, sive Parcis (Gell. 3, 16), docte disserendo otium nobis fecit Spanhemius (numism. II. p. 639 sequ.). Iterum iterumque eorum mentionem facit noster (§. 89. 360. 735.).

ceteri] Sensus est, ex *altera*, nimirum quae duodecimam sequeretur, tertia decima regione non nisi Fata postulata esse, quum reliqui in ea Dii Manium essent, quos Jovis in conspectum venire non posse (§. 55) noster dixerat. Innumerae leguntur inscriptiones »Dis Manibus« dicatae, id quod probe advertit Prudentius (c. Symm. 1, 402; add. superior ad §. 5 not.). Graeci ὑποχθονίους eos vocant (Apollodor. 3, 10, 2 f.) sive καταχθονίους (Strab. 5, p. 244; 7, p. 277). Probe Manes a Superis distinguit Virgilius (Aen. 10, 34; 12, 646. 647).

ex] Omiserat hanc particulam Grotius, quam e codicibus Monacensibus (B.D.E.) suppleri.

ejusque coelestis Juno] Quia Saturni erat filia: unde notissimum ejus nomen Saturnia (Ovid. met. 4, 447. 463. 5, 330; fast. 5, 235. 6, 507. Virg. Aen. 1, 23 cet. Silius 2, 527. 3, 711. 9, 290. 14, 46), quod apud nostrum (§. 727 f.) etiam et in lapidum titulis (Grut. 89, 3) legitur. *Coelestis* autem cognominatur, ut ab *Inferna* (Virg. Aen. 6, 138), *Averna* (Ovid. met. 14, 114. Sil. 13, 601), sive *Stygia* (Stat. Theb. 4. 526. Appulej. met. 11. p. 763 Oud.) distinguatur.

Vejovis] Meminerunt ejus Cicero (N. D. 3, 24), P. Victor (urb. Rom. reg. 8), et Plinius (H. N. 16, 40, 79). Quantopere autem in describendo eo dissentiant veteres, ex eo patet, quod alii (Gell. 5, 12) eum nocentem et sagittis armatum, alii (Fest. v. Vesculi p. 389 Dac. Ovid. fast. 3, 430. 437. 440) juvenem et inermem dicunt, mirorque doctos Ovidii interpretes, qui hanc contradictionem ne verbo quidem attigerint; unde omnino Gronovius ad Gellium (p. 402 Conr.) conferendus. Sed aperte

61 Nocturnus, Janitoresque terrestres similiter advocati. Ex cunctis igitur coeli regionibus advocatis diis, ceteri, quos Azonos vocant, ipso commonente Cyl-

Martianus infra (§. 167) »Vejovem, Vedium, Ditem et Plutonem unum eundemque esse« docet, praesidiumque habet non solum in monumentis a Gronovio allatis, sed in devovendi etiam formula a Macrobio (Sat. 3, 9) prodita, cujus prima verba sunt: »Dis. Pater. Vejovis. Manes.«

publici] »Deos publicos« Varro (ap. Augustin. 7, 17) esse ait eos, »quibus Romani aedes dedicavere, quosque pluribus signis ornatos notavere.« Eosdem inscriptiones etiam produnt adhuc exstantes (Grut. inscr. 106, 2, 3).

Nocturnus] Dudum Nocturni meminerat. Hic itaque loco non suo quantocius erit dejiciendus. Lege: »Ex ultima regione Forculus, aut Foriculus.« Vide Augustinum de civ. dei L. 4. c. 8 et L. 6. c. 7; *nisi malueris* »Vortumnus« *aut* »Portumnus.« Vide Festum hac voce. Voscx. (sp. crit. p. 80). — Certe illud viri docti »*nisi malueris*« centies repeti potest. Equidem *malo* pro non scriptis habere ejusmodi conjecturas nullis argumentis fultas. Diversus quidem Nocturnus hic a superiori (§. 45) esse videtur; quinam autem sit non liquet. Videant alii num forsan loco illi (Ovidii de art. am. 1, 567):

»Nycteliumque *patrem* nocturnaque *sacra precares* lucem debere possit?

Janitoresque] Janitorem aulae coelestis quidem Janum (Ovid. fast. 1, 1, 139) Orcique janitorem Cerberum (Virg. Aen. 8, 296) novimus; terrestres autem alibi nequidquam quaesivimus. Si quid video, Martianus popularium suorum scripta ante oculos habuit, vel Tertulliani, qui (de idolol. 15): »Cardeam« docet »a *cardinibus* appellatam, Forculum a *foribus*, Limentinum a *limine*«; vel Arnobii, qui (l. 4. p. 132) Romanorum ridet opinionem »Limentinum et Limam custodiam liminum gerere et *Janitorum* officia sustinere.« Sed accuratius Augustinus (de civ. dei 4, 8) inquit: »Unusquisque domui suae ponit ostiarium, et quia homo est, omnino non sufficit. Tres igitur deos posuerunt, Forculum *foribus*, Cardeam *cardini*, Limentinum *limini*.« Confer Ovidium (fast. 6, 127). Hos igitur noster uno *terrestrium Janitorum* nomine comprehendisse videtur.

Azonos] Qui intra zonas, sive sedecim has regiones non habitant. Vulc.— Azonorum meminit Servius ad illud Virgilii:

»*in medio focos et dis communibus aras.*«

»Dii, inquit, communes sunt, ut aliqui dicunt, Mars, Bellona, Victoria, quod hi in bello utrique parti possunt favere; ut autem altioris scientiae hominibus placet, dii communes sunt, qui ἄζωνοι dicuntur, id est, qui coeli certas non habent zonas.« In catalectis habes. Gnor. — Melius Serviam intelliges, si verba (ad Aen. 12, 118) etiam ea, quae Grotius omisit, addideris. Scripserat enim: »qui coeli certas non habent partes, sed generaliter a cunctis colantur: ubique enim eos esse manifestum est; ut Mater deûm, cujus potestas in omnibus zonis est.« Curiosius Psellus in brevi expositione dogmatum Chaldaicorum (in Gallaei Sibyllin. orac. append. p. 111) inquit: »ἄζωνοι sunt dii, qui zonam non habent, ut Sarapis, Dionysus, sive Bacchus; Osiridis item ὅσιρα quasi ad geniorum series catenae more connexa, et Apollinis, appellantur azoni dii, quod expedite potestate sua in zonis utuntur et supra deos conspicuos collocati sunt« (add. Stanleyum in Clerici op. philos. 1, 2, 7; et Cleric. in indice).

commonente] Grotius *commovente* edidit, no-

lenio convocantur. Tunc elementorum praesules, atque utilitatis publicae 62
mentiumque cultores, omnisque populus potestatum, quis Numae multus
successor indicatur; qui confestim omnes imperio Jovis convocati, in aulam

stramque lectionem, quam et Basileensis habet, ad marginem rejecit; male!

elementorum praesules] Eosdem, quos inf. (§. 211) »elementorum *praesides*« appellatos cum angelis animisque beatorum sociatos Mercurii comites fingit. Diodorus quidem (1, 12) elementa ab Aegyptiis pro diis habita esse docet; et Minucius Felix (19, 12) Zenonem interpretari ait »Junonem aëra, Jovem coelum, Neptunum mare, ignem Vulcanum, et ceteros similiter vulgi deos *elementa* esse monstrare.« Quod etiam Empedoclem statuisse, diversis tamen deorum nominibus cuique elemento adscriptis, Diogenes Laertius (8, 76. p. 538 Meib.) tradit. Conf. Stobaeum (in ecl. 1. 3. p. 67 Heer. 1, 11, 11. p. 289. 1, 52, 40. p. 973 f.). Attamen mirum videri potest, hosce deos, qui jam aderant, a nostro iterum in scenam duci, nisi eos duplicem personam sustinuisse et eo fere modo elementorum praesides appellatos esse dicamus, quo Cicero (in Verr. 5, 72) Mercurium »juventutis *praesidem*« dixit, quantumvis majus etiam huic deo incumberet officium. De elementis confer et notam inferiorem (ad §. 758).

mentiumque cultores] Similiter Persius (5. 63):

»*Cultor enim es juvenum*«;

philosophos enim intelligo, quos infra (§. 211. 215) etiam inter »beatorum veterum animas, quae coeli templa meruerint« refert, quosque Virgilius (Aen. 6, 663) in elysio collocat:

»*Inventas aut qui vitam excoluere per artes.*«

Confer et Ciceronem, qui (pro Rabir. 10) pariter dixerat »virorum *sapientissimorum mentes* sibi videri ex hominum vita ad deorum religionem et sanctimoniam demigrasse, seque pro illorum fama, gloria, memoria, non secus ac pro patriis finis atque delubris propugnandum putare« (conf. infra §. 94). Ceterum *mensiumque* pro *mentiumque* in codice Cantabrigiensi exstare ea tantum de causa observo, ut attentos criticos faciam ad corruptam tantopere ex sola pronuntiatione scribendi rationem, de qua diligenter (in palaeogr. V. III) interpretes, sed surdis interdum auribus praeditos, admonui.

indicatur] Ita in plerisque exemplaribus, etiam manuscriptis. Unus vero habet *indicat* cum interrogatione, ut sit sensus: »Nec Numa, qui cum Egeria nympha congrediebatur, nec quisquam ejus successor potest indicare nomina omnium illorum coelestium potestatum.« Vulc. — Locus est nodosus: forte an sic enodandus: »cum quis Numa, multusque successor. Inde atque confestim«; vel si mavis »Tullusque successor« non pugnabo: successit enim Numae Tullus Hostilius, sed hoc longius abscedit. Gnor. — Neque Vulcanius, neque Grotius locum intellexit. *Potestates* quas dicit ipsi reges et imperatores sunt Romanorum in deorum numerum recepti; quorum tamen primus Romulus Quirini nomine supra (§. 46. 50) jam indicatus hoc loco praeteriri a Martiano potuit. Quinam reliqui sint, definire noster non audet, ideoque *multos* tantum *Numae* successores nominat. »Deum«, Cicero (de N. D. 3, 15) inquit, »habent Romulum nostri *aliosque complures*, quos quasi novos et *adscriptitios cives in coelum receptos* putant«; et alio loco (de legib. 2, 8. p. 100 Davis.): »Divos et eos, qui coelestes semper habiti, colunto et ollos, quos endo coelo merita locaverunt, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, *Quirinum*.« Hi enim omnes initio mortales erant. Claudianus igitur (bell. Gild. 131) in universum:

63 coelitum convibrantibus venere sideribus. Tunc Janus in limine, militesque Jovis ante fores regias constiterunt, ingressuros etiam cunctos nominatim vo-
64 cabat Fama praeconans. At intra consistorium regis quaedam femina, quae

»*Moerent indigetes, et si quos Roma recepit*
Aut dedit ipsa deos« — —

(Adde Minuc. Felicem 6, 2). Quod autem ad Numam attinet, notissima res est, deorum cultus fundamenta ab eo jacta fuisse (Florus 1, 2. Quinctil. 3, 7, 18. p. 555 Spald.), unde Prudentius (perist. 2, 443):

»*Fiat fidelis Romulus*
Et ipse *jam credat* Numa«

quasi maximum Christianae religionis triumphum canit. Arnobius etiam (2. p. 50) »Numae regis superstitionum« meminit; neque est cur hoc Martiani loco corruptum Numae nomen esse cum Fabricio (in bibl. Lat. III, p. 222 Ern.) censeamus.

coelitum] E Basileensi codice sic reposui pro *coelitem* in editis, quamvis hoc, quod paulo post sequitur (§. 64), etiam legi posse alii censuerint.

convibrantibus] Ita pro *cum vibrantibus* non solum in Grotianae editionis margine notatum; sed Guelferbytanus etiam codex teste Cortio, praetereaque Hugianus, Basileensis, Britannicus, Cantabrigiensis, et Bodlejanus primus habent. Sensus est: »Sidera recipere cum applausu animas eorum qui coelum meruerint« (§. 94, 211). In astris enim dii (§. 93, f. 97.). Unde locutio Martiano familiaris »propositum in sidera tendere« (§. 93) sive »propositum sidereae cupiditatis« (§. 94). Mortales enim coeli ascensione digni inter stellas recipiebantur (Hygin. fab. 224. p. 291 Munck.).

limine] Hoc suum officium profitetur ipse Janus verbis »coelestis janitor aulae (Ovid. fast. 1, 139) qui *limina servo*« (1, 173). Ita et Virgilius (Aen. 7, 610):

— — »*nec custos absistit* limine Janus.«

Fama] Prorsus contraria Valerius Flaccus de Fama haec canit (2, 217):

»*Quam pater omnipotens digna atque indigna canentem*
Spargentemque metus placidis regionibus arcet
Aetheriis.« — —

Atque alii etiam poëtae (Virgilius 4, 173. Ovid. met. 12, 43) in malam partem eam accipiunt. Claudianus quidem (Stilich. 248) idem Famae officium, quod noster canit; ejus tamen versus non ut Burmannus, sed hoc modo legas velim atque distinguas:

»*Haec dum Roma refert, jam Fama loquacibus*
ales
Pervolat oceanum linguis, et mille citatos
Festinare jubet proceres« — — —

male enim vir doctissimus »*alis* loquacibus« edidit, licet *ales* Mercurius, *ales* Amor, cet. minime inauditi sint; at *alas* dicere *loquaces* Claudiano profecto indigna figura erat.

praeconans] Glossa: »*Praecono* κηρύσσω.« Utitur et Cyprianus lib. 1 adv. Demet. uti mihi indicium fecit Meursius meus. Gloss. Isidori: »*Praecono*, praefor, loquor.« Gnor. — Finxisse haec videtur Martianus ad *nomenculatorum* officii similitudinem, quos *praeconum* etiam nomine appellatos esse lapidum tituli docent (Grut. 626, 1, 3. A. 1116, 6). Conferre praeterea operae pretium erit Horatium (epist. 1, 6. 50) et Juvenalem (sat. 1, 97):

»*Ille tamen faciem prius inspicit, et trepidat, ne*
Suppositus venias, ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies: jubet a praecone vocari« cet.

Plura dabit Pignor. (de serv. p. 144 sequ. ed. 1623).

Adrastia dicebatur, urnam coelitem superamque sortem irrevocabilis raptus celeritate torquebat, excipiebatque ex volubili orbe decidentes sphaeras peplo inflexi pectoris *Εἱμαρμένη*. Clotho vero, Lachesis, Atroposque, quoniam sen- 65

Adrastia] Cf. praeclarum locum Ammiani Marcellini (14, 11, p. 65 Gronov.): »ultrix facinorum impiorum, bonorumque praemiatrix *Adrastea*, quam vocabulo duplici etiam *Nemesin* appellamus; jus quoddam sublime numinis efficacis, humanarum mentium opinione lunari circulo superpositum, vel, ut definiunt alii, substantialis tutela generali potentia partilibus praesidens fatis; quam theologi veteres fingentes Justitiae filiam ex abdita quadam aeternitate tradunt despectare terrena. Haec, inquit, ut regina causarum et arbitra rerum ac disceptatrix *urnam* sortium temperat, accidentium vices alternans, voluntatumque nostrarum exorsa interdum alio quam quo contenderant exitu terminans multiplices actus permutando convolvit; eademque necessitatis insolubili retinaculo mortalitatis vinciens fastus tumentes incassum, et incrementorum detrimentorumque momenta versans nunc erectas mentium cervices opprimit et enervat«, cet. Plura de Adrastea dabit Spanheim. ad Callim. h. Apoll. v. 107; Wyttenbach. ad Plut. de sera num. vind. p. 107 et ad Plat. Phaed. p. 251, et Blomfield. ad Aeschyl. Prometh. v. 972. Eandem esse cum Fato et Necessitate Aristoteles confirmat (de mundo c. 7 et in Stobaei eclogis 1. 6. 22, p. 190 Heeren.), quare parum abest, quin ex ipso Platone hausisse nostrum arbitrer, qui (Republ. 10, p. 616 Steph.) fusum (*ἄτρακτον*), quo totius mundi forma exprimitur, *ἐν Ἀνάγκης γόνασι στρέφεσθαι* ait; sicut etiam Apollonius Rhodius (Argon. 3. 133) simile artificium, quo orbium coelestium cursus significantur, ab Adrastea dono datum Jovi canit. *Urna* vero est unde sortes exeunt; qualem Minoi quoque tribuit Virgilius (Aen. 6. 432).

torquebat] Verba: »torquebat excipiebatque ex volubili« in Hugiano codice culpa, ut videtur, librarii desiderantur, eorumque loco absurdum hoc glossema insertum est: »Sortes enim propter humanam impotentiam repertae sunt, quia per se nesciebant homines quid esset, vel quid vitandum foret.«

sphaeras] Id est gyros, quos rota faciebat. Vulc. — Vix arbitror. Cf. descriptionem Fati, quod Graeci *Πεπρωμένην* sive *Εἱμαρμένην* vocant, ex Chrysippi Stoici sententia apud Gellium (6. 2): »Fatum est, inquit, sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum et catena, *volvens* semetipsa sese et implicans per *aeternos consequentiae ordines*, ex quibus apta connexaque est.« Adde Cic. de div. 1, 55, 125; et Euseb. Praep. evang. 15, 15, p. 818.

peplo inflexi pectoris] Hypallage pro inflexo peplo pectori.« Vulc. — Etenim ut orbes peplo excipi possent, hoc inflexum esse debebat.

Εἱμαρμένη] In editis libris *Imarmine* legitur, in manu scriptis Britannico, Cantabrigiensi, Bodlejano primo, Monacensibus (B. C. E.) *Imarmene*, in Hugiano perperam *in marmore*. Glossa Monacensis (E) addit: »Ymarmene quasi proprium feminae, quae hoc faciebat. Interpretatur (sic) autem ex Graeco Ymarmene *chronus seneches*, temporis continuatio.« In Bodlejano etiam codice glossa addit: »Lunaris dea, quia *mene* Luna dicitur«; et in Britannico: »firma memoria.« Quas absurdas interpretationes cum in finem commemoro, ut palam fiat, nihil fere ab istis scholiastis disci posse (§. 2. not.). *Εἱμαρμένην* autem Latinis literis scriptam *Imarminen* nemo mirabitur; pariter certe Ovidius

tentias Jovis orthographae studio veritatis excipiunt, utpote librariae superûm archivique custodes, quum senatum curiamque contrahi, et ipsum Tonantem exuviis indusiari publice cernerent, magistratus in acta coelestiumque consultum
66 stilos acuunt cerasque componunt. Tunc Jupiter, publica et quae senatum contracturus assumit indumenta percipiens, apponit primum vertici regalis

(met. 14, 89) et Lucanus (5. 101) *Inarimen* scribunt pro *Εἰναρίμη* (conf. Palaeogr. crit. IV, p. 534). Aspirationem autem modo demi modo addi supra jam monui (§. 7).

Atroposque] Lege de hac Parca Claudiani (de bello Gild. 201) versus:

»*Iret adhuc in verba dolor, nisi Jupiter alto*
Coepisset solio. Voces aulamante notabat
Atropos, *et Lachesis jungebat stamina dictis.*«

Scribentis equidem (in palaeogr. crit. III. §. 327) hanc olim exhibui effigiem:

orthographae] Ita praeter Leidensem codicem (Munck. ad Fulgent. p. 40) codices etiam Monacenses, Guelferbytani teste Cortio, Bodlejanus primus, Basileensis, Reichenauensis, Darmstattensis, et Dresdensis, librique editi antiquiores: veramque hanc lectionem esse glossa testatur, qua explicantur »*rectae* scriptrices.« Orthographae igitur ad tria illa Parcarum nomina referendum. Cassiodorus etiam (de inst. div. praef. in f.) adjectivo *orthographus* utitur.

librariae] Defenditur Martianus marmore antiquo (in mus. Pio-Clem. ed. Mediol. T. V. tab. 34), in quo Parcarum una, Clotho, fingitur utraque manu volumen gestans. Confer inferiorem locum (§. 89).

archivique] Alii »archium.« Capella »archivum« scripserit. Consonus est huic loco ille Ovidii:

— — — »*intres licet ipsa sororum*
Tecta trium, cernes illic molimine vasto
Ex aere et solido rerum tabularia ferro.«

Tabularia Nasoni, quae Martiano archiva. Gnor. — Neque est quod *archium* reponamus. Voce *archivum* jam ante Martianum non solum popularis ejus Tertullianus (apol. 19), sed alii etiam (v. Duker. de latinitate ICtor. p. 444) usi sunt.

exuviis] Ita Octavius (Sueton. Aug. c. 94) in somno vidit »filium mortali specie ampliorem cum fulmine et sceptro *exuviisque* Jovis Opt. Max. ac radiata *corona*.«

indusiari] Utitur sensu eodem Capella libro secundo, et Apulejus: »Pulchre indusiatus adulescens.« Gnor.

vertici] Descriptione mundi per verticem Jovis altissima pars mundi, id est sphaera coelestis, intelligitur; per coronam Zodiacus; per rutilans vela-

serti flammantem coronam, contegitque ex posticis caput quodam velamine rutilante, quod ei praesul operis Pallas ipsa texuerat. Dehinc vesti admodum candidae obducit amictus hyalinos, quos stellantibus oculis interstinctos crebri vibratus ignium luminabant. Tunc duos globosos orbes, quorum unus auro, electro alius praenitebat, dextra porrectiore corripuit: laeva enneaphthongon

men splendor aetheris. Vestis candida superiorem aërem, hyalini, id est vitrei, amictus perspicuitatem aëris designant; per vibratus ignium intelliguntur stellae. Vulc.

contegitque] Velamen hoc Jovis contemplaturi Winckelmannum (monum. n. 11) et Viscontium (in museo Pio-Clement. V. tab. 2 edit. Mediol.) adeant. An riciniatus Jupiter, de quo Arnobius (6. p. 209), idem sit, nondum liquet. At non Jovi tantum, sed Saturno etiam (§. 70) et Junoni caput tectum (§. 67) noster tribuit, quin et reliquis diis, mortalibusque in deorum numerum receptis, hoc commune fuisse, ita ut divinitatis esset nota, uberius demonstravit Cuperus (apoth. Homeri p. 202 sequ.). Quid? quod omnes umbras sive animas velatas a veteribus pictas esse multa testantur monumenta (Graev. thesaur. ant. Rom. XII. Tab. 10. Museum Pio-Clem. IV. tab. 35. V. tab. 18).

ex posticis] Libro II. de lectica loquens: »Postica (ita lego ex MS.) Epimelis et Agrypnia dilecta sustulere mancipia.« Gnor. — Intellige *partibus*; illud enim adjectivum est, et male Grotius (§. 145) correxit e MS. suo *postica*, siquidem *posticam*, scilicet *partem*, noster voluit.

texuerat] Arnobius (3. p. 112): »Vestis indigent (dii) tegmine, ut virgo Tritonia curiose iis stamen neat, et pro qualitate temporis, aut trilices tunicas, aut de serico et sine onere imponat.« Adde Oppianum (de piscat. 2, 23.) Sed magis ad Apollinaris Sidonii hosce versus (carm. 15, 126; p. 378 Sirm.) noster respexisse videtur:

»*At parte ex alia textrino prima Minervae*
Palla Jovis rutilat« — — — — — — —

Nam altior verbis sensus inest, quam si ea de textoria tantum arte explicare volueris. Pallas enim summus aether (§. 39. 568), qui *rutilante* hic *velamine* significatur.

dehinc] Sive *dein*, ut in Guelferb. Cortius legit.

hyalinos] Junoni etiam (§. 67) »hyalinam vestem« tribuit, quoniam aether pariter atque aër lucem transmittit. Romanorum poëtae Latina quoque voce *vitreum* usi sunt, ut *aquosum* denotarent (Silius 4, 347. 7, 413), pariterque Martialis (12. 3. 13) aquam ob perspicuitatem *vitream* appellavit. Colorem si intelligere malueris, ille erit, ut Ovidii verbis (met. 5, 48; art. am. 3, 173) utar, »aëris quum sine nubibus est.«

duos globosos] Non *duo*, ut Grotius, sed *duos* editiones anteriores, Hugianus et Cantabrigiensis codices habent, licet parum interit. Duobus globis, ni fallor, Solem et Lunam denotare voluit, auro illum (§. 73. 188), electro hanc. Electrum hoc quoque loco, ut Heynius ad Virgil. georg. 3, 522, metallum, non succinum intelligendum puto, quia illud splendore nobilius, quanquam *adulterato*; aurum enim, cui quinta argenti portio inesset, *electrum* appellatum esse Plinius testatur (33. 4), quod λευκὸν χρυσὸν Herodotus dixit (1. 50). Conf. doctam Buttmanni dissertationem (in Mythologo T. II, p. 337 sequ.).

enneaphthongon chelyn] Ut ἐννεάχορδα apud Athenaeum (14 p. 636). Hac lyra regimen harmo-

chelyn innitenti similis imprimebat. Calceos autem smaragdineae fluctu viriditatis herbosos vestigiis ejus Tellus annexuerat. Insidebat autem ex pavonum pennis intortextae oculataeque pallae, ex qua multicoloribus notulis variata

niae coelestis designatur; novem autem ei chordas tribuit, quia supra (§. 28) harmoniam illam ex septem planetis cum sphaera aplane et terra constare dixerat. Conf. Euclid. in introd. harm. p. 19. Meib. et Strab. 13. p. 618 Casaub. Hugiumque in libro de myth. p. 183. 184, inprimis autem Boeckhium in Creuzeri Stud. T. III, p. 89 sequ.

calceos] Ex hac calceorum descriptione quilibet terram agnovisset, etiamsi Martianus non addidisset a Tellure eos annexos esse. Sapit poëtica haec descriptio opinionem antiquissimam, dei sedem a coelo inde usque ad terram pertinere, quam ideo dixerunt »suppedaneum pedum ejus«, Serapisque, deorum maximus, in epigrammate Graeco, a Macrobio (Sat. 1, 20) nobis servato, ipse de se praedicat: »*Γαῖα δέ μοι πόδες εἰδί.*«

smaragdineae] Duo *smaragdinae*. Vonck. (sp. crit. p. 147) — Sed illam adjectivi formam, qua noster utitur, Venantius etiam Fortunatus (8, 6, 18) habet. Martianus »calceos fluctu smaragdineae viriditatis herbosos« dixit, quia smaragdis color tribuitur *viridis* (praeter Plinium vide Lactantium in carm. de Phoenice 135).

viriditatis] Grotius *viriditati*: nostram lectionem codices praebent Dresdensis, Basileensis, Darmstattensis, Bodlejanus, Britannicus, Cantabrigiensis, Hugianus, et teste Cortio Guelferbytanus.

annexuerat] Grotius *annexuit*. Sed illud, quod reliquis verbis conformius est, e codicibus Monacensibus (B.D.E.G.) recepi.

insidebat] Lege: *infigebat autem* et *pavonum pennas* cet. Vonck. (spec. crit. p. 147) — Minime! Sensum scilicet criticus capere nequibat, qui hic est: »*insidebat* Jupiter pallae ex pavonum pennis intortextae et oculatae, ex qua pictura notulis multicoloribus variata vernabat.« Palla enim amplioris vestimenti genus est, quod noster, sicut infra (§. 71) Terrae *herbidam pallam* tribuit, Jovis vestibus supra descriptis addit, eique eum insidere fingit. Vestes enim ita etiam usurpatas esse Pollux (7, 51; p. 722) docuit.

oculataeque pallae] Coelum significat, stellis distinctum, eadem figura qua infra (§. 811) *Astronomiam* »quandam *gemmatam* nec minus totis artubus decenter *oculeam*« finxit, Argi nimirum fabulam respiciens, de quo Macrobius (Saturn. 1. 19): »Argum, quem ferunt per ambitum capitis multorum oculorum luminibus ornatum — sed sub hujuscemodi fabula Argus est coelum stellarum luce distinctum, quibus inesse quaedam species coelestium videatur oculorum.« Plura dabit C. Fr. Hermannus ad Lucian. de hist. scr. p. 75. *Pavonis* autem e pennis textam eam pallam ait eandem ob causam, quia Argi occisi oculos, Ovidio teste (met. 1. 722), Juno excepit volucrisque suae pennis collocavit, et *gemmis* caudam *stellantibus* implevit; quapropter et Martialis (14. 85. 2):

»*Nunc Junonis avis, sed prius Argus erat*«,

et Gallus poëta (de duab. soror. fragm. 15):

»*Quum quatit et caudam Junonius explicat ales,*
Mille oculos, gemmas mille decenter habet.«

Pro *notulis* Vonckii conjecturam (spec. crit. p. 147) *floribus* aut *flosculis* retulisse taedet.

variata] MS. *varie grata*; lege *variegata*. Gnot. — MS. *varicata*, *variegrata*, forsan *variegata*? Oudend. (ad Appul. T. I. p. 785. II. p. 296) — Postremum in textum quidem recepit Goezius; ego vero prius retinui, siquidem in uno tantum Rei-

pictura vernabat. Sub calceis vero fuscinam deprimebat. Hujus suggestui 67
subditus Junonis consessus, haud indecenter ornatus. Ipsa vero tecto capite lacteo quodam calummate praenitebat, cui gemmis insitum diadema pretiosis: nam neque Scythidis virecta, nec Cerauniorum vibrans fulguransque lumen,

chenauensi codice *variegata* legitur, et ex corrupta quorundam scriptura constantem in reliquis lectionem corrigere nefas est; praesertim hoc loco, quo noster eodem jure utitur, quo Appulejus popularis ejus, apud quem legimus (de mundo p. 296): »coloribus variatur«, vel Catullus, qui (64, 50) »vestis priscis hominum *variata* figuris« per hypallagen scripserat.

fuscinam] Bongarsius *fuscinam*, male! Subintelligendum sine dubio *mare*. Infima Latinitas fuscinum pro fusco, ut aurinum pro aureo, et marmorinum pro marmoreo dixit. Gozz. — Profecto non erat, quod corruptum Martiano *fuscinum* obtruderet vir doctus. *Fuscinam* non Bongarsii tantum codex, sed Dresdensis etiam, Basileensis, Hugianus, Britannicus, Guelferbytanus, et Monacenses (C et E) habent, atque antiquam hanc lectionem esse glossa (E) testatur, qua »*fuscina*, sive tridente, mare significari« probe annotatur, quae praeterea notissima res est (cf. Cic. nat. deor. 1. 36).

subditus Junonis] Ita rectius transposita verba in Hugiano codice, Britannico, Cantabrigiensi, Basileensi et Darmstattensi.

calummate] *Galummate*. Lege vel *calymmate*, G pro C positum; vox est Graeca *κάλυμμα*. Gron. — Quoniam autem Leidensis codex (v. Appul. II. p. 360 not. Oud.) recte habet Latinis quidem literis scriptum *calummate*, hanc lectionem in textum recepi. Sed liberum ut sit arbitrium iis, qui maluerint *chlamyde* legere, hic addo lectionem *clamide*, quam Cortius e Guelferbytano codice adnotavit.

gemmis] Nonnus (in Dionys. l. 32; p. 82) gemmis etiam pretiosis ornatam Junonis coronam pluribus descripsit versibus.

Scythidis] Id est Smaragdi. Gozz. — Ita etiam Salmasius (ad Solin. p. 195 ed. 1629). Sed legere debebant viri docti nostrum paulo inferius (§. 75), ubi: »gemmarum, inquit, *Smaragdus* una, *Scythis* altera, Jaspis tertia vocabatur«; quo patet a Martiano minime Smaragdum et Scythidem pro una eademque gemma acceptas esse.

virecta] Ita habent veteres membranae bibliothecae Leidensis; non *vireta*, ut ediderunt. Festus: »*Dumecta* antiqui quasi *dumiceta* appellabant, quae nos *dumeta*.« Idem: »Vestices *frutecta* densa dicta a similitudine vestis.« Lactant. Argument. Metam. 1, cap. 3: »*Frutecta* sylvarum.« Marcellin. l. 14: »*Frutecta* prensando vel dumos.« Virg. Aen. 6: »Amoena *virecta*.« Munck. (ad Fulg. p. 12). — Addere poterat Sedulium (37), qui Virgilium imitatus est. Codices etiam Dresdensis, Britannicus, Cantabrigiensis, Hugianus, Basileensis, Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacenses (B. D. E. G.) *virecta* habent.

Cerauniorum] Claudianus:

— — »*Pyrenaeisque sub antris*
Ignea fulmineae legere Ceraunia nymphae.«

Ita et hoc loco Cerannii color e pyropo: quare manifesto Ceraunium inter ardentes et ignitas gemmas retulere contra veterum sententiam, quibus Plinius utitur auctoribus. Salmas. (p. 278) — Ceraunium recentiores scriptores *carbunculum* vocarunt. Tertull.: »Cerauniis gemmis non ideo substantia ignita est, quod coruscent rutilato rubore.« Gozz.

nec flucticolor hyacinthi credebatur abesse profunditas. Sed totum illud sertum capitis fulgurantis Thaumantias obtulisse reginae coelitum ferebatur. Ipsius vero divae vultus assidua perlucens gratia, fratri consimilis, nisi quod ille immutabili laetitia renidebat, haec commutationum assiduarum nubilo crebrius turbidabatur. Nam vestis ejus hyalina, sed peplum fuerat caliginosum, quod

flucticolor] Idem est color, quem melius descripsit Martialis (4, 61, 7) versu:

»*Duasque similes fluctibus maris gemmas.*«

Sed amat noster composita hujus generis adjectiva, ut: multicolores (§. 66 f.), multigenum, multiangulum (§. 138), multifidum (§. 117. 227), multividum (§. 109), multinodum (§. 425), diversicolor (§. 14. 15. 67. 811). Aliorum scriptorum similia collegit Burmannus (ad Ovid. met. 11, 611; p. 794).

Thaumantias] Iris Thaumantis filia, Junonis ancilla (Hesiod. theog. 265. 266; Plat. Theaet. p. 155 Steph.). Familiari hoc Romanis etiam poëtis (Virg. Aen. 9, 5. Ovid. met. 4, 479. 11, 674. 14, 845. Val. Flacc. 8, 116. Claudian. rapt. Pros. 3, 1; add. Cic. N. D. 3, 20) nomine satis docetur Junonis diademate modo descripto arcum denotari coelestem. Iris enim (Virg. Aen. 4, 701)

»*Mille trahens varios adverso Sole colores.*«

Add. Ovid. Metam. 6, 65. 11. 589. Claud. rapt. Pros. 2, 98. Sen. nat. qu. 1, 3, et Appulej. de mundo p. 323 Oudend.

laetitia] Differentiae causa, quae inter Jovis et Junonis naturam statuitur, haec est: illum pro aethere, hanc pro aëre veteres habuerunt (Cic. N. D. 1, 15. 2, 25 et 26; acad. quaest. 4, 41. Macrob. Saturnal. 3, 4. Porphyr. ap. Euseb. in praep. ev. 3, 4, 11; p. 108 Vig. Serv. ad Virg. Georg. 2, 325; Aen. 1, 47. 4, 122. 12, 140 Albric. philos. 11. p. 314 Munck. Sallust. philos. 6. p. 255. Cornut. 3. p. 145. Vita Homeri p. 325 Gal. Arnob. 3. p. 118), unde noster infra (§. 149) Junonem *aëriam* appellat. Atqui aër interdum turbidus, aether contra purior est et serenus. »Pars enim«, ut Senecae (de ira 3, 6. p. 44 Lips.) verbis autar, »*superior* mundi et ordinatior et propinquior sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem.« Hinc Horatio (carm. 3, 10, 8) Jupiter »*puro* numine« est; Claudiano (tert. cons. Honor. 167) *placidus*, et Martiali (5, 6, 9 et 9, 25, 3) *serenus* audit. Lucerna etiam fictilis (ap. Passer. 1. tab. 33) totque lapidum tituli dicati *Jovi sereno* (Grut. 23, 1. 77, 6. 1009, 9. Gud. inscr. 4, 4. et 8, 3), pariter atque *Jovi Serenatori* (Gud. 3, 8 et 9; 4, 1. 2. 3. 5 et 6), quod quidem ejus cognomen haud latuit Appulejum, qui (de mundo p. 371 Oud.) eum *Serenatorem* et *Amicalem* nominavit: quo spectant et Graeca ejus cognomina αἰθρίου (Aristot. de mund. 7. Strabo 1 init. p. 3 f. Casaubon.) et μειλιχίου (Orph. hymn. 72, 2. Thucyd. 1, 126. Pausan. 1, 37, 3. 2, 9, 6. 2, 20, 1. Cornut. 11. p. 154 Gal. Grut. inscr. p. 210). Inde apud Homerum illa: Ζεὺς αἰθέρι ναίων (Il. 2, 412) et αἰθέρα καὶ Διὸς αὐγας. Atque noster etiam supra (§. 17) »Jovis *risum*« celebrarat. Simili modo Aegyptii Seneca teste (natur. quaest. 3, 14. p. 727 Lips.) »aërem marem judicant, qua ventus est, feminam, qua nebulosus et iners.« Quod sequitur verbum *renidebat*, modo *splendere* (§. 15. 17. 27. 208. 581. 728.), modo, ut hoc loco et apud Macrobium (in Saturn. 1, 11), *subridere* significat.

turbidabatur] Hoc verbum noster cum Saxone,

tamen, si appulsu cujusque luminis tangeretur, inter obumbrantes nebulas sudae perspicuitatis gratia praeniteret. Haec fulmen dextra, laeva sonorum bombis terrentibus tympanum sustinens, sub quibus plurimum sudans ima subjecta roscidis videbatur inundare fluoribus. Hujus vero calcei admodum furvi: quorum maxime solea atrae noctis nigredine coloratur. Nam ejusdem genua zona

Solino, et Apollinari Sidonio commune habet. Male in Britannico et Cantabrigiensi praesens legitur *turbidatur*, quum *renidebat* praecedat.

caliginosum] Densum aërem et in nubes conversum designat, qui natura ipsa obscurus, nisi Solis radiis illustretur. Vulc. — Omnino rectius *caliginosum*, quam *caligosum*, quod hoc loco Basileensis, Darmstattensis, Britannicus et Cantabrigiensis habent. Sed hanc etiam adjectivi formam a serioris aevi scriptoribus usurpatam fuisse non solum Cangius docet, sed apud nostrum etiam (§. 803) tam in editis, quam in libris scriptis legitur.

quod tamen] Ita Guelferbytanus, Britannicus, Cantabrigiensis, aliique, et veteres praeterea editiones: unde apparet illud »quo tamen« apud Grotium non nisi typographorum errori adscribendum, quem errorem non animadvertentes Walthardus et Goezius secuti suum fecerunt.

cujusque] Ita Hugianus codex, Basileensis, Darmstattensis, Dresdensis, Monacenses (C. G.), aliique (Oudend. ad Appulej. I. p. 356) pro *cujusdam* in editis.

fulmen] Bongarsius et Vulcanius: *flumen*. Gozz. — Recte vulgarem retinuit lectionem: absurda enim est altera, quam Basileensis et Cantabrigiensis exhibent. Ne fingi quidem potest aliquis *flumen* dextra tenens. *Fulmen* contra bene tribuitur Junoni, quae ipsa apud Flaccum (1, 116) hoc jaciendi potestatem sibi attribuit verbis:

»*Jam jam ego et inviti torsissem conjugis ignem*«,

Unde et Argolicarum matrum ad eam preces (Stat. Theb. 10, 69), ut velit in Thebas *excutere fulmen*. Effigies ejus dextra fulmen tenentis exstat apud Smetium (in antiquitat. Neomag. p. 28).

sonorum bombis] Tonitrua intellige, quae Junoni pariter atque Jovi adscribuntur. Ipsa enim Juno apud Virgilium (Aen. 4, 122): »et *tonitru* coelum omne ciebo« inquit; unde et Seneca (Medea 59) Jovem et *Junonem* »sceptriferos *tonantes*« appellat; atque noster tympanum ei tribuit, cujus sono terreri Philologiam finxit (conf. §. 197), imitatus Ovidium, qui (fast. 4, 189) de Cybeleo etiam tympano: »Sed me sonus aeris acuti *Terret*.«

tympanum sustinens] Ita transposita haec verba in codicibus Britannico, Cantabrigiensi, et Darmstattensi.

ima] Imus certe aër, terrae proximus, quandoque roscidus. Forsan et terram ipsam significare voluit, secundum illud Lucretii (1, 251):

»*Postremo pereunt imbres, ubi eos pater Aether*
In gremium *matris* Terrai praecipitavit.«

Id quod posteriores poëtae Virgilius aliique fere totidem imitati sunt verbis.

maxime] Haud supervacaneam hanc voculam inserui codicum Dresdensis, Darmstattensis, Cantabrigiensis, Britannici, aliorumque (Bondam var. lect. p. 55) auctoritate.

solea] Prudentius (apoth. 456): »soleas Junonis lambere.« Noster quum inferiora aëris cum Junonis calceis comparasset, infima necesse erat soleae assimilare, quam cum Noctis nigredine comparat.

quidem diversicolor ambiebat, quae nunc perfulgido resplendebat orbe, nunc vanescentis gratiae tenuata varietas ita penitus obliquabat, tanquam nihil ha-
68 buisset ante discolorum. His igitur indumentis uterque regum decenter ornati ante consessum in suggestu sidereo positam quandam sphaeram caelatam varietate multiplici conspicantur, quae ita ex omnibus compacta fuerat elementis, ut nihil abesset, quidquid ab omni creditur natura contineri. Illic coelum omne, aër, freta, diversitasque telluris, claustraque fuerant tartarea. Urbes etiam, compita, cunctorumque species animantium, tam in specie, quam in genere numerandae. Quae quidem sphaera imago quaedam videbatur ideaque mundi. In hac, quid cuncti, quid singuli nationum omnium populi quotidianis motibus agitarent pede ire, formante speculo relucebat. Ibi quem

Nam quo inferior aër, eo obscurior. Voce *nigredo* infra iterum utitur (§. 137) licet barbara sit (Sciopp. pr. phil. p. 56 Herz.).

zona] Inconstantem medii aëris naturam zona describere videtur, qua modo perlucidus, modo nubilus est.

obliquabat] Bongarsius quidem cum Basileensi dat *oblegabat*, Darmstattensis *abligabat*, Hugianus *alegabat*, Guelferbytanus teste Cortio et Bodlejanus primus *obligabat*; sed vulgatam retinui lectionem, siquidem verbum *obliquare* sensum habet variandi, qui omnino aptus huic loco est.

discolorum] Non semel hac adjectivi forma utitur noster (§. 71. 328) et praeter eum Appulejus etiam et Prudentius.

uterque regum] Omissa apud Grotium haec verba e codicibus Dresdensi et Hugiano supplevi.

coelum omne] Sic transposita sunt verba in Basileensi, Reichenauensi, Britannico, Cantabrigiensi, et Hugiano codice.

cunctorumque] Codices Cantabrigiensis, Britannicus, Hugianus, Leidensis (Oudend. ad Appulej. T. I. p. 152. Burmann. ad Claudian. p. 1048, v. 71) pariter atque anteriores editiones habent *cunctarumque*; sed praestat Grotiana lectio, siquidem non de bestiis solis noster loqui videtur.

ideaque] Nullus dubito, quin ad Platonis ideas noster respexerit, quales in Phaedro potissimum (p. 246 Steph.) descripsit ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister (Cic. orator. 3); colorem tamen duxisse videtur e *clypeo* illo, quem Homerus finxit a Vulcano fabricatum (Iliad. XVIII, 478 sequ.).

pede ire] Locus monstrosus: faveat Hercules monstrorum Averruncus. Lege »pedae reformantis speculo.« Nam re etiam in MS. voci *formantis* adhaeret. Sensus hic: »Relucebant, inquit, in speculo quasi vestigiorum (id enim *peda* teste Festo) veram formam referentium.« Forte haec eadem vox Petronio restituenda, ubi vulgo legitur:

— »*manifesta prius vestigia lusit*,
Deceptique pedes«

(f. inquam pedas). Gnot. — Hac conjectura fretus Goezius Martiani textum foedissime corrupit. Quamvis enim locus obscurus sit, tamen si ad conjecturas confugiendum est, non solam Grotianam,

augeri, quem deprimi, quem nasci, quem occidere Jupiter vellet, manu propria ipse formabat. Quam terrarum partem disperdere, quam beare: quam vastam quamque celebrem cuperet, fictor arbitrarius variabat. Hoc igitur 69
fatum publicum conspicans componensque deorum senatum jussit admitti. Quamvis intus, quos innominabiles sacra vis testatur, intrarent, tamen etiam primatibus divûm, praesertimque parentibus uterque consurgunt. Verum 70
sator eorum gressibus tardus ac remorator incedit: glaucoque amictu tectus

sed innumeras admittit conjecturas. Atque lenior certe medela fuerit, ubi *pedie* i. e. *paediae*, *παιδείας*, legeris, quo nomine noster identidem geometriam appellat (§. 378. 728); geometricis enim rationibus descriptam esse sphaeram, qualem Jupiter manu teneat, clarum est. Sed hoc speciminis tantum causa attuli, ut appareat nihil facilius esse quam mutatis literis ex ingenio conjecturas fundere, quales *Sardos venales* aliquando Ruhnkenius appellavit *alium alio nequiorem* (v. Wyttenbach vit. Ruhnk. p. 221); vulgatam integram servavi, licet reticere non possim, codicem Reichenauensem exhibere *pidei reformantis*, unde orthographia tantum mutata *Apollinis* nomen *Pythei* indagari possit. Minime hoc spernendum, quo posito hic sensus exit satis congruus: »In hac sphaera quid singuli, quid populi agitarent, speculo Pythei reformantis relucebat.« Verbum enim compositum *reformare* more istorum scriptorum (v. not. ad §. 75. 84. 102. 160. 576; add. Freinsh. ad Justin. in ind. Gronov.) usurpatur, quemadmodum apud Appulejum (met. 2. p. 130 Oud.) Fotis »in speciem Veneris *reformata*« legitur.

fictor] Figulus, *πλαστής*. Cic. »Reliquos deos ea facie novimus, qua pictores, fictoresque voluerunt.« Et alii saepe ita usi. Gnor. — Nempe vocem tantum explicaturus Grotius erat, neutiquam Martiani locum.

arbitrarius] Ita Jupiter cognominatur (Euseb. praep. ev. 1, 7, 10. p. 37 f. Macrob. somn. Sc. 2, 2). In quodam etiam lapidis titulo (Gud. 7, 5) legitur: »Jovi optumo maxumo Arbitratori.« Quin templum etiam Jovis *Arbitratoris* in decima urbis regione fuisse P. Victor testatur (in Graev. thesauro IV p. 1515).

uterque] Jupiter et Juno. Ita enim supra (§. 41) verbis »regum conjugum uterque« paulo clarius designantur.

sator eorum] Ad Saturnum alludit nomen, qui infra (§. 197) »deorum rigidissimus *creator*« audit. Sed *satoris* nomine omnem etiam gentis alicujus auctorem significari ille apud Silium (9, 294) »sator Quirinus« docet. Pro *eorum* Holmius (in Crenii analect. p. 398) et Barthius (ad Stat. Theb. 5. p. 226) legi jubent *deorum*; frustra.

gressibus] Jam Platoni (Epinom. p. 978 Steph.) Saturni stella ceteris tardior. Nicomachus (in harm. man. 1, 2, 3. p. 6 Meib.) »a motu Saturni« scribit, »qui longissime a nobis abest, gravissimus in *διὰ πασῶν* consonantia sonus hypate est appellatus: *ὕπατον γὰρ τὸ ἀνώτατον*« (conf. nostr. §. 197. 965). Unde et Ausonius (in ecl. de sign. coel. extr.):

»*Celsior his Saturnus*, tardior *omnibus astris*.«

Claudianus quoque (in laud. Stilich. 2, 439) »pigram Saturni semitam« per hypallagen dixit (conf. §. 853).

caput. Praetendebat dextra flammivomum quendam draconem caudae suae ultima devorantem, quem credebant anni numerum nomine perdocere. Ipsius autem canicies pruinosis nivibus candicabat, licet ille etiam puer posse fieri
71 crederetur. Ejus conjux grandaeva corpulentaque mater, quamvis foecunda circumfusaque partubus, tamen floridam discoloramque vestem herbida palla contexuerat, in qua totus gemmarum metallorumque census, atque omnium
72 proventus frugesque sationum larga admodum ubertate ferebantur. Huic Vesta

tectus caput] Graecismus, ut apud Livium (27, 37) »virgines longam indutae vestem«, Martialem (5, 14, 6) »caput tectus«, Ovidium (met. 5, 51) »indutus chlamydem Tyriam«, (14, 262) »pallam induta nitentem«, Horatium (ep. 1, 17, 28) »quidlibet indutus«, Virgilium (Aen. 2, 275) »exuvias indutus« (11, 480) »oculos dejecta decoros«, (Cir. 206) »dulci devinctus lumina somno«, et Priscianum (l. 8. p. m. 291) »indutus terga leonis.« Appellat Rufianus (p. 248 Rubnk.) »figuram per accusativum.« Atque apud nostrum iterum infra (§. 114) »obtectaque vultum virgo« legitur. Saturnum autem velato pinxerunt capite; quapropter Servius (ad Aen. 3, 407) observat: »Sciendum sacrificantes diis omnibus caput velare consuetos, excepto Saturno, ne numinis imitatio esse videretur«; atque eadem tradit Macrobius (Saturnal. 1, 10).

draconem] Pluribus de hoc symbolo aeternitatis alio loco (palaeogr. crit. III. v. indic. p. 495) disserui. Hinc annus Graecis ἐνιαυτός dictus, quia, posteaquam Sol duodecim Zodiaci signa peragravit, *in se ipsum* quasi redit, vel ut Virgilius (georg. 2, 402) ait,

»*In se sua per vestigia volvitur annus.*«

Aenigmatis, quod sequitur, de *anni numero* solutionem ibidem (pal. crit. III, §. 252) proposui. Ante *nomine* codex Dresdensis addit *sui*, glossa in Basilecnsi *suo*, sed abest a reliquis tam editis quam scriptis.

pruinosis nivibus] Pariter infra (§. 197) Philologia Saturni planetae circulum transiens conspicatur »deorum rigidissimum creatorem in *algido* haerentem *pruinisque nivalibus*.«

puer] Perquam docte, ut assolet, Cuperus (in Harpocrate p. 105) de hoc loco disputat, cui tamen assentiri nequeo. Promta enim interpretatio est, modo memineris Saturnum pro tempore accipi, quod et senis et pueri forma describi potest, prout antiquum vel recens intelligitur. Ceterum *ille etiam* scripsi pro *etiam ille* e codicibus Britannico et Darmstattensi.

grandaeva] Mutuatus est hoc epitheton a Silio (16, 124):

»*At grandaeva deûm praenoscens omina mater.*« (Conf. et not. ad §. 4).

tamen floridam] Alioquin enim non matronae sed meretrices pictas floridasque vestes, ἀνθινὰ, gestabant, quod docte probat Welckerus (in proleg. ad Theogn. p. LXXXVIII). Tellurem vero is ornatus decebat, quem e Virgilio (Cul. 69) forsitan hausit noster:

»Florida *quum tellus gemmantis* picta *per herbas*
Vere notat dulci distincta coloribus *arva.*

In sequentibus pro *contexuerat* complures codices habent *contexerat*, quod tamen ambiguum videri possit.

larga ubertate] Festus: »Opis«, inquit, dicta est conjux Saturni, per quam volucrunt terram

quae etiam coaeva ejus fuerat, adhaerebat. Quae quod nutrix Jovis ipsius, suoque eum sustentasse gremio ferebatur, caput regis ausa est osculari. Post 73 hos candida cum sorore Sol auratus expetitur: qui mox ut coepit ingressui

significare, quia *omnes opes* humano generi terra tribuit.« Orphico (hymn. 13, 11) haec dea jam erat

Εἰρήνην κατάγουσα ὃν εὐβλοις πτεάτεσσι.

Item Macrobius (Saturn. 1, 10) tradit »eodem mense Saturnalia et Opalia celebrari, quod Saturnus ejusque uxor tam *frugum*, quam *fructuum* repertores esse credantur; itaque omni jam *foetu* agrorum coacto ab hominibus hos deos coli — Saturnumque a satu dictum, terram Opem, cujus *ope* humanae vitae alimenta quaerantur.«

ferebantur] Miror Grotium edidisse *ferebant*, quum veteres editiones omnino rectius *ferebantur* praebeant, atque ita etiam in Reichenauensi, Darmstattensi, Hugianoque codice exstet, atque Casalius (de prof. rit. 3. p. 111) pariter olim legerit. Sed iterum iterumque observavi permulta apud Grotium menda irrepsisse typographorum quidem culpa, quae ipse (p. 344) fatetur se non omnia ob instantes nundinas Francofurtenses correxisse.

adhaerebat] Multi enim Vestam eandem quam Terram putabant (Cornut. 28. p. 206 Gal.). Unde Ovidius (fast. 6, 460):

»*Et* Tellus Vestaque *numen idem est*«

porroque (6, 267):

»Vesta *eadem est quae* Terra: *subest vigil ignis utrique;*
Significant sedem Terra Focusque suam.«

Eadem docuerat Euripides (in fragm. 178 e Macrob. Sat. 1, 23) versibus:

»Καὶ γαῖα μήτερ· ἑστίαν δέ σοι σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι.«

Sed confer omnino Astium ad Plat. Phaedrum (p. 247 Steph.) et eundem in Cratylo (p. 401 f. Steph.).

nutrix Jovis] Ennius (ap. Lactant. 1, 14) »Jovem«, scribit, »clam abscondunt dantque eum *Vestae educandum.*« Eadem Albricus refert philosophus (17. p. 319 Munck.). Cicero (de univ. 10): »Jam vero (deus) terram, altricem nostram — custodem antiquissimam deorum voluit esse eorum, qui intra coelum gignerentur« (conf. not. ad §. 93).

osculari] *Ausculari* Manuscriptus. Vide Festum: *ausculari* dicebant antiqui pro *osculari.* Gaor. — Scioppius (in gr. philos. p. 206 Herz.): »Transit AU in O productam more antiquo, ut *lotus* pro *lautus*, *plostrum* pro *plaustrum*, *cotes* pro *cautes*: sicut etiam contra pro O — AU, ut *austrum* pro *ostrum*, *ausculum* pro *osculum*, frequentissimeque hoc faciebant antiqui.«

candida] Quae ab Ovidio (her. 18, 61) *dea candida* appellatur, eadem Virgilio (Aen. 7, 8) »candida *Luna*« est.

sorore] Martialis (9, 35, 5), et saepe Ovidius (met. 5, 330; fast. 3, 109. 117; her. 11, 43) Lunam sororem Phoebi appellat. Pluribus verbis alii, ut Seneca (Oed. 254):

»*Sororque fratri semper occurrens tuo.*«

Virgilius (georg. 1, 396):

»*fratris radiis obnoxia Luna.*«

Silius (8, 175):

»*Lunaque fraterno lustrabit lumine terras*«

et porro (16, 35):

»*ut Phoebe stellas, ut fratris lumina Phoeben.*«

Adde Propertium (2, 25, 52), Parmenidem (ap. Plutarch. in qu. Rom. 75. p. 282), Cornelium Se-

propinquare, purpurae rutilantis puniceus quidam fulgor antevenit, et rosulenti splendoris gratia totam aulae ipsius curiam obstupefactis ceteris ornatibus luminavit. Ast ubi primos honorati capitis radios ingressurus immisit, ipse etiam Jupiter paululum retrogressus sub immensi nitoris lumine caligavit; sphaerae vero orbesque, quos dextera sustinebat, veluti speculo cognati lu-
74 minis refulsere. Juno autem diversicoloris illustris ornatibus, ac varia velut
75 speculo cognato gemmarum luce resplendens, candentibus serenis enituit. Erat enim illi in circulum ducta fulgens corona, quae duodecim flammis ignitorum

veram (in Aetna 230), et inferiorem locum (§. 77. not.).

puniceus fulgor] Auroram designat, quae infra (§. 116. 219) uberius describitur. Nondum enim ingressus erat Sol, sed »ingressui propinquabat.« Similibus fere verbis Rutilius (itin. 1, 277):

»*Roscida* puniceo fulsere *crepuscula coelo*«

eandemque Appulejus (met. 3. init.) »*punicantibus phaleris*« inducit. *Rosulentum* praeter nostrum Prudentius quoque dixit.

obstupefactis] Forte *obscurefactis*. Voscr. (sp crit. p. 147) — Melius sic scripsisset Martianus, non tamen scripsit, id quod librorum exempla docent, neque audacior est figura quam illa, qua Arnobius (1. p. 26) utitur: »calcabat ponti terga *undis* ipsis *stupentibus*.«

luminavit] E Darmstattensi et Basileensi codicibus pro *illuminavit*. Non Appulejo modo illud, sed Martiano etiam (§. 27. 729. 901) usitatum est.

lumine] In codicibus a Grotio in margine laudatis pariter atque in quatuor Monacensibus (C. D. E. G.), Basileensi, Darmstattensi, Bodlejano primo, et Cantabrigiensi legitur *numine*, quo recepto verborum *luminare* et *lumen* repetitio evitaretur; sed vix apta huic loco vox *numen* esse potest, quapropter vulgatam servavi.

sphaerae] Hic locus pessime ab exscriptoribus exceptus repetitis praesertim vocibus. Lego: »Sphaerae vero orbesque, quos dextra sustinebat, refulsere; Luna autem diversicoloris illustris ornatibus ac varia velut speculo cognati luminis gemmarum luce resplendens« cet. Sic infra »quem juxta Lunam (ita lego) leni quodam teneroque vultu ex fraterna fulgorem lampada resumebat.« Gnot. — Nec Grotius locum intellexit, nec Goezius, qui summa cum levitate conjecturam ejus in ordinem recepit. De Junone enim sermo est, minime de Luna. Hanc enim afficere Solis ingressus non poterat, quia simul cum eo advenerat. Jove autem sive aethere tacto Solis splendore Junonem sive aërem pariter affici necesse erat. Praeterea e descriptione quoque Juno agnoscitur; quam ut hic *diversi coloris* ornatibus illustrem ait, supra (§. 67) zona *diversicolore* ornaverat. Tautologia autem minus jam offendet, postquam iteratum *luminis* ante *gemmarum* expunxi auctoritate codicum Monacensium (C et G), Dresdensis, Britannici, Cantabrigiensis, Bodlejani primi, Darmstattensis, Hugiani, aliorumque a Walthardo laudatorum.

candentibus serenis] Substantive; sic supra: »serena fulgentia.« Juvenalis:

— — »*velut hoc dilata sereno.*«

Gnot. — (Conf. §. 17. 196 not.).

corona] Albricus de Sole: »coronam vero ea-

lapidum fulgurabat. Quippe tres erant a fronte gemmae: Lychnis, Astrites, et Ceraunos, quae ejus effigiem reverendam a cognitione conspicientium vibrantibus radiorum fulgoribus occulebant. Quarum alia Cancri cerebro, Leonis oculis altera, Geminorum fronte assumta tertia dicebatur. Aliae sex ex utroque latere rutilabant, quarum Smaragdus una, Scythis altera, Jaspis tertia voca-

pite gestabat Apollo duodecim lapidum pretiosorum.« Gnor. — Numeri rationem noster ipse infra (§. 188) exponit, Solem hisce versibus alloquens:

»*Bis senis perhibent caput aurea lumina ferre,*
Quod totidem menses, totidem quod conficis horas.«

Gemmarum enim numerus a Solis radiis translatus est, qui plerumque duodecim in carminibus memorantur (Virg. Aen. 12, 163). Interdum etiam duodecim radii in monumentis antiquis (Palaeogr. crit. III. §. 296. Caylus V. tab. 2. n. 4. Passer. lucern. I. tab. 89) pinguntur.

ignitorum] Ad stellas ἀλληγορίζει. Anaxagoras enim sidera ignitos lapides vocabat: sic lib. II: »*eademque saxa stellas appellans*«, ut in MS. meo legitur: quamquam non reprobem, imo praeferam illam lectionem quae in vulgatis, *stelas*, id est *columnas*. Et in Geometria: »interstinctum cylindris gemmantibus pavimentum.« Gnor. — Pro *ignitorum* alii quidem *ignotorum* habent; sed male. Imitatur enim noster Claudiani (de laud. Stil. 2, 92) hunc versum:

»*Et vario lapidum distinctas* igne *coronas.*

Unde simul patet *ignitum* hoc quidem loco nihil aliud significare quam splendorem. De Ariadnes corona si sermo esset, omnino astra intelligere liceret.

fulgurabat] Sic Dresdensis, Reichenauensis et Cantabrigiensis pro Grotiano *fulgorabat*.

tres] Quater ternas recenset gemmas, ut anni tempestates simul et menses indicentur. *Erant* pro *fuerant* reposni e Basileensi codice. In fronte autem ponit gemmas aestatem repraesentantes, quia tum vires Solis maximae; simulque, ut videtur, quia non Aegyptiorum modo (Porphyr. antr. nymph. 24, pag. 22 Goens.) verum Atheniensium etiam Olympicusque annus a solstitio aestivo initium ducebat.

Lychnis] Martianus Solis coronam duodecim gemmarum quadripertito ordine describens eandem cum Tertulliano (de spectac. 9 f.), Isidoro (etym. 18, 41, 1. p. 402 Arev.), et Corippo (de laudib. Justini l. 1) colorum rationem secutus est. Dat siquidem aestati Lychnitem, Astritem, Ceraunon, ignei coloris gemmas, quaeque idcirco a lucerna, ab astro, a fulmine nomen sumsere. Alexand. (tab. Heliac. p. 69).

vibrantibus] Quamvis Grotiana lectio *vibrantes* (nimirum gemmae) defendi possit; praetuli tamen illam, quam codices habent Darmstattensis, Hugianus, et teste Cortio Guelferbytanus.

Cancri] Zodiaci signa intelligenda esse apparet, et quidem ea, quae aestivis mensibus, Junio, Julio, Augusto, praesidere ex tabula mea (palaeogr. crit. III. §. 320) disces. Cancro Macrobius etiam (Saturn. 1. 17) aestatem denotari docet (conf. Hygin. astron. 1, 7, p. 352 et 4, 5, p. 467 Munck.)

ex utroque] Respondent Smaragdus Majo, Scythis Aprili, Jaspis Martio, et ab altero latere Hyacinthus Novembri, Dendrites Octobri, Heliotropius Septembri. Smaragdis Ovidius quoque (met. 2. 24) Phoebi solium lucere finxit.

batur. Inter quarum virorem foeta mari per lumina coruscatus fronti quaedam interioris suavitas resplendebat. Hyacinthos, Dendrites, etiam Heliotropios utrinque compacti. Qui lapides coloribus suis terras ratis temporum vicibus herbidabant: quos ei ad obsequium numinis recurrentis Ver dicebatur et Auctumnus munere contulisse. Posterior autem pars coronae Hydatide, Adamante,

inter quarum] Totum hunc locum partim ex conjectura, partim ex variantibus lectionibus et MS. sic restituo: »inter quarum virorem et foeta mari lumina coruscans fronti quaedam interiori suavitas resplendebat Hyacinthos, Dendritis etiam« cet. Hyacinthorum mentionem habes apud Marcellum in responsis, cujus fragmentum citatur de auro arg. l. Seja ab herede §. 1. Sed et apud Plinium et in Apocalypsi. Dendritidos gemmae meminit Plinius. Forte tamen hic *foeta* passive dixerit pro *nata*. Gnor. — Quamvis obscurus locus sit, hoc tamen certum est, sequentes auctumni gemmas huc referri non debere, quod Grotius opinatus esse videtur; concidunt igitur jam eam ob causam ejus conjecturae, quibus omnino abstinendum erat in loco tam corrupto, ut quam plurimae pariter pateant corrigendi viae. Sed ne codices quidem multum subsidii praebent. Neque enim *per* abesse potest, licet in solo Reichenauensi id invenerim; neque *fonti* pro *fronti* ex Darmstattensi, Reichenauensi, et Guelferbytano reponere ausim. Unum illud feci, ut pro Grotiano *coruscat* e Bongarsii et Darmstattensi codice reciperem *coruscatus*, quod sive pro nominativo participii absoluto, sive pro genitivo substantivi verbalis acceperis, aliquatenus certe cum reliquis coibit.

virorem] Virides gemmas verno tempori adscribit: Smaragdum scilicet, Scythidem et Jaspidem. Smaragdi color viridis notus omnibus; de Scythide patet ex eodem Martiano, qui alibi »Scythidis virecta« nominat; — dilutiori colore sunt Jaspides. Alexand. (tab. Heliac. p. 68). — »*Virides Smaragdo loricas*« dixit Claudianus (laud. Stil. 2. 89), ut Lucretius (2, 804):

»*Inter caeruleum* viridis *miscere* Smaragdos.«

Viror Appulejo et serioribus idem est quod *viriditas*, eodemque pertinet *mari foeta*; mare enim viride, unde infra (§. 78) Neptunus »maritima semper inundatione viridior« dicitur.

Auctumnus] Auctumni gemmae in Solis corona dicuntur a Martiano Hyacinthus, Dendrites, Heliotropios. Hyacinthum coerulei coloris esse testatur Isidorus, violacei Plinius, dilutioris tamen, quam sit in Amethysto. At Solinus c. 33 id quandoque evenire asserit, quia ea gemma vitiis non parce obnoxia; pingi enim nitore coeruleo, quum inculpabilis est. *Flucticolor* ab eodem Martiano alibi dicitur. Heliotropius vero teste Plinio porraceum prae se fert colorem sanguineis venis distinctum: vulgo dicitur *Diaspro*. Quis sit Dendritidi color, haud facile invenio. Scio quandam hujusce gemmae speciem ab eodem Plinio appellari albam, ac, ni judicii fallor, varietatem, quae Auctumno assignatur, indicare voluit variis hisce gemmis Martianus. Potiorem tamen locum coeruleo dedit colori, qui purpureo affinis; ac Auctumnus ipse appellatur ab Horatio »purpureo varius colore.« Ad livorem uterque vergit. Alexand. (tab. Hel. p. 69). — Hyacinthi tria genera descripsit Marbodaeus (17. p. 12 Gorl.).

coronae] Perperam *corona* apud Grotium. Meliorem lectionem codices habent Reichenauensis,

et Crystallo lapidibus alligabatur. Hos enim Hiems undosa genuerat. Ipsius vero divi auro tinctam caesariem comasque crederes bracteatas. Facie autem 76

Darmstattensis, Dresdensis, Bongarsii et Hugii. *Coronae* enim pars lapidibus alligabatur.

Hydatide] Hydatis, seu Hydratis (ut alii legunt) ab aqua nomen habet. Estne ea, quae Plinio et Isidoro Enhydros dicitur? Ille candidam esse perhibet; hic ita loquitur libro 16 orig. c. 13: »Enhydros ab aqua vocata, exundat enim aquam, ita ut clausam in ea putes fontanam scaturiginem«, quae verba ex Solino desumpsit extremo cap. 40. Aleand. (l. l. p. 68).

hos enim] Vonckius (in spec. crit. p. 80) *hos ei* legere jussit, sed non necessarium. Genuisse eas gemmas hiems dicitur, quia ex aqua videntur esse congelatae, quam speciem prae se ferunt crystalli. Unde Propertius (4, 3, 52) »Crystallum *aquosam*« appellat; Claudianus autem multis epigrammatibus lusit in crystallum, quorum unum subjeci:

»*Sollers lusit* hiems *imperfectoque rigore*
Nobilior vivis gemma *tumescit aquis*«;

quo poëta Graeca epigrammata (anthol. 4, 18, 2 et 3) imitatus esse videtur. Plura dabunt Plinius (37. 2. 9) et Seneca (nat. qu. 3. 25 f. p. 735 Lips.). Probe igitur noster causali particula *enim* usus est, quo magis pateret, cur posterior coronae pars illis insignita esset gemmis. Sicut enim priorem aestati tribuerat, ita posteriorem hiemi adsignavit.

bracteatas] Sic infra: »cujus sonorum (malim *honorum*; quamquam de musica seu harmonia sermo) caput auri coruscantis *bracteis* comebatur.« Grot. — Bractea tenuissima lamina cujuscunque metalli. Bracteatus, bractea obductus. Apud Senecam epist. 41 »leo bracteatus« dicitur ornatus bractea. Haud secus atque Ammianus Marcellinus libr. 14: »statuas auro curant imbracteari«; et libro 17: »facis imitamentum in figura aereum, itidem auro imbracteatum, velut abundanti flamma candentis.« Ita Sidonius libro 2. epist. 10 »bracteatum lacunar« et l. 8. ep. 8 »gestatorias bracteatas.« Martianus Capella »comas bracteatas.« Steph. (ad Saxon. p. 174) — Addere poterat »malum *bracteis* inauratum« apud Appulejum (met. 10. p. 737 Oud.), »auri *bracteas* apud Plinium (33, 3, 19), et »auri coruscantis bracteas« apud nostrum (§. 909). In lapidum quoque inscriptionibus (Grut. 1074, 12) collegii *bracteariorum* et *inauratorum* mentio fit. Eosdem memorat Firmicus (astron. 8, 16). Per metaphoram Seneca (epist. 115. p. 652 Lips.) *bracteatam felicitatem* appellat eam, quae *videatur* tantum felicitas esse.

facie] Albr. de Sole: »Iste pingebatur specie impuberis juvenies, nunc facie puerilis, nunc juvenili; semper imberbis, nunc autem in cana diversitate apparentis.« Macrobius: »Item Liberi patris simulacra partim puerili aetate, partim juvenili fingunt, praeterea barbata specie, senili quoque, uti Graeci ejus quem *Βασσαρέα*, item quem *Βρισέα* appellant, et ut in Campania Neopolitani celebrant *Ἡβῶνα* cognominantes.« Grot. — Tres anni tempestates Martianum significare censet Gesnerus (ad Orph. p. 229); nec pluribus olim annum constitisse alio loco (palaeogr. crit. §. 668. 771) docui. Attamen magis propensus sum ad recipiendam eam interpretationem, quam Cuperus (in Harpocr. p. 76) dedit, videri nempe Martianum tempus matutinum, meridiem, et vesperam designare, quibus Solis vis ac potestas valde immutetur. Quae conjectura etiam iis confirmatur, quae de Sole oriente ad sequentia observo.

mox ut ingressus est, pueri renitentis, incessu medio iuvenis anheli, in fine senis apparebat occidui: licet duodecim nonnullis formas convertere crederetur. Corpus autem ejus flammeum totum, pennata vestigia, pallium coccineum, sed
77 auro plurimo rutilatum. Sinistra autem manu clypeum coruscantem, dextera

in incessu] Ita Basileensis codex, Darmstattensis, et Bongarsii. Omissum in editis est *in*.

duodecim] Singulis horis illi forte volebant, qui in formas duodecim converti eum censuerunt; nisi potius duodecim Zodiaci signa sint intelligenda, quia aetates, quas quatuor facit Macrobius (1, 18), ad anni tempora idem refert. Nam postquam docuerat Liberi patris simulacrum partim puerili aetate, partim juvenili, praeterea barbata specie senilique ore effictum fuisse, addit: »Hae autem aetatum diversitates ad Solem referuntur, ut parvulus videatur hyemali solstitio, qualem Aegyptii proferunt ex adyto die certa, quod tunc brevissimo die veluti parvus et infans videatur: exinde autem procedentibus augmentis aequinoctio vernali similiter atque adolescentis adipiscitur vires, figuraque juvenis ornatur; postea statuitur ejus aetas plenissima effigie barbae solstitio aestivo, quo tempore summum sui consequitur augmentum. Exinde per diminutiones dierum velut senescenti quarta forma deus figuratur.« Cuper. (Harpocr. p. 76. 77). — Quae quamvis docte disputaverit vir egregius, addenda tamen haec esse videntur: Porphyrius (in epist. ad Anebon. ap. Jambl. atque etiam ap. Euseb. praep. ev. 5, 6. p. 198) de Aegyptiis quaerit: »quae tandem ratio excogitari potest, quod eundem Solem commemorant vel ex limo emergentem, vel loto insidere, vel navigio provehi, vel singulis *horis* formam commutare, ac *varios* per singula *Zodiaci* signa *vultus* inducere?« Ad quae respondet Jamblichus (myst. 7, 3. p. 152 Gal.): »Solem *secundum Zodiacum* figurari et formas mutare κατ' ὥραν τοῖς ῥήμασι διαβημαίνων.« Adde quae Orpheus apud Macrobium (Sat. 1, 18) de hac Solis commutatione canit. Eundem singulis horis mutari Solis faciem credidisse ex iis patet, quae (ibid. 1. 21) de tauro Soli sacro narrat »insigni miraculis convenientibus naturae Solis« qui »per *singulas* horas mutare colores« affirmetur (conf. Palaeogr. crit. III, §. 506, ubi add. Xenoph. mem. Socr. 4. 3. 4).

pennata vestigia] Corrumpere et hunc Martiani locum tentabat Vonckius substituens (in spec. crit. p. 147) »per *rata* (aut *stata*) vestigia.« Licet enim alii alas Soli a tergo affixerint (Palaeogr. crit. IV. §. 770. Cuper. Harpocr. p. 34); in quadam tamen patera (in Causei museo Rom. 3, 19, 3. Graevii thesaur. V. 320) Apollo sive Sol ejusmodi pennatis pedibus pictus est. Adde nostrum infra (§. 378. 379). *Vestigia* autem dici pro *pedibus* confirmat Barthius (ad Stat. 2. 11, p. 254).

rutilatum] Intextum erat aurum. Haec ideo annotamus, ne quis diversitate colorum ad corrigendum aliquid moveatur, ut videmus nihil non sibi indulgere *homines otiosos, lauream ex quovis mustaceo quaerentes.* Barth. (advers. p. 361).

clypeum] Hunc Soli Ovidius quoque tribuit (met. 15. 192):

»*Ipse dei* clypeus, *terra quum tollitur ima,*
Mane rubet« — — —

nec qui Abraxan in gemmis mecum pro Sole accipiunt (pal. crit. III. §. 124, 460, 566; IV. 697), hoc attributum mirabuntur. Etiam in numo Chalcidis Syriae (Vaillant. num. Gr. Commod. p. 86) Sol conspicitur sinistra *clypeum* et hastam tenens;

ardentem facem praeferebat; calcei vero similes ex Pyropo. Quem juxta Luna
leni quodam teneroque vultu ex fraterna fulgorem lampade resumebat. Post 78
hos admissi fratres Jovis, quorum alter maritima semper inundatione viridior,
alius lucifuga inumbratione pallescens. In capite uterque dominandi sertum 79
pro regni conditione gestabat. Nam unus albidi salis instar candidum atque 80
spumarum caniciei concolorum, alter ebeneum ac tartareae noctis obscuritate
furvescens, qui quidem multo ditior fratre, et semper eorum, quae gignuntur
ex terra, conquisitionibus opulentus: alius vero propter molem elationemque

ejusdemque Cartarius (imagini dei dei, Venet. 1580, p. 62) una cum lyra et sagittis meminit ex Servii loco (ad ecl. 5. 66), ubi tamen in vulgatis exemplaribus *gryphen* vel *gryphenaeum* legimus.

facem] Cereri quidem, Dianae luciferae, Bacchо, Cupidini, Hymenaeo, Hecatae et Furiis faces tribui notissima res est: rarae autem Solis imagines sunt, in quibus, ut in Probi numo (Rasche lex. IV. 2. p. 1351), facem gerit. Alias collegit I. Fr. Meyer in commentatione de diis ac deabus δαδούχοις (Francof. ad M. 1790) p. 18 sequ.

Luna] Ita codices Britannicus, Cantabrigiensis, Darmstattensis, et Hugianus recte habent, non *Lunam*. De alieno ejus lumine confer Plutarchum (de placitis philosoph. 2, 28. p. 891; de facie Lunae p. 929), Macrobium (in somn. Scip. 1, 19. p. 101 Zeun.) et superiorem notam (ad §. 73).

lampade] Ita codices Monacenses (B. C. D. E. G.), Britannicus, Cantabrigiensis, Darmstattensis, Basileensis, Hugianus, et teste Cortio Guelferbytanus pro *lampada*, quamquam *lampada* pro *lampas* etiam in usu fuisse constat. Lampadem Solis jam supra (§. 29) noster dixit, ut *Phoebeam lampadem* Virgilius (Aen. 3. 637).

caniciei] Sic Darmstattensis omnino rectius quam Grotius, qui *caniciem* edidit. *Concolorum* pro *concolor* dixit et infra (§. 659 f.).

ebeneum] Grotius habet *hebenum*, codex Dresdensis *hebeneum*, Darmstattensis, Britannicus et Cantabrigiensis *ebenum*, sed praetuli lectionem, quam Monacenses (B. D. E.) suppeditarunt. Quamvis enim hanc vocem alibi frustra quaesiveris, vix tamen rectius ab *ebeno* adjectivum formare poteris. Magis certe placet, quam *ebeninus* (in vita S. Dunstani ap. Cangium). Conf. notae inferiores (136. 223).

furvescens] Aliam lectionem *fervescens* e Guelferbytano Cortius affert; sed ebenum et nox cum hac lectione vix conciliari poterunt. Retinui igitur *furvescens* ut candido Neptuni oppositum. In Darmstattensi a prima quidem manu scriptum erat *fervescens*, sed correctum *furvescens*.

ex terra] Haud supervacanea mihi visa haec verba sunt, quae ex Hugiano codice inserui. De Plutone enim sermo est, de quo Cicero (N. D. 2, 26): »*Diti* patri — qui *Dives* ut apud Graecos *Πλούτων*, quia et recidant omnia in *terras*, et oriantur e *terris*.«

opulentus] Phurnutus: *Πλούτων δὲ ἐκλήθη, διὰ τὸ πάντων ὄντων φθαρτῶν, μηδὲν εἶναι ὃ μὴ τελευταῖον εἰς αὐτὸν κατάγεται καὶ αὐτοῦ κτῆμα γίνεται.* Gnot. — Locum Cornuti reperies in Galei opusculis (p. 145). Sed operae pretium erit Romanum conferre poëtam (Claudian. de raptu Proserp. 1, 20) canentem:

81 corporis renudatus, ac despuens divitias oppressione quaesitas. Verum utrique diversa conjux: nam hic nudus omnium nutricem deorumque hospitam secum ducit; ille puellam accessibus gratulantem, quae ita plerumque frugem exposcentibus tribuit, ut magni numinis vota sint eidem redhibere centesimam.
82 Dehinc admissi Tonantis ipsius filii. Inter quos primus quidem ruber iuvenis, ac vorax omnium sititorque etiam sanguinis gradiebatur. Alter suavis et comis,

»*Di, quibus innumerum vacui famulantur Averni*
Vulgus iners, opibus *quorum donatur* avaris
Quidquid in orbe perit« — — — — —

Confer Platonem (in Crat. p. 403 Steph.), Diodorum (5, 49 et 77), scholiasten ad Aristophanem (Plut. 757), Ovidium (met. 1, 140), et Phaedrum (4, 11, 1). Posidonius quoque apud Strabonem (3. p. 147) ait, »non tantum terram esse divitem, sed infra terram etiam *opes* esse *conditas*, quippe non Hadem, sed Plutonem ibi habitare.«

despuens] Britannicus quidem codex, Cantabrigiensis, Basilecnsis, et Monacensium unus (C), Guelferbytanus etiam teste Cortio *dispuens* habent; sed nostra lectio, quam etiam codices Darmstattensis et Hugianus praebent, omnino melior est, quandoquidem mare naufragorum bona *despuit* ad litus.

verum] Codex Hugianus *fuerat*; male. Opponuntur enim haec antecedentibus, ubi Neptunum pariter ac Plutonem diadema gestare dixerat, quamvis diversum; conjuges autem omnino diversas utrumque habere ait.

hospitam] Neptuni conjux aliis Amphitrite, aliis Venilia, aliis Salacia appellatur; quarum ecquam Martianus intellexerit, non decernam; illud tamen perspicuum est nostram pariter atque illas *maris* vel *aquae* personam gerere, quam *nutricem omnium* ait eodem sensu quo Thales anteque eum Homerus

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθὺν

(Plat. Theaet. p. 152; Cratyl. p. 402 Steph.); Tethys enim Platoni (Tim. p. 40) quae Ciceroni (de univ. 11) Salacia. *Hospitam* autem *deorum* appellat, quia sidera deos esse censet (§. 811), quae mare in occasu recipere hospitiumque iis praebere videtur.

gratulantem] Verbo *gratulari* noster pro *laetari* sive *gaudere* (§. 107 f. 693 f.) utitur: sed hoc loco *laetificantem* significare videtur.

centesimam] Fulgentius: »Proserpinam vero quasi segetem voluerunt, id est terram (lege terrae) radicibus *proserpentem*, quae et ἑκάτη Graece dicitur; ἑκατὸν enim Graece centum sunt, et ideo hoc illi nomen imponunt quia centuplicatum Ceres (melius esset seges) proferat fructum.« Ovidius:

»*Obrue versata Cerealia semina terra,*
Quae tibi cum magno foenore reddat ager.«

Capella alibi: »cujus satio centesimo messis incremento foeneratur.« Gnor. — Isidor. orig. 14, 5: »Glebis ita praepinguis, ut jacto ibi semine incremento paene *centesimo* fruges nascantur.« Gosz. — *Centesimam* teste Cortio Guelferbytanus codex, et teste Federo Britannicus, Bodlejanus primus, et Cantabrigiensis, Monacenses praeterea (B. C. E. G.), Hugianus et Basilecnsis habent, scil. partem; vulgo *centesima*, quod pro accusativo plurali neutrius generis habuisse videntur; sed minus commode.

ruber] Cantabrigiensis »*juvenis rubens.*« De Marte, Jovis filio, sermo est, cujus Planetae etiam tribui illum colorem supra (§. 14) vidimus.

sititor] Sic antiquiores editiones omnes, pariter atque codd. Basilecnsis et Darmstattensis; apud Gro-

falcem dextra, laevaque gestans cratera somnificum, ac pronus in petulantiam ferebatur. Hujus gressus incerti, atque olacis temeti madoribus implicati. Post 83
hos duorum una quidem germanaque facies; sed alius lucis sidere, opacae noctis alius refulgebat. Dehinc quidam roboris inauditi et expavendis semper 84

tium est *sitior*, typographorum incuria, ut videtur; quam tamen solita cum negligentia Walthardus et Goezius secuti sunt. Accuratiores certe fuerunt Appuleji (met. 1. p. 16 Oud.) interpretes, nisi quod male »sanguinis sititorem« Plutonem interpretati sunt, qui neutiquam Jovis erat filius! Facile etiam ex addito verbo *gradiebatur* Martem *Gradivum* agnoscere potuissent. »Sanguinem sitire« non modo Martiani popularis Arnobius (1, p. 13), sed etiam Cicero (Phil. 5, 7) dixit, notaque ex Justino (1, 8 f.) vox est Tomyridis ad caput Cyri abscissum: »Satia te sanguine, quem sitisti.« Martem autem simili cognomine invocat Orphicus (hymn. 64, v. 4): αἵματι ἀνδροφόνῳ χαίρων!

comis] Correctum quidem in codicibus Bodlejano primo et musei Britannici *comes*; sed ab imprudentis cujusdam manu. *Comis* enim oppositus est sanguinis sititori, et infra (§. 431) Bacchus »facetior« dicitur deorum, quemadmodum apud Virgilium (Aen. 1, 734) »laetitiae dator«, et in epigrammate Graeco (2, 47, 25. p. 515 de Bosch.) ἐγερθυμέλως.

falcem dextra] In MS. »faciem«: vide an »facem«, de Baccho enim sermo, cujus in festis faces usitatae, unde Διόννβος λαμπτὴρ itemque φανβστήριος dictus. *Falcem* tamen ferri potest pro eo quo vineae putantur. Si vero Albricum sequimur, cui semper quam conformissimus Martianus, quod ex diligenti collatione facile patet, videatur »racemum« legendum. Gnot. — Facem (Baccho) tribuit Martianus Capella: »alter suavis et comis *facem* (aliae tamen editiones *falcem*, quae non male Bacche convenit, exhibent) dextra — gestans.« Cuper. (in Harp. p. 93) — *Facem* Grotius et Cuperus legi jubent. Goez. — Quantopere falsus Goezius sit, ipsa illorum verba docent; neque in textum recipere debebat *facem*. Omnem dubitationem removent Tibulli (1. 4. 7) versus:

»*Sic ego: tum Bacchi respondet rustica proles,*
Armatus curva *sic mihi* falce *deus*«;

Osiridi quoque idem (1. 7. 34) falcem tribuit, *vineaticam* nimirum sive *vinitoriam*, cujus saepe mentio fit apud rei rusticae scriptores (Cato r. r. 11. 4; Varro 1. 22. 5; Colum. 4. 25). *Vinisatorem* Dionysum appellat Accius (apud Macrob. Sat. 6. 5).

olacis] Verbum est insolens, nunc εὐόδμον (ut libro secundo »acerram olacem«), nunc δύσοδμον (ut hic) significans. Glossa Isidori: »Olax, olidus.« Gnot. — Similes in AX desinentes voces, vigilax, mentax, crepax, loquax, Barthius (advers. p. 1648) collegit. Martiani popularis (Arnob. 3. p. 119) eundem Bacchum similiter »faeculentae hilaritatis datorem« appellaverat.

madoribus] Codex quidem Cantabrigiensis »odoribus«; sed praetuli vulgatam lectionem. *Madoribus implicatum* ait, ut *madidum* simul et *infirmis* sive *impeditis* gressibus incedentem significaret.

opacae noctis] Primam vocem e Hugiano codice supplevi. Nota est fabula de alterna Castorum morte (Hom. Odyss. 11, 302. Virg. Aen. 6, 121. Ovid. fast. 5, 717. Sil. 9, 295. Lactant. 1, 10).

expavendis] Sic teste Cortio in Guelferbytano. Edit. *exstirpandis*, sed »adversitates exstirpare« quis dixerit? Cave tamen ita accipias, quasi ex-

adversitatibus praeparatus. Sed ejus miros lacertos rictusque Cleonaeos limis
85 Juno cernebat. Quin inter eos decernentes feminae: quarum una virgo fore-

paverit *Hercules* adversitates; sed ipsas dixit expavendas, utpote maximas, saevissimas, ad quas tamen ille *bene praeparatus* accesserit. Pro *praeparatus* Dresdensis codex habet *paratus*, sed praetuli compositum, quo noster saepe pro simplici utitur.

lacertos] Lacertosum et torosum Herculem a poëtis appellari, Burmannus (ad Ovid. V. II. p. 1025) pluribus docuit exemplis.

rictusque Cleonaeos] Infra quidem *rictus leonis* dixit; sed alio, ni fallor, modo, quam hic rictus Cleonaeos, a leone Cleonaeo, qui et Nemaeus, cujus exuviis ovabat Hercules. An ergo *amictus*? an *rictus* est *ἐπιδκύνιον*, ut est in glossario? *Ἐπιδκύνιον* vero generaliori significatu pellis superpendens, quasi *ἐπιδκύλιον*, ut volunt etymologici. Gnor. — Cleonaeos rictus qui a gloria derivant, nae illi suae in hoc genere litterarum incuriosi sunt. Est enim leo ille dictus a loco Cleonaeus, in quo ab Hercule devictus est. Valerius Flaccus lib. 1:

—»*Cleonaeo jam tempora clausus hiatu*
Alcides« —

Vestitus enim pellis leonina erat Herculi. Lucanus lib. 4:

»*Ille Cleonaci projecit terga leonis,*
Antaeus Libyci.«

Ausonius Eidyll. 19:

»*Prima Cleonaei tolerata aerumna leonis.*«

Idem lib. 5 epigr. 73:

»*Rura Cleonaeo nunquam temerata leone.*«

Ejusdem meminerunt Claudianus 1 in Rufin. et Papinius. Bantu. (adv. p. 1236 et 1508).

limis] Sc. oculis, ut apud Terentium (Eunuch. 3. 5. 53): »ego *limis* specto«; licet pro nominativo etiam accipi possit, ut apud Ammianum est (20. 9) »*limibus* oculis.« Multi quidem codices a vulgari hac lectione recedunt et *sublimis* substituunt, ut Leidensis (Munck. ad Hyg. p. 71 s. 83 Stav.), Basileensis, Darmstattensis, Bodlejanus, Dresdensis, Hugianus, et inter Monacenses duo (C et G); unde et Goezius *sublimis* edidit; sed nemo ignorat quanto Herculem odio prosecuta sit Juno et quantopere ei inviderit (Hesiod. theog. 315. Ovid. her. 9, 8, 11; met. 9, 256. 260), ita ut novercae nomen meruerit (Sil. 2, 478. 3, 91); quae quum miram Herculis speciem videret, profecto melius *limis cernere* dici a Martiano potuit, quam *sublimis*, quod nihili hoc loco et admodum frigidum cognomen fuisset.

quin inter] Si quis literarum transpositioni et audaciori conjecturae locus, legerem: »Sequuntur eos decentes feminae.« *Sequuntur* ex elementorum *μεταθέσει*. *Decentes* vero eo modo, quo saepe in MS. *descendentes* pro *decentes*, *conscendentes* pro *concedentes* invenimus, quod et ego saepe in Martiani collatione expertus sum. Gnor. — In libris scriptis nihil reperi, quod interpreti adjumento esse possit, nisi quod Darmstattensis codex *quin* pro *quis*, quod in editis legitur, multo melius habet. Quamvis enim inter codices Monacenses tres (B. D. E.) ante *quis* copulativam *et* addant; non minus tamen obscurus manet locus, qui licet corruptus, vario certe modo emendari potest. Quapropter nihil praeterea in contextu mutandum duxi, donec codices forte reperiantur meliora nos edocentes. Ceterum *decernentes* pro *certantibus* accipio. Diana enim et Venus prorsus sibi sunt contrariae. Ita *armis decernere* dicit Vellejus Paterculus (2, 118. p. 560 Burm.) pariter ut Virgilius (Aen. 12, 709)

batur: alia generationum omnium mater: illi arcus cum pharetra, huic rosis decussatim vinctis sertata contextio. Quam et conspicere nitentem, et fantem audire dulces illecebras, et attrahere fragrantissimi spiritus halatibus redolentem, et osculis lambere, et contingere corpore, ejusque velles cupidine suspirare. Quae quidem licet amorum voluptatumque mater omnium crederetur: tamen eidem deferebant pudicitiae principatum. Cum his grata Ceres, admodum 86
gravis femina, alumnaque terrarum ac nutrix mortalium, videbatur. Quidam 87

»*cernere* ferro« scripsit, et Lucretius (5, 393) »bellum magnis de rebus inter se *cernere* certant.«

generationum omnium] Venerem intellige eam, quam Genitricem a Romanis appellatam esse, tam scriptores veteres testantur (Dio Cass. 49. p. 599. Reim. Appianus II. p. 470 Steph. Macrob. Saturn. 1, 12. Plin. 7, 5, 39. 8, 41, 64. 35, 4, 9. 35, 12, 45. Sueton. in Caes. c. 61. 78 et 84), quam lapidum tituli (Grut. 225, 3. 1012, 3. Murator. 58, 4 et 5. Gud. 39, 3) et numi (v. Rasche II, 1. p. 1358. V, 2. p. 897). Egregie describitur prae ceteris ab Ovidio (fast. 4, 95) aliisque poëtis tam Latinis (Lucret. ab init. Stat. silv. 1, 2, 182. Senec. Hippol. 469), quam Graecis (Stobaeus in ecl. 1, 10. p. 268 sequ. Heer.).

rosis] Rosam, scribit Pausanias, Veneri esse cum myrto consecratam et Amorum in eam dominii meminit Anacreon. Bantu. (advers. p. 1236).

vinctis] Grotius *vinculatis*: codex Dresdensis *junctis*: Guelferbytanus, Britannicus, Cantabrigiensis, Monacenses (C. G.) Basileensis, Darmstattensis et Bongarsianus melius *vinctis*, quod recepi.

decussatim] Codices Monacenses duo (C et E), Reichenauensis, Darmstattensis, et Britannicus uno S scribunt, fortasse quia a *decus* derivarent, ut esset *decenter* sive *ornate* (Cang. h. v. et voce decussare); Martiano tamen significare nexionem crucis instar factam ad imitationem signi X ex superiori loco apparet (§. 37, ubi conf. notam nostram et Baldum ad Vitruv. p. 55).

fragrantissimis] Ita teste Cortio in Guelferbytanis, quod, quia *redolentem* sequitur, praefero lectioni, quam Hugianus, Darmstattensis, et Monacenses (C. D. E. G.) praebent, *flagrantissimis*. Servius enim (ad Aen. 1, 436) subtiliter distinguens: »quotiens incendium«, inquit, »significatur, quod *flatu* alitur, a flamma per L dicimus *flagrat*; quotiens odor, qui fracta specie major est, per R dicimus *fragrat*« (add. Claudian. in primo cons. Stil. 470 ibique Burm.).

pudicitiae] Conf. Propertii (2. 23. 89) versus:

»*Ipsa Venus, quamvis corrupta libidine Martis,*
Num minus in coelo semper honesta fuit?«

Duas Veneres coluisse veteres, alteram coelestem, sive Uraniam, alteram Vulgivagam s. *Πάνδημον*, notum est (Plat. Conv. p. 180. 185 Steph.), quarum priorem hic significari apparet. Romani quoque praeter vulgarem finxerant Verticordiam (Pausan. 9, 16, 2. Jul. Obsequ. de prodig. 97), quo facilius, ut Valerii Maximi (8, 15, 12) verbis utar, »virginum mulierumque mentes ad pudicitiam converterentur« (conf. Ovid. in fast. 4, 160 et nostrum infra §. 144).

grata Ceres] Cortius in Guelferbytanis legit: »Gratiae et Ceres«; sed minus placet. *Grata* enim Ceres dicitur ob beneficia in humanum collata genus.

etiam claudus faber venit: qui licet crederetur esse Junonius, totius mundi
88 ab Heraclito dictus est demorator. Tunc etiam omnium garrula puellarum, et contrario semper fluibunda luxu, levitate pernix desultoria gestiebat. Quam

alumnaque] Orphicus (hymn. 39, 2, 3) »Σεμνὴ Δήμητερ — πλουτοδότειρα — παντοδότειρα.« Et apud Diodorum (1, 12) dicitur: »Γῆ μῆτερ πάντων Δήμητερ πλουτοδότειρα.« *Alumna* enim non solum quae alitur, sed etiam quae alit, est. Ita Italiam »terrarum alumnam« dicit Plinius (3, 5. Conf. et viros doct. ad Appulej. II. p. 446. III. p. 425. Oud.).

Junonius] Guelferbytanus quidem codex teste Cortio »*Junonis*« habet. Sed melius dixit Martianus Junonium, videlicet Junone matre natum. Unde Ovidio (met. 4, 175) quoque Vulcanus audit »Junonius« (conf. Hesiod. theog. 927. Lucian. de sacrif. p. 72 Bip. Hygin. fab. pr. p. 9 Munck.).

demorator] Id est retentor et ligator, sive formator totius mundi. Gloss. (cod. Monacens. B.). — Nihil enim in rerum natura sine igne constat. Unde et Heraclitus ex igne constare omnia asserebat. Vulc. — Lege *devorator*. Rerum enim ortum et interitum ad ignem referebat Heraclitus, unde eum infra ardere fingit. Interitus meminit divinus Aristoteles, phys. acroamatum lib. II: ὥςπερ Ἡράκλειτός φηδιν ἅπαντα γίνεδθαί ποτε πῦρ. De ortu innuit Varro, ubi ignem ab ingenendo derivat. Utrumque refert Cicero lib. III. de nat. deor. Gnor. — *Democrator*, ita lego pro *demorator* vel *devorator*, quod malebat Grotius tum admodum adolescens. Nam Cleanthes apud Ciceronem IV. 41 acad. quaest. Solem dixit dominari et rerum potiri. Fabric. (bibl. Gr. I. p. 802) — Goezius Grotio adstipulatus, in textum, quod pejus erat, recepit *devorator*. Poterant quidem alium Martiani locum (§. 576) ubi »*devorante* Mulcibero« legitur, in usum suum convertere eoque conjecturam illam firmare; ego tamen assentior eo magis glossae et Vulcanio, quo certius compertum habeo, nullum ex omnibus codicibus a vulgari lectione recedere. Quid? quod seriori aevo *demorare* dicebant pro *regere*, id quod verba docent chronici Novalicensis (ap. Cang.): »*Demoravit* abbatiam suam decem annos cum omni moderatione aequa.« Grotius quidem Ciceronem laudat; sed eo potius loco cum (N. D. 2, 15) inspicere debebat, quo Cleanthis verba referuntur, quippe qui distinxisse dicitur »inter ignem, qui adhibeatur ad usum atque ad victum, et eum qui corporibus animantium contineatur.« Illum »consumtorem omnium« esse contendit: hunc contra »vitalem et salutarem omnia conservare, alere, augere, et sustinere«; unde Martianus quoque *Jovialem* Vulcanium, ut videtur, opposuit illi *Lemnio* et *fabrili* (§. 42).

desultoria] Ausonius enim (epigr. 137):

»*Fortuna nunquam sistit in eodem statu;*
Semper movetur, variat, et mutat vices.«

»Et ita differt« ut in vita Pythagorae (ap. Photium cod. 249. p. 1318 Schott.) legitur, »a Fortuna Fatum, quod hoc serie quadam et ordinate, firmoque progressu fit, in Fortuna autem inest arbitrarii aliquid (το αὐτόματον καὶ τὸ ὡς ἔτυχεν).« Adde Porphyrium (in vita Pyth. p. 61 Rüst.) et Maximum Tyrium (I. p. 200 Reisk.); inprimis autem Appulejum (de dogm. Platon. p. 206 Oud.): »Plato nec sane omnia referenda esse ad vim Fati putat, sed aliquid in nobis, et in Fortuna esse non nihil: et Fortunae quidem improvidos casus ignorari a nobis fatetur. Instabile enim quiddam et *incurrens* intercedere solere, quae consilio fuerint et meditatione suscepta, quod non patiatur, medi-

alii Sortem asserunt, Nemesimque nonnulli, Tychenque quam plures, aut Nortiam. Haec autem quoniam gremio largiore totius orbis ornamenta portabat, et aliis impertiens repentinis motibus conferebat, rapiens his comas

tata ad finem pervenire.« Optimi item verissimique sunt Pedonis Albinovani (eleg. 1. 370) versus:

»*Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis;*
Illa rapit juvenes, sustinet illa senes;
Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat et caecis caeca triumphat equis.«

gestiebat] Reposuit Goezius *gestibat*, quia in uno codice Leidensi sic legi Munckerus (ad Fulgent. p. 16) adnotaverat. Sed quum reliqui et omnes editi meliorem orthographiam habeant, et Martianus, quamvis Afer, rectius etiam scribere potuerit, haud scio cur pravum recto substituamus?

Sortem] Fortunam, ob casum sortis incertum, sic appellari vel ex reliquis nominibus aequivocis patet. In Planetis sunt sortium loci, Nemeseos in Saturno, *Τύχης* in Luna (Manil. astron. 3, 96. Palaeogr. crit. III. §. 282). Sed Graecum noster forsan in mente habuit *Λάχεσιν*, quippe nomen *παρὰ τὸ λαγχάνειν* (Diogenian. ap. Euseb. in praep. ev. p. 263 Vig.) dictum, sive *ἀπὸ τοῦ τῇ κατὰ κλήρους λήξει τὰ ἀποδιδόμενα ἑκάστῳ προεισιέναι* (Cornut. 13. p. 156 Gal.). A Pindaro etiam Pausanias (7, 26, 3) habebat, unam e Parcis *Fortunam* esse, eamque sororibus potestate antecellere. Ceterum in lapidis cujusdam titulo (Grut. 73, 8) Fortuna cum Rhamnusia conjungitur, i. e. *Nemesi*, ut in alio quoque claris verbis legimus (Grut. 80. 1): »Deae Nemesi *sive* Fortunae«, quem certe non erat cur Boxhornius (ad Plut. qu. Rom. 13 in Graev. thes. V. 942) a *quasi dubitante* scriptum diceret. Quid solum mihi inter utramque interesse videretur, alio loco (Palaeogr. crit. III, §. 527) exposui.

Nortiam] Fortuna Thuscis. Meminit Livius. Alia ab his Nursia, Volsinensium dea, cujus Livius. Utriusque Tertullianus. De Nortia Juvenalis: »si Nortia Thusco favisset« Gnor. — Adde lapides huic deae inscriptos (ap. Reines. p. 167 n. 131. Fabrett. p. 742. n. 307. Don. p. 52. n. 150). Sed falsum esse Grotium in eo, quod diversam a Nortia deam esse Volsinensium Nursiam contendit, ex hisce inscriptionis (ap. Fabrett. p. 742) patet verbis: »Nortia te veneror lare cretus Vulsiniensi.« (Add. Drakenb. ad Liv. 7, 37) Ceterum et Nursiam pro Nortiam scribi potuisse quis neget? (Vide Burmannum in anthol. Lat. I. p. 57 et add. Müller in Etrusc. II. p. 54).

aliis impertiens] Grotius *impartiens*, quod quum minus usitatum sit, illam formam e codicibus Monacensibus (B. C. D. E. G.), Reichenauensi, Basileensi, Darmstattensi, Cantabrigiensi et Britannico reposui. Simillima iis, quae Martianus scribit, in Cebetis tabula (p. 170 ed. 1646) haec sunt: »Vagatur Fortuna et aliis, quod habent, rapit, aliisque largitur; iisdemque rursus statim eripit, quae dedit, eaque aliis donat temere et inconstanter.« Unde Ovidius (trist. 5, 8, 15):

»*Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat.*«

Et porro (3, 7, 41):

»*Nempe dat id cuicunque libet Fortuna rapitque,*
Irus et est subito qui modo Croesus erat.«

Pariter ab Horatio dicitur (Od. 3. 29. 50):

»*Ludum insolentem ludere pertinax,*
Nunc mihi, nunc alii benigna«;

et alibi (1. 35. 2):

»*Praesens vel imo tollere de gradu*
Mortale corpus vel superbos
Vertere funeribus triumphos.«

puellariter, caput illis virga comminuens, eisdemque quibus fuerat eblandita
89 ictibus crebris verticem complicatisque in condylos digitis vulnerabat. Haec mox ut Fata conspexit omnia quae gerebantur in Jovis consistorio subnotare, ad eorum libros et pugillarem paginam cucurrit, et licentiore quadam fiducia, quae facta conspexerat, inopinata descriptione corripuit, ut quaedam repente prorumpentia velut rerum seriem perturbarent; alia vero, quae causarum ratio prospecta vulgaverat, quoniam facere improvisa non poterat, suis tamen
90 operibus arrogabat. Post hanc vulgo ceteri devenere. Jupiter nunc solio resedit praecepitque cunctos pro meriti ordine residere. Tuncque subsellia flamma-

caput comminuens] Vix hoc intelliges, nisi ad *capitis deminutionem* respexeris, eo quidem sensu, quo in jure Romano status in pejus mutatus dicitur. Simili modo Fortunae facta Vellejus Paterculus (2, 118, 4. p. 368 Burm.) describit: »Quippe ita se res habet, ut plerumque, qui fortunam mutaturus est deus, consilia corrumpat efficiatque, quod miserrimum est, ut quod accidit, etiam merito accidisse videatur et casus in culpam transeat.« Ipsa autem locutio Plautina (Menaechm. 5. 2. 104. Rud. 4. 4. 74).

complicatisque in condylos] Ita Saxo grammaticus: »complicatis in condylos digitis.« Domitius ad Martialem V. epigr. 80: »Condylus« inquit »in musicis dicitur digitorum curvatura usque ad dimidium orbem.« Catholicon Fr. Joh. de Janua in voce Condylus: »A *Condo*« ait »dicitur condylus, id est nodus, et praecipue qui apparet in articulis digitorum pugno clauso, quo solemus quandoque capita puerorum percutere.« Adde Jul. Pollucem VIII. cap. 7. Hesychius: *Κονδυλίζει, κολαφίζει. Κόνδυλος, ἕτερόν τι τοῦ κολάφου.* Stephan. (ad Saxon. p. 25). — *Κόνδυλος* differt a colapho eo quod hic expansa manus palma, interiori manus parte, ille exteriori et articulis digitorum infligitur, ideoque probrosior est habitus. (Toll. ad Longin. p. 252. Hemsterh. ad Lucian. I. p. 465 Bip. Demosth. adv. Mid. p. 537 Reisk. ibique Taylor. Thomas Magist. v. *ἐπὶ κόρρης*).

Fata] Ita pro Grotiano *facta* codices Reichenauensis, Dresdensis, Leidensis (Munck. ad Fulg. p. 40. Gronov. ad Gell. 5, 16), Hugianus, et Monacenses (B. D. E. G.), habent, moxque pro *subnotari* Britannicus, Cantabrigiensis, Monacenses (C. D. E. G.) Hugianus, Basileensis, Darmstattensis, et Guelferbytanus *subnotare*. Videtur noster Pacatum (in panegyr. 18, 4. p. 59 Arntz.) imitatus esse, ubi legitur: »Deo feruntur adsistere *Fata cum tabulis*.« (Confer §. 65.).

quae facta] Ita clarius Leidensis (Arntzen. ad paneg. I. p. 42 f.) et Dresdensis omissam apud Grotium vocem *facta* exhibent.

corripuit] *Descriptione* aliquid *corripere* est »festinanter describentem aliquid perstringere.«

devenere] Pro Grotiano *devenere* Hugianus quidem codex exhibet *dii venere*: sed vulgatam ceterisque communem lectionem non ausus sum mutare.

nunc] Ita codices Darmstattensis, Cantabrigiensis, et teste Cortio Guelferbytanus omnino melius quam Grotius, qui *tunc* edidit.

pro meriti ordine] Ita supra (§. 41) etiam coelicolas advocatos esse legimus »pro *suo ordine* ac

bunda coetum suscepere sidereum. Verum quidam redimitus puer ad os compresso digito salutari silentium commonebat.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Tunc Jupiter coepit: 91

ratis modis.« Claudianus (de rapt. Proserp. 3, 9), postquam deos memoraverat in consilio considere a Jove jussos esse, addit:

»*Nec confusus honos. Coelestibus ordine sedes*
Prima datur. Tractum proceres tenuere secundum.
Nec non et senibus fluviis concessa sedendi
Gloria. Plebejo stat cetera mare juventus« cet.

Pariter Ovidius (met. 1, 171):

— — — — »*Dextra laevaque deorum*
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs habitant diversa locis. A fronte patentes
Coelicolae, clarique suos posuere penates.«

Quos quidem exemplo sibi sumsisse Sidonium illico advertes, si carmen ejus (7, 38. p. 351 Sirm.) legeris.

residere] Eodem Statius modo (Theb. 1, 205) fingit Jovem stellanti locatum solio additque:

»— — — — »*nec protinus ausi*
Coelicolae, veniam donec pater ipse sedenti
Tranquilla jubet esse manu.«

ad os compresso digito] Gestus est Harpocratis, de quo pluribus disserui in palaeographia critica (P. III et IV). Ridicula est glossae interpretatio de *Cupidine* puero. Ipsum *redimiti* epitheton Aegyptium significare videtur, conf. Lucian. Navig. 3 (p. 157 T. VIII. Bip.). Graecum ei nomen a *δίγᾶν* petitum Ausonius tribuit, taciturnitatem hisce versibus describens (epist. 25. 27):

»*Tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis,*
Aut tua Sigalion *Aegyptius oscula signet,*
Obnixum Pauline taces.« — —

Qui hic Aegyptius, idem infra (§. 729) nostro *piceus* est puer (ab Aegyptiorum nempe colore) jussus admonere *silentium*. Catullus duobus locis (74, 3 et 102, 4) ad taciturnum hunc alludit puerum. Eundem Ovidius (met. 9, 696) innuit versu:

»*Quique premit vocem digitoque silentia suadet.*«

Augustinus denique (de civ. dei 18, 5) »in omnibus templis«, scribit, »ubi celebrantur Isis et Serapis, erat etiam simulacrum, quod *digito labiis impresso* admonere videretur, ut silentium fieret.« *Salutaris* autem digitus medius est, qui alioquin *infamis*; conf. interpr. ad Persii sat. 2. 33.

conticuere] Notissimus versus est Virgilii (Aen. 2, 1). Sed in re ipsa Ovidium potius imitatus est, qui de Jove (met. 1. 205) ita:

— — »*qui postquam voce manuque*
Murmura compressit, tenuere silentia cuncti«;

et Statium (Theb. 1. 211):

»*Postquam jussa quies siluitque exterritus orbis,*
Incipit ex alto« cet.

coepit] Hugianus codex *ait*. In Monacensibus (B. D. E.) ante versus, qui sequuntur, haec leguntur annotata: »Metrum dact. tetramet. catalecticum.« In glossa autem: »Metr. dactilicum (sic) tetrametrum catalecticum constat ex spondeo et dact. catalecto et duobus dactilis.« Est vero potius Choriambicum Asclepiadeum minus, quale apud Horatium in oda prima, ita tamen, ut Martianus majores etsi non inaudita licentia (conf. Hermann. elem. doctr. metr. II. 36. 14. p. 434) dactylo quoque in basi usus sit versuum 34, 37, 38, quod in

Ni nostra, astrigeri, nota benignitas
Conferre arbitrium cogeret intimum,
Et quidquid tacito velle fuit satis
Id ferre in medium collibitum foret:
Possem certa meis promere ductibus,
Nec quisquam illicitis tollere nisibus
Concertans cuperet jussa deûm patris.

errorem glossatores induxisse videtur. Ceterum in tota hac oratione Ovidii (met. 9, 243) imitationem, quod supra jam monui, agnosces.

astrigeri] Simili ratione Martianus infra (§. 889) deos *astrilucos* appellat, terrestribus oppositos. Quod Barthius (ad Stat. Theb. T. III. p. 860) ex uno codice substituere jubet *astriregis*, nec cum Latinitate, nec cum metro convenire videtur, eoque magis ista displicet correctio, quo saepius noster (§. 193 f. 802. 808) voce *astriger* usus est, intimamque cum astris divorum statuit conjunctionem (§. 93 f. 97. 312).

conferre arbitrium] »Consilia conferre« Terentius (heautont. 3, 1, 64), »sollicitudines« Cicero (ad familiar. 6, 21), »sermones aut consilia« idem (Philipp. 2, 15), et prorsus ut hoc loco, Coelius (ad Cic. epist. 8, 15) »omnia *intima* conferre« videlicet *communicare*. Arbitrium autem pro *decreto* posuit noster.

promere] Non est *eloqui*, ut aliis in locis, sed quasi e penu in lucem proferre. Nam πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ (Eur. Med. 1415).

nec quisquam] MS. *ne quicquam*. Forte *ne quisquam*. Sensus hic: »Possem equidem talem de hac femina vindictam sumere, ut nemo posthac tentare auderet deorum patris (id est: mea) scrinia: sed semotis tristibus nos ad laetiora convertamus. Gnor. — Profecto non erat, quod haec sua faceret Goezius: nam si unquam, sane tunc dormitabat Grotius, quum ista scriberet. Ubi, quaeso, in illis versibus quidquam legitur de *vindicta*, de *femina* quadam, de *scriniis* Jovis? Quam quidem feminam si forte Philologiam intellexerit, quae Jovis scrinia expilasset, Jovem huic favere potius, quam infestum esse, omnia docent. Vide ne non sit necesse corrigere communem omnium librorum lectionem! Immo bene se habet illud »*nec quisquam*.« Similis de Jove locus apud Ovidium (met. 9, 255) est, ubi ille, postquam Herculis apotheosin decreverat, idque reliquis diis annuntiaverat, laetabile eis fore hoc factum quidem confidit, sed addit:

— — »*si quis tamen Hercule, si quis*
Forte deo doliturus *erit*, *data praemia nolet*:
Sed meruisse dari sciet; invitusque *probabit*;«

Junonem scilicet denotans (v. §. 84 f.).

deûm patris] Qui apud Platonem (Tim. p. 41 Steph.) deorum patris ad deos verba legerit, videbit nota haec fuisse Martiano. Sensus loci hic est: »Nisi benignitas mea, omnibus nota, me impelleret ad communicandam vobiscum animi mei sententiam, et nisi libitum esset mihi de iis, quae etsi silentio premerem, rata tamen per ipsam meam voluntatem forent, ad vos referre; possem profecto meis unius auspiciis meoque imperio fixa atque immutabilia efficere: nec quisquam auderet nefario conatu patris deorum jussa suscepto certamine irrita reddere.«

Sed tristis melius censio clauditur,
Atque infanda premit sensa silentium,
Ne vulgata ciant corda doloribus;
At quum laeta patrem promere gaudia
Et certo deceat foedere pignora
Palam perpetuis jungere nutibus:
Cassum est nolle loqui sensa decentia.
Vobiscum ergo dii, grata propinquitas,
Conferre studium est vota propaginis.
Aequum quippe puto foedere coelitum
Quae sectanda forent orsa probarier.
Nostis Majugenam pignoris inclyti 92

censio] Pro eo, quod quis censet, id est *sententia*, quemadmodum Symmachus voce *censio* utitur (epist. 1, 3). Atque ita jam Plautus (rud. 5, 1, 9), quamvis cum quadam ambiguitate, »*censionem* facere« dixit pro *censere*.

vulgata ciant] Dresdensis codex pro *ciant* habet *sciant*, quod non cohaeret cum voce *doloribus*. Forma *cire* pro *ciere* rarior, attamen usurpata a Columella (6, 5, 1) est. Basilecnsis *cieant* habet. Quod autem dicit: »ne vulgata ciant *corda doloribus*,« hypallage est pro: *cordibus dolores*. Clarius Lucretius (3, 292) »qua *ciet* horrorem membris.«

cassum] Quae ex Guelferbytanis enotavit Cortius *fassum*, et paulo ante *quin fanda*, deinde *ne vulgo taceam* monstra sunt lectionis: neque, quod in pluribus Monacensibus (B. C. D. G.), et in alio (E) ex correctura exstat, *cieant*, metrum patitur. Totius loci sensus hic est: »Tristem quidem sententiam silentio premere praestat, quaeque clam esse debent continere, ne, ubi in vulgus exierint, animos dolore atque anxietate perturbent: sed quum patrem deceat gaudia sua in medium proferre et coram omnibus voluntate in perpetuum duratura liberos legitimis nuptiis jungere, vanum foret reticere consilia decentia. Vobiscum igitur, dii, qui grata mihi estis propinquitate juncti, communicare studeo filii vota. Aequum enim arbitror consensu deorum in ipso initio approbari viam, quae nobis est persequenda.« Ceterum metrum postulat scribi *dii*, ut est in Monacensi (G). Vulgati ante Grotium habebant *di*. In Darmstattensi correctum *divi*.

pignoris inclyti] A principio hujus versus olim legebatur »Nostri« in cujus locum ex codicis Dresdensis auctoritate reposui »Nostis«, id quod legendum esse suspicabatur jam Barthius (adv. p. 1243) et postea Vonckius (in spec. critic. p. 81). Sed quod hic pro *pignoris inclyti* reponere quoque jubebat *pignus id inclytum*, hoc in textum recipere non ausus sum, siquidem altera, quam dedi, constans omnium librorum lectio est, ipsius etiam codicis Dresdensis. Videtur Martianus appositionem vitasse vel versus causa vel genitivum, quem qualitatis vocant, in mente habuisse, et quemadmodum dicimus »virum magni ingenii«, dixisse »Ma-

In nostris merito degere sensibus:
Quae nec frustra mihi est insita caritas,
Ut suevit patria stringere pectora.
Nam nostra ille fides, sermo, benignitas,
Ac verus Genius, fida recursio:
Interpresque meae mentis honos sacer.
Hic solus numerum promere coelitum,
Hic vibrata potest noscere sidera;
Quae mensura polis, quanta profunditas,

jugenam pignoris inclyti«; licet semper obscuram esse elocutionem non negem. Addit Barthius: »*Pignoris inclyti* Graecismus est, vice pignoris, virtute id merentis, vivere in nostris sensibus.«

degere sensibus] Degere in sensibus intimum amorem notat, ut in oculis, in corde, in intimis sensibus alii dicunt. Animo insitum Paulinus in carmine ad Nicetam valedictorio, quod nomine Sexti Natalis Felicis citat Beda. Barth. (advers. p. 1243).

sermo] Sermonem cum dicit, *λόγον* ex sacris literis notat; unde conjectari licet Christianitate imbutum fuisse Martianum. Barth. (adv. p. 1243). — Miramur doctissimi sane viri absurdam hanc interpretationem; *sermone* profecto nihil nisi nuntii sive interpretis officium hic designatur.

Genius] Veteres cuique fere deo suum tribuerunt Genium. Ita superiori loco (§. 53) Junonis hospitae Genium memoravit. Ita non solum Minucius Felix (29, 7) Jovis Genii meminit; sed in vetustissima etiam inscriptione (Murat. 587, 1 f.) ejusdem fit mentio. E penatibus Jovis fuisse Jovialem Genium Caesius (ap. Arnob. 3. p. 123) affirmat, atque conspicitur (ap. Montf. in ant. expl. I. tab. 15) ejus effigies cum cornu copiae adstantis subjecta inscriptione: *Genio*. Quaeritur igitur num forsan Mercurius idem Jovis Genius fuerit. Certe tam Mercurius, quam Genius Tagetis pater, Jove erat procreatus (Fest. in fragm. p. 90 Dac.). Sed re accuratius examinata potius ad illam Genii significationem respexisse nostrum arbitror, qua *δαίμων* etiam *interpres* seu *ἄγγελος* e Platonis (symp. p. 202 Steph.) est sententia (conf. §. 153. 154 ibique not.). Quae quidem notio apprime cum Mercurio, Jovis nuntio, convenit. Ceterum in Darmstattensi codice versus hic, duoque sequentes transpositi sunt.

fida recursio] Memoriam notat, quam sibi esse Mercurium ait Jupiter. Barth. (advers. p. 1245) — Nuntii potius fidelitatem ultro citroque discurrentis significari arbitror, qui quocunque a Jove ablegatus sit, semper tamen ad eundem redeat.

hic solus] Observes velim, Mercurii laudem simillimam esse illi, qua infra (§. 118) Philologia celebratur.

hic vibrata] Manilius (1, 30 Bip. 36 Scalig.): »*Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti:*
Per te jam coelum interius, jam sidera nota« cet. Ovidii quoque versus huc pertinent (fast. 1, 297):
»*Felices animos, quibus haec cognoscere primis*
Inque domos superas scandere cura fuit.«
Ceterum *vibrari* astra dicit, quae supra (§ 32) ipsa *vibrare* scripserat, poëtice.

Qualis sit numerus marmoris haustibus,
Et quantos rapiat margine cardines,
Quaeque elementa liget dissona nexio,
Perque hunc ipse pater foedera sancio —
Sed forsan pietas sola recenseat,
Quae parens probitas munera pensitet;
Qui Phoebi antevolans saepe jugalibus
In sortem famuli nonne relabitur?
Hic quoque sic patruis servit honoribus,
Ut dubium proprium quis mage vindicet.
Illum connubio rite jugarier
Suadent emeritis secla laboribus,
Et robur thalamo flagitat additum.

marmoris] Ita noster saepe (§. 584. 659. 908) pro *mare* voce *marmor* utitur pariter atque alii poëtae (conf. Sedul. 1, 124 ibique a viris doctis notata).

haustibus] Fingit enim mare haurire aquam. Sensus esse videtur: »quibus legibus vel qua ratione fiant fluxus et refluxus.«

et quantos] Profecto intellectu difficillimus est hic versus, quapropter omnes etiam hic silent interpretes. Equidem intelligo: »quantos sinus faciat mare.« In praecedentibus enim disseruerat de aquae quantitate, quam capiat mare: in hoc versu ejus persequitur irruptiones in terram. Cardines enim saepe pro ostiis poni nemo ignorat; et ad vocem *marginem* supplenda vox est *terrarum*, secundum illud Ovidii (met. 1, 13)

— — — — — »*nec brachia longo*
Margine terrarum *porrexerat Amphitrite.*«

perque hunc] Intelligo: »et per quem.« Mercurius enim praeco, vel potius fetialis, κήρυξ, est, *per quem* Jupiter foedera sancit mortalium.

parens probitas] Probitas, quae paret, poëtice pro probo, qui dicto audiens est, ut semper erat Mercurius.

famuli] Intellige: qui quamvis Solem aliquando antecedat, semper tamen in sortem famuli redit (§. 25). Atque simili ratione Jovis honoribus servit, quae *fida* ejus *recursio* est, de qua supra.

patruis] Sic recte Grotius pro *patrius*, quod in anterioribus erat. Adjectivum est, ut apud Horatium (od. 3. 12) »*patruae* verbera linguae«; referendum autem ad Plutonem, cui pariter atque ipsi Jovi Mercurius servit.

suadent emeritis] Ita pro Grotiano »suadentem meritis« rectius codices Monacenses (B. D.) et Dresdensis. Corruit igitur et Vonckii (in spec. crit. p. 81) correctio, qua *sudantem* legere jubet. Sensus est: »Suadent secula (tempora), postquam emeriti sunt labores (Mercurii)« cet.

thalamo] *Thalamos* praebent tam quinque libri scripti Leidenses (Oudend. ad Appulej. I. p. 384), quam Dresdensis, Monacensis (C), Cantabrigiensis,

93 At virgo placuit docta quidem nimis
Et compar studio, sed cui terreus
Ortus, propositum in sidera tendere:
Plerumque et rapidis praevolat axibus,
Ac mundi exsuperat saepe means globum.
Cunae ergo officiant quo nihil editae,
Censendum, superi quique crepundia
Terris recolitis vestra tenerier,
Quae occultant adytis sacra latentibus.
Jungantur paribus, nam decet, auspicis,

musei Britannici et Bongarsii; sed vulgata lectio praeferenda esse videtur. Sensus enim est: »Mercurii robur, quo jam praeditus est, flagitat, ut detur thalamo.« *Additum* sc. *esse* pro *addi* ad modum Graeci aoristi dictum est.

cunae] Verba intricata, sensus planus: non ob id Mercurio Philologiam denegandam, quod terris nata sit, cum idem et diis acciderit. Legendum forte:

»*Cunae ergo officiant quoi nihil? edite*
censendum superi: quique« cet.

Gnor. — *Editae* gignendi casus est, quod scholiastes priscus non potuit intelligere quamvis in omnia se vertens. Ut nativitas illi nihil obsit, quae cum deo jungenda est, consilium in medium dandum censet. Deos non natos esse sapientiores censebant. Lucanus lib. 8:

— — — — — — »*si numina nasci*
Credimus, aut quemquam fas est coepisse deorum.«

Bartu. (advers. p. 1243) — Non genitivus sed dativus casus est *editae*, neque quidquam intricatum, nisi verborum ordo, quem tamen recte jam Barthius enucleavit. *quo* pro *ut* accipiens; *cunas* tantum melius ad conditionem nascendi mortalem quam ad ipsam nativitatem retuleris; natum enim vel Jovem ipsum veteres credebant, ejusque *cunas* celebrat Ovidius (fast. 5. 212). Quod restat, pro *editae* Cortius in Guelferbytanis invenit *deditae*, sed vulgata sana.

quique crepundia] Sensus est: »Qui recolitis teneri (haberi) in terris vestra crepundia i. e. nutrimenta puerilia vel munuscula s. blandimenta, quae a nutricibus infantulis vagientibus exhibentur, quae sc. crepundia, occultant sacra, i. e. templa adytis latentibus h. e. in secretiori eorum parte. Vulcan. — Cicero (Tusc. 1, 13) »mysteriis initiatos non latere« ait »ipsos majorum gentium deos e terra in coelum profectos esse.« Non tamen solam mysteriorum doctrinam, sed testimonia quoque et monumenta nativitatis et pueritiae eorum significare Martianus videtur, qualia *reliquiarum* instar in adytis templorum servabantur, ut v. c. ovum Ledae apud Spartanos (Paus. 3. 16. 1). Cf. Lobeck. Aglaopham. p. 52.

auspicis] Ita pro *auspiciis* scribe versus causa. Sic in libri fine *jurgis* pro *jurgiis*. Gnor. — Ita etiam Reichenauensis codex. Imitatur noster Appu-

Et nostris cumulent astra nepotibus.

Sed postquam Jupiter finem loquendi fecit, omnis deorum senatus in 94
suffragium concitatur, acclamantque cuncti fieri protinus oportere, adjiciuntque sententiae Joviali, ut deinceps mortales, quos vitae insignis elatio et maximum culmen meritorum ingeniumque in appetitum coelitem propositumque sidereae cupiditatis extulerit, in deorum numerum cooptentur; ac mox inter alios, quos 95

lejum apud quem (met. 6. p. 426 Oud.) Jupiter Venerem alloeutus: »nec tu«, inquit, »filia quidquam contristare; nec prosapiae tantae tuae statuique de matrimonio mortali metuas. Jam faxo nuptias non impares« cet. De deorum conjugio impari plura vide apud Nonnum (10. p. 276 Fabr.). Verba autem noster sumsit e Virgilio (Aen. 4, 103) ubi Juno Veneri dicit: »*paribus* regamus *auspiciis*«, alio licet sensu. *Auspicia* enim hoc loco *initia* sive *originem* significare arbitror, licet etiam ad *dignitatem* et *potestatem* referri possint, quae in magistratibus Romanorum auspiciorum jure cernebatur.

astra] In astris enim deos habitare, quin ipsa etiam deos esse cum Pythagora (Diog. Laert. 8, 27. p. 509 Meib.) finxit Martianus (§. 91. 97 ibique not.). Extremorum sex versuum igitur sensus hic esse videtur: »Quo nihil (quo minus) ergo cunae (ortus, natales) editae (genitae, nempe Philologiae) officiant, censendum (vobis) superi, quique (et qui) recolitis (recordamini) crepundia vestra (natalitiorum mysteria) sacra (ἱερὰ) adytis latentibus occultare. Jungantur (igitur uterque), nam decet, paribus auspiciis, et cumulent astra nostris (Jovis) nepotibus (conf. §. 93. 97. 123. 153. not. 811. 813 f. et Platon. de leg. 10. p. 899 Steph. Cic. de divin. 1, 10. Davis. ad Max. Tyr. 17, 5. p. 317 et 17, 12. pag. 377). Macrobius (Sat. 1, 23): »θεοὺς dicunt sidera et stellas ἀπὸ τοῦ θέειν, id est τρέχειν, quod semper in cursu sint.«

sed postquam] Sallustius (Catil. 53): »Postquam Cato adsedit — — senati decretum fit, sicuti ille censuerat.«

acclamantque] Imperatorum demum aetate, ut videtur, per acclamationem senatus consulta facta sunt (Plin. epist. 4, 9. Capitolin. in Max. et Balb. 2. Brisson. de formul. 2, 66. p. 175).

adjiciuntque] Cicero (Philipp. 13, 21) ita: »Servilio assentior *et hoc amplius* censeo.«

coelitem] In Monacensibus (B. D. E.) et Basileensi legitur *coelitum*. Utrumque rectum quidem; sed praestat vulgata lectio, quandoquidem difficilior sive audacior potius et Martiani ingenio aptior, praesertim quum statim eadem figura »sideream cupiditatem« subjungat pro »siderum cupiditate«, more antiquo fere, sicut Accius (ap. Cic. N. D. 3, 26) »familiare parricidium« dixit pro »familiaris alicujus paricidio.« *Sidera* autem vitam coelestem significant, ut Pedo Albinovanus (eleg. 3. 27):

»*Vive diu, mi care senex*, pete sidera *sero*.«

in deorum] Ita in lapide quodam sepulcrali (in Velseri op. p. 418) legimus: »animula *in deorum numerum recepta*.« Alia exempla invenies apud Diodorum (3, 56. 4, 24), Quinctilianum (3, 7, 5 et 9. p. 549 Spald.) cet.

cooptentur] Adeo ut vere Persaeus, Zenonis auditor, apud Ciceronem lib. 1 de natura deorum dicat »eos esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa, ipsasque res utiles et salutares deorum esse vocabulis nuncupatas«, et Minucius Felix: alicujus muneris vel artis

aut Nilus dabat, aut Thebae, Aeneas et Romulus, aliique, quos postea astris doctrinae nomen inseruit, designati coelites nominentur, ut post membra
96 corporea deorum fierent curiales. His quoque annuente Jove, jubetur quaedam gravis insignisque femina, quae Philosophia dicebatur, hoc superi senatus

repertorem veneratam fuisse unamquamque nationem ut civem bonae memoriae. Cuper. (apoth. Homeri p. 3) — Vide pulchros Horatii (od. 3. 2, 21) versus:

»*Virtus recludens immeritis mori*
Coelum, negata tentat iter via.«

Animas deus alloquens (ap. Stob. ecl. 1, 52, 40. p. 857 Heer.) edicit: »Si pauca fuerint vestra crimina, carnis relicta compage coelum rursus amplectemini.« Confer et nostrum inferioribus locis (§. 135. 145). In editis a Grotio *coaptentur* quidam legitur; sed in notis (ad §. 6) observavit librum scriptum hoc loco habere *cooptentur*, et habet etiam Reichenauensis. In Basileensi et Darmstattensi tamen vidi scriptum esse *coaptentur*.

Nilus dabat] Similiter Claudianus (v. §. 62 not.): »si quos Roma recepit aut *dedit* ipsa deos.« Nilo deorum generationes assignatas esse testatur Eusebius (praep. evang. 3, 3. p. 89; add. Arnob. L. 4, p. 135), nominatimque ex eo orti ferebantur Vulcanus (Cic. N. D. 3. 22. Diogen. Laertius prooem. 1, p. 2 Meib.), Dionysus (Cic. N. D. 3, 23; Laur. Lydus mense Mart. 38, p. 199 Roether.), Mercurius (cf. eund. mense Apr. 44, p. 215), Hercules (ibid. 46, p. 225), alii. Haud tamen scio an nostro loco Nilus omnino pro Aegypto positus sit, ita ut Aegyptiaci dii, Osiris, Isis, Anubis, Apis, intelligantur, qui sero tantum a Graecis Romanisque deorum in ordinem recepti sunt.

Thebae] Herculem intelligo, quem *Thebarum alumnum* Pacatus (in panegyr. 4, p. 18 Arntz.) appellat, et Bacchum, Cadmi nepotem, quem Horatius quoque (Od. 3. 3. 13) illis addit, qui quum mortales nati essent, constantia et virtute enisi arces igneas attigerint; forsitan etiam ipsum Cadmum, quem non herois tantum (Paus. 3. 15. 6), sed divino etiam honore cultum fuisse quidam volunt (v. Müllerum in Orchomeno p. 216 et 466), neget licet Lobeckius (in Aglaopham. II. p. 1253).

Aeneas] De Aenea deo indigete (§. 62) consule Livium (1, 2 f.) et Virgilium (Aen. 12, 794) Ovidiumque (met. 14, 585 — 608) ac Tibullum (2, 5, 44). De Romulo Horatius (ep. 2. 1. 5):

»*Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux*
Post ingentia facta deorum in templa recepti«;

adde Varron. de L. L. 4. 31. Cic. N. D. 2. 24; 3. 15; Tusc. 1. 12. Minuc. Felic. 23, 2. Tertullian. ad nat. 2. 9 cet.

post membra] Per ellipsin, pro »post membra corporea exuta.« Ita infra (§. 162) »post vitam« nempe »peractam« et (§. 155) »post membrorum nexum« nempe »dissolutum.«

curiales] Glossa Isidori: »Areopagitae, curiales.« Curialium vocabulum Plauto usitatum, sed et juris consultis. Gnor. — Curiales Romanis iidem erant qui Graecis φρατέρες, interdum etiam qui δημόται (v. Cic. offic. 2, 18 f.). Namque in φρατρίαν, vel in δῆμον aliquem qui recipiebantur, apud Athenienses aliosque participes civitatis juris optimi fiebant (Platner Beytr. zur Kenntn. d. Att. R. p. 143 — 152. 188 — 201): unde deorum curiales fieri erudite dicit Martianus eos, qui in deorum numerum cum pari et aequabili jure reciperentur.

Philosophia] Ita meliores libri scripti, Mona-

consultum aeneis incisum tabulis, per orbes et compita publicare. Tunc Juno 97
condicit propter praedictorum thalamum iuvenum et nuptialia peragenda, uti
postridie omnis ille deorum senatus in palatia, quae in Galaxia Jovis habita-

censes (B. C. D. E.), Dresdensis, Bodlejanus primus, Mertonianus, Britannicus, Cantabrigiensis, Basileensis, Darmstattensis, Reichenauensis, et Bongarsii. Quibus tamen etsi destituti essemus, nihilominus vulgatam lectionem correxissemus e Martiano quidem ipso, qui infra (§. 576) per Philosophiam ait Jovem coelestis consultum senatus tabulamque vulgasse (add. §. 131).

senatus consultum] Prorsus contrariam (ap. Senec. in apocol. p. 826 Lips.) sententiam dicit Janus: »ne quis post hunc diem deus fiat ex his, qui ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν.«

aeneis] Morem incidendi aeneis tabulis leges antiquissimum fuisse e Platone (in Minoe p. 320. Steph. add. Apollinar. Sidon. epist. 5, 3 f. p. 131 Sirm.) patet. Apud Romanos aenearum tabularum usum Anco Martio fuisse recentiorem colligi e Dionysio Halicarnassensi (l. 3. p. 178 Sylb.) posset, quippe qui in quernis tabulis leges fuisse inscriptas referat. Sed ipsas duodecim tabulas aeri incisas fuisse Livius (3, 57 f.) tradit, quamvis alii voluerint, eburneas eas fuisse (l. 2. §. 4. de orig. jur.). Foedus etiam Carthaginiense aeri incisum fuisse Polybius (3, 26) refert. Atque in aes incisarum tabularum saepe mentio fit (l. 8 ad l. Jul. pecul. Dion. Halicarn. 10. p. 681. Cic. Philipp. 3, 12; in Catil. 3, 8. Tacit. annal. 11, 14 f. Plin. 34, 9. Plin. Secund. epist. 8, 6, 14 p. 417 Cellar. Sueton. Vesp. 8. Serv. ad Aen. 6, 622. Ovid. met. 1, 92). Unde leges quoque convivales Saturni jussu in aes incisas lepide finxit Lucianus (Cronosol. f. T. 9. p. 22 Bip.). Ab aere igitur aerarii nomen locus invenit publicus quo leges condebantur (Sueton. Caes. 28) sive deferebantur (Tacit. 3, 51). Ita Macrobius quoque (Sat. 1, 13) legis meminit in columna aerea incisae. Quod autem in specie ad SCta attinet, famosum illud de Bacchanalibus coërcendis Viennae exstat, cujus literarum ductus publicarunt Matth. Aegyptius et post eum Drakenborchius (in suppl. ad Liv.), ut Heracleenses (a Mazoch. expl.) tabulas, aliasque taceam.

compita] Per compita idem est, quod supra (§. 3) dixerat »*trivialim*.«

condicit] »Condicere« praeter vulgares significationes est »denuntiare.« Livius: »Quarum rerum, litium, causarum, condixit Pater Patratus P. R. Quiritium Patri Patrato Priscorum Latinorum.« Tribonianus in instit. Tit. de actionibus: »Condicere enim (inquit) est antiqua lingua denuntiare.« Glossarium: »Condico διντάββομαι μετὰ παραγγελίας. Glossae: »Condicit, imperat, praecipit.« Gloss. Isidori: »Condico, statuo, decerno.« Gnor. — Conf. quae contra Scioppium monuerunt viri docti (in Burm. antholog. Lat. I. p. 502) et Gronov. ad Plaut. (Stich. 3. 1. 28).

habitationem] MS. *arbitrationem*, non male. Innuit itaque de rebus maximis ibi positum consilium. Videndus Ovidius. Gnor. — Atque pessimam hanc lectionem Goezius non dubitavit, expuncta meliori, in textum recipere! Quamvis enim Britannici codices omnes, Monacensium unus (C), Hugianus et Darmstattensis perversam illam habent lectionem, quam in Basileensi tamen a secunda manu correctam vidi; nemo certe »*palatia facere arbitrationem*« Latine dici posse putabit. Martiani contra plana est sententia, quam infra (§. 208)

tionem potissimam faciunt, diluculo convenirent. His igitur actis solio rex ipse surrexit, omnisque illo deorum numerus sedes proprias cursusque repetivit.

repetit de *Galaxia* scribens: »erat autem *ibi Jovialis domus.*« De eo Ovidium etiam conferre operae pretium erit in versibus (met. 1, 168 sequ.):

»*Est via sublimis coelo manifesta sereno:*
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.
Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis;

et paulo inferius (175):

Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse palatia *coeli.*«

De Galaxia ipso cf. Cic. somn. Scip. apud Macrob. 1, 4. f.; Aristot. meteor. 1. 8; Plutarch. de plac. phil. 3. 1, p. 892.

cursusque] Lege *curasque*. Voscx. (spec. crit. p. 81) — Abstinuisset hac conjectura criticus temerarius, si meminisset *deos* apud Martianum *sidera* esse, quorum *cursus* et noster (§. 118. 811) et alii saepe memorant. Ita Claudianus (Prob. et Ol. 9) ad Solem:

— — — »*Saepe soles ductoribus illis*
Instaurare vias et cursibus addere nomen.«

Ad eundem noster (§. 186):

»*Nam medium tu curris iter — — coercens*
Sidera sacra deûm, quum legem cursibus addis.«

Hinc tam Phoebum, quam Mercurium in coelum adscendentes in Solem illum, hunc in Planetam converti (§. 20) finxit, et infra (§. 897) Lunam in ipso deorum coetu transcursionis officii memorem, Astronomiam autem (§. 813) *deorum meacula* non tacere, licet impudentis sit *diis* suos *cursus* edissererе docereque velle deos, quod faciant (§. 812).

MARTIANI
MINEI FELICIS
CAPELLAE,
AFRI CARTHAGINIENSIS,
DE NUPTIIS
PHILOLOGIAE ET MERCURII
LIBER II.

Sed purum astrificis coelum scandebat habenis 98
Nox revocans merso fulgentia sidera Phoebo.
Ardua tunc senior succendit plaustra Bootes,
Et spiris torvo nituerunt astra Draconi;

Nox] Multorum poëtarum, Virgilii, Statii, Silii Italici, aliorum habemus noctis descriptiones; sed profecto non ultimum haec nostri occupat locum. Fulgentius quidem (p. 23 Munck.) imitari eum voluit, verum male huic opera successit.

merso] »Merso Phoebo« de Solis occasu noster, quemadmodum Statius (Theb. 1, 344) de ortu et Aurora »repercusso Phoebo« canit.

succendit] Corrigendum *succedit*. Inepte vulgo editur *succendit*. Saepius alibi »succedo, succido, succendo, accedo, accendo« sunt permutata. Oudend. (ad Caesar. p. 95). — Num forsan et Lucanus (2, 415) corrigendus, qui scripsit:

»Succendit *Phaethon flagrantibus aethera loris*«? Adeo futiles saepe sunt criticorum emendationes, praesertim eorum, qui non totum ante oculos habent auctorem, verum cursim tantum sive saliendo menda vel errores venantur. Infra (§. 808) noster:

»*Illic bis septem solitus servare triones*
Plaustro Hyperborea resplendet luce *Bootes*.«

Booten cum plaustris Ovidius quoque jungit (met. 10. 447). Idem alias Arctophylax (Cic. N. D. 2. 42 f.), quia plaustra sive triones ursarum quoque figura fingebantur (Arat. Phaenom. v. 26).

torvo] Imitatus est Ciceronis (N. D. 2, 42) verba:

»*Torvus' Draco serpit subter*« — —

Quapropter spernendam arbitror emendationem *torto*, a viris doctis (Burmann. anthol. Lat. 1. p. 185) propositam; praesertim quum haec notio jam in *spiris* contineatur. Pro *Draconi* nonnulli codices *Dracone* habent, sed parum interest.

Auratis etiam flagrans splendebat in armis
Qui trahit aestifero fulgentem Sirion ortu;
Hoc quoque Nysiacis quod sparsum floribus ardet
Multiplici ambitum redimitur lumine sertum.
Virginis interea trepidas perlabitur aures
Fama Jovis magno dum complet tecta boatu.

99 Denique ipsa compertis superûm decretis, adultaque jam nocte Philologia pervigilans, multa secum ingenti cura anxia retractabat. Ingrediendum primo senatum deûm, Jovisque subeundos inpraemeditata visione conspectus,

auratis] Hunc Orionem esse ex descriptione apparet. Graeci eum ὄτνγνὸν (anthol. 2, 47, 18. p. 510 Bosch.) appellant; Virgilius (Aen. 3, 517) »armatum *auro* Orionа«; Ovidius modo (art. am. 2, 56) *ensigerum*, modo cum Lucano (1, 665) *ensiferum* (fast. 4, 388), canitque (met. 13, 294) »nitidumque Orionis *ensem*.« Isidorus (etym. 3, 71, 11. p. 162 Arev.) scribit: »Hunc Latini *Jugulam* vocant, quod sit *armatus*, et *gladio* et stellarum luce *terribilis*.« Exitiale signum esse jam Homerus (Il. 22, 29) cecinit.

aestifero] Sumsit a Virgilio (georg. 2, 353). *Ferventem* appellat Cornelius Severus (Aetn. 599.) Isidorus (etym. 3, 71, 14 et 15. p. 163 Arev.): »Canicula stella, quae et Sirius dicitur, *aestivis* mensibus in medio centro coeli est: et dum Sol ad eum ascenderit, conjuncta cum Sole duplicatur calor. — Sirius vocatur propter flammae candorem, quod ejusmodi sit, ut prae ceteris lucere videatur.« Plura de Sirio aliis locis (in palaeogr. III. et infra ad §. 640) dixi; addo Arat. 326 cum intpp. *Trahi* eum ab Orione dixit, quia hunc proxime sequitur.

ambitum] Ne te forsan turbet producta media syllaba, lege virorum doctorum notas ad illum Ovidii (met. 1, 37) versum:

»*Jussit et* ambitae *circumdare litora terrae*.«

sertum] De Ariadnes hac corona Juno apud Senecam in Hercule furente conqueritur:

— — — »*ne qua pars probro vacet*
Mundus puellae serta Gnossiacae gerit.«

Goez. — Potuerat Martianus etiam Ovidii (fast. 5, 345) versus respicere:

»*Bacchus amat flores: Baccho placuisse coronam*
Ex Ariadneo sidere nosse potes.«

Adde met. 4, 13; fast. 3. 459. Arnob. 5. p. 176.

trepidas] Jure respuunt multi codices illud *ad*, quod apud Grotium praemissum erat (Oudend. ad Appul. I. p. 691). Omissum id etiam est in Britannico, Cantabrigiensi, et Hugiano. In Darmstattensi superne reperitur impositum. Sed supervacaneum est, quia »perlabitur aures« idem est quod »labitur per aures.«

boatu] Famam praeconis officio functam in palatio Jovis supra (§. 65) vidimus. Eodem igitur jure noster ei tribuere potuit *boatum*, quo Appul. (met. 3. p. 177. 10. p. 691 Oud.) »*praeconis boatum*« scripserat. Musae *boatum* Ausonius (Eid. 20,2), *reboatum* noster (§. 121) tribuit, uti philosophorum etiam in coelo *reboatum* inferius (§. 213 f.) commemorat.

exsiliendumque sibi in superam coelitum sortem. Deinde ipsi sociandam esse 100
Cyllenio, quem licet miro semper optarit ardore, tamen vix cum post unctionem palaestricam recurrentem, dum flores ipsa decerperet, praelectis quibusdam herbusculis conspicata est. Quid? quod utrum sibi haec nuptialis conduceret amplitudo, anxia dubitabat? Nam certe mythos, poëticae etiam diversitatis delicias Milesias, historiasque mortalium, postquam supera conscenderit, se penitus amissuram non cassa opinatione formidabat. Itaque primo con- 101
ducatne connubium, atque aetherei verticis pennata rapiditas apto sibi foedere

optarit] Emendavi Grotianum *optaret* e libro Norimbergensi, Bodlejano primo, Hugiano et Darmstattensi codicibus. Sed anteriores editiones meliorem hanc lectionem jam praebuerant.

cum] Neutiquam, ut in editis, *cum*, sed *cum* omnes fere codices tam Grotii, quam Monacenses (C. D. E. G.), Darmstattensis, Basileensis, Dresdensis, Hugianus, Britannicus, Bodlejanus primus, Cantabrigiensis, aliique ad marginem libri Norimbergensis, et in notis a Appulejum (I. p. 219 Oud.) laudati. Nonne igitur miremur novissimos editores Walthardum et Goezium dedisse *cum*, quin etiam *quum!*

palaestricam] Unctus et nudus placuit scilicet Philologiae. Ovidius (heroid. 16, 149):

»*More tuae gentis* nitida *dum* nuda *palaestra*
Ludis et es nudis femina mixta viris.«

Praefuit enim palaestrae una cum Hercule Mercurius (cf. Horat. od. 1, 10, 4 et ad eum Mitscherlich, cui adde Pausan. 4, 32, 1. Diodor. 5, 75. Stat. Theb. 4, 228. Arnob. 3. p. 114. Prudent. in Symmach. 2, 519. Conf. etiam nostr. superiori loco §. 5 et notas ad inferiores §. 177. 210).

Milesias] Apulejus: At ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conferam. Respexit ad hunc Capellae locum, quisquis ille veterum glossarum auctor, cum ait: »Milesiae, amatoriae.« Gnor. — Confer. Erasmus in proverbio: Domi Milesia. Goez. — Equidem non amatorias tantum, sicut Ovidius (trist. 2, 413), sed omnes fabulas removere voluisse nostrum arbitror, quasi indignas deorum majestate. Mythos enim cum illis conjungit, addens verba »*mortaliumque* historias.« Ceterum *delicias*, non *delitias* in codicibus Monacensibus (B. C. D. E. G.) legitur.

non cassa] Servius ad illud Virgilii (Aen. 12, 780):

»*Dixit opemque dei* non cassa *in vota vocavit*« explicat »non ad inania vota poscit auxilium.«

formidabat] Permulti codices, Reichenauensis, Darmstattensis, Hugianus, Britannicus, Cantabrigiensis, Bodlejanus primus, et Monacenses (B. D. E.) habent praesens *formidat*.

conducatne connubium] De sponsalibus contrahendis auspices etiam auguria captasse pluribus exponit Burmannus Secundus (ad Claudian. p. 36 not. 83).

aetherei verticis] Id est Mercurii. Goez. — Quo autem pacto Mercurius audire potest aetherius vertex? Intellige potius »in aethereo vertice pennatam rapiditatem«; hac enim Mercurius denotatur. — Pro *pennata* Bodlejanus codex quidem *pinnata* dat, quod melius videri potest; sed illud, quod Basileensis et Darmstattensis etiam habent, retinui,

102 copuletur, ex nuptiali congruentia numero conquirit. Moxque nomen suum, Cylleniique vocabulum (sed non quod ei dissonans discrepantia nationum, nec diversi gentium ritus pro locorum causis cultibusque finxere; verum illud quod nascenti ab ipso Jove siderea nuncupatione compactum, ac per sola Aegyptiorum commenta vulgatum, fallax mortalium curiositas asseverat) in digitos calculumque distribuit. Ex quo finalem utrinque literam sumit, quae numeri primum perfectumque terminum claudit. Dehinc illud quod in fanis omnibus soliditate cubi ac dominus adoratur. Literam quoque, quam bivium

quia et supra (§. 76) noster *pennata* scripserat, et infra (§. 379) hujus scriptionis rationem affert.

numero] Pro *numeris*, per numeros. De hoc cabalae genere pluribus olim (in palaeograph. III. §. 142 sequ. 227) egi. Adde exemplum ex Artemidoro (oneirocrit. 2, 75. p. 158; 3, 34. p. 178 Rigalt.).

nomen suum] Φιλολογία, cujus nominis numerus est secundum literas Graecanicas DCCXXIV. Gnot.

Cylleniique vocabulum] Vocabulum hoc admodum torsit ineptos glossatores. Nos Θωὺθ esse invenimus, quod Mercurii apud Aegyptios nomen nemo nescit. Hujus numeri juxta Graecos characteres MCCXVIII. Gnot.— Tenendum autem Θωὺθ tam Mercurii quam primi mensis nomen apud Aegyptios fuisse (Cic. N. D. 3. 22. Cf. Pal. crit. IV §. 604).

digitos] Satis nota haec computandi ratio est (Woweri polym. c. 7. p. 58 sequ. Fabricii bibl. Lat. T. III. p. 385 Ern. Bergler ad Alciphr. p. 108 et inferior ad §. 745 not.) Maxime etiam celebrata erat statua viri digitis computantis exsculpta ab Eubolide (Plin. 34, 8, 29) pariter atque Jani statua (v. Pal. crit. III. §. 230. 236. 454). Atque infra (§. 729) Arithmetica eodem computandi modo utitur. Adde Appulejum (de mag. p. 370 Oud.) Nec tantum numeros, sed etiam literas digitis significatas esse, Isidorus (etym. 1, 26 f. p. 42 Arev.) demonstravit.

terminum] Litera Theta, qua novenarius numerus exprimitur. Primus enim numerorum terminus enneas est, quia in hoc numero monades desinunt et ab eo decades incipiunt. Infra (§. 745) »primus«, inquit, »versus est a monade usque ad enneadem.« Terminum autem *numeri* scripsit pro *numerorum*, ut saepe singulari scriptores utuntur pro plurali (Palaeogr. crit. III. §. 252. Spartian. Adrian. c. 7.).

dehinc] Ω est DCCC. Ogdoas autem primus cubus. Gnot. — Sed ogdoas non est Omega: debebat Grotius ad sequentem *regulam novenariam* respicere, secundum quam numerus ille 800 ad monades reducendus erat, ut primus exiret cubus (§. 740).

soliditate] Cubi natura hac voce exprimitur, »siquidem«, ut Macrobii (in somn. Scip. 1, 6) verbis utar, »a paribus bis bini, qui sunt quatuor, superficiem faciunt: bis bina bis, quae sunt octo, corpus *solidum* fingunt.«

cubi] Vulgo *cybica dominus*. Grotii codex habet *cubi ac dominus*, legi autem ille jubet *ac domibus*, quia »fanis« praecesserit: Goezius *domibus* in textum recipere ausus est. Ego vero nihil mu-

mortalitatis asserere prudens Samius aestimavit, in locum proximum sumit, ac sic mille ducenti decem et octo numeri effulserunt. Quos per novenariam 105

tandum esse censui (in palaeogr. crit. III. §. 227), siquidem accepta particula *ac* pro *tanquam* sensus planus est: »cubi soliditas (ara) quae in fanis tanquam dominus (ipse) adoratur.« Vitruvius enim (3, 1) »aras ad normam debere esse quadratas« monet. Fortasse etiam de cippis Hermae quadratis Martianus cogitavit. Lectionem nostram praeterea firmat Reichenauensis codex, in quo »cybi ac« legitur.

bivium] Editi *vim;* ad quod Grotius: »MS. *vivium*. Literam Y innuit, de qua habes in catalectis:

»*Litera Pythagorae discrimine secta bicorni*
Humanae vitae speciem praeferre videtur.«

Exstat hoc distichon in Anthologia Burmanni Latina (II. p. 416). Sed adde Ausonii (Idyll. de monosyllab. 9) hunc versum:

»*Pythagorae* bivium *ramis pateo ambiguis* Y«

qui magis nostro respondet. Confer praeterea Persium (3, 56), Servium (ad Aen. 6. 136), atque ex eo Isidorum (etym. 1, 17. p. 5 Arev.), graphicamque descriptionem apud Athenaeum (10, 20. p. 454. Cas.) et Strabonem (13. p. 597 Cas.). *Vivium* in Reichenauensi quoque codice exstat, quapropter *bivium* scribere, orthographia tantum mutata, non dubitavi; nam B et V saepius confundi notum est (v. §. 25. 102. 582. 608). Sensum illustrant Lactantii (6, 5) verba haec: »Dicunt enim humanae vitae cursum Y literae esse similem, quod unusquisque hominum, quum primae adolescentiae limen attigerit, et in eum locum venerit, partes ubi se via findit in ambas, haereat nutabundus ac nesciat, in quam se partem potius inclinet« cet.

mortalitatis] Alii libri scripti, a Cortio in libro Lipsiensi notati, habent *immortalitatis;* sed male. Namque voce illa humanum genus notari ex alio loco (§. 108) patet, quo scribit: »intra latebras uteri septimo mense absoluta mortalitas« (add. §. 625. 899). Aperte etiam Arnobius (1. p. 6) verbis »miseranda mortalitas« nil nisi miserum hominum genus denotare voluit. Atque Gellius (13, 28) jam defenderat hunc vocis usum. Adde Ciceronem (N. D. 3, 36), Liviam (1, 2), Senecam (de clement. 1, 5), aliosque permultos, Virgilium, Ovidium, Lucanum, Curtium, Plinium, Quinctilianum.

aestimavit] Ita alios codices habere Grotius et Walthardus jam notaverant. In Monacensibus ipse vidi, tum *estimavit* (in B et D), quod Darmstattensis etiam exhibet, tum *aestimavit* (in C. et E), quod praeter hosce Monacenses etiam Basilecnsis, Reichenauensis, Britannicus, Cantabrigiensis, ac Bodlejanus primus habent. Verumtamen, quod in editis est, *existimavit* etiam defendi potest; neque ignotum est a scriptoribus saepe composita usurpari pro simplicibus (§. 68. 73. 160).

quos per] Quod dicit tale est: solent Magi, ubi quid ex nominibus scrutantur, collectam ex nominum numero summulam per enneada dividere, subtrahendo eam quoties licet, tum numerum qui erit superfluus nominis ipsius numerum arbitrantur. Vide etiam si lubet Agrippam de occulta Philosophia, diligentem profecto Martiani lectorem. Grot. — Bene, modo recte intelligas Grotium. Minime enim numerum innuit illum, qui invenitur priori numero per novem diviso; is enim e Mercurii numero esset $135\frac{3}{9}$ et e Philologiae $80\frac{4}{9}$: sed eum vult, qui perfecta divisione novenario minor per novem amplius dividi nequit, quemque nunc numeri fracti indicem appellamus, ut supra numerum 3 in Mercurii, et 4 in Philologiae no-

regulam distribuens minuensque per monades decadibus subrogatas, in ter-
104 tium numerum perita restrinxit. Suum quoque vocabulum per septingentos viginti quatuor numeros explicatum, in quaternarium duxit, qui uterque
105 numerus congruenti ambobus ratione signatur. Nam et ille, quod ratio principium, medium, finemque dispensat, profecto perfectus est; quippe lineam facit solus, et solidorum frontes incunctanter absolvit. Nam longitudine pro-

mine. Sed hanc viam, quam Grotius iniit, Martianus non indicaverat, ut statim apparebit.

novenariam regulam] Hujus regulae, quod sciam, praeter nostrum nemo nisi Varro (de L. L. 8, 15. p. 131 ed. Lugd. 1563) mentionem facit. Recentiores eam appellant, Galli »la preuve de neuf«, Germani »die Neuner-Probe.« Sed horum simplicior via est, qua ad eundem, quem Martianus, finem perveniunt. Exemplo sit Philologiae nominis numerus 724, in quo probatio hoc modo instituitur: 7 et 2 et 4 = 13; $\frac{13}{9}$ autem = $1\frac{4}{13}$. Numeri fracti igitur index 4 est. Multo morosiorem viam veteres ingressi sunt. Martianus enim numeros jubet »per novenariam regulam distribuere, minuereque per monades decadibus subrogandas (substituendas) et sic in monadem perite restringere.« Id quod alia, quam hac ratione, fieri vix potest:

724 = 700 et 20 et 4.
Resolvendi 700 in 7
20 — 2
4 — 4
Fiunt 13
Resolvendi iterum, quia
13 = 10 et 3, 10 in 1
3 — 3
Fit 4

Copiosius haec in palaeographia critica (III. §. 228) exposui.

uterque numerus] Ternarius nimirum et quaternarius. Omnia, quae proxime sequuntur, noster et Macrobius ex una eodemque fonte hausisse videntur: hic enim (somn. Scip. 1, 6), postquam de septenarii numeri partibus et praestantia egerat, addit: »unde Vergilius, nullius disciplinae expers, plene et per omnia beatos exprimere volens ait: O! terque quaterque beati.«

quod ratio] Quum nostro *ratio* saepe *computatio* sit (§. 105 not.), illud »*quod ratio*« pro »*quia ratio* (sive *computatio*) accipiendum est. Nostra certe melior lectio est quam »*quem ratio*« in Dresdensi codice.

profecto] Ita Basileensis et Bongarsii codex. Editi habebant *pro certo*. Ternarii numeri hanc laudem repetiit infra (§. 733); adde Aristidem Quinctilianum (de musica 3, p. 120 Meib.) et Jamblichum (de vita Pythag. 28, p. 128 Küst.). Pythagoricum dogma esse jam Aristoteles tradit (de coelo 1. 1): *καθάπερ γάρ φασι καὶ οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τριβὶν ὥρισται· τελευτὴ γὰρ καὶ μέσον καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τοῦ παντός.* Plura de ternario numero alio loco congessi (in Palaeogr. crit. III.).

longitudine] Grotiana haec lectio est. Monacenses vero (B. D. E.) et Guelferbytanus, quem Cortius laudat, praeter longitudinem profunditatemque etiam *latitudinem* addunt; male me quidem judice. Non enim de solidis sermonem esse e voce »frontes« patet, qua significantur figurarum in plano extremi fines. Superficies autem quum profunditate careat, profunditas quidem a nostro omittenda erat

funditateque consentur. Dehinc quod numeri triplicatio prima ex imparibus κύβον gignit. Tres autem symphonias quis ignorat in musicis? Numerusque impar maribus attributus est. Omne vero tempus tribus vicibus variatur. Atque idem numerus seminarium est perfectorum, sexti videlicet atque noni, alterna diversitate juncturae. Recte igitur deo attribuitur rationis. Philologia 106
autem, quod etiam ipsa doctissima est, licet femineis numeris aestimetur, absoluta tamen ratione perficitur. Nam quaternarius suis partibus complet

et addenda potius latitudo (§. 707. 709). Non absimilem confusionem videbis apud Stobaeum (in ecl. 1, 52. p. 865 Heer.).

triplicatio] Primo adspectu error hic latere videtur. Numeri enim ternarii triplicatio prima ex imparibus est 3 × 3 = 9, qui novenarius quadratus quidem est, sed cubus dici nequit. Pariter Ausonii (Idyll. 11, 2. 3) versus:

— — — »*vel ter tria multiplicanti*

»*Imparibus novies ternis contexere cubum*«

Scaligero (epist. 2, 199. p. 404) fraudi fuit, qui Ausonium putasse suspicatur »ter tria esse cubum«, posterioris scilicet versus verbis »novies ternis« neglectis. Clarius primum ex imparibus cubum Gellius (1, 20) descripsit hisce verbis: »In numeris etiam similiter κύβος dicitur, quum omne latus ejusdem numeri aequabiliter in sese solvitur, sicuti fit quum ter terna dicuntur: atque idem ipse numerus triplicatur.« *Triplicatio* igitur apud nostrum sic intelligenda est ut numerus *ter* secum ipse multiplicetur, quo facto sane cubus exibit. Adde Aristidem Quinctilianum (de musica 3, pag. 154 Meibom.)

symphonias] Diapason, hemiolion, diatessaron. Gnot. — Vide Martianum ipsum infra (§. 733, 933 sequ.).

attributus] Darmstattensis, Britannicus, Cantabrigiensis addunt *est*. Notum illud Virgilii (ecl. 8, 75): »Numero deus impare gaudet.« Et Plinius (2, 47. 48, 4 f.): »Mares« inquit »existimantur impari numero.« Clarius Macrobius (in somn. Sc. 1, 6): »impar numerus mas, et par femina vocatur: item arithmetici imparem patris, et parem matris appellatione venerantur.« Exempla dabit Plutarchus (de Isid. p. 365) in triangularibus et quadratis figuris. Adde eundem in quaestionibus Romanis (p. 270. 280) et Butherum (in Stobaei eclogis 1. 2. 5, p. 12 Heeren.).

tribus] Confer inferiores locos (§. 589. 733. 895). Seneca (epist. 124. p. 675 Lips.): »Tempus tribus partibus constat, praeterito, praesenti, et futuro.« Adde Homerum (in Iliad. 1, 70) et Plutarchum (de *Ei* p. 381).

seminarium] Stobaeus (in eclog. phys. T. I. p. 22 Heer.): *Πλήρη δὲ καὶ τέλειον ἀπέφηνε τὸν περιττὸν, ὅτι μιγνύμενός τε πρὸς τὸν ἄρτιον ἀεὶ ποιεῖται περικρατεῖν τὸν ἐξ ἀμφοῖν περιττὸν, αὐτῷ δὲ πάλιν συντιθέμενος γεννᾷ τὸν ἄρτιον.* (Conf. §. 736. 741).

rationis] Cave ne forsan *orationis* substituere velis. *Ratio* hoc loco, et in multis aliis (§. 103 f. 106 sequ. et v. not. ad §. 102) Martiano est *computatio*. Et recte idem, qui mercatorum deus, computationis etiam deus appellari potuit. Fefellerunt viros doctos glossae. Ceterum Bodlejanus codex pro *rite* melius habet *recte*, quod recepi.

femineis] Paribus. V. supra.

perficitur] Computatione (v. not. ad §. 102 et

decadis ipsius potestatem, ideoque perfectus est, et habetur quadratus, ut ipse Cyllenius, cui anni tempora, coeli climata, mundique elementa conveniunt.
107 An aliud illa senis dejeratio, qui *μὰ τὴν τετράδα* non tacuit, confitetur, nisi

105) enim perficitur numerus in nomine Philologiae, et invenitur quaternarius, qui omnino est perfectus (§. 734).

nam quaternarius] Optime huc facit auctor Theologumenorum qui ait: *τὴν δεκάδα ὑπ' αὐτῆς (τετράδος) ἅμα τοῖς ὑπόπροσθεν συγκορυφοῦσθαι.* Ita enim ibi legendum ut in Epigrammatis Graecis: *κορυφούμενος εἰς ἓν ἀριθμός.* Sed et Hierocles: *τῆς δὲ δεκάδος δύναμις ἡ τετρὰς, πρὸ γὰρ τῆς κατὰ διέξοδον τελειότητος τῆς τῇ δεκάδι ἡνωμένης τις τελειότης ἐν τῇ τετράδι θεωρεῖται, κατὰ γὰρ σύνθεσιν τῆς ἀπὸ μονάδος ἑως τετράδος δεκὰς τὸ πᾶν ἄθροισμα γίνεται· ἁ γάρ καὶ β καὶ γ καὶ δ τὴν δεκάδα* cet. *Δύναμιν* potestatem dixit Capella, Arnobius Graecum nomen servavit, ut emendavit amicus meus J. Meursius, communi (vere dicam) auctorum omnium bono natus. Huc facit locus ille ex Arithmetica: »Decasque plena his quatuor numeris gradatim plicitis integratur, id est uno, duobus, tribus, quatuor.« Gaor. — Omnino conferenda hic Meursii commentatio de denario Pythagoreo (in Gronov. thesauro T. IX).

Cyllenius] Repetit haec infra (§. 734) verbis: »Hic numerus quadratus ipsi Cyllenio deputatur, quod quadratus deus solus habeatur.« Artemidorus (2, 42. p. 135. Rig.) tradit »quadratum Mercurium in somnio visum, si barbatus fuerit, solis philologis conducere.« Sed inprimis conferendi Plutarchus (symp. 9, 3. p. 738) et Macrobius (Saturn. 1, 19), qui quadratum ad Hermas, dei statuas, referunt; pariterque Laurentius Lydus (de Mens. p. 60 Roeth.).

quatuor] Vocem *quatuor* e Guelferbytanis Cortius nobis suppeditavit. Concinunt Monacensis (C) et Basileensis, confirmantque hanc lectionem eadem verba infra (§. 734) repetita.

coeli climata] Hoc est mundi partes, seu coeli frontes, ut dicitur in Arithmetica. Nam alias climata Mathematicis sunt octo, ut infra habet in Astronomia. Saepe sane auctor noster technicis vocabulis abutitur, ut in Astronomia et Musica liquebit. Gaor.

μὰ τὴν] Mathen tetradem vel Mathen tetrada scripsisse putabam Martianum vel pro Matheseos quadriga ex Arithmetica, Geometria, Astrologia, Musica, quarum Arithmetica unitati, Musica binario, Geometria trinario, Sphaerica seu Astrologia quaternario comparatur, ut legimus *ἐν θεολογουμένοις τῆς ἀριθμητικῆς*: vel sane pro doctrina de quaternario, quam docte explicavit Democritus, quem hic senis dii (ita enim lego, non dei) appellatione indigitat, ut infra Abderitae senis: *μάθην* autem dixisse pro *μάθησιν*. Hesychius: *μαθᾶς, μαθήσεως*. Sed jam hisce conjecturis relictis eo pedibus in illustrissimi Scaligeri sententiam et per *senem dium* Pythagoram intelligo, et lego *μὰ τὴν τετράδα*: sic in aureis carminibus habemus:

Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως — —

ad quem locum vide Hieroclem. Gaor. — Cui volupe est varias easque inter se maxime diversas de hac Pythagorica tetracty sententias cognoscere, eum ablegamus ad Bruckeri histor. philos. T. I p. 1055 et ad prolegom. Jablonskii ad panth. Aegypt. p. 119 sequ. Gorr. — Melius versum, quem Grotius adjecit, edidit Boecklius (in Daub. et Creuz.

perfectae rationis numerum? Quippe intra unum, secundum, triademque ipsumque bis binum tenet, quis collationibus symphoniae peraguntur. Nam tres ad quatuor epitritus vocitatur arithmetica ratione, ac diatessaron perhibetur in musicis. Item intra eum jacent tres ad duos, quae hemiolios forma est, symphoniamque secundam, quae diapente dicitur, reddunt. Tertia symphonia diapason in molicis perhibetur, diplasioque conficitur, hoc est, uno duobus collato. Igitur quaternarius numerus omnes symphonias suis partibus perfectus absolvit, omniaque mela harmonicorum distributione conquirit. Hanc igitur discutiens numeri congruentiam perita virgo gratulatur. Deinde utrumque 108

stud. III. p. 34) qui omnino hic conferendus. Laudati etiam scriptores prorsus omiserunt Macrobium, quapropter non gravabor locum (e somn. Scip. 1, 6) hic inserere. »Quaternarium«, ait, »Pythagorei, quem τετρακτὺν vocant, adeo quasi ad perfectionem animi pertinentem inter arcana venerantur, ut ex eo et jurisjurandi religionem sibi fecerint:

»Οὐ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.

Juro tibi per eum, qui dat animae nostrae quaternarium numerum.« Hactenus Macrobius, qui versum illum a Plutarcho (plac. philos. 1, 3. p. 877) habuisse videtur. Adde Jamblichum (in vita Pythag. 28. p. 127), Porphyrium (in ead. p. 29), Sextum Empiricum (7. adv. logic. 94), et Stobaeum (in ecl. 1, 11, 12. p. 302 Heer.). Jam vero ad nostrum ut redeamus et veram lectionem ut eruamus, pro τετρακτὺν in Darmstattensi codice quum legatur *tetraden*, et rectius in Cantabrigiensi *tetrada*, non dubitavi τετράδα recipere. Ad reliqua verba quod attinet, tam libri editi, quam manu scripti omnes, excepto uno Reichenauensi, *senis dei ratio* exhibebant; sed jam Meursius (in denar. Pyth. 6. in Gronov. thesauro) et anonymus ad marginem libri Norimbergensis conjecerant *dejeratio*, quod quum illo codice confirmari vidissem, ambabus manibus amplexus sum. *Senem* autem Pythagoram appellat, ut Ovidius (trist. 5. 3. 62) »Samium senem.«

intra] Lege ex Leidensi codice cum editis a me collato »intra se monadem, dyadem, triadem, ipsum bis binum tenet. Munck. (ad Fulgent. p. 128) — Cum MS. legas: »Quippe intra se unum, secundum, triademque, ipsumque bis binum tenet«, nisi Munckerianam lectionem praeferendam judicaveris. Bondam. (var. lect. p. 56). Vulgo *ipsum*.

collationibus] Hoc in uno codice pro *collocationibus*, et rectius, i. e. proportionibus. Vulcan. — Codices etiam Reichenauensis, Darmstattensis, Basileensis, Hugianus, Britannicus, Cantabrigiensis, et Bodlejanus primus *collationibus* exhibent, ac probatur insuper haec lectio inferioribus verbis »uno duobus *collato*« (conf. et §. 954). De symphoniis conf. superiorem notam (ad §. 11).

perhibetur in musicis] Ita transposita sunt verba in codicibus Cantabrigiensi, Britannico, Bodlejano primo, et Darmstattensi. In antiquis est *in musicis perhibetur*.

gratulatur] Laetatur, gaudet. Ita et supra (§. 81) et infra (§. 693 f.) noster hoc verbo utitur. Donatus (ap. Widem. de proprietate sermonis p. 112): »*Gratulamur* in rebus laetis; *gratias* agi-

consociat, et trias quaternario sociata heptadem facit. Qui numerus rationis superae perfectio est, sicut etiam *ὁμαλῶν* illa docet plenitudo. An aliud fatalis temperamenti cursus, siderumque circuli motusque testantur, intraque latebras

mus beneficiis acceptis; gratificamur, rem gratam facientes.«

heptadem] De generali circa hunc numerum superstitione plura verba feci in palaeographia (III. §. 237. IV. p. 494). Ceterum in hoc commate non semel Grotium correxi, reponens nempe *trias* pro *tria*, *sociata* pro *consociata*, et *facit* pro *fecit*. *Trias* omnes codices habent; *sociata* Britannicus, Basileensis et Monacenses (B. C. D. E. G.); *facit* praeter anteriores editiones etiam Hugianus, Britannicus et Monacensium plurimi. Cuncta autem simul Darmstattensis et Reichenauensis praebent.

ὁμαλῶν] Planarum figurarum. Vulc. — E glossis obscuram hanc interpretationem mutuatus est vir doctus. Qui si fontem adiisset ipsum, e quo Martianus hausit, meliorem, opinor, attulisset. Macrobium enim ante oculos noster habuit, e Platonis doctrina locum in somnio Scipionis explicantem de »*septenis* octies solis amfractibus.« De septenarii igitur numeri praestantia disputans haec addit: »Nam primo omnium hoc numero anima mundana generata est, sicut Timaeus Platonis edocuit. Monade enim in vertice locata, terni numeri ab eadem ex utraque parte fluxerunt, ab hac pares, ab illa impares: id est:

et ex his numeris facta contextio generationem animae imperio creatoris effecit.« Hactenus Macrobius Plutarchum (de anim. procreat. pag. 1017) secutus; cui adde doctam Boeckhii commentationem (in Daub. et Creuz. stud. III. p. 54). Illos autem numeros Martianus *ὁμαλοὺς* appellat, quoniam ab utraque parte similis progressio animadvertitur, utraque etiam in primum cubum desinit; illa ex paribus, haec ex imparibus. Construendum: »sicut etiam illa *ὁμαλῶν* plenitudo docet.«

plenitudo] Macrobius enim (somn. Sc. 1, 6): »Plenitudo numerorum«, inquit, »est eorum, qui aut *corpus* efficiant, *aut vim obtineant vinculorum*.« Pergit deinde: »Superest, ut septenarium quoque numerum *plenum* jure vocitandum ratio in medio constituta persuadeat.« Et pluribus nunc exponit argumenta, e quibus quaedam modo attulimus.

fatalis temperamenti cursus] Constellationis. Vulc. — Iterum nobis adeundus Macrobius est, qui (1, 5), ut somnium explicaret Scipionis, e Cicerone haec illius verba attulit: »Nam quum aetas tua *septenos octies* solis amfractus reditusque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque *plenus* alter altera de causa habetur, circuitu naturali *summam* tibi fatalem confecerint.« — Quam *summam fatalem* hic Cicero dixerat, Martianus *fatale* appellat *temperamentum*, annum nimirum 56, summam numerorum 7 × 8. Explicat enim idem Macrobius (c. 6 f.): »Quum aetas tua *quinquagesimum et sextum* annum compleverit, quae summa tibi *fatalis* erit«, cet. Hoc unum ad illustrandum Ciceronem, quod a doctis interpretibus omissum, addendum esse videtur, illum ipsum aetatis gradum ab Hippocrate, teste Censorino (14. 3), sextum e climacteriis vitae annum dictum esse (conf. Gell. 3, 10).

siderumque circuli] Infra (§. 738): Item septem sunt circuli et tot planetae.«

uteri septimo mense absoluta mortalitas? Dehinc quod trias triplicata novem numeros facit, quaternarius autem per *διπλάδιον* geminatus octo reddit. Novem vero ad octo epogdoi numeri efficiunt junctionem, tantumque pensat in numeris, quantum symphonia diapason in melicis, quae tonon facit, qui est consonae unitatis continua modulatio. Ex quo nihil est quod discrepet aut resultet in medio, consentaneaque congruit jugitate. Ergo praedictorum nominum 109
numerus concinebat. Sic igitur rata inter eos sociatio copulam nuptialem vera ratione constrinxit, ex quo commodissimum sibi connubium lactabunda alio mentis fluctu multivida concitavit. Nam nihil differens animo, decori, formae

uteri] Macrobius »mense septimo maturari partum« scripserat. Adde Censorinum (7, 2), Gellium (3, 10), alios, et nostrum infra (§. 738).

διπλάδιον] Infra (§. 934): »ex ratione *diplasia*, hoc est *dupli*.« Macrobius (somn. Sc. 2, 1) latine »duplarem numerum« dicit. Cantabrigiensis *δυαπλαδιον*, Britannicus et Darmstattensis *διὰ πλαδιον*, sine sensu.

epogdoi] Macrobius (somn. Scip. 2, 1) e sex numeris, e quibus soni nascantur, hunc esse docet, qui intra se habeat minorem et insuper ejus octavam partem, ut novem et octo, quia in novem et octo sint et insuper octava pars eorum sive unum.« Infra (§. 933) noster etiam Latine »*epogdoi rationem*« scribit. Atque hoc loco in Bodlejano, Britannico, Cantabrigiensi et Darmstattensi quoque *epogdoi* Latinis literis exaratum est.

melicis] Dresdensis quidem codex *musicis*: sed praestat vulgata lectio. Melos enim numeris opponitur, quum musica ex utroque composita sit.

tonon] Macrobius (2, 1) »epogdous«, inquit, »sonum parit, quem *tonon* musici vocaverunt.« Conferendi loci sunt inferiores (§. 736. 950. 951. 958. 960. 971. 995). *Tonum* in Hugiano quidem et Darmstattensi; sed *tonon* in Britannico, Bodlejano, Basileensi, et Reichenauensi legitur.

sociatio copulam] Variat quidem lectio: Guelferbytanus codex, teste Cortio, habet »*sociatos copiam*«; Reichenauensis, Darmstattensis, Britannicus et Cantabrigiensis *sociatio copiam*; Leidensium unus *coplam* (Oud. ad Appulej. I. p. 118): sed vulgatam praetuli lectionem.

connubium] E septenario igitur numero. Alia aliorum fuit sententia. Plutarchus (quaest. Rom. p. 264) »inter impares« inquit »numeros omnium maxime congruit *nuptiis* quinarius: nam ternarius primus de paribus; ex his tanquam mare et femina miscetur quinarius.« Contra Pythagorei, docente eodem (de animae procr. e Tim. p. 1018), Clemente Alexandrino (strom. 5. p. 593 et 6. p. 683), et Aristide Quinctiliano (3. p. 152 Meib.) senarium vocabant tum conjugium, tum Venerem (Stobaei ecl. phys. 1, p. 20 Heer.), quia sex ex impari ternario, qui masculus, et ex pari binario, qui femineus, gigneretur: his enim tria fieri sex. In eo tamen omnes cum nostro concinunt, ex impari numero et pari constare connubium deberé. Imparem enim numerum fecundum esse docebant (cf. Plutarch. de *Ei* p. 388. Vita Hom. p. 539 Gal.).

multivida] Schellerus in Lexico, cui inaudita haec vox esset, explicaturus eam conjecit »valde vividam« posse significare. At vero non minus ob-

ac substantiae coepit formidare corporeae. Quippe perferendos flammarum coelestium globos et ignes ardentium siderum mortalibus adhuc artubus et
110 macilenta gracilitate siccatis non cassum tremebunda formidabat. Sed adversum illa quoddam Abderitae senis alimma, cui multa lapillis surculisque permixtis herbarum etiam nemorumque congesserat, praeparavit. Colchica etiam in centum voces continuata fiducia adamantini cacuminis impressione signatur;

scura hoc loco ista interpretatio videtur. Adi potius Cangium, apud quem reperies »multividum« significare »oculatum hominem« vel »virum perspicacis ingenii.« Et Papias: »*Multivida*«, scribit, »multa videns est.« Sed Martianum etiam ipsum si consulueris (§. 571), videbis eum similiter composuisse noctuae epitheton »noctividam«, ut de nostra interpretatione porro dubitari nequeat.

nihil differens animo] Legendum puto: »Nihil *diffidens animi* decori.« Gnot. — Hanc lectionem Goezius in textum recepit; sed repugnantibus omnibus, quotquot exstant, libris scriptis. Quapropter, quum mihi legem praescripserim, ut verba scripta servem quantumvis sint obscura, interpunctionem tantum post vocabulum *animo* inserui. Quo facto »nihil differens animo« explicare licet »neutiquam cadens animo«; ut »*differre animo*« idem sit atque »secedere animo« sive »deserere animum.« Meliora tamen ab aliis codicibus exspectamus.

macilenta gracilitate] Infra (§. 140) transpositis verbis »*gracilenta* perit *macies*« scribit. Cicero (Brut. 91) »*gracilitatem* et infirmitatem corporis« conjungit, et apud Ovidium (her. 21, 15) Cydippe adversa valitudine *gracilis* dicitur (confer. §. 37. 140 f.).

non cassum formidabat] Ita pro Grotiano »non incassum formidat« reposui. Priora duo verba auctoritate codicum Dresdensis, Guelferbytani, Hugiani, Britannici, Cantabrigiensis, et Monacensis (C) correxi, posterius e duobus Monacensibus (E. G.) et Cantabrigiensi. In codicibus Basileensi et Darmstattensi a prima manu recte scriptum erat »non cassum«; sed ab inepto critico perperam repositum »*non incassum*.« In Cyrilli glossario (p. 534 Vulcan.) legimus: »*μάταιος*, inanis, *cassus*.« Apud Senecam (in Herc. 352): »quid *cassum* times?« (conf. §§. 7, 91, 100, 576, 805, 905 et Doederl. Lat. Synon. III. p. 101).

alimma] Unguentum. Vulcan. — Ut »Aliptes« unctor, et »epalimma« genus unguenti vilioris est Festo. Gnot. — Descendit igitur a graeco *ἀλείφειν*. Inepta Glossa in codice Basileensi: »Alymna *incorruptum* sonat: Abderites senex Saturnus, qui Abderites vocatur a lapide quem pro Jove devoravit, qui Graece Abaddir dicitur.« Vide ne istorum temporum glossae obscuriores etiam ipso Martiano sint! Abderita procul dubio Democritus est philosophus, quem *senem* appellat ut supra (§. 107) Pythagoram; reliqua sane etiam nunc Oedipum suum exspectant.

nemorumque] Foede depravatus locus erat apud Grotium verbis *membrorumque concesserat*. Rectius Guelferbytanus teste Cortio habet *nemorumque*, et *congesserat* ipse vidi in Monacensi (D). Non igitur necessaria emendatio a Vonckio (sp. cr. p. 81) proposita.

centum voces] Numerus finitus pro infinito. Vulc. — Equidem lusisse Martianum conjicio numeri nomine Graeco. Fulgentius enim (myth. 9. p. 42 Munck.) Proserpinam, quae et Hecate, hoc nomen

quod adversum ignes superos et deorum confinia praeparata decoris incuriam venustatis etiam lumine submovebat. Denique revibratu corpori mensis apposito irrorati liquoris allinebat unguentum. Sed quum talia virgo componit, 111
pedisequa ejus Periergia, utrum a matre virginis missa an sua sponte, utpote ejus collactea, trepidatione sollicita quid ageret conspicatur. Quam quum 112
disponentem praedicta rimatim ab ostio speculabunda cognosceret, aliam ejus

accepisse vult ab ἑκατὸν, centum. Colchidem autem Medeam Hecates filiam fuisse sunt qui tradant.

adamantini cacuminis] Annulum intelligo, quem amuleti etiam loco adhibitum fuisse non ignoramus (Pal. crit. III. §. 59. 60. IV. §. 842).

quod adversum] Grotius edidit *quid;* unde Vonckius (sp. crit. p. 81) conjecit *quis*. Sed in nullo id codice legitur. Contra Monacenses (B. D. E.), Guelferbytanus, et Dresdensis exhibent *quod*. Obscurum igitur hunc locum ita interpretor: »quod (adamantinum cacumen) adversum ignes superos (Solis et ardentium stellarum ignes) et praeparata deorum confinia (spem enim nacta erat divinitatis) lumine venustatis (per venustatis suae lumen) incuriam decoris submovebat.« Quamvis enim pulchritudinem non curabat (§. 112), pulchra tamen erat.

denique revibratu] Sensus hic est: »Denique allinebat composito, h. e. apto et applicato corpori suo unguentum irrorati liquoris ex revibratu mensis.« Apposito corpori, hypallage i. e. appositum unguentum. Irrorati, i. e. ex rore confecti, qui ros erat ex revibratu mensis, h. e. ex fulgore Lunae. Revibratum autem mensis vocat Lunae coitum: quando Luna iterum incrementa accipit et a Sole illuminatur. Vulcan. — Corpori mensis, Lunae. Gnot. — Conf. Macrob. somn. Sc. 2. 11; Casaub. ad Spart. Caracall. 7, p. 413. »Revibratu Lunae corpori unguentum apponere« non audacius dictum est quam apud Persium (4. 33) »figere in cute solem.« Eodem vocabulo infra quoque utitur §. 169 f.) de Luna, eodem sensu quo Ovidius (her. 18. 77) *repercutere* scripsit. Denique quod ad lectionem attinet, neque *alliniebat*, neque *illiniebat*, ut Grotius edidit, legendum; sed cum Guelferbytano, Basileensi, Darmstattensi et Monacensibus (B. D. E.) *allinebat*, quod reposui.

sua sponte] Omnino haec Dresdensis et Hugiani codicum lectio melior est, quam illa in editis, a qua vox *sponte* abest. Excidit etiam apud Grotium particula *a:* anteriores enim editiones clarius *a matre* habebant. Atque concinit cum his vetus Martiani interpres Teutonicus, cujus tamen non nisi fragmentum novi a C. Lachmanno in spec. linguae Francic. 1825. 8. editum, §. 111 usque ad 122 complectens. Ita enim ille totum locum vertit atque explanare sibi visus est: »*Unz sî daz ál uuórhta* (quum talia omnia faciebat) *sô gesâh iro díonest uuîb* (pedisequa) periergia. *dáz tîr chît* (significat) studiosa operatrix. *fúre sîa sórgendíu. uuánda sî iro giáltera* (coaeva) *uuás. uuáz sî téta. sî dánches tára chámc* (danches tára est »ingratiis« sponte sua) *alde* (aut) *dára* (eo) *gesendet uuâre fóne dero mûoter.*« Facile nunc etiam perspicitur cur glossa (§. 6) vocem *collactea* interpretata sit *coaetanea*. Sumsit enim explicationem ex hac versione, non perpendens illi, qui translaturus erat vocem *collactea*, in mentem non aliud venisse vocabulum Teutonicum quam *gialtera*, quo illam exprimeret.

ostio] Ita pro *hostio* reposui e Reichenauensi

ancillam, cui Agrypnia vocabulum est, atque intra cubiculum praebebat excubias, adorta est increpare, quod paululum connivere servandi decoris gratia virginem non sivisset, quum ipsa haec cuncta, si Philologia injungeret, valeret implere.
113 Nam jam multa asserit circuisse, mancipiaque dotalia, quid sollertiae, quid

codice et ex rationibus supra (ad §. 7) allatis. Quam incertus fuerit literae H usus, e Guelferbytano codice patet, in quo, monente Cortio, legitur *ospicio*. Sed praeferenda omnino superior lectio, quum *rimatim* (per rimam) praecedat, et Teutonicus interpres habeat: »dúrch tia nûot tero túron.«

Agrypnia] Dilectum a Philologia mancipium (§. 145) a vigiliis appellatum. Male Hugianus codex et Basileensis *Agrimnia*, quod etiam apud Teutonicum interpretem legitur, sed apud hunc profecto librarii errore: recte enim explicat »*daz chît* uigilia.« Joannes Saresberiensis (metalog. 4, 17. p. 898) hunc locum explicaturus: »est autem«, inquit, »Periergia, quae laborem *circuit* operis, ἀγρυπνία *vigilans* diligentia, quae exercitium temperat ne quid nimis.« Quarum definitionum prior verbalis est, aegreque intelligitur. *Periergia* est inepta assiduitas sive *curiositas* malo quidem sensu (§. 111), id quod inferiori loco (§. 146) confirmatur.

atque] An non *ac quae*? Grot. — Minime; solemnis hic usus et Graecis et Romanis, omittere post copulam relativa, etiam si alio casu praecesserant. Sic v. c. Plinius (epist. 1. 5. 11): »et cui est cum Cicerone aemulatio, et contentus non est eloquentia saeculi nostri.« Vetus etiam interpres Germanice »*inde*« scripsit, quod sane *atque* sonat.

excubias] Excubiae enim ad portas pro summa custodia erant. Flaccus lib. 3:

»*Jamque adeo nec porta ducem nec pone morantur*
Excubias sortita manus« — —

Thalami etiam regum excubiis muniebantur vigilum. Virgilius Ceiri:

»*Jamque adeo dulci devinctus lumina somno*
Nisus erat, vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio jactabat inani.«

Barth. (advers. p. 1052). — Sed *excubias* non noctu esse factas Servius (ad Aen. 9, 159) docet, verum *vigilias*. De illis noster. Conferre licet Pignorium de servis (p. 221 sequ.). Vertit Teutonicus interpres: »*inde intro chemenatun* (cubiculum) *dero nuâhto* (excubias) *flâg* (nostris *pflegte*, pro »exercebat.«).

quum ipsa] Damnat enim Martianus futilem illum laborem, quo Philologia ad calculos revocaverat illorum nominum literas, siquidem pedisequa ejus curiosa idem facere potuisset, heraque *conquiescere*. Ita enim *connivere* recte interpretatus est Vulcanius (conf. Quinctil. 10, 3, 16. p. 150 Spald. Gell. 2, 1) beneque Goezius superiorem locum (§. 57) hic in memoriam revocavit. Teutonicus interpres: »êteuuaz slâfen.«

mancipiaque dotalia] Haec sine dubio sunt septem artes. Goez. — Dubium sane moveri possit. Septem enim artes a Mercurio in *donum nuptiale* oblatae sive per donationem propter nuptias in remunerationem dotis factam: *dos* autem a Philologia vel ejus matre constituenda erat. Sed Martianum omnino dotalium mancipiorum nomine illas disciplinas, quamvis parum accurate, denotasse, ex inferiori loco (§. 803) patet, ubi non Arithmeticam tantum, sed reliquas etiam artes *dotales* appellat feminas. Ita etiam intellexit interpres Teutonicus

ornatus, quid denique indumentorum sumerent comperisse. Non sibi quoque nescium, quid sponsus ipse perageret, quid Jovis in palatio gereretur; an Leucothea succenderet facem lumenque purpureum, et an Solis remigia vigilarent sonipesque Phosphori comeretur. Id genus innumera, quae curiosis perscrutationibus aspexerat, astruebat. Verum secretum cubiculi repente 114
Phronesis mater irrupit. Quam quum virgo conspiceret, ad eam accurrens

qui »mancipia *dotalia*« verterat »*uuídemdíuue*« addideratque: »*th méino* septem liberales artes.«

sollertiae] Dotalia enim mancipia, sicut omnes servi (v. Lucian. in vitar. auct. 3 sequ. op. III. p. 82 Bip.), sua aestimabantur habilitate et scientia. Unde apud Terentium (eunuch. 3, 2, 25) servum venditurus sic laudet:

— — — — — »*Fac periculum in literis,*
Fac in palaestra, in musicis; quae liberum
Scire aequum est adolescentem sollertem dabo.

Alius apud Horatium (epist. 2, 2, 6) hisce verbis commendatur:

»*Verna ministeriis ad nutus aptus herilis;*
Literulis Graecis imbutus, idoneus arti
Cuilibet« cet.

Periergia igitur se nosse dicit, ut verbis utar veteris interpretis, »*uuáz gumnen* (quid possent, i. e. scirent mancipia illa) *íóh cléinlistes* (sollertiae) *íóh uuib zierdo* (muliebris ornatus) *íóh ánaslóufo* (indumenta quoque).

nescium] Ita MS. Vocem (voce) enim illam (illa) passive usi veteres teste Gellio. Gron. — Add. Kritz ad Sallust. Catil. p. 53.

Jovis in palatio] Respexit noster ad illud Plauti (in Trinum. 1, 2, 170):

»*Sciunt id, quod in aurem rex reginae dixerit:*
Sciunt quod Juno fabulata est cum Jove.«

Periergiae enim hoc sane quam convenit.

Leucothea] Vellem explicassent docti interpretes hoc nomen. Neutiquam enim noster illam denotavit Leucotheam, quae prius Juno, deinde Leucothea Graecis, Romanis autem Matuta mater vel Albunea, *maris dea* erat: sed Martianus voluisse videtur, ut Graeca illa vox Latine verteretur, qua quidem *lucente dea* designari Auroram e totius loci tenore colligitur. Certe maris deae neque fax, neque purpureum lumen affingi potuit, Auroram vero *purpurare* infra (§. 219) noster dicit. Hanc etiam vetus ille interpres intellexit, cujus versio haec est: »*úbe der tágerod sína fácchelun. únde sín scóna líeht inzúndet hábe.*«

remigia] Id est *equi*. Gorz. — Minime vero! *alas* potius intellige. Saepissime poëtae, Virgilius, Ovidius, Propertius, Silius, Lucretius, Appulejus hac allegoria utuntur, eamque noster infra (§. 811) etiam repetit. Quemadmodum enim Graecorum alii naves dixerunt alatas (Pindar. Olymp. 9, 36) et remos appellarunt alas (Hom. od. λ. 124. ψ. 272. Lycophr. 25); ita alii alas dixerunt remos (Aeschyl. Agam. 50). Virgilius utrumque conjungit, (Aen. 6, 19) »remigium alarum« scribens. Alas autem Soli tributas fuisse supra (ad §. 76 f.) ostendi. Vetus ille Teutonicus interpres locum vertit: *úbe dero súnnun reita inuuágo uuâre*« (si Solis auriga in motu sit).

sonipesque Phosphori comeretur] Interpres Teutonicus: »*únde des tágosternen rós háro uuâre*«; ubi vox *karo* mihi esse videtur *paratus*.

Phronesis] Cicero (de offic. 1. 43): »*Pru-*

honorandumque pectus exosculans praeparatorum poematum consciam fecit. Verum illa exuvias filiae ornatusque detulerat, quis induta deorum sociari coetibus non paveret. Itaque vestem peplumque lactis instar fulgidum dedit, quod vel ex illa herbarum felicium lana, qua indusiari perhibent Indicae

dentia, quam Graeci *Φρόνησιν* dicunt.« At Plautus (Truculent. 1. 1. 60):

»*Suum nomen omne ex pectore exmovit meo*
Phronesium. Nam Phronesis *est* sapientia.«

Quanquam indistincte haec vocabula haud raro usurpantur, ut apud Platonem quoque *σοφία* et *φρόνησις*, quae Aristoteles demum (eth. 6. 5 et 6) accuratius distinxit. Conf. et Max. Tyr. diss. 12 (T. 1. p. 210. 220 Reisk.) et Meinersium in Comm. Gott. (T. XV. p. 134—151). *Prudentiam* tamen maluisse Martianum docent sequentia (§. 115). Teutonicus interpres nomen illud prorsus omisit scribens: »Tô gieng in álles kahes (ad verbum: »omni praecipitatione«) îro mùoter.« Quod restat, pro Grotiano *irrumpit* e Reichenauensi, Darmstattensi, Hugiano, et monente Cortio e Guelferbytanis codicibus reposui *irrupit*.

poëmatum] Nun solum codices Monacenses (B. C. D. E. G), Reichenauensis, Basileensis, et Hugianus, sed alii etiam testibus Vulcanio, Grotio et Waltharto vocem illam *boematum* efferunt scriptam; et de *auxilio* vocem olim intellectam fuisse, vetus interpres Teutonicus testatur verbis: »ságeta si îro. uuáz si uuárnungo gemáchot hábeta.« *Poëmata* insuper, i. e. *carmina*, omnino ab hoc loco aliena sunt; quae nisi alio modo ad ea quae modo *facta* erant, referre potueris, videndum erit ne olim *βοηθημάτων* scriptum fuerit.

fulgidum] Lege: »*lactis instar albidum*«; ut p. 36: »perlucida inanitate *albidoque* humore.« Voscx. (sp. crit. p. 147). — Cave candidam tibi vestem a male sedulo critico fingi sinas! Doctior utique Martianus non ignorabat ornatae sponsae peplum fuisse luteum. »Lutei coloris« Plinius (21, 8, 22) inquit, »video honorem antiquissimum in *nuptialibus flammeis* totum feminis concessum.« Unde vestimentum sponsae sive peplum *flammeum* dicebatur (Festus v. flam. p. 149 Dac. Martial. 11, 78, 3. 12, 42, 3. Catull. 61, 8. Petron. 26. Juven. 10, 334 et infra §. 338 f. 905). Quod luteum fuisse Lucani docere poterant versus (2, 360):

»*Non timidum nuptae leviter tectura pudorem*
Lutea demissos velarunt flammea *vultus*.«

Quumque fulgeat ruber color, Ovidius utrumque conjunxit de sponsa canens (heroid. 21, 162):

»*Et trahitur multo* splendida *palla* croco.«

Atque haec omnia ignorabat criticus, qui quum lactis colorem esse albidum compertum haberet, hac solummodo de causa Martianum correcturus erat. Nonne autem Horatius (od. 4, 10) olores ipsos *purpureos* dixit? nimirum quia fulget color purpureus; et Albinovanus (in obit. Maec. 2, 62): »Brachia *purpurea candidiora nive*« canit. Vera igitur haec explicatio est, licet versio hujus loci Teutonica haec sit: »*Sî gâb îro uuât zelîche* (dedit ei vestem simul) *dáz ist tîu inuuertiga* ratio (quo significatur interna ratio) *únde uberslóufe* (et peplum) *skînháftez* (lucens, fulgidum) *ébenuuízez milche* (aeque albidum atque lac) *dáz ist tîu scôni îro* honestatis *únde îro* sapientiae (hoc est pulchritudo ejus honestatis et ejus sapientiae).«

Indicae] Indi linteorum praestantia celebrati. Plin. L. 12. c. 11. Gnot. — Plinius de arboribus

prudentiae vates accolasque montis Umbracii, et quantum usus ejus telluris apportat ex candentis byssi netibus videbatur. Dehinc apponit vertici diadema virginale, quod maxime medialis gemmae lumine praenitebat, ex qua galeata

Indiae laniferis L. 8. c. 10 haec habet: »Ferunt cotonei mali amplitudine cucurbitas, quae maturitate ruptae ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt. Goez.« — Reliqui, quos vir doctus affert, loci, ad Aegyptum spectant, minime ad Indiam. Sed antiquior Herodotus silentio non transeundus erat, qui (3, 106) »in India ait arbores agrestes pro fructu *lanam* edere pulchritudine et reliqua virtute ovinam superantem, et *vestimentis* Indos ex his arboribus uti.« Plura infra (§. 667. 693) et apud Strabonem (15. p. 713. 719 Casaub.) reperies. Adde Arrian. Ind. p. 179; Philostr. vit. Apollon. 2. 9, p. 79; Polluc. Onomast. 7. 75, inque primis egregiam I. R. Forsteri de Bysso commentationem (Lond. 1776. 8).

vates] Brachmanes, quos Strabo (l. c.) refert sindone indusiari; Arrianus (in Ind. 16. p. 582) lintea veste, lino ex arboribus facto. Adde Appulejum (in flor. p. 21 et 57 Oud.) et Curtium (8, 9, 31). Teutonicus interpres pro *vates* usurpat *biscofa*.

Umbracii] Lege *umbrati*. Sic supra: »Indici montis secretum obumbratumque scopulum.« Nysam innuit. Grot. — *Umbracii* jam vetus interpres Teutonicus legit: »Dáz sie uuólton uuízen geuuórhtez uuésen (texta) ûzer déro uuóllo (e lana) déro tíurron chríutero (pretiosarum herbarum) mít téro sih káreuuent (quacum parant) *tíe frúoten biscofa* in india (sapientes vates in India) únde die *ánasidelinga* umbratii (et accolae *Umbratii*); quare codicum omnium lectionem mutare non ausus sum; praesertim quum Plinius (6. 20 f.) inter Indiae gentes *Umbrittas* quoque commemoret.

Usus] Sic scripsi ex codice Monacensi (C) pro *osus*, quod veteres pro *usus* dixisse temere sane Vulcanius contendit. Jam Grotius vel *usus* legi jusserat, vel *oisus*, quod Martiano teste (§. 236) pro illo usurpabatur; prius tamen quia in Codice manuscripto exstat, praetuli. Vetus interpres vertit: »*só iz* târ in lánde sito ist (uti id in terra mos est) *târ dér fláhs uuáhset* (ubi linum crescit) *tér* bissus *héizet* (qui byssus appellatur).

candentis] Nuptiales quoque heroum vestes albae erant. Nonnus lib. 35:

Κάτθεο σὸν θώρηκα σιδήρεον, ὅττι χορεύει
Ἐς γάμον ἁβροχίτων, ὅτε Κύπριδι μίσγεται, Ἄρης
Εἵματι χιονέῳ πεπυκασμένος — — —

Vide etiam Heliodorum lib. 3 in pompis. Barth. (advers. p. 1051). — De heroibus apud nostrum nullus est sermo, et verbis *candere*, *candescere* etiam *splendorem* significari nemo ignorat. Melius certe ex eodem Nonno versum paulo inferiorem (»*καὶ λινέῳ*« cet. p. 876 Falk.) adduxisset.

netibus] Sic codices omnes praeter Britannicum, qui perperam *bissine tibi*, et Cantabrigiensem, qui *nectibus* habet. Johannes de Janua (in glossario Lat. Gall. Sangerm.) *netus* reddit *filement* (v. Cang. h. v.). Teuton. interpres vertit: »únde uuás iz ûzer bíssinemo gárne (et erat id e byssino filo).

medialis] Vox a Solino usurpata et inf. (§. 849) etiam obvia, ad quam Teutonicus interpres »*derô mittun* gimmo (gemma?) *ih méino díu gagen* (versus) *mittemo énde stûont*« (inquam, dico, quae versus medium inerat).

galeata] Versio Teutonica: »*éin gehélmot tíerna* (galeata virgo) *gefúre hullotiu* (procedens velata) *sámo só dáz pílde getân uuás* (veluti effigies facta

quaedam obtectaque vultum virgo instar secreti Trojani penitus incisa re-
115 splenduit. At cingulum, quo pectus annecteret, sibi prudens mater exsolvit et, ne Philologia ipsius Phronesis careret ornatibus, ejus pectori, quo verius comeretur, apposuit. Calceos praeterea ex papyro textili subligavit, ne quid ejus membra pollueret morticinum. Acerra autem, multo aromate gravidata, eademque candenti, manus virginis onerantur.

erat) *téro trojániscun tóugeni* (Trojani mysterii)« (conf. §. 507). Virgo secreti Trojani instar Pallas est, virginitatis symbolum, neque quidquam praeter doctrinae ostentationem stylique variationem in mente habuisse videtur Martianus, quum Palladii Trojani potissimum mentionem faceret; nisi forte hoc voluit, antiquissima illa rigidaque specie Minervae imaginem insculptam fuisse, qua Palladium in gemmis antiquis conspicimus (cf. Levezow über den Raub des Palladiums auf den geschnittenen Steinen des Alterthums, Braunschweig 1801. 4). Inepte vero Vulcanius ex glossa: »solebant enim Trojani reges in suo diademate Jaspidem gemmam gestare, cui insculptum erat Palladium i. e. simulacrum Palladis«; licet hujus explicationis vestigia jam apud Teutonicum interpretem exstent: »*Dés kelthnisse trûogen dîe troiánisken chúninga*« cet. De Palladio conf. diversas opiniones apud Meziriac (sur les epitres d'Ovide I, p. 60 sequ.). Pro *vultum* legitur quidem in Darmstattensi, Bodlejano, Britannico, et Cantabrigiensi *vultu*, sed praetuli vulgatam. V. supra (§. 70 not.).

cingulum] Hoc etiam inter nubentis virginis ornatus recte numeratur. Ovidius (met. 12, 215):

»*Ecce canunt Hymenaeon, et ignibus atria fumant*
Cinctaque *adest virgo matrum nurumque caterva.*«

Ad Homeri (Od. 11, 244) exemplum Catullus (2, 13. et 67, 28) *zonam* et cum Ovidio (heroid. 2, 116) *zonulam* vocat: Festus autem (p. 78), Varro (ap. Augustin. 4, 11), et Claudianus (6 consul. Hon. 525) cum Martiano *cingulum*. Unde infra (§. 149) Junonis pronubae cognomen *Cinxiae*. Interpres Teutonicus »fasciam pectoralem« scripsit hac explicatione addita: »*mit téro sîh fróuuun tu zferton. tiu* caritatem bezeichenet.« Unde hanc cinguli significationem hauserit ignoro. »*Quo* pectus« per hypallagen dictum est pro »*quod* pectori.« Darmstattensis addit *ejus*.

ipsius] Recte Grotius e MS. addidit *honestis*, quod ex vulgatis editionibus exsulat. Goez. — Dresdensis quoque codex adjectivum *honestis* exhibet. Nomen Phronesis autem secundo casu accipiendum, quae omnino legitima forma esse videtur (conf. Heinrich. ad Cic. pro Flacco p. 95).

morticinum] Impuri enim fiebant morticinum tangentes (Diog. Laert. in Pythag. 8. p. 588. Theophr. char. c. 16 aliis 17. Jamblich. myst. 6, 1. p. 144 Gal.). Unde mortuum nunquam attingere licebat Flamini diali (Gell. 10, 15); neque videre quidem censori condenti lustrum (Dio Cassius 54, 28. p. 759 Reim.). Quid quod de Diadocho fabulatur Marbodaeus (de gemm. 58 p. 24 Gori.):

»*Sed si defuncto quis forsitan applicet illum,*
Protinus asseritur solitas amittere vires:
Namque sacer lapis est, et quae mors sternit abhorret.«

Vocem ipsam explicat Varro (de L. L. 6, 48) verbis: »dicimus scortea ea, quae ex corio et pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris ac sacellis scri-

Et jam tunc roseo subtexere sidera peplo 116
Coeperat ambrosium promens Aurora pudorem:

ptum habemus: ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne *morticinum* quid adsit.« Ovidius (in fastis 1, 629) eadem canit versibus:

»*Scortea non illi fas est inferre sacello,*
Ne violent puros exanimata focos.«

Sed ad calceos quod attinet e corio factos, Festus (p. 246) et Paulus referunt: »Mortuae pecudis corio calceos fieri Flaminicis nefas habebatur, quoniam sua morte extincta omnia funesta aestimabantur.« Et Servius (ad Aen. 4, 518): »Sane Flaminicae non licebat neque calceos neque soleas *morticinas* habere. Morticina autem dicuntur, quae de pecudibus *sua sponte mortuis* fiebant.« Accedit quod Philologia inter deos recipienda erat, quibus mortuos adspicere non licebat. Teutonica hujus loci versio haec est: »*nío iro líde* (ne ejus membra) *ícht stírbiges* (aliquid morticini) *nebeuuólle* (pollueret). *Der bínez* (papyrus) *pezéichenet* immortalitatem. *uuánda er ío grîone íst.*«

acerra] Horatio (od. 3, 8, 2) »acerra turis plena« est. Ovidius (fast. 4. 934) »cum meri patera turis acerram« jungit; alio loco (met. 13, 703) »custodem turis« vocat; et ex Ponto (4, 8, 39):

»*Nec quae de parva dís pauper líbat* acerra
Tura minus grandi quam data lance valent.«

Sed doctissimum adi Cuperum, qui (apoth. Hom. p. 74) rem copiosius tractat, allata etiam imagine, quales complures videre licet apud alios (Graev. thesaur. V. 316 ad tab. 8. Choul. relig. Roman. p. 111. 196. 200). Aromate saepius utitur apud nostrum Philologia (§. 142. 149. 215).

et jam] Dividendum sic Grotianum *etiam* lectio docet in Basileensi et Dresdensi codice.

peplo] Id est *velamine*. Infra etiam L. VI: »*Aetheris astrifico lumina multa peplo.*« Fulgentius Capellam imitari videtur:

—»*nox stellato mundum circumlita peplo*
Caerula rorigeris pigrescere jusserat alis.«

Gorz. — Vide Burmannum (in anthol. Lat. II. p. 332), nosque supra (ad §. 40).

ambrosium] Hanc vocem Bongarsius e suo, et Cortius e Guelferbytano codice substituit lectioni Grotianae *Ambronum*, quae in Darmstattensi quoque codice exstat. Quam, etsi perversam, antiquam tamen esse, ridicula, ut saepe, glossa testatur haec: »Ambrones gens est in oriente homines devorans.« Quacum quia concinit antiquissima versio Teutonica, non piget eam hic transscribere, quo magis pateat, medio, quod vocant, aevo jam non intellectum fuisse Martianum. Vetus enim ille interpres: »*Irbáronda* (promens) *dîn únera* (pudorem) *déro mán ézon* (anthropophagorum).« Ita nimirum vertit »Ambronum«, illustrationis causa addens: »Cibus *héizet* graece brosis (*βρῶϐις*). *dánnan sínt* ambrones *kenámot*. *Díe héizent óuh* antropofagi. *daz chît* (hoc significat) commessores hominum. inscithia (sejungendae voces) *gesézzene*. *Síe ézent náhtes*. *tés síe síh táges scámen muigen* (quod interdiu facere eos forsan pudet)« cet. Coloris ambrosii Appulejus etiam (met. 10. p. 738 Oud.) meminit, sive purpureum vel pulcherrimum significare voluerit, sive divinum. Quapropter missum facio Barthium (advers. p. 543), quem sibi ne constare quidem (p. 966) videbis.

pudorem] Laevius vetus poëta (ap. Gell. 19, 7) Auroram *pudoricolorem* cognominaverat (conf. §. 219). Columella (10, 102) verbis: »rosa plena *pudoris*« eundem designat colorem. Itaque jam Plautus (Captiv. 5. 2. 9): »At ego faciam ut *pudeat*; nam in *ruborem* te totum dabo.«

Quum creperum lux alma micat gemmata decore,
Quum nitet aurato fit et quum Phosphorus astro:
Tunc candens tenero glaciatur rore pruina et
Matutina greges quatiunt in pascua caulas:
Languida mordaces quum pulsant pectora curae,
Et fugit expulsus Lethaea ad littora somnus.

117 Ecce ante fores quidam dulcis sonus multifidis suavitatibus cietur, quem

quum creperum] Conjicio e vestigiis et lituris manuscripti:

»*Cum creperum lux alma micat, gemmata Dione*
Cum nitet aurato, et cum fulgit Phosphorus auro.«

Grot. — Arbitror reponi commodum posse:

»*Cum creperum lux alma micat gemmata decorem*
Cum nitet aurato vilet cum Phosphorus astro.«

Primo versui corrumpendo fuisse videtur *micandi* verbum active positum, qualia poëtis non sunt insolentia. *Nitere* vero et *vilere* simul Phosphorum quam elegantissime dixit, cujus a majori luce splendor paulatim exstinguitur, ita ut non nunquam intersplendeat, et niteat etiam tum cum vilere incipit: facilis lapsus *fit* et *vilet* in permutatis ejusdem potestatis literis. Haec pro veris non venditamus, sed otium conjectationibus verisimilibus solamur. Bantii. — Emendat Reinesius (epist. ad Daum. 33) »aurato fulgescens Phosphorus ostro.« Arntzen. (ad paneg. vet. II. p. 755) — Librorum lectionem pro more meo retinui. *Creperum micare* elegantissime dictum est de luce oriente quasi tremula, quae incerto adhuc debilique fulgore nondum omnia satis illustrare possit, sed hic illic tantum caligines noctis perrumpat ac solvat. Constructio eadem, quae apud Horatium (Od. 1. 22. 23) »dulce ridere.« *Gemmatam* vero appellat vel propter scintillas lucis passim dispersas, vel propter rorem et pruinam, ut apud Lucretium est (2. 349):

— — »*herbae* gemmantes *luce recenti*«

et alio loco (5 462):

»*Aurea quum primum* gemmanteis rore *per herbas*
Matutina rubent radiati lumina solis.«

glaciatur] Versio teutonica: »*Só der gráuuo rífo* (quum cana pruina) *uuírt án demo éccheroden tóuue* (fit in tenero rore). *Glaciari* hoc loco idem est ac *coire*. Coit certe ros tempore matutino (conf. §. 75. not.).

matutina] Gravis hic, ut saepe, Capellae in quantitatibus syllabarum error, nisi copulativam *et* ad priorem versum retrahas. Grot. — Versio Teutonica: »*Unde diu scáf* (et oves) *úz ándia uuéida dringende* (in pascua erumpentes) *die stigá eruuégent* (ovilia concentiunt).« In toto hoc Martiani non ineleganti carmine ante oculos fuisse ei videntur Virgilii (ecl. 42) illa:

»*Igneus aethereas jam Sol penetrarat in arcis,*
Candidaque aurato quatiebat lumina curru;
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat;
Propulit e stabulis ad pabula laeta *capellas*
Pastor cet.

Ceterum particulam *et*, quae in versus initio ante *matutina* posita fuerat, flagitante metro ad finem antecedentis remisi.

Lethaea] Sic de umbris Propertius (4. 7. 91):

»*Luce jubent leges Lethaea ad stagna reverti.*«

cietur] Ita pro *suscitatur* non solum ad mar-

Musarum convenientium chorus impendens nuptialibus sacramentis modulationis doctae tinnitibus concinebat. Nam nec tibiarum mela, nec ex fidibus sonitus, nec hydraularum harmonica deerat plenitudo: sed in blandum collata cantum ac modificato fine compactum voci virginum complementi spatio ratum fecere silentium. Ac tunc omnis ille chorus canoris vocibus dulcique modulatu praevertit omnes organicas suavitates, et cum sacrae numeris cantilenae haec dicta profunduntur:

Scande coeli templa virgo

ginem a Grotio notata varians habet lectio, sed codices etiam Bodlejanus, Cantabrigiensis, Darmstattensis, Hugianus, aliique permulti (Oudend. ad Appulej. I. p. 525. Bondam lect. var. p. 57) exhibent. »Sonum enim *ciere*« dictum a veteribus esse Bondam e Vellejo Paterculo (1, 4) docuit. Infra (§. 918) »cantus *ciere*« usurpat noster.

Musarum] Fabulam noster imitatur, qua Musas Harmoniae nuptias celebrasse (Pausan. 9, 12, 5. Theogn. 15, 16) finxerunt. Ita et Appulejus (met. 6. p. 427 Oud.) in Cupidinis et Psyches nuptiis Musas induxit »canora voce personantes.«

sacramentis] Foederibus; eo nimirum sensu, quo Petronius et Appulejus vocem usurpant. Teutonice redditum: »*zeéron dîen mithen brûtlóuften*« (in honorem sacrorum sponsalium).

plenitudo] Ad hanc vocem Teutonicus interpres: »*Dâr negemángta* (in eis nec deerat) *suégelsánges* (calamorum cantus) *nóh séitsánges* (nec chordarum cantus) *nóh téro folleglichi* (nec plena similitudo) *dero órgenlâtun* (hydraulicorum sonorum).« De *hydraulis* exstat docta commentatio Meisteri (in nov. comm. soc. Gott. T. II, p. 152).

complementi spatio] Hoc est donec voces virginum complerentur. Vulc. — Inserta nimirum musica inter verba permutatis vicibus; sive succedentibus in locum vocalium verborum musicis instrumentis. Eodem etiam sensu locum intellexit vetus interpres, modo bene ceperim haec ejus verba: »*zemézhaftigemo ûzlâze* (moderato spatio) *getâten sie sament stílli dero mágedo sánge* (fecerunt conjunctim silentium inter virginum cantum) *ûnz sie óuh taz erfólloton* (donec etiam id explebant). *Zeérst súngen diu* musica instrumenta. *dára náh súngen selben die* musae.« (primo canebant musica instrumenta, deinde canebant Musae ipsae). *Ratum silentium* est *aptum, concinnum*, sive, ut barbara voce utar, *proportionatum*. V. supra (§. 11) »rati succentus«, (§. 12) »rata modificatio«, (§. 41) »ratis modis« cet.

organicas suavitates] Dresdensis quidem codex *harmonicas* habet: sed vulgarem praetuli lectionem. Viva enim vox pariter *harmonica* dici potest, sed illi opponitur *organica*. Ita etiam vetus interpres: »*sinde dó úberuuant tro gesémine* (chorus) *álla dîa* órgalichun sûozi (suavitatem). *beídiu* (utroque) *íoh indéro lûtreisti dero stímmon* (tum puritate earum vocum) *íoh indéro lústsami dero mísun* (tum suavitate earum modulationum). In antecedentibus *omnis ille* scripsi pro *ille omnis* e codice Basileensi.

scande] Teutonicus interpres, quatenus per suum idioma licuit, ita haec vertit: »*Unde métterlicho* (ad metrum accommodata) *súngen siu dísin muort*: »*Nû fár ûf* (scande) *tíerna* (virgo) *in hi-*

Digna tanto foedere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Jupiter.

118 Tunc Urania, ceteris paululum reticentibus, coepit:

Sidereos coetus et culmina sacra polorum
Nil jam conjiciens numine fisa vide.

meliske sêldâ (in coelestia habitacula). *geristig pist tû* (apta es) *sólchemo gehîleiche* (ad tale genus). *Dîn suér* iuppiter *héizet tih fúnden* (jubet te petere) *über die hôhen stérnen.*« Confer Cnorrii de consecratione dissertationem (recus. in Martini thesauro T. II. p. 147 sequ.). In codicibus Monacensibus (B et C) et Basileensi glossa addita est haec: »Metrum Trochaicum tetrametrum alternis currens versibus; recipit Trochaeum et Spondeum; unus versus recipit quatuor pedes, alter tres et catalecton.«

tunc] Musarum, quae nunc sequuntur, ordo alius ac supra (§. 28) describitur et prorsus arbitrarius esse videtur. Neque est quod miremur, siquidem ille apud veteres non magis certus erat. Novem enim Musarum primi meminerunt poëtae, quibus metri servandi potior causa erat. Ita Hesiodus (theog. 77. et ap. Diod. 4, 7) et Orpheus (hymn. 75) hunc earum ordinem statuerunt: »Clio, Euterpe, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polymnia, Urania, Calliope«; quem sequuntur epigrammatis Latini (Burm. 1, 73) auctor et Cornutus (14. p. 158. 159 Gal.). Alium ordinem servat Graecum epigramma (1, 67, 25 de Bosch.) hunc: »Terpsichore, Erato, Euterpe, Thalia, Calliope, Clio, Urania, Melpomene, (Polymnia).« Alium reperies in utriusque linguae epigrammatibus (Anth. Gr. 1, 67, 22. Lat. 1, 74), nimirum: »Calliope, Clio, Euterpe, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polymnia, Urania, Thalia«; alium apud Ausonium (Id. 20): »Clio, Melpomene, Thalia, Euterpe, Terpsichore, Erato, Calliope, Urania, Polymnia.« Luciani autem scholiastes (ad imag. 16. T. VI. p. 20 Bip.) hoc eas recenset ordine: »Clio, Thalia, Euterpe, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polymnia, Urania, Calliope.« Fulgentius denique (myth. 1, 14. p. 47—49 Munck.) sic: »Clio, Euterpe, Melpomene, Thalia, Polymnia, Erato, Terpsichore, Urania, Calliope.« Unus restat Apollodorus (1, 3, 1), cui plurimum fidei tribuo, primum quia metro non impeditus erat, deinde quia Calliopen omnibus jure (§. 1. n.) anteponit. Ordo autem hic est: »Calliope, Clio, Melpomene, Euterpe, Erato, Terpsichore, Urania, Thalia, Polymnia.«

ceteris] Imitatur Homerum, qui saepius (Il. α. 603: Odyss. ω. 60; hymn. in Apoll. 189) de Musis: ἀμειβόμεναι ὅπι καλῇ. Adde Hugium (in myth. p. 222).

sidereos] In affingenda huic Musae astronomiae scientia omnes fere consentiunt, quippe cui sententiae vel nominis etymon ansam praebeat. Observes etiam velim similem in hoc carmine laudem Philologiae tribui, quam superiori loco Mercurio. Atque de illa etiam noster (§. 22) dixerat: »cui fulgent sidera coetu.«

conjiciens] Probe conjecturis in posterum locum esse negat, quandoquidem Philologia, diva facta, jam ipsum verum visura sit. *Fisa* idem quod *freta*, igitur *certa, secura.* Monacenses (B. D. E.) male *fida.* — Teutonicus interpres ita haec reddit: *unde sih tia himeliskun manigi* (coelestem multitudinem)

Olim disquirens nexos quid torqueat orbes:
Nunc praesul causas raptibus ipsa dabis.
Quae circos textura liget, quae noxio claudat,
Ambiat et quantos orbita curva globos:
Sidereos cursus quid cogat quidve retardet:
Quis Lunam flammet vel minuat radius;
Quis coelum stellet fomes et quanta revolvat,

únde díe hóhina dero himelgíbelo (et altitudinem coelestium fastigiorum) *únzuíueligiu* (nil dubitans) *únde báldiu* (et audax) *fóne dero góteheite* (duce numine) Dea *uuérdendo* (dea futura) *uuírdest tú dés álles kuís* (fies hujus omnis certa). *tés tu fóre uudre únguis* (cujus ante eras incerta).«

dabis] Duorum horum versum antiqua versio haec est: »*Tú uuâre ér frágende* (eras olim perquirens) *uuáz tíe zesámine háftenten ringa dero* planetarum *úmbe uuárbti* (quid nexos circos circumvertat). *nú uuírdet táz tú sélba scáffunga túost íro férten* (nunc fiet, ut ipsa dirigas eorum itinera).« Sed displicet haec interpretatio, quum *dare causas* pro *docere* accipiam, eo magis quod in posterioribus etiam libris deos ipsos arte grammatica, dialectica, ceterisque disciplinis institui legimus. Praeterea iterum noster verbo *dare* utitur pro *docere* inferiori loco (§. 125), ubi *efficiendi* sensum frustra ei obtrudere conaberis. Nullum denique mihi remansit dubium, postquam Senecae (cons. ad Marc. 25. p. 128 Lips.) haec verba legeram: »Parens tuus Marcia illic nepotem suum, quamquam illic omnibus omne cognatum est, applicat sibi nova luce gaudentem, et vicinorum siderum meatus *docet*.«

quae circos] Recte Teutonicus interpres verba construxit a voce *aspicies* incipiens: »*Tú gesíhest tír sélba* (aspicis ipsa) *só dú dára chúmest* (quum illuc advenis) *uuío getân gefluhte díe ringa bínde* (quae facta textura circos ligat) *uuélich nústa sie úmbe hábee* (quae ansula eos circumdet) *uuánda* ultima spera. *dáz chît* caelestis spera. *úmbe habet tie ándere* (siquidem ultima sphaera, hoc est coelestis sphaera, ambit reliquas), *únde uuío mánige dero éngeron der uuíltero ring úmbehábe* (et quot minorum major circus *ambiat*). *Uuáz tero* planetarum *ferte íagoe* (quid planetarum itinera acceleret) *uuáz sie óuh lézze* (quid eos etiam retardet) *dáz tûot tíu chráft tero súnnun* (hoc efficit vis Solis). *Sí gíbet in éinuuéder spûot álde tuála* (dat eis aut celeritatem, aut moram) *únde uués skîmo den mánen getúe uuáhsen únde suínen* (et cujus splendor Lunam faciat crescere et tabescere).« Quae quo clarius explicaret interpres haec addidit: »*Só er férrost kât fóne déro súnnun* (quando longius abit a Sole) *só mág sî in únder skînen* (potest Sol Lunam inferius illustrare) *hedíu ist er dánne fûl* (quare est tum plena) *só er áber bî íro gât* (si autem eam comitatur) *uuánda sî in dánne obenán ánaskînet* (quoniam Sol Lunam tunc superius illustrat) *pedíu ist er dánne uuáner únseren óugon* (ideo videtur Luna tunc debilior nostris oculis).«

quis] Grotius ediderat *qui*, nec sine codicum auctoritate, quod quamvis ferri possit et saepe ista vocabula promiscue usurpentur (Herald. ad Arnob. p. 101. Ruhnk. ad Rufinian. p. 201 not.); hoc tamen loco e Dresdensi codice reposui *quis*, quo melius respondeat antecedenti versui.

quanta] Lege: *quando*. Voxck. (sp. crit. p. 81).

Quae sit cura deis vel modus, aspicies.
Scande coeli templa virgo
Digna tanto foedere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Jupiter.

119 Tunc Calliope:

Semper complacitis amica Musis,

— Minime! Objecto carere non possumus. *Quanta* dictum est pro *quot*, ut apud Claudianum (rapt. Pros. 2. 308):

»*Conveniunt animae,* quantas *truculentior Auster*
Decutit arboribus frondes« cet.

Sic etiam Teutonicus interpres accepit: »*Uuélih fíur den himmel erlíehte* (quis fomes sive ignis coelum illuminet) *uuélez âne dero súnnun?* (additum hoc illustrationis causa videtur) »*únde uuío mánige stérnen sí uuídere getríbe.*« Illustrationis causa addit interpres: »*Dáz tûot si die* planetas *só sí sie* retrogrados *máchot*«; finemque reddit his verbis: »*Tár síhest tu* (ibi perspicis) *uuío getân dero góto flíht sí* (qualia deorum jussa sint) *únde uuélih scáf íro ríhtennes sí* (et qualis effectus eorum ordinationis sit).«

aspicies] Totum igitur hujus Musae carmen sic intelligo: »O Philologia supersede tandem conjecturis: inspice jam sidereos coetus ipsos et sacra culmina polorum. *Olim* disquirebas, quid torqueret orbes nexos: *nunc* praesul ipsa causas docebis siderorum cursuum. Adspicies quae textura circulos liget, et quae nexio eos claudat, quantosque globos orbita curva ambiat; quid sit, quod sidereos cursus cogat vel retardet; quis radius Lunam flammet vel minuat; quis fomes coelum stellet et quanta (sc. sidera) revolvat; quae denique in his omnibus cura vel modus a diis adhibeatur.« Similia apud Propertium (3, 3, 47) legere poteris. Metrum est elegiacum.

Calliope] Musarum principem hanc dici, ab initio libri (§. 1) jam monuimus. Ex artibus noster ei tribuit poëticam (v. schol. ad Luciani imag. 16 p. 20 Bip.) et musicam, Ausonius (20, 7) heroica inprimis carmina; quocum conciuit Graecum apud Cuperum (apoth. Hom. p. 26) epigramma. In Herculanensibus monumentis (tab. 9.) ejus imagini adscriptum legimus *ΚΑΛΛΙΟΠΗ ΠΟΙΗΜΑ.* Cornutus (14. p. 160 Gal.) praecesse eam dicit rhetoricae exornatae. Fulgentius (myth. 1, 14. p. 40 Munck.) ad solum nomen respiciens, optimam ei vocem attribuit. Metrum glossa Monacensis (E) appellat »Phalaecium.« Accuratius in Basileensi glossa additur: constat spondeo, dactylo et tribus trochaeis.

semper complacitis] Priores hujus carminis versus ita explicat Teutonicus interpres: »*Díe brúnnen* magnesiae *hábent tih ketrénchet* (fontes Magnesiae praebuerunt tibi potum) *tû hólda díerna díen dír gelîchetén* musis (tu amica virgo his tibi complacitis Musis). Magnesia *íst in* thesalia (Magnesia est in Thessalia). *Dár íst* libetros fons (ibi est Libethros fons) *úmbe dén mánige* poëtae *sízzent* (ad quem multi poëtae sedent) *sámo só díe nóte sín* poëtae (similiter consortes sunt poëtae) *díe in trínchén* (qui ex eo bibunt). *Vuánda óuh tû* philologia musicam *chánst* (quoniam etiam tu Philologia musicam calles) *pedíu skînet* (ideo videtur) *táz tû* libetron *getrúnchen hábest* (te e Libethro bibisse) *únde dér brúnno dés rósses* pegasi *dáz úzer* démo blûote *uuárd* gorgonae *hábet tih ketrénchet s. sa-*

Cui Magnesia poculum fluenta
Et fons Gorgonei tulit caballi:
Vertex Aonidum virens corollis
Cui frondet violas parante Cirrha:
Tu vatum mela dulcibus Camoenis

ment tien poëtis (et fons equi Pegasi, qui e sanguine fiebat Gorgonis, potum tibi praebuit una cum his poëtis) Pegasus *chît* fama (Pegasus significat famam?) *uuánda* poëtae *sínt samo si* (quoniam poëtae sunt cum ea. Quaeritur utrum recte legerit editor *samo si*, an potius scriptum sit *famosi?*) *bedíu chît man* (ideo dicitur) *sie getrúnchen hâben des prúnnen* (eos bibisse ex fonte) *dén* pegasus *ázer dero érdo slûog mit sînemo fûoze* (quem Pegasus e terra eruerat suo pede).«

Magnesia] Lege Permessia ex vestigiis (?) manuscripti. Gnor.— Sane Permessus Musis sacer erat: sed Magnesia non minus. Ipse noster infra (§. 654): »*Magnesia*, cujus fons Libethris *poëtici haustus* nomine celebratus.« Libethra urbs quidem in Boeotia (Pausan. 9, 30, 5) ibique Libethrius fons cum Musarum cultu situs erat, Heliconi contiguus et in colendis Musis aemulus (Otfr. Mülleri Orchomen. p. 381); non tamen solum fuisse testis est Solinus, e quo totam fere geographiam noster exscripsit (c. 8. f.): »Sed ne transeamus praesidium *poëtarum*, fons Libethrius et ipse *Magnesiae* est.« Adde et Plinium (4, 9, 16) et Spanhemium ad Callimachum (hymn. in Cer. 25. p. 682).

caballi] Imitatus est illos Persii (ab init.) versus:

»*Nec fonte labra prolui caballino:*
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poëta prodirem.«

Confer et Prop. (3, 2, 1. 2) et Strab. (9. p. 410).

corollis] Scriptum in editis erat *choraulis*. — Puto *coraulis* pro *corollis*, quamquam nec alterum omnino reprobem: est enim vox usitata isti seculo. Gnor. — Sed nihil mutandum. Gerz. — Grotii conjecturam confirmant codices Reichenauensis, Britannicus, et Cantabrigiensis, quos secutus sum; in Guelferbytanis etiam Cortius legit *carollis*. Atque hic omnino *corollis*, sive *coronis* (v. Beroald. ad Appulej. T. II. p. 79 Oud.) aptior locus est, quam *choraulis*. Teutonicus interpres vocem substituit »*poëtis*« sic scribens: »*Tir stât óbenan gelóuber* (tibi stat in summo virens) *aon.* (Aonidum) *gezíerter mit* poëtis (ornatus poëtis).

frondet] Britannicus quidem codex *fondit* habet, i. e. *fundit*; quod etsi minime absonum sit (cf. Cic. Tuscul. 5. 13), tamen recipere nolui, quia *violas* cum *parante* jungere praestat. Similiter noster infra (§. 917): »calamos parante Musa.«

violas] Ovidius de antiquorum temporum simplicitate (fast. 1, 345):

»*Si quis erat, factis prati de flore coronis*
Qui posset violas *addere, dives erat.*«

Quamquam has etiam inter flores coronarios in pretio fuisse e Theophrasto apud Athenaeum (15. p. 680 Casaub.) patet; ipsisque Musis caras videmus apud Theognidem (eleg. 250):

Ἀγλαὰ μουσάων δῶρα ἰοστεφάνων.

Cirrha] Teutonicus interpres: »Apollinis *pérge dír gágene blûomen hâbentemo* (Apollinis monti obvios flores habenti tibi).« At non montem, sed oppidum fuisse Cirrham prope Delphos vulgo notum est (Strab. 9. p. 288).

Camoenis] Vetus interpres vertit: »*Tû bechénnest*

Et scis Pindaream chelyn referre;
Te dictante fides sacrumque plectrum
Movit Threïcium sonare carmen.
O lux nostra, sacros probare cantus
Suesce, atque organicis beare circis.

tero poëtarum carmina *mit súozen* metris (agnoscis poëtarum carmina cum suavibus metris).«

chelyn] Teutonicus: »*Dû chánst keanteron* citharam pindari musici (potes imitari (?) citharam Pindari musici).«

movit] Malim *novit*. Gnor. — Offendebatur Grotius, ni fallor, insolenti dicendi genere: »*movit* plectrum Threïcium *sonare* carmen.« Sed haec insolentia ei in Martiano non imponere debebat, quum commode explicari possit »movit plectrum, ut Threïcium sonaret carmen.« Horat. 1. od. 24. Phaedr. 3. fab. 16. Gozz. — Recte! Graecismus enim est, ὥστε cum infinito modo, nostro satis familiaris; ita infra (§. 123) »*rotet* circulus anni *claudere* secla« pro »ut claudat secula«; ita Nepos (in Phoc. 1, 3) »hortatur accipere«, Horatius (Od. 1. 2. 8): »egit visere montes« cet. (Adde Rufinian. p. 258 Ruhnk.). Haud tamen inficior, me maluisse codicem reperire, in quo Grotianum illud *novit* legeretur. Vertit vetus interpres: »*Dir irdénchentero chán der séito únde dáz ziterfin síngen intraciskun* (tibi excogitanti possunt fides et plectrum canere Threïcium) *dáz chît also* orpheus *sáng fóne* tracia (id est quemadmodum Orpheus canebat e Thracia).« Martiani sententiam illustrabit Plutarchus (de musica p. 1132 f.): »Orpheus autem neminem videtur imitatus: nemo enim tunc natus praeter poëtas, qui facerent ea, quae ad tibias canerentur: horum autem cum opere Orphicum nihil habet simile.« Hinc noster »Philologiam« ait »dictasse Orphicum carmen quod primum ad fides sonaverit.«

lux] Teutonicus: »*únser óuga hábe in geuuóneheite únser héilig sang ze lóbenne* (noster oculo suesce nostrum sacrum cantum laudare).«

circis] Proprie circi sunt symphoniae, quae ad eandem rationem melodiae recurrunt. Vulc. — Sumsit haec vir doctus e veteribus glossis. Teutonicus interpres, postquam verba »atque organicis beare circis« verterat »*únde uuírt kesáligot fóne órganiskén*«, uberiorem hanc explanationem adjecit: »*dáz chît sánglichen ringen* (hoc est cantibus in orbem). *Also dánne ring án demo sánge uuírt* (quandoquidem orbis in cantu efficitur) *só íz fo uuídere eruuíndet zedéro sélbun stéte dar íz ána fieng* (quum is rursus redit ad eundem locum quo incipiebat). *Heúe únde sing* o sapientia (Habe et canta: O! sapientiA) *só findest tû dia sélbun líttun án demo a. díu zéerest uuas an demo o* (reperis eosdem sonos [eundem sonum] in A, qui primum erat in O) *dér só getáno* perhiodus. *dáz chît* circuitus. *héizet* colon (ita composita periodus, hoc est circuitus, appellatur colon). *úbe daz uuórt tár úz kât só íh tir nû zeigota* (si dictio ibi finit, ut tibi demonstrabam) *úbe neist só héizet er* comma (si paene; tunc appellatur comma).« — Sed ut ad circos illos redeat oratio, Cicero (Brut. 19) carminum meminit, »quae in epulis a singulis convivis cantitabantur.« Totum nunc hujus Musae carmen sic construendum esse puto: »Tu Philologia Musis complacitis semper amica, cui Magnesia fluenta et fons Gorgonei caballi poculum tulit, cui vertex Aonidum virens frondet corollis, violas parante Cirrha; tu scis Camoenis

Scande coeli templa virgo
Digna tanto foedere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Jupiter.

Ac sic Polymnia: 120

Tandem laboris fructus aethram fulgidam
Divûmque sedes ac Jovis consortia
Provecta carpis inditoque numine,

dulcibus mela vatum et Pindaream chelyn referre; te dictante carmen Threïcium movit fides sacrumque plectrum sonare. O! lux nostra, suesce probare sacros cantus atque beare (est imperativus) circis organicis.«

Polymnia] Inter tot varias de hujus Musae arte disputationes plurimi tamen ei tribuunt vel mimos (Auson. Id. 20, 9. sive anth. Lat. 1, 74. Anth. Gr. 1, 67, 22 de Bosch. Cassiod. var. 4, 51. p. 72 Gar.), quam ὄρχησιν alii appellant (schol. ad Lucian. de imag. 16. VI. p. 20 Bip.); vel memorandi facultatem sive memoriam (Plutarch. sympos. 9, 14. p. 746. Fulgent. myth. 1, 14. p. 48 Munck.). Utrique respondet ejus effigies (Antiqu. Hercul. II. tab. 7) quae ori adhibito digito silentium profitetur, ut intelligatur eam gestibus verba supplere. Unde »horcistarum *loquacissimas* manus« memorat Cassiodorus (l. c.), quarum inventionem Polymniae tribuit, i. e. ὀρχηστῶν, *saltatorum*, quorum artem non in pedibus modo, verum etiam in manibus totoque corpore concinne movendis spectatam esse constat (Cf. Böttiger. Sabina I. p. 317). Unde in Latino epigrammate (1, 73 Burm.) de ea:

»*Flectitur in faciles variosque Polymnia motus*«

dicitur; Graecus autem poëta (anth. 1, 67, 23 de Bosch), licet reliquarum Musarum singula nomina referret, hujus tamen reticuit, pro eo autem extremum hoc posuit distichon:

Σιγῶ φθεγγομένης παλάμης θελξίφρονα παλμὸν
Νεύματι φωνήβαβαν ἀπαγγέλλοντα βιωπήν.«

In nostri tamen carmine de omnibus illis nihil reperitur. De rhythmo enim agitur, atque de iis quae mentem parare possint ad alta culmina. Carminis metrum in codice Monacensi (E) glossa definit: »Jambicum senarium yponacticum constat trimetro ac catalecto«, melius tamen Jambicum senarium simpliciter dixeris.

tandem] Non ad verbum interpres vertit: »*An stéte* (statim illico) *infáhest tá zelóne. dinero arbeite. den scónen himmel* (accipis in praemium tui laboris pulchrum coelum) *únde dero góto gesáze* (et deorum sedes) *unde dta sippa iouis* (et cognationem Jovis) *táz tu sín snora uuírdest* (ut fias ejus nurus).«

inditoque numine] Dicit Polymniam carpere diyûm sedes et consortia Jovis; itaque vix dubitem, quin Martianus scripserit *inditoque*, quod exhibet Vossianus codex. Anxtz. (misc. p. 208 f.). — Lapsus est vir doctus in adscribendo Musae, quod de Philologia dicitur. Sed lectio haud dubia est, siquidem non Cortius tantum in Guelferbytano pro

Cruenta dudum quae jugare rhythmica
Ac dispari mixta sueta regula,
Mox quid jacente, quid jugata linea

inclytoque legit *inditoque;* verum sic etiam scriptum in Basilecnsi et Darmstattensi ipse vidi. Concinit praeterea Teutonica versio hisce verbis: »*hína úf kefúortin* (illuc supra vecta) *únde gótheit infáhentin* (et divinitatem accipiens).« Confer praeterea in superiori loco (§. 118) verba »*numine fisa.*«

cruenta] Nova et imperfecta carmina, ut cruentum pro novo dicatur, tracta metaphora a foetibus animalium, qui cruenti nascuntur. Vulc. — Quid hic *cruenta rhythmica* sibi velint, haud facile quisquam expediverit, nisi attendat ad Graecum verbum *χρούω*, et quod formatur inde. Ipsemet antequam hoc incideret, dudum tentaveram »inclytoque numine *favente*«; at prorsus infeliciter, ut postea comperi. Ceterum antiquiores etiam usos quandoque Graecis vocabulis, quae tamen Latinis notabant literis, jam olim observavit Muretus 1. var. lect. c. 3. Lucretio *durateus* equus dicitur pro *ligneo*, e media Graecia. V. Ang. Politian. observ. et emend. cap. 5. Voncx. (sp. crit. p. 82). — Cortius in Guelferbytanis legit *creante;* sed nihil hoc pacto efficitur. Neque Vonckii placet explicatio, quae non mihi tantum obscura est, sed ipsi etiam auctori erat, quippe qui ne vertere quidem potuerit vocem *cruenta* a *χρούειν* deductam. Fortassis *cruenta* poëtice a pugna petitum hoc loco significat hostilia, infensa, dissona. Certe rhythmo proprium est, quae dissona sunt suaviter jungere. Cum Vulcanio tamen concinit versio: »*Dá dir tu ér genuón uuâre niuuiu* carmina *zemáchonne* (quum tu olim sueta eras *nova* carmina condere)« et *cruentum* et *crudum* cognata inter se esse videntur.

mixta] Cortius abesse a Guelferbytano codice hanc vocem observat. Sed retinendam suadent tum reliqui omnes, tum versio antiqua: »*Iôh kemísgtiu* (etiam mixta) *mit mísselichero únde únébennázero* regula (ad variam et disparis metri regulam).« Cui illustrationis causa addit interpres: »*Uuío mánigfalte dir sî dáu mísselichi dero níumon* (quam multiplex tibi sit varietas canticorum) *uuér mág táz kezellen* (quis poterit hoc enumerare)?« Verum an viderit vetus interpres adhuc ambigi potest; Aristides tamen Quinctilianus (ap. Meibom. rei musicae scr. p. 33) distinguit inter tria genera 1) rhythmum habentia, 2) rhythmo carentia, et 3) rhythmi speciem habentia, quae tum rhythmum habeant, tum eo careant. Pari modo sibi opponere videtur Martianus regulam rhythmicam et disparem, quarum utraque cruenta jugare Philologiam solere ait; prorsus ut Cicero (de orat. 3. 44 et 45) versus *certa lege* alligatos *disparibus* numeris opponit; atque noster infra (§. 975 f.) de pedibus disserens: »alios« inquit »alogos hoc est irrationabiles nominamus, quorumque ratio nulla praestatur, sed incondita quaedam compositio profertur.« *Mixta*, ut nunc producta ultima in versu positum est, ad *regulam* referendum erit; vide tamen ne melius pro accusativo casu habeatur, quod facillime per transpositionem effici possit.

mox quid] Vetus interpres haec de geometria intelligit, qua in interpretatione vix acquiescere licet. Vertit enim: »*Únde uuáz trisési mácho* (et quid ter-conjectum faciat). *mít strácchentemo réize án dien stîon* (per rectam lineam in lateribus) *únde gefúogtemo án dien órten* (et per jugatam in cuspidinibus, id est in angulis). Ac ne dubites de horum verborum sensu addit: »*Dáz íst álso si châde* (hoc est ac si diceret) *Dû chíre in* geometria (tu

Trigonus recurvet circulusque torqueat;
Melos probare, ac tonos et crusmata,
Artesque cunctas solita, quaeque coelitum
Possunt parare mentem ad alta culmina.

quaere in geometria) *uulo drí réisa gréhte* (quomodo tres lineae rectae) *án dien órten* (in apicibus) *sih chússente* (se conjungentes) triangulum *machont* (triangulum faciant). *Unde uuáz ter ring úmbe bíege* (et quid circulus incurvet). *dáz chít. uulo ál úmbe gebógener réix ten ring máchoe* (hoc est quómodo omnis incurvata linea circulum faciat).« Sed valde dubito quin hypallagen in Martiani verbis »quid trigonus recurvet circulusque torqueat« intellexerit. Atque mirum profecto videri posset, si Martianus, quo loco de poësi tantum et musica loquitur, geometriam eis immiscuisset! Praeterea *jacentem* lineam minus accurate *rectam* interpres vertit, quum omnis linea, quae non obliqua sit, recta dicatur, jacens contra erectae opponatur. Sine ulla autem difficultate de quantitatis et accentus signis intelliges quae ad rem metricam rhythmicamque quam proxime pertinent. Cf. modo Priscianum (de accentibus p. 833): »Quid est longa linea? nota a sinistra in dextram partem ducta, ita: —; quid est brevis linea? nota jacens similiter, sed panda, sicut pars inferior circuli, ita: ⏑«; et Isidorum (etym. 1. 17. 29; III. p. 29 Arev.): »nota brevis inferior semicirculus ⏑, nota longa I jacens est ⊢.« Idem alio loco (1, 4 f. pag. 12): »Apex est«, inquit, »linea jacens super literam aequaliter ducta.« Eandem notam, quam alii grammatici etiam *accentum longum* appellaverunt (Diomed. p. 429. Donat. p. 1742. Max. Victor. p. 1945) nostro »*jacentem lineam*« esse quivis videbit; nec dubito quin *circulum* quoque *tortum* (nam ita haec per hypallagen accipienda) omnes mecum pro nota brevitatis habituri sint. Restat *trigonus jugata linea recurvatus*, quem tamen et ipsum facili negotio intelliges accentum esse *circumflexum*, cujus haec forma: ^ jam antiquitus satis usitata fuit.

crusmata] Martialis 6, 71:

»*Edere lascivos ad Baetica crusmata gestus,*
Et Gaditanis ludere docta modis.«

Gorz. — Teutonico interpreti *crusmata* sunt *chordarum pulsus*. Ita enim octavum hujus carminis versum vertit: »*Quóniu zeschíesenne* (sueta eligere) *díe uuárbâ des sánges* (ambitum cantus) *únde díe uulsâ* (et melos) *únde díe rúorà dero séiton* (et pulsus chordarum).«

mentem] Ita e Dresdensi codice reposui pro *mente*, quam tamen antiquam esse lectionem Teutonica versio docet haec: »*Unde álle líste zeschíesenne* (et omnes artes eligere) *unde ál dáz himel sázen máchon múgen* (et omne quod coeli incolae efficere possint) *mít íro hóhen sínne* (cum eorum alta mente).«

alta] Dixerit forsan aliquis, vocem *coelitum* minime hisce verbis jungendam esse; sed ad *mentem* pertinere. At vereor ne erraturus sit. Plutarchum potius noster legisse videtur, qui (symp. 9, 14. p. 746) Polymniam *cupiditati discendi* (φιλομαθεῖ), quae animo inest, praesse docet. Atque sic mens humana praeparari dicitur ad adscendenda *alta* coelitum *culmina*. Totius carminis constructio et sententia haec est: »Tandem provecta inditoque numine carpis laboris fructus, aethram fulgidam, divûmque sedes ac Jovis consortia. Quae dudum suëta es cruenta jugare ad regulam rhythmicam et

Scande coeli templa virgo
Digna tanto foedere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Jupiter.

121 Tunc Melpomene:

Sueta cothurnatos scenis depromere cantus,
Soccumque ferre comicum,
Et reboare tua tulimus quae carmina cura

mixta ad disparem (vel, si mavis, »ad regulam rhythmicam et mixtam disparem«) tum solita es, quid vel jacente vel jugata linea trigonus recurvet circulusque torqueat, melosque probare ac tonos et crusmata artesque cunctas et ea, quae mentem parare possunt ad alta coelitum culmina.«

Melpomene] Huic Musae utrumque spectaculi genus, tam tragoediam, quam comoediam noster adscribit (conf. 888) similiter atque Cicero (orat. 31) de quibusdam artificibus scenicis scripserat, in utroque genere eos placuisse. Sed rectius ii, qui Melpomenae tragoediam tantum tribuunt (Hor. od. 1, 24, 2 et 3. Ovid. art. am. 3, 1, 11. Auson. Eid. 20, 2. Epigr. Lat. 1, 73. p. 51 Burm. Scholiast. ad Lucian. imag. 16. T. VI. p. 20 Bip.). In monumentis etiam Herculanensibus ejus imagini subscriptum legimus: *ΜΕΛΠΟΜΕΝΗ ΤΡΑΓΩΔΙΑΝ*. Quod Mitscherlichius (ad Hor. od. 4. 3. 1) omnino lyricam ei poësin tribuit, etymologiae potius (a *μέλπεσθαι*) quam usui veterum convenit. Monacensis glossa (E) metrum definit: »dimetrum Jambicum Exametrum (sic) Dactilicum junctum.« Basilcensis autem »metrum Heroicum, cui subjunctum est dimetrum Jambicum.« Metrici dicunt Pythiambicum primum (Hor. epod. 14 et 15).

sueta] Teutonicus interpres: *Tú bist quón* (tu es sueta) in scenis *zesingenne dín sáng tero gesdohton* tragicorum *mit* coturnis.« Et postquam explicaverat, qui sint cothurni et quae sit scena, pergit: »*Unde ána háben dáz kescúhe déro* comicorum (et indutam esse calceorum genere comicorum).« Familiare poëtis erat, calceorum generibus diversa carminum genera denotare. Ita Apollinaris Sidonius (epist. 8, 11. p. 233 Sirm.):

»*Soccos ferre cave, nec ut solebat*
Laxo pes natet altus in cothurno.
Sed tales crepidas ligare cura
Quales Harpalice.« — — —

Virgilium (Aen. 1, 317) vel Propertium (2, 25, 41) noster ante oculos habuisse videtur: intelligit igitur calceos *leves*, quales Thaliae conveniunt, unde a nona hac sororum se reprehensum esse Martialis (8, 3, 9) finxit: Quinctilianus autem (10, 2, 22. p. 130 Spald.): »Nam comoedia non *cothurnis* assurgit, nec contra tragoedia *socculo* ingreditur.«

reboare] Ita Petronius Afranius (in Burm. anthol. Lat. T. I. p. 51):

»*Melpomene* reboans *tragicis ferveseit iambis.*

Ita Ausonius (Idyll. 20, 2):

»*Melpomene tragico proclamat moesta* boatu.«

Adde quae copiose de hoc verbo disseruit Macrobius (in Saturnal. 6, 4). Cassiodorus autem (var. 4, 51. p. 72 Garn.) discrimen inter tragoediam et comoediam demonstraturus ita distinguit: »Tragoedia

Melo favente rhythmico:
Nunc tibi virgo cano, spes atque assertio nostri,
Tenore versa carminis.
Nam thalamum redimire juvat, tu serta probato
Tuis placere ritibus.
Digna maritali semper videaris Olympo,
Decentiorque coelitum.
Scande coeli templa virgo
Digna tanto foedere.

ex *vocis vastitate* nominatur: quae concavis repercussionibus roborata talem sonum videtur efficere, ut paene ab homine (non) credatur exire. Erigitur autem in *hircinos* pedes, quia si quis inter pastores tali voce placuisset, *capri* munere donabatur.« Saepe tamen in voce *boare* Graeci tantum verbi *βοάω* sensus respiciendus est. Unde Apollinaris Sidonius (epist. 8, 11. p. 254 Sirm.): »Et nunc *inflat epos* tragoediarum.« Teutonicus interpres illos Melpomenae vertit versus: »*Unde singen diu sang. tiu uuir fone dir trûogen* (et cantare carmina, quae nos a te accepimus): *dîne trûtun* (tuae amicae) *sûozemo sange ûnsih lûcchentemo* (suavi cantu, nos alliciente) *ûnde scundentemo* (et incitante) *daz uuir siu trûogin ûnde gehîelten* (ut ea ferremus et servaremus)« Posteriora verba illustrationis causa ab interprete addita esse ipse videris.

assertio nostri] Facundia nostra. Vulc. — E glossa, quae consona est cum versione Teutonica, malam hanc explicationem sumsit vir doctus. Melius potuit edoceri ex inferioribus locis, quibus Musica (§. 924) Minervam »nostri comitem«, Grammatica (§. 229 f.) eum, qui hanc artem calleat, »assertorem nostri« appellat (conf. Gell. 20, 6. Non. Marc. p. 496 Merc. Serv. ad Aen. 2, 595). *Assertio* autem est, quam quis sibi vindicat, ut Solem quoque noster (§. 185) »assertionem divûm« appellat.

versa] Per hypallagen dictum pro *verso* i. e. mutato carminis tenore. Omnis locus ita construendus: »Ego, quae hucusque consueveram tragoedias comoediasque depromere scenis, et melo rhythmico favente reboare carmina, quae tua cura tulimus (i. e. accepimus), nunc carminis argumento mutato ad hymenaeum tibi canendum me converto.« Teutonicus interpres sic: »*Nû singo ih tir nûged* (nunc cano ego tibi virgo!) *mit témo dûnse des sanges* (cum extenta serie carminis) *uuânda dû gûtin uuorten bist* (quippe diva facta es) *unsér tróst* (nostrum solatium) *ûnde ûnser zûnga* (ac nostra facundia)«; qui vocem *versa* omnino neglexisse videtur.

maritali Olympo] Loco nimirum, quem maritus inhabitat. Hypallagen probe intellexit interpres vertens: »*Tînen brûte stûol lûstet mih zezierene mit sânge* (tuum thalamum libet mihi ornare cum cantu). *die zierda lâ dû lîchên dînén sîten* (ornatum da placere tuis moribus). *Uuerd mâozist tû sîn dînemo himelisken chârle* mercurio (digna sis tuo coelesti marito Mercurio).«

decentiorque] Comparativum pro superlativo a nostro poni, supra (§. 6) observavi. Agnoscit etiam

Te socer subire celsa
Poscit astra Jupiter.

122 Ac si Clio:

Tu quae Rhetorico clangere syrmate,
Atque reum rabido absolvere pectore,
Quae nunc sensa ligans horrida nexibus,
Soritas cumuli accessibus aggerans,
Nunc quid grammatica stringere regula,
Quid fandi ambiguis conterat ordinem,
Sollers docticanis ludere sensibus:

vetus interpres vertens: »*unde allero himmel fróuuon zimigósta* (et omnium coelestium feminarum decentissima).«

Clio] Si verum quaesiveris videbis hanc Musam praefuisse historiae. Ita Herculanensia (2, tab. 2); ita scholion ad Luciani imagines (16. p. 20 Bip.); ita et Ausonius (Idyll. 20, 1) aliique (anthol. Gr. de Bosch 1, 67, 25; anthol. Burm. Lat. 1, 75. p. 51). Alii historiam Polymniae, nostrae *laudationes* tribuunt, etymon secuti (Plutarchus in symptos. 9, 14. p. 746; cf. et Cornut. 14. p. 158 Gal.). Noster disputantem tantum inducit contra inanes Philologiae labores, quibus ad illud usque tempus rhetoricam, dialecticam, et grammaticam tractaverit, altiora mox et veriora in coelo visura. Metrum hujus carminis explicant glossae in Monacensibus (B. C. E.) et in Basileensi codice: »Dactylicum pentametrum catalecticum«: est vero Asclepiadeum primum (Hor. od. 1, 1. 3, 30).

syrmate] Ambagibus, circuitione, sive circumscripta elocutione. *Syrmata* tragoedorum erant vestimenta, unde hoc vocabulum inflatum dicendi genus, ampullas et sesquipedalia verba (Horat. ad Pison. 97) designat. Sic Martialis (4. 49. 8):

»*A nostris procul est omnis* vesica *libellis*,
Musa nec insano syrmate *nostra tumet*«,

et alio loco (12. 95. 4):

»*Aptasti* longum *tu quoque* syrma *tibi*.«

rabido] Pejus in Guelferbytanis *rapido* legerat Cortius. De forensi enim orationis genere sermo est. Quo autem melius locum intelligas, conferas velim in totius libri fine (§. 998) versus:

»*Indocta* rabidum *quem videre secula*
Jurgis caninos blateratus pendere.«

Festus (p. 419 Dac.): »*Rabidus a rabie*, qui morbus *caninus* est.« Sed et Seneca (Hercul. fur. 172) »*rabiosa* fori *jurgia*« scripsit. Sensus igitur est: rhetor reum rabido (forensi) pectore ita defendit, ut absolvatur. Eodem pertinet τὸ ὀφοδρὸν et κώχαρον (v. C. Fr. Hermann. ad Lucian. de hist. scr. p. 261). Praeterea conferre licet Graecum epigramma (2, 46, 14 p. 501 Bosch.) et Propertium, qui (3, 6, 11) »*rabidam* linguam« scripserat.

cumuli] Ciceronem noster videtur ante oculos habuisse, qui (divin. 2, 4) »soritem« scribit »si necesse sit, Latino verbo *acervalem* licebat appellare« (conf. acad. qu. 2, 16 et 29. Horat. epist. 2. 1. 47. Pers. sat. 6. extr. Sext. Empir. adv. log. 7,

Nunc stellata poli conspice limina,
Et candore sacro aetheris utere:
Quem vero pretium est noscere lumine.
Scande coeli templa virgo
Digna tanto foedere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Jupiter.

Mox Erato: 123

Caput artibus inclyta virgo
Cui panditur aula Tonantis:

416; adv. phys. 9, 182 et infra nostrum (§. 327).

limina] Guelferbytanus quidem codex, teste Cortio, et Dresdensis *lumina* exhibent; quoniam autem canentibus Musis Philologia non nisi in *limine* apotheoseos erat, vulgatam lectionem eo magis retinui, quo propius vox *lumine* sequitur. *Limen coeli* noster etiam supra (§. 63) dixerat.

pretium est] Scilicet »tuorum laborum.« Vulc. — Equidem pro »operae pretium est« intelligo. Ipse Tacitus (ann. 1, 57): »Germanico *pretium fuit* convertere agmen.«

lumine] Verborum in hoc carmine ordo satis intricatus ita struendus mihi quidem videtur: »Tu (Philologia!), quae sollers es rhetorico syrmate clangere reumque rabido pectore absolvere, quae nunc horrida sensa nexibus ligans et soritas accessibus cumuli aggerans, nunc (sc. sollers es) quid regula grammatica stringere, quid fandi ordinem ambiguis conterat, sensibus docticanis ludere; conspice nunc limina stellata poli et utere candore sacro aetheris, quem pretium est vero lumine noscere.« Verba »*lumine vero*« e Lucano (9, 11) sumsit.

Erato] E Graeci nominis significatione huic jam Plato (Phaedr. p. 349 Bip.), amatoria tribuerat; secutus Ovidius (art. am. 2, 16):

»*Nunc Erato: nam tu nomen amoris habes*« (conf. eund. 2, 125 et Apollonium Rhod. 3 ab init.), quem quidem amorem Cornutus (14. p. 159 Gal.) in philosophiam detorquet. Monumenta Herculanensia (2. tab. 6) hanc Musam appellant *psaltriam*, quibuscum epigrammata Graeca (1, 67, 23. p. 257 Bosch) et Latina (1, 73. p. 51 Burm.) pariter ac Plutarchus (in symp. 9, 13. p. 743) et Ausonius (Id. 20, 6) concinunt. At vero apud nostrum eadem Musa de mundi et rerum naturalium cognitione disserit, quo iterum patet, Martianum ad id, quod cuique Musae peculiare est, minime spectasse. De metro glossae Monacenses (B. E.) et Basileenses: »Metrum anapesticum catalecticum constat tribus anapestis et syllaba.« Est igitur Paroemiacum sive Anapaesticum dimetrum catalecticum.

artibus] *Caput* cum dandi casu Terentiana dictio (Andr. 2, 6, 27. Adelph. 4, 2, 29: add. Propert. 2, 18, 36). Quid *caput* hoc modo significet, docet Quinctilianus (3, 11, 27. p. 627 Spald.). Possit tamen etiam pro compellatione accipi, ut apud Homerum (Il. ϑ. 281) *Τεῦκρε φίλη κεφαλή*.

Tonantis] Egregie hic Jupiter epitheto *κεραυνίου* (Orph. hymn. 18) sive *Tonantis* (Sil. 13, 20.

Merito tibi subditur orbis
Rationibus ante repertus:
Sacra fulmina cur rutilescant:
Fragor intonet unde resultans:
Quid agat per aperta madores
Modo nubibus imbrificatis:
Quid euntibus agmine nimbis
Revocet nitidissima verna,
Rotet omnia circulus anni

16, 234. Ovid. fast. 6, 346) ornatur, quia illico de fulminum natura disquiritur.

repertus] Hugianus et Cantabrigiensis codices *repertis* habent, quod primo aspectu placet; sed praestat vulgata lectio, qua pristini Philologiae labores praemiis futuris opponuntur; quae rationibus ducendis conjecturisque faciendis hactenus aegre paullatimque reperire studuerit, jam sponte ipsi patere, meritoque ei subdi orbem, quem dudum sibi ratiocinando quasi vindicaverit.

sacra fulmina] Vel Propertium (3, 3, 47 sequ.) imitatus est, vel Ovidium, qui (met. 15, 69) de Pythagora canit investigante:

»*Quid deus*, unde nives, *quae* fulminis *esset origo*;
Jupiter an venti discussa nube tonarent?«

Fulmina pro Grotiano *fulgura* rescripsi e Guelferbytanis monente Cortio; idque eo magis, quod de naturali *fulminum* causa hic, sicut apud Ovidium, sermo est, neutiquam de *fulgurum* jactu, e quibus conjecturalem divinationem fieri supra (§. 7) dixerat. Adde Senecam (nat. qu. 1, 1 f. p. 684 Lips.) et Horatium (in epist. 1, 12, 16).

madores] Ita scripsi e Monacensibus libris (B. D. E.) pro *madorem*. Totius loci sensus hic est: »quid agat madores i. e. pluvias per aperta i. e. per spatia coelestia, nubibus modo i. e. paullo ante imbribus repletis atque turgentibus.« *Aperta* eodem sensu Virgilius dixit (georg. 1. 393):

»*Nec minus ex imbri soles et* aperta serena
Prospicere et certis poteris cognoscere signis.«

rotet] Cum reliquis haec non bene cohaerere, nemo non videt; nam quum proprium sibi subjectum habeat verbum *rotet*, illud *quid* in antecedentibus referri huc non posse videtur; tamen quum omnes libri in lectione concinant, qua constructio manifesto ab antecedentibus pendet, nihil restat, nisi ut *quid* accipiamus pro *quid sit quod*, pariter ut Virgilius eo usus est, quem in toto hujus Musae carmine noster ante oculos habuisse videtur (georg. 2, 475):

»*Me vero primum dulces ante omnia Musae,*
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant, coelique vias et sidera monstrent:
Defectus Solis varios, Lunaeque labores;
Unde tremor terris? qua vi maria alta tumescant
Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant?
Quid *tantum Oceano properent se tinguere Soles*
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet?«

Ad sententiam carminis Claudiani quoque locus (Cons. Mall. 100 sequ.) prope accedit. Totum imitandum sibi proposuisse videtur Boëthius (de consol. philos. I, p. 915 op. Basil.).

Properantia claudere secla.
Quid habent rationis operta
Canimus tibi cognita soli.
Scande coeli templa virgo
Digna tanto foedere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Jupiter.

Ac tunc Terpsichore:

124

Lactor, honoris meritis conspicis astra virgo;
Hoc tibi sollers peperit ingenium labosque,
Ista peritis tribuit cura vigil lucernis.
Perdia pernoxque sacris namque onerata chartis

claudere secla] Similiter Lucanus (1, 73): »*Secula tot mundi suprema coegerit hora.*« Infinitus modus positus pro »ut claudat« pariter ut supra (§. 119): »Threïcium sonare carmen.«

Terpsichore] Gratulans haec Musa Philologiae simul de sacris, divinatione, et auguriis disserit. Plato (Phaedr. p. 259 Steph.) »in choris eam celebrari« dixerat, quare antiqua monumenta Herculanensia (T. 2. tab. 5) et Latinum epigramma (1, 73. p. 51 Burm.) lyram ei tribuunt, Ausonius (Id. 20, 3) citharam, quae eodem redit; Graecum vero epigramma (1, 67, 22 de Bosch) tibias.

laetor] Ita lege cum MS. Nihilominus peccat hic versus, ni ita transpositis vocibus legas: »*Laetor: honoris meritis conspicis astra virgo.*« Gaor. — Praeter Basileensem etiam Darmstattensis, Bodlejanus, Cantabrigiensis et Britannicus codices *laetor* habent, non *laeta*, ut in editis legitur. Praeterea verba »astra virgo conspicis« etiam in Cantabrigiensi transposita sunt, sed non ut voluerat Grotius, quem tamen secutus sum. Metrum enim carminis constat choriambis tribus et amphibrachy, vel potius duobus choriambis cum ordine logaoedico, quale apud Ausonium quoque habemus in Bissula (Idyll. 7); quod in glossis est codicum Monacensis (E) et Basileensis: »Choriambicum catalecticum constat ex duobus choriambis et tribus trochaeis et syllaba«, unice ex prava primi versus scriptura profectum est.

peritis lucernis] Hypallage. Vulc. — Ita ab initio (§. 2) »Satura mecum lucernas edocuit« dixerat; et alibi (§. 36) »doctis fidibus.« Pariter Martialis »indocta falce« (6, 73, 1).

cura vigil] Dresdensis quidem codex »vigil cura«; sed hanc metrum respuit lectionem.

perdia] Ita et Appulejus (met. 5. p. 329 Oud.) »perdia et pernox.« Gellius (2, 1) et Symmachus (epist. 1, 53): »perdius atque pernox.« Onomasticon Graeco-Latinum (ap. Vulcan. p. 108): »perdius *παννήμερος*.« Adde Adelungium (in gloss. man. h. v.).

onerata] Forte *operata*. Vox enim haec solemnis de rebus sacris, ut et *facere*, et Graecis *ῥέζειν*. Juvenalis:

Quidquid agentes stoaci praescia dant futuris
Semper anhelis docilis fomitibus tulisti.

»*Et matutinis operatur festa lucernis.*«
Propertius:
»*Cynthia jam noctes est operata decem.*«
Et Livius »operati superstitionibus« dixit; et Horatius:
»*Unico gaudens mulier marito*
Prodeat justis operata divis.«
Virgilius quoque:
»*Sacra refer Cereri laetis operatus in arvis.*«
Hoc autem eo arbitror quia addit »*sacris*«, ut et in loco citato Flacci MS. nonnulli *sacris* pro *divis* referunt. Sed aptissime ad hunc locum Ovidius:
»*Nunc hederae sine honore jacent, operataque doctis*
Cura vigil Musis nomen inertis habet.«
Et Valerius: »Integerrimi viri sanctitatem usibus et sacris operatam.« Gron. — Quodsi unus saltem ex omnibus codicibus *operata* haberet, Grotio forsan accederem. Sed ad unum omnes dant *onerata*, quae igitur lectio certa incertae conjecturae utique praeferenda, praesertim quum bonus exeat ex ea sensus, ut libris onusta et quasi sepulta Philologia cogitetur.

agentes] *Agere* speciatim verbum solemne erat de iis, qui hostias mactabant (v. Brisson. de formul. 1. 18, p. 11), qua de re notus Ovidii versus est (fast. 1, 322):
»*Semper* Agone *rogas, nec nisi jussus agis.*«
Atque hoc sensu *agentes* hic intelligendos arbitror. Nam postquam *egerant*, exta *denuntiabant*, sive ex iis futura praedicebant.

stoaci] In editis quidem reperitur *stoasi*; sed in Grotiano codice fuisse *stoaci* haec ejus nota docet: »*Stoaci* lege *Stoici*. Fuerunt enim ii τῆς μαντικῆς propugnatores acerrimi. Vide Tullium libro 1 de divinatione.« Haec Grotius, qui quamvis perperam suum correcturus erat codicem, bene tamen nobiscum egit, quod illam, quam codex praebet, lectionem prodidit, siquidem unice vera est. Ac profecto si eam intellexisset, neutiquam emendatione sua locum per se obscurum intellecto etiam difficiliorem reddidisset. Debebat tantummodo Latinis Graecas substituere literas, quo facto στώαχι i. e. *stoico*, legisset. Consulto enim Martianus formam hanc insuetam στώαξ, στώαχος (Athenaeus 13. p. 565 Casaub. Junii adag. 1, 75) more suo elegit, quo magis exerceret discipulos suos, quos tamen non solos, sed deinde etiam interpretes vexavit. Nemo enim adhuc locum explanavit.

tulisti] Supra (§. 21 et 121) jam monui, *ferre* nostro saepe esse »accipere« sive »discere.« Totam etiam periodum, verborum ordine restituto, sic jam intelligere mihi videor: »Semper anhelis fomitibus (ad aras) docilis tulisti (didicisti) quidquid agentes (hostiam mactantes) dant (patefaciunt) Stoico praescia futuris (quae noscuntur, antequam fiant).« Ridebat pariter Cicero Stoicos (divin. 2, 9): »Ita quoquo se verterint *Stoici*, jaceat necesse est omnis eorum sollertia. Si enim id, quod eventurum est, vel hoc modo vel illo potest evenire, fortuna valet plurimum — Sin autem certum est, quid quaque de re quoque tempore futurum sit: quid est quod me adjuvent haruspices« cet. Porro idem alio loco (1, 52): »Non placet *Stoicis* singulis *jecorum fissis* — interesse deum; neque enim deorum est, neque diis dignum — — sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrerent, alia in *extis*, alia in avibus« cet. Non igitur perspexit Tertullianus veram Stoicorum sententiam, quum credidisse eos (in carm. contra Marcion. 1, 1, 12) scribat, *deum*

Nam Sabaeorum rapidis quid vapor edat aris,
Fumida quid turicremis aura paret favillis,
Omina vel certa ferant vocibus auguratis,
Intrepidis nec dubitans fatibus antevortis.
Scande coeli templa virgo
Digna tanto foedere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Jupiter.

Dehinc Euterpe: 125

Virgo perite

— — — — »*posse videri*
Extorum inspiciis resque exspectare futuras.«

Sabaeorum] Plinius (12, 40 ab init.) »regio turifera Sabaeorum.« Virgilius (georg. 1, 57):

»*India mittit ebur, molles sua tura Sabaei.*«

rapidis aris] Pro rapido sive flammante igne *in aris*, per hypallagen. Porro *edat* hic pro *significet*. De praesagiis enim sermo est.

fumida] Neque hoc divinationis genus noster silentio praeterire voluit. Namque e *fumi* et *flammae* directione *omina* captabant veteres (Dio Cass. 41, 45. p. 291 Reim.). Inprimis Senecam (Oedip. 301 sequ.) Martianus legisse videtur, eo quidem loco, quo Tiresiae filia, lucis inopi, refert:

»*Jam tura sacris coelitum ingessi focis*«;

et ad quaestionem:

»*Utrumne clarus ignis et nitidus stetit*
Et summam in auras fusus explicuit comam,
An latera circa serpit incertus viae
Et fluctuante turbidus fumo labat?«

respondet:

»*Discors favilla, genitor, horresco intuens,*
Ambitque densus regium fumus caput.«

E quibus coecus ille attonitus »*dira esse*« colligit. Ceterum ipse Seneca nonnisi imitatus est Sophoclem (Antig. 1005), ubi locus classicus est de sacris illis *ἐμπύροις* (adde et Stat. Theb. 10. 599 et Valcken. ad Eurip. Phoen. 1261).

omina] Male in Grotiana editione et anterioribus legitur *omnia*, quod correxi e Vossiano (Arntz. misc. p. 209), Hugiano, Darmstattensi, Guelferbytano et Bodlejano codicibus. In Basileensi scriptum vidi *oma*, quo colligi potest, unde natus fuerit error.

fatibus] »Fatus intrepidi« opponuntur augurum et haruspicum trepidationi et haesitationi, quarum effata Philologia scientia sua antevertere dicitur. *Antevortere* est *praevenire*: ita Tacitus (annal. 15, 50): »damnationem veneno antevertere.«

Euterpe] Huic Musae, quae apud nostrum de philosophiae mysteriis apertis disputat, Horatius (od. 1, 1, 33) barbiton sive lyrica carmina, Graecum epigramma (1, 67, 25 de Bosch) pariter atque Latinum (1, 73. p. 50 Burm.) tibias, item Ausonius (Id. 20, 4) »dulciloquos calamos« tribuit, conformis scholio ad Lucianum (de imag. 16. p. 20 Bip.). Glossa Monacensis (B): »Metrum dactylicum himetrum«; addit Basileensis: »Adonium acatalecticum.« Omnino Adoniacum est.

Praevia sortis,
Quae potuisti
Scandere coelum,
Sacraque castis
Dogmata ferre,
Noscere semet
Quis valuere,
Quisque videntes
Lumine claro
Numina fati
Et geniorum
Cernere vultus;
Quaeque Platonis
Pythagoraeque
Esse dedisti

praevia] E Dresdensi codice restitui adverbium *perite* pro adjectivo, quod Grotius ediderat, *peritae*. Quo facto priores versus sic nunc intelligo: »Virgo quae perite praevia sortis scandere potuisti coelum.« *Praevia sortis* est, quae praevertit sortem suam, coelumque, quo nunc ipsi ascendendum est, saepe jam antea mente studiisque philosophicis appetiit indeque praeclara dogmata mortalibus retulit.

quisque] Sic in MS. non *quique*. Repetendum ἀπὸ κοινοῦ *valuere*. Gnot.

lumine claro] Ita Seneca (ep. 79. p. 334 Lips.) de statu animi post mortem: »Tunc animus noster habebit, quod gratuletur sibi, quum emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu *clara* prospexit, sed totum diem admiserit, et redditus coelo suo fuerit, quum receperit locum, quem occupaverit sorte nascendi. Sursum vocant illum initia sua.« Ita etiam ad Marciam (25 p. 128) hujus filium mortuum nunc *nova luce* gaudere scripsit.

numina fati] Cortius quidem in Guelferbytano *numine* legerat; verum omnino melior vulgata lectio est. *Videre numina fati* est *nosse fatum inutans*; mea quidem sententia. *Numen* enim a poëtis etiam pro oraculo ponitur (Virg. Aen. 2, 123. 3, 359. 360).

cernere vultus] Cuique homini suum esse Genium nota veterum opinio. Qui quum a mortalium adspectu remoti essent, a philosophis tamen Philologia didicit eorum vultus cernere. Respexit nimirum noster ad Socratem.

dedisti] Docuisti, ut supra (§. 118). Construe: »Quaeque dedisti (docuisti) Platonis Pythagoraeque mentes esse sidera«; id est, fulgere nunc in coelo (confer notam quae sequitur). Eo magis autem hanc interpretationem omni praefero alii, quod

Sidera mentes,
Tuque caducis
Mortalibusque
Nube remota
Cernere justi
Numina coeli;
Jure senatum
Scande Tonantis,
Quam decet unam
Mercuriali

paullo ante similiter noster de Philologia dixerat: »quae potuisti *dogmata* ferre.«

sidera] »Stellas divinis animatas *mentibus* esse« Cicero jam dixerat (Macrob. somn. Scip. 1, 14). Atque supra (§. 94) noster »deos adjecisse sententiae Jovis, ut deinceps mortales, quos vitae insignis elatio et maximum culmen meritorum ingeniumque in appetitum coelitum propositumque *sidereae* cupiditatis extulisset, in deorum numerum cooptarentur« (conf. Sil. 3, 44. 10, 578. 13, 558). Aristoteles (ad Alexandr. de mundo 2) expressis verbis divina corpora inquit *astra* appellari. Et Pythagoras (in aur. carm. 70):

Ἦν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

Manilius (astron. 4, 887. 888):

»*An dubium est habitare deum sub pectore nostro,*
In coelumque redire animas coeloque venire?«

tuque] Pro *quaeque*. Elocutio similis illi est apud Terentium (Adelph. 3, 2, 8):

»Quem *neque fides neque jusjurandum neque* illum *misericordia*
Repressit.«

Propius etiam accedit illud Persii (sat. 1. 74):

»Quem *trepida ante boves dictatorem induit uxor,*
Et tua *aratra domum lictor tulit.*«

nube remota] Marius Victor (in Barth. advers. p. 1507):

»*Atque ideo augustos homini fas carpere fructus*
Noluit esse deus, ne mentis nube remota
Immittant in coelum oculos.« —

justi] Cave hanc vocem cum sequente *coeli* conjungas; verbum potius, quod desideratur, in voce *justi* inest, id quod Grotius jam intellexit. Similiter Martialis (5, 16, 13 et 5, 79, 1) »*dixti*« et »*surrexti*« pro *dixisti* et *surrexisti* usurpavit per syncopen, qua Terentius non semel (Adelph. 5, 9, 1. Eun. 5, 1, 15) utitur. Neque te moveat cum dandi casu verbum *jubere* construi, praesertim apud istius aevi scriptores (conf. Hygin. fab. 55. Barth. advers. p. 1659), quum aegre se torserint viri docti, ut a Cicerone (Att. 9, 13. p. 725 Graev.) hanc constructionem removerent.

Foedere jungi.
Scande coeli templa virgo
Digna tanto foedere:
Te socer subire celsa
Poscit astra Jupiter.

126 Deinde Thalia:

Beata virgo tantis
Quae siderum choreis
Thalamum capis jugalem,
Ac sic favente mundo
Nurus adderis Tonanti:
Ac cujus esse divi

jungi] Verborum itaque ordo in hoc Euterpes carmine sic restituendus esse videtur: »Virgo! quae potuisti praevia sortis perite scandere coelum et ferre dogmata sacra castis, quibus semet noscere, quibusque videntes lumine claro cernere valuere numina fati et vultus Geniorum: quaeque mentes Platonis Pythagoraeque sidera esse dedisti (docuisti): quaeque jussisti caducos mortalesque nube remota cernere lumina coeli; jure senatum Tonantis scande, quam unam decet jungi foedere Mercuriali (hoc est: Mercurio nubere).«

Thalia] Metrum in hoc carmine glossae Monacenses (B. E.) et Basilecnsis observant esse Jambicum Anacreonticum et constare dimetro catalectico et recipere aliquando in principio Anapaestum. Est omnino Anacreonticum sive Jambicum dimetrum catalectum cum anacrusi interdum anapaestica. De praestantia hujus Musae Seneca (de benef. 1, 3. p. 263 Lips.) scribit: »Ecce Thalia apud Hesiodum Charis est, apud Homerum Musa.« Apud illum Musa quidem *Θάλεια* (Theog. 77), Charis autem *Θαλίη* (908) scribitur; sed variat orthographia (Orph. hymn. 59, 3. et 75, 8. Pindar. Ol. 14, 21. Plutarch. de philos. disput. p. 778. Pausanias 9, 35, 1). Quin ab Homero etiam Nereidum una Thaliae nomine appellatur, quod repetunt Virgilius, Ovidius, Macrobius et Hyginus. Thaliam Musam comoediae praesidem declarant monumenta Herculanensia (2 tab. 3), scholiastes Luciani, epigrammataque tam Graeca (1, 67, 73 de Bosch) quam Latina (1, 73. p. 51 Burm.); Ausonius (Idyll. 20, 3) Musam non solum comicam, sed lascivam quoque appellat. Quapropter de peculiari ejus arte noster nihil hoc loco affert, sed eam tantum inducit laudibus extollentem Mercurium et Philologiam. Martialis hanc Musam *suam* dicit (epigr. 10, 19, 3), pariter atque Ovidius (amor. 3, 1, 6) Elegiae nomine eam appellans.

nurus adderis] Habet hanc dictionem e Statii (Achill. 1, 655) versu:

—— »*Quid defles magno* nurus addita *ponto?*«

ad quem Barthium confer (T. III. p. 1704).

ac cujus] *Ac* pro *at*, quod in editis est, superditarunt codices Dresdensis, Darmstattensis, Guel-

Tibi contigit maritam?
Ejus, meante pinna
Qui solus astra mundi
Praetervolans perrexit
Rapidis vigil procellis;
Qui quum superna tranat
Freta, Tartarum recurrit;
Qui solus ante currum
Et candidos jugales
Almi potens parentis
Memorem ciere virgam:
Qui fata succidentis

ferbytanus et Cantabrigiensis, correxitque e suo codice etiam Grotius.

qui solus astra] Nituntur haec auctoritate Manilii, apud quem (1, 30. Scalig. 1, 36) legeris:

»*Tu princeps auctorque sacri*, Cyllenie, *tanti*;
Per te jam coelum *interius*, *jam* sidera *nota*.«

Constructio haec: »Ejus, qui solus meante pinna vigil rapidis procellis praetervolans astra mundi perrexit.« *Pinna* pro *penna* e Britannico reposui.

perrexit] Reposui *perexit*. Gnor. — At vero inaudita haecce vox, lectio contra, quam correcturus erat Grotius, bona est. Construe: »Qui solus astra mundi praetervolans vigil rapidis procellis perrexit.« Notissimus verbi *pergere* hic usus est (§. 141). *Perrexit* non tantum editi Martiani libri habent, sed scripti etiam, quapropter reprehendendi sunt Walthardus et Goezius, quod temere Grotium secuti *perexit* ediderunt.

freta] Ejus enim officium ad inferos pariter atque ad superos spectat (conf. quae dixi in palaeogr. crit. IV. §. 740). Horatio (od. 1, 10 f.) est »*superis* deorum gratus et *imis*.«

almi potens] Ita non Bongarsii solum codex, sed Monacenses etiam (B. D. E.) dant pro *altipotens*, ac divisa voce legendum esse *almi potens* jam Grotius viderat. Construenda autem hoc modo verba sunt: »Qui solus, ante currum et candidos jugales almi parentis, potens (est) virgam memorem ciere.« Similiter fere Ovidius (fast. 5, 665) Mercurium alloquitur:

»*Pacis et armorum superis imisque deorum*
Arbiter, *alato qui pede carpis iter*.«

memorem virgam] Caduceum, quem ideo memorem vocat, quia per eum memoriam facit (nam sermo ad memoriam reducit), vel *memorem* pro *memorabilem*. Vulc. — Horatius (od. 1, 13, 12) »*memorem* notam.« Ovidius (ex Ponto (2, 7, 35): »*memorem* versum.«

qui fata] Sensus est: »qui (Mercurius) separat, i. e. discernit, gravari fata, i. e. tempora, succidentis, i. e. amputantis Osiris repertis genitalibus sationibus. Nam Osiris vinearum cultum reperit. Vulc. — MS. *facta*. Et exponunt glossae: *inventa Osiridos*. Ea autem sunt vites. Gnor. — Vix credo

Separat libens Osiris,
Sationibus gravari
Genitalibus repertis
Quem scit pater deorum;

in hisce acquiescendum esse. Demonstrare ante omnia docti interpretes debebant, quid Mercurio cum Osiride commune fuerit. Equidem quum viderim Martianum (§. 95. 102. 137. 192. 193. 274. 330. 812. 924) rerum Aegyptiacarum non ignarum fuisse, hasce antiquitates hoc loco neutiquam praetermittendas esse censeo. Ex iis igitur repeto, Anubidem Aegyptiorum fuisse Mercurium (Pal. crit. IV §. 764) et Isidis Osiridisque comitem (Diodor. 1, 87). Deinde Osiridis membra, quae a Typhone fuerint dispersa, Anubidis auxilio ab Iside reperta fuisse (conf. §. 4) solis exceptis *genitalibus* (Diod. 1, 21, 22, 25. Plutarchus de Is. p. 358). Denique Aegyptiorum Osiridem Graecorum etiam fuisse Bacchum (v. infra not. ad §. 158). Quibus si Graecam addideris fictionem, qua Bacchum puerum a Mercurio in coelum fuisse deportatum tradiderunt (Paus. 3, 18, 7 et 5, 17, 1. Apollodor. 3, 4, 3) cujus rei imago in gemmis saepe obvia haec est:

aliquam certe inter eos animadvertes relationem (cf. Palaeogr. crit. III. §. 218). Jam vero quinque horum versuum verba ita construo: »Qui (Mercurius) libens separat fata succidentis Osiris, quem pater deorum scit sationibus gravari genitalibus repertis.« Fata Osiris sive Osiridis modo memoravi. *Succidens* dicitur, ut mea fert opinio, non a *caedere*, ut reliqui volunt interpretes, sed a *cadere*. Cecidit enim sive succubuit Osiris in bello contra Typhonem. Haec autem fata *separare* dicitur Mercurius, id est, ut mea fert opinio, cum nemine communicare, reticere, donec genitalibus quoque tandem aliquando repertis in integrum restitutus ille sationibus rursus adjuvante Mercurio praecesse possit. Minime enim mihi ignorasse videtur Martianus, esse qui »Liberum patrem in membra discerptum et frustis sepultis rursus *unum* et *integrum* emersisse« docerent (Macrob. somn. Scip. 1. 12).

sationibus] Sationes non vitium tantum verum etiam frugum intelligi possunt; cf. Tibull. 1, 7, 29:

»*Primus aratra manu sollerti fecit* Osiris
Et teneram ferro sollicitavit humum.«

Adde Diodorum (1, 14 et 18 f.).

gravari] Non ea sententia hic accipiendum est, qua deponentis locum fere obtinet cumque accusativo casu junctum significat *recusare*, *detrectare*; sed passive pro *onerari* aliqua re, ut apud Lucanum (6. 517):

»*Terribilis Stygio facies pallore* gravatur«;

igitur hoc loco translate de munere vel provincia Mercurio cum Osiride injuncta.

Cui lacteam papillam
Gaudens dedit noverca;
Cujus vigente virga
Dirum stupet venenum,
Cui virus omne fanti
Orbem facit gemellum.
Est doctus illo divûm,
Sed doctior puella:
Nunc nunc beantur artes,
Quas sic sacratis ambo,
Ut dent meare coelo,
Reserent caducis astra,
Ac lucidam usque ad aethram

cui lacteam] Sic supra: »Dehinc nuptiis Juno non solita refragari, tum etiam Cylleniam diligebat, quod ejus uberibus poculum immortalitatis hauserat.« Vide Hyginum. Gnor.

venenum] Jurgia et contentiones. Vulcan. — Laudare vir doctus poterat Isidori haec (etym. 8, 11, 47. III. p. 384 Arev.) verba: »Mercurius virgam tenet, qua serpentes dividit, id est, *venena*.« Qui tamen, quum Servii scrinia expilasse saepenumero deprehendatur, depravato exemplo pariter atque noster usus esse videtur. Apud Servium enim (ad Aen. 4, 242) ad verbum leguntur quae Isidorus exscripsit, praeter vocem *venenum*, pro qua legitur: »*bellantes* dividit«; quod miror ab Arevallo ad illum Isidori locum non esse annotatum. Confirmatur etiam lectio »*bellantes*« iis, quae Hyginus (astr. 2, 7. p. 372 Munck. sive p. 439 Stav.) de caduceo scribit: »quem manu tenens Mercurius, quum proficisceretur in Arcadiam, et vidisset duos dracones inter se conjuncto corpore alium alium adpetere, ut qui *dimicare* inter se viderentur, virgulam inter utrumque subjecit; itaque discesserunt«: noster tamen locus satis explicatur, ubi recogitamus veneno serpentes facile significari. Notissimum praeterea est, a Mercurio χρυσορράπιδι Circen a veneficiis prohibitam esse (Hom. Odyss. κ. 877. Ovid. met. 14, 291). Adde quae Barthius (in adv. p. 1235) observat.

orbem facit gemellum] Quo loquente omnis contentio dividitur. Nam per geminos orbes indicat duos serpentes, qui sunt in caduceo. Vulc. — Pro *fanti* in Guelferbytanis teste Cortio legitur *fati*, quod idem in Reichenauensi quidem scriptum, sed correctum est *fanti*, et praestat omnino vulgata. Mercurio enim adscribitur, cujus fandi virtuti nihil possit obsistere. De dialectica hic sermonem esse palam fiet inferiorem legenti locum (§. 330).

nunc] Alterum *nunc*, quod sequitur in editis, abesse a manuscripto Guelferbytano Cortius testatur (ad Sallust. p. 140 not).

Pia subvolare vota.
Per vos vigil decensque
Nus mentis ima complet:
Per vos probata lingua
Fert gloria per aevum:
Vos disciplinas omnes
Et nos sacrate Musas.

127 Dum haec igitur Musae, nunc solicanae, nunc concinentes, interserunt, vicissimque mela dulcia geminantur, ecce quaedam matronae sobrio decore laudabiles, nec conquisitis figmentis circa faciem vultuosae, verum simplici quadam comitate praenitentes, in penates virginis thalamumque conveniunt. Quarum una intenta circumspectione cautissima, et omnia rerum vigili distin-
128 ctione discriminans, dicebatur Prudentia vocitari. Hujus germana sua cunctis

nus] *Νοῦς*, quod Latinis literis etiam Martiani popularis (Tertull. adv. Valent. 7 et 9) scripsit; Graecis Servius (ad Aen. 6, 719), quem vide. Appulejus (de dogmat. Platon. p. 220 Oud.) »prima bona esse« scribit »deum summum, mentemque illam, quam *νοῦν* Plato vocet.« *Intima* pro *ima* habet codex Dresdensis.

gloria] Grotius et Monacenses codices plurimi (B. C. D. E. G.) *glorias* habent; sed vulgarem retinui lectionem, sextum casum intelligens, ut sit »cum gloria.«

et] Ita pro Grotiano *ac* Hugianus et Monacenses (B. D. E.); quod recepi, ne identidem ab eadem voce versus inciperent.

solicanae] Vox a *solus* et *cano* ficta, invita licet Minerva. Neque eam intelligerem, nisi oppositum esset *concinentes*.

vultuosae] Male profecto hanc vocem explicant hoc quidem loco viri docti (ad Appulej. in ind. p. 725) contendentes *vultuosum* idem esse quod *triste*. Haud quidem nego id alias usurpari pro serio, gravi, severo: attamen hoc sane loco totus verborum contextus docet *sobrio* et *simplici* illud opponi, et *affectatum* potius significare. Hinc Barthius (in advers. p. 194): »Capellae« inquit »alia ratione *vultuosus* est, qui vultum fuco tinxit.« Recte quidem: sed male in glossario Latino-barbaro (in Ludew. reliqu. MS. III. p. 117) idem Barthius ad eundem Martiani locum adnotat: »Vultuosus pulcrum cum gravitate decorum denotat«, quod omnino falsum quia negationem omisit. Apud nostrum enim legitur *nec vultuosae*, quo significari *nec affectatae* Cicero (orat. 18) nos docet.

omnia] Ita pro Grotiano *omnium* reposui auctoritate non solum priorum editionum, sed etiam codicum Darmstattensis, Dresdensis, Hugiani et Cantabrigiensis.

Prudentia] In numis quidem lemma »Prudentia Augustorum« legitur (Rasche lexic. num. IV. 1. p. 325); sed deae nomine illa neque in lapidum titulis neque apud scriptores mihi unquam occurrit. Qua de re acerbe Juvenalis (14, 315):

attribuens, nullumque eo, quo non merebatur, afficiens Justitiae ferebatur sortita vocabulum. Verum tertia contemtis muneribus atque abstinentia prae- 129
dicanda, ex morum temperantia nomen acceperat. Quae supererat, fortissima 130
ac tolerandis omnibus adversis semper infracta, subeundis etiam laboribus

»*Nullum numen habes si sit Prudentia; nos te*
Nos facimus Fortuna dea.« — — —

In quibus praecivit ei Menander (ap. Stobaeum in ecl. 1, 7, 1. p. 194 Heer.) canens:

»*Τύχη κυβερνᾷ πάντα, ταύτην καὶ φρένας*
Δεῖ καὶ πρόνοιαν τὴι θεὸν καλεῖν μόνην.«

Accedit quod Prudentiae partes Minerva semper sustinet. Sed neque id Martianus egit, ut novas deas fingeret; verum per prosopopoeiam tantum quatuor illas matronas induxit, quibus principales virtutes significaret, quas philosophi statuerant nunquam negligendas (Plato in Phaed. p. 69; de R. P. 4. p. 427 et 433 Steph. Appulejus de dogm. Plat. p. 220 Oud. Aristotel. rhetor. 1, 5 et 9. Diog. Laert. 3, 80 p. 214. 7, 92. p. 421 Meib. Polus in Gal. opusc. p. 702. Macrob. in somn. Scip. 1, 8; conf. et Cebetis tab. p. 207. ed. 1646; Ammianus 25, p. 313 Lind.; cf. praesertim Observ. Hallens. T. 9. Obs. 6. p. 161 sequ.). Virtutes illae, quas cardinales appellant, Ciceroni (de finib. 1, 16. 5, 13 et 23; de orat. 2, 84; invent. 2, 53. 54) sunt prudentia, justitia, temperantia, et fortitudo, ut ex disputatione etiam de dei virtutibus (N. D. 3, 15. Tusc. quaest. 3, 8 et 17) colligi potest. Quinctilianus (12, 2, 17. p. 524 Spald.) eas hoc recenset ordine: »justitia, fortitudo, abstinentia, temperantia«; Seneca (ep. 90 f. p. 581 Lips.): »justitia, prudentia, temperantia, fortitudo.« Aristides vero Quinctilianus (de musica int. Meibom. scr. mus. p. 135) eas e mente, ut videtur, Pythagorae cum numeris comparans, prudentiae unitatem adscribit, fortitudini binarium, temperantiae ternarium, et justitiae quaternarium. Qua cum distributione alios tamen non consentire olim (in palaeogr. crit. III. §. 732) jam observavi (conf. et nostrum §. 732). Sed Aristides ille (l. c. p. 139. 140) musices etiam systemata cum quatuor virtutibus conferre non dubitavit. Ceterum prudentiam Appulejus (de dogm. Platon. p. 228 Oud.), nostro prorsus similis illam virtutem dixit »quae ratione sit nixa, spectatricem et dijudicatricem omnium rerum.«

sua cunctis attribuens] Ulpianum noster habuit auctorem, qui (in l. 10 pr. de justit. et jure) »Justitia«, inquit, »est constans et perpetua voluntas jus *suum cuique tribuendi*.« Similiter Cicero (de invent. 2, 53; N. D. 3, 15) et Gellius (14, 4. p. 124 Conr.). Confer et nostrum infra (§. 732).

Justitiae] Ab antiquissimis temporibus haec in deorum numerum relata est (Orph. hymn. 61. Pind. Ol. 13, 7. 7, 32. Pyth. 8, 1. Diodor. 1, 96 f. Anthol. Gr. de Bosch. 1, 73, 3. 2, 40, 14. 3, 6, 8. 4, 23, 10 et 11. 7, 86. Ovid. fast. 1, 249. Virg. georg. 2, 474. Sil. 2, 486. Claudian. in Ruf. 1, 56. 356); unde et Jovi assidens ficta (Arrian. exp. Alex. 4, 9, 9; p. 281 Raph.) ejusque effigies tam a scriptoribus descripta (Damasc. ap. Phot. 242 p. 1055), quam ab artificibus in numis exsculpta est (Rasche lex. num. 2, 2. p. 1241 sequ. 7, 2. p. 287).

infracta] Quae frangi non potest. Minime igitur Gorallus (ad Albinovan. eleg. 1, 334 not. p. 77) contendere debebat, *infractum* necessario significare *fractum*, siquidem ambiguus hujus vocabuli sensus est. Mox quod post verbum *subeundis* legitur

roboro quoque corporis praeparata, Virium vocabulum possidebat. Hae in amplexum ejus osculumque deferuntur, atque eam quum intra cubiculum conspicerent, per omnia trepidantem et velut lucifugam haesitationibus torpentem, pectus ejus faciemque tractantes in conspectum omnium et publicam
131 venire faciem compulerunt. Post has ingressa quaedam gravis crinitaque femina, et ex eo, quod per ipsam Jupiter ascensum cunctis in supera tribuerit, admodum gloriosa. Quam quum virgo conspiceret, ad eam omni studio affectuque cucurrit: quippe quadam fiducia compertorum ipsa eidem scandendum coelum fuerat augurata, et nunc ad eam in nuptias corrogandam ab
132 ipso transmissa Majugena. Praeterea tres puellae vultu decoreque parili ac

etiam, pleonasmi speciem refert; neque tamen omittere ausus sum, licet codices esse, a quibus exsulet, Bondam (var. lect. p. 57) doceat.

Virium] *Virtuti* vel *Fortitudini*, quam illo nomine noster significat, divinos tributos esse honores, tam scriptores testantur (Varro L. L. 4, 46. Plaut. Amphitr. prol. 42. Liv. 27, 25. 29, 11 f. Cic. N. D. 2, 23. 31. 3, 36. de leg. 2, 11. Valerius Maximus 1, 1. Sil. 5, 126. 15, 22. 40. 69. Claudian. in Ruf. 1, 52. Victor. urb. region. 1. Juvenal. 1, 115. Arnob. 4. p. 127. Lactant. 1, 20. Augustin. 4, 20. 22. 24. 5, 12. 7, 5. Anthol. Gr. de Bosch 3, 14, 6 et 7), quam lapidum tituli (Grut. inscr. 100, 4. 5. 102, 4. 106, 6. 436, 3), in quibus et *Virium* nomen, neque solum »Vi divinae« legitur inscriptum (Grut. 94, 5), sed etiam »Viribus sacrum« (89, 9. 1011, 1).

hae] E codice Hugiano hanc vocem inserui, quae nexus causa vix abesse poterat. Cantabrigiensis pro ea habet *itaque*.

compulerunt] E codicibus Britannico, Cantabrigiensi, Hugiano, Darmstattensi et Bongarsiano hoc reposui. Namque »venire *compulere*« auribus minus est acceptum.

femina] Philosophiam hanc esse patebit, si cum aliis apud nostrum locis (§. 96. 576) hunc contuleris.

ascensum] Ab Aegyptiis jam recepta sententia erat, fieri posse, ut mortales etiam homines in coelum ascenderent (Diodor. Sic. 1, 13). Idem et Graeci docebant (Pausan. 1, 34, 2. 8, 2, 2) et inter Romanos praesertim Cicero (N. D. 2, 24. 3, 19; de legib. 2, 8), quem pluribus locis secutus est noster (§. 94 sequ. et 145).

cucurrit] Melius hoc, quam *concurrit* in editis, recepi e Basileensi et Hugiano codice.

augurata] Philologi enim philosophiae ope immortalitatem animae sibi visi sunt invenire.

ac] Optime duae membranae *aequa* venustate. Barth. (ad Stat. Theb. 2, 286; T. 2. p. 439). — Delet Vossianus codex illud *ac*, atque hinc arbitror confirmari scripturam, quam ex membranis produxit Barthius, quamque omnino veram puto, nisi quis mallet »*vultu decoro, aequa venustate*«, ut illud *parili* ex glossa irrepserit, qua quis in margine *aequa* per *parili* exposuerit, de qua significatione dixi ad Sedulium 1. 17. Arntz. (in misc. p. 209). — Cautior ego lectionem servavi vulgatam. *Aequa* glossema est vocis *parili*.

venustate luculentae, sertis religatae invicem manus rosarumque spiculis redimitae, ad virginem convenere. Quarum una deosculata Philologiae frontem, illic ubi pubem ciliorum discriminat glabella medietas, alia os ejus, tertia pectus apprehendit; videlicet prima, ut

— laetos oculis afflaret honores;

secunda gratiam linguae inspirabat; animo tertia comitatem. Quippe illae Charites dicebantur, et quidquid apprehenderant venustabant. Quae quidem virginem postquam lumine replevere, Musis admixtae etiam gesticulationes consonas

manus] Graeca haec constructio est: »sertis religatae manus«, pro »manibus religatis.« Ceterum Gratias inter se amplecti non poëtae tantum docent, sed in gemmis etiam semper ὀνζυγίαι Χάριτες, ut cum Euripide (in Hipp. 1147) scribam, comparent: cujus rei causas varias afferunt veteres (Senec. de benef. 1, 3. p. 263 Lips.).

rosarumque spiculis] In editis erat *speculis*. — Floribus. Vulc. — Forte *rosarumque stephanis*. Στέφανος Graecis *corona*, *sertum*. An ad *speculis* hic quidquam fecerit ὑπεκλόω, quod notat *implico*, viderit alius. Saepius certe Graeca vocabula Latinorum ad usum formare et orationi suae inserere noster adamat. Sic supra *cruenta*. Voscr. (specim. crit. p. 81). — Sed utroque in loco iste falsus est interpres (conf. §. 120). Neque Vulcanius satisfacit. Equidem, quum literae I et E saepe vera neglecta pronuntiatione confundantur, reposui *spiculis*. Sic enim in primo epigrammate a Salmasio ad Historiae Augustae scriptores exhibito legitur:

»*Venerunt aliquando* rosae: *proh veris amoeni*
Ingenium! una dies ostendit spicula *florum*.«

(v. Bandisii amor. p. 446. ed. 1658).

deosculata] Mos oculos deosculandi facile innoteseit, vel ex unico Catulli loco:

»*Jucundum os oculosque basiabor*.«

Capella vero locum aliquem singularem circa oculos designat, ubi nempe pellicula ab ipsa fronte in oculorum interstitio supra nasi supremam partem impendet. Gnor.

ciliorum] In editis omnibus ita legitur: et licet in codice ad marginem libri Norimbergensis laudato exstare dicatur *supercilliorum*, videtur tamen haec correctio esse insulsi hominis, cui illa vox ignota esset. Certe Isidorus (etym. 11, 1, 42. p. 7 Arev.): »*cilia* sunt tegmina, quibus cooperiuntur oculi, et dicta cilia, quod celent oculos — *supercilia* dicta, quia superposita sunt ciliis.«

glabella] Non *glabellae*, ut e MS. Grotius jam notaverat, et confirmant Darmstattensis codex virique docti ad Appulejum (1. p. 131 Oud.).

laetos] E Virgilio (Aen. 1, 591). Adde Homeri (Od. 6, 18):

— — Χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσαι.

linguae] Delevi *ejus*, quod perperam in editis intrusum legitur et exsulat a codicibus Monacensibus (B. D. E), Darmstattensi et Dresdensi.

lumine] Lege *numine*. Voscr. (sp. crit. p. 82) — At vero nolo! namque in nullo legitur codice. Profecto non Gratiarum erat *numine* implere virginem in coelum ascensuram, sed Apotheoseos, quae sequitur. Quidni Gratiae, quas *luculentas* noster modo dixerat, lumen ei impertire poterant?

133 atque hymeneïa dedere tripudia. Sed ecce magno tympani crepitu crotalorumque tinnitu universa dissultant, eousque ut Musarum cantus aliquanto bombis tympani obtusior redderetur; et cum sonitu introfertur lectica interstincta sideribus, cui ritu mystico crepitus praecinebant, qua mos fuerat nubentes Deas in coelestis thalami
134 pervenire consortia. Ante hanc quaedam augustioris vultus femina, ac sacro lumine aethereoque resplendens venerabili antistitio praeminebat; quam quum omnes, qui affuere, conspicerent, reveriti sunt inclytam majestatem, ut deorum omnium mundique custodem. Huic Athanasiae nomen fuit. Et heus, inquit, virgo, praecepit deorum pater hac regali lectica in coeli palatia subveharis: quam quidem nulli fas attrectare terrigenae, sed nec tibi quidem ante poculum no-
135 strum licet. Et cum dicto leniter dextra cordis ejus pulsum pectusque pertractat, ac nescio qua intima plenitudine distentum magno cum turgore respiciens: nisi, inquit, haec, quibus plenum pectus geris, coactissima egestione

Non nomine tantum, verum verbo etiam simili modo infra (§. 901) utitur scribens: »Hymenaeus alacri tandem vigore *luminatus*« cet.

hymeneïa] Male in anterioribus editum est *hymenaea*. Graece enim ὑμενηΐα scribitur (conf. §. 725).

tripudia] Horatius (od. 1, 4, 6) de iisdem: »*Junctaeque Nymphis* Gratiae *decentes* .. *Alterno terram* quatiunt *pede*« cet.

antistitio] Serioris aevi vox est (v. Cangium), quam noster etiam infra (§. 893) usurpat.

reveriti] Supplevi *sunt*, quod teste Arntzenio (misc. p. 209) in Vossiano codice legitur.

mundique custodem] Tangit hic philosophorum doctrinam, mundum esse sempiternum, quippe cui Athanasia custos sit. Confer Platonem (in Tim. p. 37 sequ.).

Athanasiae] Personam immortalitatis ab alio quoquam, praeter nostrum, inductam fuisse equidem non memini. Martianus infra (§. 140) Athanasiam finxit Apotheoseos esse filiam.

et heus] Glossa in codice Basileensi ad haec: »Johannes Scotus: *heus ubi es?* resolvebat.« Quod quamvis non necesse sit, tamen hanc glossae partem inserui, quo magis pateat quanto in pretio nono jam seculo Martianus fuerit, doctissimosque viros occuparit.

lectica] Philologiam lectica in coelum subvehi ideo fortasse finxit, quod praecipuus earum usus in evehendis mortuis erat (Gell. 10, 3. p. 6 Conr.), qua de re docte disserit Lipsius (elect. 1, 19).

ante poculum nostrum] Sic transposita verba sunt in codice Dresdensi et Darmstattensi. Vulgo *nostrum poculum*. Ellipsin videbis similem illis »post vitam« (§. 162) et »post membra corporea« (§. 95).

cum dicto] Ipso, quo haec dixerat, tempore, statim, illico. Ita noster saepe (§. 580. 705. 889) pariter atque ejus popularis (Appul. met. 2, p. 93. 149; 3. p. 197 Oud.).

coactissima] E Reichenauensi, Darmstattensi, Basileensi et Hugiano praetuli hanc lectionem pro

vomueris forasque diffuderis, immortalitatis sedem nullatenus obtinebis. At illa omni nisu magnaque vi quidquid intra pectus semper senserat evomebat. Tunc vero illa nausea ac vomitio laborata in omnigenùm copias convertitur 136
literarum. Cernere erat, qui libri quantaque volumina, quot linguarum opera ex ore virginis defluebant. Alia ex papyro quae cedro perlita fuerat videbantur; alii carbasinis voluminibus complicati libri; ex ovillis multi quoque tergoribus,

coaptissima in editis. Vulcanius illam jam probaverat, et testibus Cortio et Arntzenio (misc. p. 209) ita etiam in Guelferbytano et Vossiano legitur. Ejusmodi autem superlativorum exempla permulta Barthius (in advers. p. 1648) dabit. Melius etiam ab initio Dresdensis codex »nisi inquit *haec*« quam Grotius »nisi haec inquit« habet.

vomueris] Vel Chrysippi et Carneadis helleborum (§. 327) in mente habuit noster, vel Cebetis tabulam, ubi (pag. 191) tum demum sanari errantes docemur »quum repudiata falsi nominis eruditione veram ingressi viam, *purgatricem* vim *biberint*, et mala omnia, quibus urgeantur, *ejecerint*.«

semper senserat] Ita Monacenses (B. D. E), Reichenauensis, Darmstattensis, Britannicus, et teste Cortio Guelferbytanus, quod utique praefero inaudito illi Grotiano »persenserat.«

papyro] De ea praeter rei diplomaticae scriptores operae pretium erit conferre Scheybium (de tab. Peuting. p. 60), Munckerum (ad Fulgent. myth. p. 19); Oudendorpium (ad Appulej. I. p. 6), Novum opus diplomaticum, alios; et de libris linteis inprimis Livium (4, 13 et 20) et e recentioribus Camdenium (in praelectionibus academ. p. 654), Sardumque Ferrarium (de moribus ac ritibus gentium in Clausing. jur. publ. Rom. T. II. p. 660).

cedro] Omnino scribendum ex codice Vossiano »quae *cedria* perlita fuerant.« *Cedria* glossae interpretantur *resina cedri*; atque haec scriptura jam placuit Munckero ad Hygini fab. 138 et in epist. ad Heinsium tom. V. syll. Burm. p. 378. Alia ad hunc locum habet Barthius advers. 35, 10. Arntzen. p. 209. — Optio igitur inter duas data est lectiones, quum duo libri (modo diversi sint Vossianus et Leidensis a Munckero laudati) habeant *cedria*, reliqui omnes cum editis *cedro*. Plurimorum equidem scripturam veram agnosco, agnovissentque, opinor, viri illi docti, si memores fuissent illius Horatiani (ad Pison. 332): »linenda *cedro*«. Constat autem non nisi eximiis scriptis cedrum adhibitam fuisse: hinc Persii (1, 42) »cedro digna loqui«; hinc tristitiae signum erat, quod Ovidii elegiarum liber »nec cedro notatus« (1, 1, 7) »nec cedro flavus« (3, 1, 15) erat.

fuerat] Sic Basileensis, Darmstattensis et Reichenauensis. In editis *fuerant*; male, quia ad papyrum referendum.

carbasinis] Lintea intellige volumina. Antiquissima enim haec fuisse tot ex Aegyptiorum sepulcris eruta docent monumenta. Quare cave cum recentioribus quibusdam confundas linum cum materia multo recentiori artificio e carbaso trito praeparata, qua nunc utimur. Cujus tamen usus antiquior esse videtur, quam vulgo creditur, quum Irene Ducena, Alexii Comneni conjux, bombycinae sive cottoneae chartae ex detritis pannis confectae meminerit in Typico suo autographo, ut creditur, quod asservatur in bibliotheca regia Parisiensi (Montf. palaeogr. Gr. p. 18). De Indorum chartis pariter ac vestibus linteis conf. Curtium (8, 9, 15).

137 rari vero in philyrae cortice subnotati. Erantque quidam sacra nigredine colorati, quorum literae animantium credebantur effigies, quasque librorum notas Athanasia conspiciens quibusdam eminentibus saxis jussit ascribi, atque intra specum per Aegyptiorum adyta collocari, eademque saxa stelas appellans 138 deorum stemmata praecepit continere. Sed dum talia virgo undanter evomeret,

complicati] Vulgarem hanc lectionem praetuli alteri *impliciti* in Vossiano codice (Aratzen. misc. p. 209), sive *implicati*, quod idem est, in Hugiano, Reichenauensi, Basileensi, Darmstattensi, Britannico, Cantabrigiensi, plurimisque Monacensibus. Non enim sermo hic de librorum tegumento est, sed de *plicatis* libris, qui *voluminibus* opponuntur.

multi] Male Guelferbytanus *multis*, ut ad *tergoribus* referatur. *Multos* libros hic oppositos esse *raris* facile perspicitur.

rari] Ad artificium forte referendum; non enim ad novitatem. Barth. (advers. p. 1625). — Recte Martianus raros dixit libros e philyra confectos, quia injuria temporis facile consumuntur, quum teste Plinio (16, 14, 25) philyrae fuerint *tenuissimae*, id quod palaeographiae studiosi haud semel observabunt. Absurda apud Grotium erat ratio scribendi *phyllira*.

animantium] Britannicus et Cantabrigiensis *animantum*, quod quamvis ad idem redeat, Cicero tamen (de orat. 3, 45) *animantium* scripsit. Nostrum hieroglyphicas literas innuisse facile perspicitur; in primis autem ei in mente fuisse Taciti haec (ann. 11, 14) verba videntur: »Primi per figuras *animalium* *Aegyptii* sensus mentis effingebant: et antiquissima monumenta memoriae humanae impressa *saxis* cernuntur.« De quibus literis Appulejus (met. 11. p. 801 Oud.): »Sacerdos de opertis adyti profert quosdam libros, literis ignorabilibus praenotatos, partim figuris cujuscemodi *animalium* concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim nodosis et in modum rotae tortuosis capreolatimque condensis apicibus a curiositate profanorum lectione munita.« Item Ammianus Marcellinus (17 p. 99; 22. p. 250 Lindenbr.) Aegyptios ait in syringibus »volucrum ferarumque genera multa sculpsisse et *animalium* species innumeras multas, quas hieroglyphicas literas appellasse, Latinis ignorabiles.« Quibus si addideris Macrobium (Sat. 1, 21) et e Graecis Philonem Judaeum (de vit. Mos. p. 606 oper.) et Maximum Tyrium (I. p. 251 Reisk.), videbis primum fontem ex quo hauserint fuisse Diodorum (3, 4), qui prae omnibus est consulendus.

adyta] Bongarsius: *abdita*, male! Lege Arnobium (1. p. 25) recensentem »Aegyptiorum ex *adytis* remotas disciplinas«; et Appulejum, qui (metam. 11. p. 801 Oudendorp.) »operta *adyti* in Aegypto« memorat.

deorum stemmata] Legerat noster apud Herodotum (2, 4) »duodecim *deorum nomina ab Aegyptiis* primum instituta et figuras *lapidibus* insculptas esse.« Contra Isis apud Hermetem (in Stob. eclog. 1, 52, 40; p. 977) Horo, de dei defluxu quaerenti, respondet: »hunc ortum nolim enarrare, quandoquidem fas non est, Hore magnifice, seminis tui initium referre, *ne deorum generationes postea hominibus innotescant.*« Ad hoc responsum noster respiciens verbo etiam *defluere* infra (§. 732) utitur.

praecepit] Vulgari sensu pro *jussit* hoc verbum accipi hic non posse ex addito *continere* patet. Intellige: *docuit*, quo sensu et Cicero (Tusc. 3,

puellae quam plures, quarum Artes aliae, aliae dictae sunt Disciplinae, subinde, quae virgo ex ore effuderat, colligebant, in suum unaquaeque illarum necessarium usum facultatemque corripiens. Ipsae etiam Musae, praesertim Urania Calliopeque, innumera gremio congessere volumina. In aliis quippe distinctae ad tonum ac deductae paginae, in aliis circuli lineaeque, hemisphaeriaque cum trigonis et quadratis, multiangulaeque formae protheorematum vel elementorum diversitate formatae. Dehinc pictura animalium membra multigenûm in unam speciem complicabat. Erant etiam libri, qui sonorum mela signaque numerorûm et cantandi quaedam opera praeferebant. Postquam 139
igitur illam bibliothecalem copiam nixa imitatus virgo diffudit, exhausto pallore

14) »res humanas *praeceptas* habere« et (orat. partit. 19) »*praecipiendi* genus« dixit.

puellae] Ita Galaton Homerum pinxerat vomentem, reliquos autem poëtas ea, quae ille evomuisset, haurientes (Ael. var. 13, 22). Ceterum teste Arntzenio (misc. p. 209 f.) in Vossiano codice non ut Grotius edidit, *aliae — alterae*, sed bis *aliae* legitur, sicut rescripsi.

deductae] Tenues, ut crassis sint oppositae, id quod apprime convenit papyro illi Aegyptiacae. Macrobius (Saturn. 6, 4) ad illud Virgilii (ecl. 6, 5):

»*Pascere oportet oves, deductum dicere carmen*«

observat: »*deductum* pro tenui et subtili eleganter positum est: sic autem et Afranius in Virgine: Verbis pauculis respondit, tristis voce *deducta*. Item apud Cornificium: *Deducta* mihi voce garrienti. Sed haec ab illo fluxerunt, quod Pomponius — ait: vocem *deducas* oportet, *ut mulieris videantur* verba. Jube modo afferatur munus; ego vocem reddam *tenuem* et *tinnulam*.« Plura de hujus vocis tam generaliori quam specialiori sensu vide apud Nonium Marcellum (p. 289 Merc.), cui adde Ovidium (trist. 1, 1, 39 et ex Ponto 1, 5, 15).

circuli] Ad astronomiam ejusque praesidem Uraniam haec spectare videntur, quemadmodum illae »ad tonum distinctae et deductae paginae« ad poësin Calliopenque.

protheorematum] Unus Martianus quod sciam Graecam hanc vocem latinitate donavit. Usus autem ea est ita, ut indicaret, figuras illas quidem geometricas esse, sed astronomos eas *praecognitas* habere in suum usum debere.

imitatus] Pontanus noster *imitus* legit, acute mehercule et eleganter. Sed MS. noster *uninatur* vel simile quid praefert, ex quo ego *undanter* legendum esse colligerem. Sic supra: »sed dum talia virgo undanter evomeret.« Gnot. — *Imitus* est *ex imo*. Hanc lectionem, quae unice vera est (?), recte Grotius ex conjectura Pontani reposuit. Gell. L. II, 30: »undasque — vi imitus commotas.« Goez. — Sed vide quam falsus vir doctus sit, qui in textum reciperet *imitus*, quod ne Grotius quidem ausus erat. Atque unde compertum habebat, unice veram hanc esse lectionem? Gellium laudat: num autem cogitur, Martianum eodem verbo usum esse, quo Gellium? Sed ne Gellio quidem illud *imitus* unquam in mentem venisse mihi quidem fit verisimile. Duobus quidem locis id critici ei obtruserunt, pri-

confecta Athanasiae opem, quae tanti laboris conscia fuerat, postulavit. Tum illa: ut refectior coelum sublimisque conscendas, hoc tibi accipe sorbillandum.
140 Ac tunc matri Apotheosi, quae cum illa forte convenerat, etiam pridem libros, qui ex Philologiae ore defluxerant, manu contingens ac dinumerans consecrabat, auferens quandam globosam animatamque rotunditatem sumit ac virgini porrigit hauriendam. Verum ipsa species ovi interioris coccino

mum loco a Goezio laudato: verum ibi in optima Gellii editione (p. 252 Conr.) minime *imitus*, sed *intus* legitur nec nisi unus codex *imitus* exhibet. Altero loco (17, 10. T. II. p. 387) olim haec legebantur: »Atque ille Graecus quidem fontes *imitatus* ignis eructare, et fluere amnis fumi, et flammarum fulva et tortuosa volumina in plagas maris ferre, quasi quosdam igneos angues, luculente dixit«, ubi invitis omnibus quotquot sunt codicibus critici, quum locum intelligere frustra tentassent, audaci profecto manu reposuerunt *imitus!* Illic autem verbum *imitatus* adeo necessarium est, ut hoc sublato totus locus egregia illa, si dis placet, emendatione nunc corruptus compareat; siquidem Gellius dixerat poëtam per metaphoram transtulisse effectus fontium ad ignes et fumi amnes. Sed ut ad nostrum redeamus Martianum, postquam videris quam male fundatus Goezius in Gellio fuerit, nunc observes velim, tres jam esse allatas conjecturas, primam a Pontano, secundam a Grotio, tertiam a Susio, qui in Gurlitti animadversionum particula quarta (p. 9) legi vult »*animitus*.« Quibus quum deinceps multae aliae ab iis addi possint, qui alia quam scripta verba fingere voluerint, unum illud certum manet, nullam earum in textum recipiendam esse, sed hoc solum fatendum, locum vel corruptum videri, vel si vera scriptura sit, a nobis non intelligi.

exhausto] Ita Martianus, qui maxime hypallagen amat, pro »exhausta et pallida.«

rotunditatem] Tota quidem descriptione ovum designatur, qua ipsa etiam voce noster mox utitur: sed vide num in *rotundo* altior forsan sensus lateat, siquidem circulus omnium perfectissima est figura (Quinctil. 1, 10, 41. p. 232 Spald.) et sphaerica certe tum divina, tum aeterna significabant, quod conditoris eam quoque figuram esse Plato dixerat (Diogenes Lärt. 3, 72. p. 29 Meib. add. Palaeogr. crit. III. §. 235. IV. §. 702). *Rotunditate* igitur illa exhausta *aetheream* venit sine mortis legibus aevum. Non enim *aeternumque*, quod Grotius edidit, sed *aethereumque* in codicibus Monacensibus (B. C. D. E. G.), Britannico, Hugiano et Leidensibus (Oudend. ad Appulej. II. p. 141) exstat.

ovi] De ovo, morborum remedio, alio loco (Palaeogr. cr. IV. §. 816) verba feci. De mysterio autem in eo Macrobius (Saturnal. 7, 16) docet: »In sacris Liberi Patris hac veneratione ovum colitur, ut ex forma tereti ac pene sphaerali atque undiqueversum clausa et includente intra se vitam mundi simulacrum vocetur.«

coccino] Pro *coccino* ex Vossiano et aliis revocandum arbitror *crocino*, quae vox, minus librario nota, fraudi fuit. Glossae recte interpretantur per *croceo*. Unguentum *crocinum* e Plinio jam produxit Livineius ad Propert. III. eleg. 10, 22, quam in rem plura contulit Spanhemius ad Callimach. in Apollin. v. 38, atque huc quoque pertinent, quae idem notat de variis rebus croco tinctis ad v. 83, quem quoque locum adhibuit Burmann. ad Petron. Satyr. 68. Saepius autem voces *croceus* et *coccus*

circumlita exterius rutilabat ac dehinc perlucida inanitate albidoque humore, interiore tamen medio solidior apparebat. Quam quum Philologia susciperet, quoniam post tanti laboris afflictationes aestusque mentis plurimum sitiebat, reseratis ejus rotunditatis arcanis, postquam rem dulcissimam comperit, totam incunctanter exhausit:

Continuoque novo solidantur membra vigore:
Et gracilenta perit macies, vis terrea cedit,
Aethereumque venit sine mortis legibus aevum.

Verum diva quum immortalitatis eam poculum cerneret ebibisse, quo e 141
terris illam in coelum pergere immortalemque factam velut aenigmate redimiculi perdoceret, ex herba quadam rurestri, cui ἀείζωον vocabulum est,

leguntur confusae. Arntz. (misc. p. 210). — Cum Vossiana lectione concinunt praeter Bongarsii codicem Anglici etiam et Darmstattensis. Sed parum interest utrum legeris: quare retinui vulgatam.

gracilenta] Vide superiorem notam (ad §. 37). Basileensis quidem »ut gracilenta« habet, sed praeteli vulgatam.

terrea] Ante enim apotheosin omne mortale auferendum erat (Ovid. 13, 950. 14, 605). »Ad deos« Macrobius (Saturn. 5, 7) inquit, »non potest anima nisi libera ab onere corporis pervenire.« Hinc purificationum remedia, de quibus noster paulo post (§. 142. 155) agit, ne terrena origo (§. 93) impedimento esset quominus in coelum adscenderet.

immortalitatis] Manifestum est in apotheoseos descriptione nostrum ductum fuisse exemplo popularis sui Appuleji (met. 6 p. 426 Oud.), apud quem Jupiter porrecto ambrosiae *poculo*, »sume«, inquit, »Psyche et *immortalis esto*.« Adde Ovid. (met. 14, 606, 607). A Jove enim remedia impetrari posse, quibus homines immortales fierent, communis opinio fuit (Apollod. 1, 6, 1; 2, 5, 11 et 3, 6, 8), quamvis Valerius Maximus (2, 6, 10) hanc opinionem derideat verbis: »persuasum habuerunt, animas hominum immortales esse. Dicerem stultos, nisi idem braccati, quod palliatus Pythagoras credit.«

pergere] Desideratur hoc verbum apud Grotium; sed legit Arntzenius (misc. p. 210) in Vossiano et Cortius in Guelferbytano: exhibent etiam Britannicus et Basileensis. Quod quum in anterioribus jam editionibus legatur, ejus omissionem typographorum negligentiae adscribimus. In Darmstattensi codice locus ita legitur: »eam coelum pergere.«

aenigmate redimiculi] Symbolo. Redimiculum hic non vulgari sensu pro *collaris*; sed ut e sequentibus verbis »virginem coronavit« patet, pro *corona* accipiendum est.

ἀείζωον] Herba est, qua Glaucus deus esse factus creditur, unde proverbium: *Γλαῦκος φαγὼν ποὰν οἰκεῖ ἐν θαλάσσῃ*. Ea de re sic Nonnus lib. 35:

Γλαῦκε πολυσπερίων ἐτέων στροφάλιγγε κυλίνδων,
Εἰ θέμις, ἀτρυγέτοιο λιπὼν κευθμῶνα θαλάσσης

virginem coronavit, praecipiens ut omnia, quae adhuc mortalis adversus vim superûm in praesidium cooptarat, expelleret; quippe caducae mortalisque substantiae istaec esse minima memorabat. Quae quidem omnia eidem mater
142 abstraxit, postquam eam mundana transcendisse studia recognovit. Tunc Philologia ex aromate praeparato acerraque propria Athanasiae primitus supplicavit, matrique ejus gratiam multa litatione persolvit, quod nec Vedium cum uxore conspexerit, sicut suadebat Etruria, nec Eumenidas et Chaldaea

Δεῖξον ἐμοὶ βοτάνην ζωαρκέα, δεῖξον ἐκείνην
Ἧς ποτε βοῖς στομάτεσσιν ἐγεύσαο καὶ βίον ἔλκεις
Ἄμβροτον ἀενάοιο χρόνου κυκλούμενος ὁλκῷ.

Gnor. — Plinius (25, 13, 102) Latine Aizoum nominat. Paulo post particulam *ut*, quam Grotius omisit, e Dresdensi codice post vocem *praecipiens* inserui.

superûm] Pro *superam* in editis Dresdensis codex.

minima] In MS. *minimanima*, ea forma, qua *magnanima pusillanimaque* dicimus. Apte et satis convenienter sensui. Gnor. — In solo Grotii codice sic legitur; in reliquis omnibus vel *minima*, vel *minimae*, sensusque idem. Haud dubie enim Martiani sententia haec erat, a diva nunc facta Philologia contemnenda esse illa remedia quae adhuc mortalis comparasset (§. 114), quippe quae caducae substantiae minimaeque essent efficaciae.

Athanasiae] Quasi deae. Sallustius enim (in fragm. p. 257 Bip.): »tum venienti (Metello) *ture*, quasi deo, *supplicabatur*.«

Vedium] Vedius est Vejovis, ut Dius Vidius Jovis filius et sub dio sub Jove. Est autem Vejovis Dispater. Gloss. Papiae: Vedius Pluto vel Orcus, id est malus divus. Qui locus liberali juveni Friderico Tiliobrogae debetur. Exsequitur hic animarum apud inferos degentium poenas: sunt autem triplices: aëreae, aqueae, igneae, ut notat Servius ad VI. Aeneid. et Arnobius: Quid? Plato idem vester, in eo volumine, quod de animae immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem et Pyrphlegetontem nominat, in quibus animas asseverat volvi, mergi, exuri? Locus autem, ad quem respexit Arnobius, est circa finem Phaedonis, qui et *περὶ ψυχῆς* inscribitur. Gnor. — Stolidus profecto Arnobius invectus in Platonem, qui ipse (in Phaed. p. 114 Steph.) fabulas has esse, neque unquam virum sanae mentis eas pro veris accepturum esse claris verbis edixit, seque non nisi similitudinis causa eas narrasse testatur. Quod reliquum est, erravit etiam Grotius, Martianum ita interpretatus, quasi poenas Philologia extimuisset. Etenim de lustrationum generibus tantum sermo est, a quibus ipsis Philologia, quemadmodum omnes per philosophiam jam purgati, e Platonis (l. c.) sententia libera erat. Denique ne miram nominis Vedii etymologiam silentio praeteream, Jaeckel (de diis domesticis Romanorum p. 43) nomen Germanicum *Wehegott* esse asseverat!

Etruria] Hoc est Etrusca disciplina. Fannic. (bibl. Lat. 3. p. 221 Ern.) — Sed quaenam quaeritur: nempe de ascensione in coelum sermo est. Inter plura hac de re Arnobius (2. p. 86) refert:

miracula formidarit, nec igne usserit eam, nec lympha subluerit, nec animae

»a sciolis nonnullis et plurimum sibi arrogantibus dicitur, deo esse se gnatos, nec fati obnoxios legibus; si vitam restrictius egerint, aulam sibi ejus patere, ac post hominis functionem, prohibente se nullo, tanquam in sedem referri patriam. Et Magi spondent, commendaticias habere se preces, quibus emollitae nescio quae potestates vias faciles praebeant ad coelum contendentibus subvolare. Atque *Etruria* libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato, *divinas animas fieri et ab legibus mortalitatis educi.*« Haec ille, nec fore quemquam censeo, qui neget Martiano hunc popularis sui locum ante oculos fuisse. Vide quae docte disputavit Müllerus (Etrusc. II. p. 27 et 92, n. 42).

Eumenidas] Lucianum (in necyom. 11. p. 14 Bip.) hic conferre operae pretium erit, et Porphyrium (in Stob. ecl. 1, 52, 46. p. 1031 Heer.). Recentior quidem scriptor, sed illis placitis omnino imbutus, Psellus (ap. Gallaeum in Sibyll. orac. append. p. 103): »Subvectores angeli«, »inquit, animas a prima sui origine attractas ad se evehunt: contra *poenae ultrices* nimirum naturarum nobis concessarum, et *tormenta* humanarum animarum materialibus illas affectibus irretiunt et quasi strangulant.«

Chaldaea miracula] Docebant enim Chaldaei, Eumenides sive Furias infernales occurrere animabus easque cruciare. Vulc. — Unde haec habeat, vir doctus non prodidit: suspicor tamen vel e Psello modo allato, vel e Plethone, qui ad Zoroastri oracula (in app. ap. Gallaeum p. 119) addit: »Poenae sive *furiae*, hoc est daemones *cruciatibus irrogandis* praefecti, ἔγκτειραι mortalium cognominari possint: quippe quos a vitiis deterritos ad honesti rectique cupidinem accendant.« Pariter Plutarchus (de facie in Luna p. 943) de animabus: »impiae *poenas* flagitiorum luunt, piae lustrationis causa in aëris purissima parte degunt, deinde quasi exsilio redeuntes gaudium degustant.« Macrobius etiam (somn. Scip. 1, 12 f.): »anima«, inquit, »quum rursus e corpore, ubi meruerit contagione vitiorum penitus elimata purgari, ad perennis vitae lucem restituta in integrum revertitur.« Sapere haec Platonis placita quilibet animadvertet, qui hunc philosophum (in Phaedone p. 69) legerit. Haud tamen silentio praetereunda lectio in Cantabrigiensi codice, qui pro Grotiano *ad* exhibet *et*, eaque variatione Eumenides a Chaldaeis miraculis sejungit. Quae si verior lectio est, ut videtur, quia mox *miracula* cum illa ex oraculis petita interpretatione non convenit; equidem, praesertim quum hic de *subvehenda in coelum* Philologia agatur, de illo Chaldaico *miraculo* cogitavi, quod Julianus imperator (orat. 5. p. 178 oper.) innuit: »Jam vero si *arcana* illa et *mystica* persequi velim, quae circa septem radiis insignem deum *Chaldaeus* celebravit, ut per illum *animas in sublime provehat*, obscura quaedam eloquar, et in vulgus maxime ignota, tametsi beatis illis hominibus, qui theurgicis sacris operantur, probe sint cognita.«

formidarit] Pro *formidavit* Hugianus codex, et infra *consecrarit* pro *consecravit* Cantabrigiensis; omnino rectius.

usserit] Subintelligi videtur Vedius cum uxore quod modo dixerat. Gnot. — Procul absit ista interpretatio. Apotheosis potius, quam Athanasiae matrem esse (§. 140) scimus, intelligenda est, cui gratias Philologia agit, quod ejus auxilio ipsa neque — conspexerit, neque — formidarit; neque se illa usserit, nec subluerit. Verbum illud *urere* adeo fraudi erat docto juveni, ut ad orcum tantum re-

spiceret. Sed quum ignem aqua sequatur, facile lustrationum et expiationum genera agnoscere potuisset. Virgilii locus (Aen. 6, 736) ei fortassis in mente erat, ubi poëta de mortuorum animis sic canit:

»*Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes*
Corporeae excedunt pestes penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, *veterumque malorum*
Supplicia *expendunt. Aliae panduntur inanis*
Suspensae ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.«

Sed multum abesse, ut omnes animae poenis afficiantur, jam e Platone (de R. P. 10. p. 615 Steph.) liquet. Aliae enim lustrari tantum credebantur, cupientes quidem ipsae (Juvenal. 2, 156. Macrob. somn. Scip. 2, 17 f.): aliae praemiis etiam ornari. Deinde, quod inprimis Grotius observare debebat, non mortuorum tantum apud inferos animas, sed in superis etiam auris viventes lustratos esse poëtae finxerunt. De solo igne Tibullus (1, 2, 61):

»*Et me lustravit taedis*« — — — — —

de omni genere Ovidius (met. 7, 261):

»*Terque senem* flamma, *ter* aqua, *ter sulfure lustrat.*«

Similiter Propertius (4, 8, 80):

»*Terque meum tetigit sulfuris* igne *caput.*«

Quoniam autem Martianus ea expositurus erat, quae aptam atque habilem Philologiam redderent ad impetrandam apotheosin, verbum *urere* rite adhibuit. Ita Triptolemi Ceres (Ovid. fast. 4, 553):

— — »*corpus* vivente favilla
Obruit, humanum purget ut ignis *onus.*«

De Triptolemo idem Apollodorus (1, 5, 2), idemque Achilli ab hujus matre factum Apollonius (Argon. 4, 869) et Apollodorus (3, 13, 5 sequ.) retulerunt. Neque Hercules divus fieri potuit antequam omnia humana, quae a matre habebat, flammarum vi consumta erant (Liv. 36, 30. Ovid. met. 9, 251. Senec. Herc. Oet. 1966), neque semideorum alius quisquam (Dion. Halic. 7. p. 478 Sylb.). Indus quoque Calanus (ap. Cicer. de div. 1, 23): »O praeclarum discessum e vita«, exclamat, »quum ut Herculi contigit, mortali corpore *cremato*, in lucem animus excesserit!« Phorcum denique filiam suam suscitasse, postquam ejus corpus taedis combussisset, Lycophron (48) fingit. Sed ut finem faciamus huic de lustrationibus disputationi, juvabit praestantium etiam philosophorum sententiam addere, maxime Senecae, qui (consol. ad Marc. 25. p. 128 Lips.): »Proinde non est«, inquit, »quod ad sepulcrum filii curras: pessima ejus et ipsi molestissima istic jacent, ossa cineresque; non magis illius partes, quam vestes aliaque tegumenta corporum. Integer ille nihilque in terris relinquens fugit et totus excessit, paullumque supra nos commoratus, *dum expurgatur* et *inhaerentia vitia* situmque omnem mortalis aevi *excutit*; deinde *ad excelsa sublatus* inter felices currit animas.« Quibuscum permulta alia veterum conferri possint testimonia, ut Plutarchi (de facie in Luna p. 943), Aristophanis (in Pace v. 696 ibique Christianus), Pselli (ad Chald. orac. ap. Gallaeum in app. p. 103), Silii (10, 578) cet.

eam] Omissam apud Grotium hanc vocem ex anterioribus restitui editionibus.

lympha] De lustratione et expiatione per aquam confer praeter locos modo laudatos Virgilium (Aen. 6, 229), Senecam (Herc. fur. 1326), et Ovidium (met. 13, 950. 14, 601; fast. 4, 790), qui etiam (fast. 5, 681):

»Ablue *praeteriti perjuria temporis*, *inquit*,
»Ablue *praeterita perfida verba die.*«

animae simulacrum] Animam ipsam quum mente complecti, docente Cicerone (Tusc. 1, 16), homines

simulacrum Syri cujusdam dogmate verberarit, nec Phasi senis ritu Charontis

nequirent, varia excogitarunt, ut similitudine quadam vel signo aliquo locum saltem describerent, ubi sedem fixerit, quo melius aretam ejus cum corpore conjunctionem explicarent.« Hinc quidam corpus animae esse indumentum (Maxim. Tyrius 1, 3, 4 et 5 p. 239. 240 Reisk.), sive vestem (Lucret. 2, 613), sive velamentum (Senec. in epist. 92. p. 585 Lips.) dixerunt. Plato (in Crat. p. 400 Steph.) in corpore quasi in claustro illam inclusam, et alio loco (Phaed. p. 82) corpus ejus carcerem esse dixit, id quod Cicero (ap. Macrob. in somn. Sc. 1, 10) et Hermes (in Stob. ecl. 1, 52, 45 p. 1003 Heer.) repetunt. Chaldaea oracula (203), Antoninus imperator (11, 38 f.) et Cicero (in Tusc. 1, 22 f.) animae corpus appellant *vas*; Seneca animi pondus et poenam (epist. 65 p. 494 Lips.) et vinculum (consol. 11. p. 82 Lips.) cum Cicerone (divin. 1, 49); nec domum esse hoc corpus, sed hospitium (Senec. epist. 120. p. 664). Ceterum non tam corpus h. l. animae simulacrum appellari arbitror, sed quod Homerus appellavit εἴδωλον,, quod cremato corpore ad inferos descendat (Odyss. λ. 205 et 475; Iliad. ψ. 72 et 104); id quod more suo ridet Lucianus (in dial. mort. 16. p. 191 Bip.) Hercules simulacrum inducens. Optimus hujus placiti interpres Servius erit, qui Martiani temporibus in omnium manibus erat (ad Aen. 4, 654): »Tribus constamus: *anima*, quae superna est, et originem suam petit; *corpore*, quod in terram defecit; *umbra*, quam Lucretius sic definit: »supra spoliatus lumine aër.« Ergo umbra si ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo, nec est quidquam reliquum ex homine, quod inferos petat. Sed deprehenderunt esse quoddam *simulacrum*, quod ad nostri *corporis* effigiem fictum inferos petat. — Et sciendum *simulacra* esse haec etiam eorum, qui *per apotheosin dii facti* sunt.« Ut apud nostrum igitur Philologia. Videtur autem sua Servius e Chaldaeorum placitis, quae et Zoroastro adscribuntur, hausisse; in quibus εἴδωλον Pletho (apud Gallaeum in appendice pag. 87) explicat »eam animae partem, quae quum bruta sit et rationis expers, cum parte rationali conjuncta ab ipsius *vehiculo* dependat — neque unquam deponere animam suum sibi adjunctum vehiculum.« Ad Romanos poëtas deinde transiisse illud animae nomen Ovidius docet, qui (met. 10, 14) Orpheum descendisse canit

»*Perque leves populos* simulacraque *functa sepulcris.*«

Praesertim ex Epicurea schola Lucretii hos versus 1, 121) subjungere juvat:

»*Et si praeterea tamen esse Acherusia templa*
Ennius aeternis exponit versibus edens:
Quo neque permanent animae, neque corpora nostra;

Sed quaedam simulacra *modis pallentia miris*«, cet. Porphyrius (in Stob. elog. 1, 52, 46. p. 1013. 1035. 1041. Heer.) Homerum secutus ea appellavit »simulacra vita carentia.« Homero enim sunt »ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων.«

Syri cujusdam] Pherecydem innuit, qui animae immortalitatem docuerat. Gnor. — Ac certe Pherecydes ille erat, cujus meminerunt Apollodorus et Strabo (10. p. 487 Cas.) item Cicero (Tusc. 1, 16 f.) et Appulejus (flor. 2, 15. p. 57 Oud.), qui cum ex insula Syro oriundum fuisse scripsit. Verumenimvero Martianus dogma de animae immortalitate hic in mente habere non potuit, quandoquidem de iis tantum quae patienda sint animabus disserit. Grotius praeterea perpauca de Pherecyde cognita habuisse videtur, id quod neutiquam miramur, quum

rari fontes sint, e quibus ea possint hauriri iique ne doctissimis quidem viris noti. Ita Salmasium, qui in monstro eruditionis (ad Solin. p. 840 ed. pr.) multa de Pherecyde verba fecit, fugerat tamen insignis apud Maximum Tyrium (10, 4. T. I. p. 174 Reisk.) locus: ita Bruckerus (hist. philos. I. p. 986 sequ.) qui hunc quidem noverat, Celsum tamen (ap. Orig. 6. p. 303. 304 Spenc.) illius interpretem, qui ipsi omnino adeundus erat, prorsus ignoravit. Ab hoc autem solo discimus, Pherecydem dixisse »infra terram portionem esse tartaream, eamque custodiri a Boreae prole, Harpyiis et Thyella, quo Jupiter ableget eos qui peccaverint.« Si quis igitur verba »animae simulacrum secundum dogma Syri cujusdam« de Pherecyde intelligere voluerit, habebit in novissimis illis Celsi verbis, quo se tueatur. Quoniam autem semper dubia ac incerta ista manet interpretatio, aliam licebit conjecturam proferre. Neque enim necesse est, ut omnium antiquissimum philosophum Syrium a Martiano intellectum esse credamus. Erant e Neo-Platonicis plures, nimirum et Porphyrius, et Jamblichus, ex haereticis Saturninus (Epiph. 1, 2, 23. p. 62 sequ. Petavii. Mosheim hist. Christiana ante Constant. Sec. 2. §. 45), qui, quum putarent animam terrenis corporis sordibus impediri, quo minus altius evheretur (Cic. divin. 1, 32. 49. 50. 57. Stob. eclog. 1, 3, 38. p. 98 Heer. Jul. Firm. math. 1, 2. p. m. 5. Philostr. heroic. p. 638 Morell.) scilicet e Platonis (Phaed. p. 65 et 67 Steph.) locis male intellectis, statuebant, cruciandum esse corpus, et ab omnibus, quae materiem alere possent, abstinendum, quo tenuior et agilior anima redderetur adque adscensum in coelum aptior. Jamblichus sane e Coele-Syria oriundus erat; et Porphyrius, sive cum Bataneotem Judaeum sive Tyrium Phoenicem, quod vero similius est, dixeris, pariter Syrus appellari potuit (Palaeogr. critic. III. §. 111. 470); quapropter non erat, quod Bruckero (II. p. 237) illa regionum nomina scrupulum injicerent. Saturninus denique haud dubie Antiochensis fuit. Quod quidem philosophorum placitum quum ad antiquissimum *expiationum* et *lustrationum* usum proxime accederet, plura eorum genera hic inseruit Martianus, quo pulchriorem fictioni suae colorem induceret.

Phasi] Qui docebat immortalitatem adiri non posse nisi post mortem. Vulcan. — Patet hanc interpretationem non nisi ex ipsis Martiani verbis sumtam esse: senem illum, cujus id placitum fuerit, certe Vulcanius aeque ac nos ignoravit; nec video, quo pacto verba *Phasi* et *senis* jungere potuerit, nisi fortasse per contractionem *Phasi* pro *Phasii* dictum esse acceperit. Manet tamen admodum obscurus hic Martiani locus, cui frustra etiam in codicibus auxilium quaesivi, quippe qui cum editis conveniant, nisi quod Hugianus codex post vocem *senis* addat *cujusdam*, et Guelferbytanus, teste Cortio, pro *Charontis* exhibeat *Acherontis*. Senex autem ille quum nomine non appelletur, divinatione indagandus est. *Phasis* igitur quum Medeam Colchicam nobis in memoriam revocet, vide ne Pelias intelligendus sit, quem a filiabus Medeae artibus deceptis per spem reviviscendi interfectum et discerptum esse constat, quo facto illae patris immortalitatem Charontis manibus involutam mortis *auspicio* consecrarunt. Quumque immortalitas, quae Charontis manibus adhuc involuta est, nondum perfecta sit, et a mortis auspicio demum incipiat; gaudet Philologia, se certiori et breviori via eam adeptam esse. Verum enim vero omnia haec neutiquam eo consilio protuli, ut in eis acquiescere debeant viri docti, sed ut meliorem potius, si qua est, obscurissimi loci interpretationem suppeditent.

Charontis] Ridet haec Juvenalis (2, 150) versibus:

manibus involutam immortalitatem mortis auspicio consecrarit. Interea con- 143
scendere jussa lecticam, quae in suggestu maximo quoniam videbatur, difficile admodum sibi, ne dicam impossibile, deputabat. In quam rem consequenter implendam alumnum suum dilectum prae ceteris convocavit, quo innixa omnem difficultatem superae consessionis evicit; verum idem, qui Labor ab eadem vocabatur, non solum in lecticae culmen eam sustulit, verum coelum cum domina impiger permeavit. Quippe consociato sibi quodam puero reni- 144
denti, qui nec voluptuariae Veneris filius erat, et tamen Amor a sapientibus ferebatur, a fronte lecticam subvehere moliuntur. Nam posticam Epimelia 145
et Agrypnia dilecta virginis sustulere mancipia. Sic enim Athanasia praeceperat,

»*Et pontum, et Stygio ranas in gurgite nigras*
Atque una transire vadum tot millia cymba
Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.«

(Conf. Orphei Argon. 1138).

consessionis] In suggestu nimirum maximo. Neutiquam enim aliorum emendationem »*conscensionis*« euro. Quae sequuntur satis demonstrant »*consessionis* laborem.«

Labor] De Philologiae laboribus multus quidem est noster (§. 22. 37. 39. 124) ac probe eos laudat (conf. Lucian. in his accus. 20. p. 75 Bip.): sed hoc loco per prosopopoeiam eum inducit quem Hesiodus (theog. 226) Eridis, Cicero (N. D. 3, 17) Noctis et Erebi filium et deum dixit, quemque Virgilius (Aen. 6, 277) quasi malum daemonem finxit. Cicero etiam (Tusc. qu. 2, 15) et Plautus (Curc. 2, 1, 4 et Pseud. 2, 3, 20) laborem conferunt cum dolore ex ambiguo Graecae vocis sensu.

voluptuariae] Haud dubie Platonem in mente habebat Martianus (§. 85 not.). Appulejus (apol. p. 412 Oud.) voluptariam illam *πάνδημον* Latine *vulgariam* vertit, et noster »lascivire eam« (infra §. 705) dicit.

Amor] Non ille quidem lascivus, de quo mox (§. 148) Cupidinis nomine agit. Geminum enim philosophi (Plat. symp. p. 180 Steph.) finxerunt Amorem (conf. Lucian. encom. Demosth. 13. p. 145. Bip. Widemann de propr. serm. p. 62. Gesner. ad Orph. p. 7. Cuper. observ. 132), tresque adeo distinguit Appulejus (de dogm. Plat. 2. 310 p. 259 Oud.), quorum »unus sit divinus cum incorrupta mente, alter degeneris animi et corruptissimae voluptatis, tertius ex utroque mixtus mediocris ingenii et cupidinis modicae.« Hoc loco de eo sermo est, quo via ad sapientiam invenitur (Plat. p. 204 sequ. 209). De formosis autem calonibus lecticam ferentibus vide Senecam (ep. 110) ibique Lipsium (p. 641).

postica] Pro *posticam* in editis e Grotii manuscripto correxi. Fugit haec lectio et Walthardum, et Goezium, quia non ad hunc, sed ad alium locum (§. 66) Grotius eam prodiderat. Concinit cum Grotiano Darmstattensis codex.

Epimelia] Fictum mancipii nomen e Graeco *ἐπιμέλεια*, diligentia. De altero, quod Agrypnia dicitur, superiorem (§. 112) confer locum.

virginis] *Virgini* apud Grotium correxi e codicibus Monacensibus (B. E. G), Vossiano (Arntz.

ut uterque sexus cum Philologia coelum posset ascendere. Praecedit illico conscendentem Musarum concinentium pompa, et praedictarum comitum ve-
146 nerabilis multitudo. Periergia vero aliis comitata pedisequis dotalibusque mancipiis curiose universa perscrutans atque interrogans sequebatur. Verum
147 ad culmina arcis aëriae comitatus ille cum virgine propinquabat. Et ecce advenire subito deorum Pronuba nunciatur, ante quam Concordia, Fides,
148 Pudicitiaque praecurrunt. Nam Cupido corporeae voluptatis illex, licet eam

misc. p. 210), Guelferbytano et Hugiano; quamvis dandi casus etiam defendi possit, si cum *dilecta* conjungatur.

mancipia] Lecticarii servi appellabantur, qui lecticam portabant, quos quatuor numero noster fingit; sed modo majorem, modo minorem fuisse viri docti observarunt (Lips. in elect. l. c. Pignor. de serv. p. 140. ed. 1613).

curiose] *Περιεργία* Quinctiliano (8, 3; p. 466 Obr.) »*supervacua* illa operositas est, quae vitiosa; quemadmodum a diligenti *curiosus*, et a religione superstitio distat.« Donatus (ap. Widem. de propr. sermon. p. 63) »*curiosi*, inquit, pariter quidem ac studiosi cognoscendi cupidi sunt; verum illi ea quoque, quae nihil ad se attinent, scire cupiunt.« Adde Gellium (11, 16). Exempla Wowerus (polymath. 10. p. 89) affert, scriptoresque Senecam, Suetonium, alios laudat, qui frivolas doctorum hominum quaestiones jam riserant. Quarum omnium maxime ridicularum a nostris theologis prolatarum exempla alio in libro (vernacula lingua inscripto: *Bilder u. Schrift.* II. §. 103. p. 167) attuli. Sed coronidis loco juvabit de tali curioso philologo Juvenalis hosce legere versus (7, 231):

»*Ut legat historias, auctores noverit omnes*
Tanquam ungues digitosque suos: ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phoebi balnea, dicat
Nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae
Archemori: dicat quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculi Phrygibus vini donaverit urnas.«

Concordia] Quae Graecis Ὁμόνοια (Pausan. 5, 14, 6) dea, haec Romanis Concordia dicta divinis colebatur honoribus (Varro de L. L. 4, 47. 74. 77. Cic. N. D. 2, 23. 3, 18. Plin. 2, 7, 5. Ovid. fast. 1, 639. 3, 881. 6, 91. 637. Stat. silv. 1, 2, 240. Dict. Cret. 1, 15 f. p. 16 Delph. P. Victor urb. reg. 8. Calendar. mense Jan. Claudian. nupt. Honor. 203. in Ruf. 1, 52. Augustin. de civ. dei 3, 25. Arnob. 4. p. 127). Saepe etiam in lapidum titulis (Grut. 100, 6—10. 119. 319, 5. 6. 1017, 5), saepissime in numis reperitur (v. Rasche in lex. I. 2. p. 737. suppl. I. p. 1895 sequ.). Atque infra (§. 731 f.) noster e numeris monadem Concordiae a quibusdam tributam esse refert.

Fides] Dea Romanorum notissima (Varro L. L. 4, 20. Liv. 1, 21. Plutarch. Numa p. 70. Cic. N. D. 2, 23. 31. 3, 18. 36. de leg. 2, 11. Virg. Aen. 1, 292. Catull. 30, 11. Juven. 1, 115. Victor urb. reg. 10. Augustin. 4, 20. Sil. 2, 480. 525. 542. 6, 468. Claudian. in Rufin. 1, 53; cons. Mall. 171), quam Clementiae sororem Claudianus (laud. Stil. 2, 30) appellat. Saepe in lapidum titulis (Grut. 99, 7. 8. 10) et in numis (Rasche lex. num. 2. 1. p. 1042) laudatur.

Cupido] Qua ratione hunc ab Amore pudico distinxerit, modo (ad §. 144) vidimus. Discrimen

semper antevolet, Philologiae occursibus non ausus est interesse. At ubi 149
in conspectum nubentis diva pervenit, atque, ut mos virginis erat, litavit aromatis, deam talibus deprecabatur: Juno pulchra, licet aliud nomen tibi consortium coeleste tribuerit, et nos a juvando Junonem, unde et Jovem dicimus, nominemus; sive te Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam convenit nuncupari; nam Fluoniam, Februalemque ac Februam

inter utrumque persequitur Maximus Tyrius (27. 4. T. 2, p. 39 Reisk.).

litavit] Donatus (ap. Widem. de propriet. serm. p. 210): »Sacrificare est veniam petere, *litare* vero propitiare et votum impetrare.« Unde Plautus (in Poen. 2, 1, 42): »Si Hercle istuc unquam factum est, tum me Jupiter faciat, ut semper sacruficem, nec unquam *litem*.«

aromatis] In editis erat *aromatibus*, quod correxi e Reichenauensi ac Darmstattensi codicibus et ex ipso etiam auctore, qui (§. 215) sextum casum cum popularibus suis (Oudend. ad Appul. I. p. 340) ut supra formavit.

a juvando] Cicero (N. D. 2, 26). Varro (de L. L. 4. p. m. 22): »Quae ideo videtur a Latinis Juno Lucina dicta, quod terram, ut physici dicunt, *juvat* et *lucet*.« Adde Fulgentium (myth. 2, 3. p. 69 Munck.).

et Jovem] Praeter Ciceronem (l. c. 25) Varro (L. L. 4, 38) »quia omnes *juvat*«, et Gellius (5, 12): »Jovem Latini veteres *a juvando* appellavere.« Adde Servium (ad Aen. 1, 47) et Isidorum (etym. 8, 11, 34. p. 382 Arev.).

sive te] Ita Horatius (in carm. secul. 15):

»*Sive tu Lucina probas vocari*« cet.

et alio loco (in sat. 2, 6, 20):

»*Matutine pater, seu Jane libentius audis.*«

Ita Statius (Theb. 1, 717):

— — — »*seu te roseum Titana vocari*
Gentis Achaemeniae ritu, seu praestat Osirin
Frugiferum, seu« cet.

Quibuscum omnino comparandus Martiani popularis (Appul. met. 6, p. 388 Oud.) in Psyches ad Junonem et (11. p. 755. 762) in Lucii ad Isidem precibus. Servius quoque (ad Aen. 1, 8): »Juno, inquit, multa habet nomina«, et (ad Aen. IV): »Jupiter omnipotens, seu quo alio nomine appellari volueris«, quo de more unum eundemque deum multis nominibus invocandi conferre licet nostrum inferiori loco (§. 192), Spanhemium (ad Callim. hymn. in Dian. 7. p. 129), Stanlejum (ad Aesch. Agam. 168; Prometh. 5, 210), Aristoph. in Plut. p. 111; et quae ipse olim attuli (in palaeogr. cr. III. §. 114).

Lucinam] Notum hoc deae cognomen apud omnes (v. not. sequ.) legiturque tam in lapidum titulis (Grut. 24, 16. 690, 5. 1000, 12. 1010, 1), quam in numis (Rasche lex. 2, 2. p. 1154), quo quidem cognomine Juno cum Diana fere confunditur. Latino respondet Graecum Λοχία (Artemidor. oneirocrit. 2, 35. p. 125 Rigalt.).

quod lucem] Idem etymon a plerisque approbatur (Paus. 7, 23, 5. Cic. N. D. 2, 27. Fest. v. supercil. Tertull. de anima 37), licet alii a *luco* nomen deducant (Plin. 16, 44, 85) vel dubii sint in eruenda ejus origine (Ovid. fast. 2, 449. 450. 6, 39. Catull. 34, 12. 16). Templum hujus deae in quinta erat urbis regione (v. P. Victor).

Lucetiam] Sicut Jupiter Lucetius, sic Juno Lucetia dicitur; ut et Lucina, quod tamen nonnulli

nihi poscere non necesse est, quum nihil contagionis corporeae sexu intemerata pertulerim; Iterducam et Domiducam, Unxiam, Cinxiam mortales

Dianae tribuunt. Gnor. — Utraque hoc cognomine gaudet, siquidem docente Cicerone (N. D. 2, 27) »Luna a *lucendo* eadem est Lucina; itaque, ut apud Graecos *Dianam*, eamque Luciferam, sic apud nostros *Junonem Lucinam* in pariendo invocant.« Sed a nemine praeter nostrum, quod sciam, *Lucetia* dicta est; sicut *Lucetii* nomen Virgilius (Aen. 9, 570) monente Servio semel tantum usurpavit, quamquam hoc Salii jam canebant (adde Festum p. 207 Dac. et Gell. 5, 12).

nuncupari] Alii quidem codices, Britannicus, Cantabrigiensis, Guelferbytanus et Vossianus (ap. Arntz. p. 210) *nuncupare;* sed eodem redit sensus.

Fluoniam] Sic lege cum MS. Arnobiani codices vulgo quoque male *Fluvioniam* referunt, quod Meursium vidisse, ut vidi, non invidi. Festus: »Fluoniam Junonem mulieres colebant, quod eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant.« Gnor. — Pro *Fluvoniam* codex Vossianus legit *Fluinam;* auctoritate Festi apud Grotium malim *Fluoniam*, eamque in rem faciunt quae habet Augustinus de civ. dei VII. 4. Arntz. (misc. p. 210) — Nihil ibi reperies. Ceterum non Festi, sed codicis auctoritate Grotius hoc nomen reposuit, pro quo Tertullianus tamen (ad nation. 2, 11) *Fluvionam* habet. Glossa in Darmstattensi codice inserta eam interpretatur »deam fluoris.«

Februalem] Festus de Junone *Februata* loquens ait: quam alii *Februalem*, Romani *Februlim* vocant. Meminit et Arnobius. Gnor. — Arnobius nomine Februalis non utitur, sed (3. p. 118) *Februtis*, pro quo alii *Februlis* reposuerunt (Herald. ad Arn. p. 147). Φεβρουάταν tamen καὶ Φεβρουάλεβ Laurentius Lydus (p. 172 Roeth.) mensis Februarii praesidem appellat.

Februam] Februam forte Februatam. Gnor. — Quasi non notissimum esset adjectivum *februus!* Sicut enim lustrationum potens *deus Februus* appellabatur (Macrob. Saturn. 1, 13) et Pluto eodem nomine audiebat (Isidor. etym. 5, 33, 4. p. 225. Arev.); ita noster Junonem poterat dicere deam *Februam.*

intemerata sexu] Vocem construxit cum sexto casu ad analogiam vocabuli *integer. Intemerata* hic ad virginitatem spectat, quemadmodum Virgilius (Aen. 11, 584) »Diana« cecinerat »virginitatis amorem *Intemerata* colit.«

Iterducam] De his nominibus multa Augustinus de civitate dei, Festus et alii. Gnor. — *Iterducam* etiam ex Vossiano malim. Vide Brisson. de form. p. 49 (50). *Interducam* tamen praefert Barth. ad Stat. IV. Theb. 524. p. 1138. Arntz. (misc. p. 210) — Grotius quamquam *Interducam* edidit, ad marginem tamen alteram lectionem adjecit, quam e codicibus etiam Monacensibus (C. G), Britannico, Reichenauensi, et Darmstattensi haud sine causa recepi; quum proxime sequatur: »ut eorum et *itinera* protegas.«

Domiducam] Addit »ut in optatas *domos* ducas.« Nomen, praeter Augustinum (7, 3), Tertullianus etiam (ad nation. 2, 11) profert. Quid? quod deum etiam *Domiducum* Augustinus (6, 9) memorat.

Unxiam] Ab *ungere*, ut mox patebit. Idem deae nomen Arnobius bis profert (3. p. 113 et 7. p. 227).

Cinxiam] Valde discrepant in hujus nominis lectione codices, quorum alii, ut Darmstattensis, *Cinctiam*, quod Grotius edidit, alii *Cineam*, *Cisiam*, *Cinthiam*, *Cynthiam* habent. Unus Britannicus *Cinxiam* suppeditavit, quod recepi, quia cum Festo

puellae debent in nuptias convocare, ut earum et itinera protegas, et in optatas domos ducas, et quum postes ungant, faustum omen affigas et cingulum ponentes in thalamis non relinquas; Opigenam te, quas vel in partus discrimine, vel in bello protexeris, precabuntur; Populonam plebes, Curitim debent memorare bellantes; hic ego te Aëriam potius ab aëris regno nun-

(p. 79 Dac.) et Arnobio (3. p. 115. 119) concinit. Sed neutiquam contemnenda lectio *Cynthia*, quam in codicibus Monacensibus (B. D) observavi, siquidem Cynthia Diana erat, quae saepe cum Junone confunditur, et *Ἀνθιζώνη* eandem ob causam appellabatur (Orph. hymn. 35, 5. Hesychius pag. 512 ibique nota). *Cinxia* autem defenditur e Martiano ipso, qui (§. 113) sponsam *cingulo* ornari tradidit.

ungant] Apud Grotium, eosque qui hunc secuti sunt, Walthardum et Goezium, legitur *ungent*, quod futurum hoc loco nihili esse quilibet perspicere potest. Equidem conjunctivi praesens e codice Cantabrigiensi recepi, quia hoc modo causa exprimi videtur boni ominis. De hujus unctionis usu conferre licet Lucretium (4, 1172), Plinium (28, 9, 37), Arnobium (3. p. 115), et Isidorum (etym. 9, 7, 12. p. 455 Arev.), qui sua, ut saepe, a Servio (ad Aen. 4, 458) habet (adde si tanti est, palaeogr. meam crit. III. §. 37). De limine sertis ornando noster supra (§. 1) egit.

Opigenam] Grotius *Sotigenam*, sed hac nota addita: »Lege *Opigenam*. Festus: »Opigenam Junonem matronae colebant, quod eam opem in partu laborantibus ferre credebant.« Nomen recte ponit, sed non verat veriloquium; dicta enim Opigena a matre Ope. In Arnobio quoque pro Ossipagina Opigena legendum; quanquam Meursius noster Ops, Opigena legat, quod vix probo.« Videtur Vossianus codex, qui hanc lectionem, teste Arntzenio (misc. p. 210), habet, a Grotio jam inspectus fuisse: quod ad nomen autem attinet, Ovidius (fast. 6, 285) etymon suppeditavit versu:

»*Ex* Ope Junonem *memorant Cereremque creatas*
Semine Saturni: tertia Vesta fuit.«

in bello] Britannicus quidem codex *inbecillo* exhibet; sed *imbecilli* profecto ista lectio est. Opigenam precantur, quia bello opes quaeruntur.

Populonam] Ita libri omnes praeter Reichenauensem, qui *Poplonam* exhibet. *Populoniam* alii scribunt (Macrob. Saturnal. 3, 11. Augustin. de civ. dei 6, 10. Arnob. 3. p. 118), sed eodem redit, quia semper a *populo* erit quasi *popularis*, quod Martianum quoque voluisse addita vox *plebes* ostendit.

Curitim] Quamvis de hujus cognominis origine in prorsus diversas abeant sententias scriptores (Cuperi observ. 2, 2. p. 155), ex additis tamen a Martiano verbis »memorare debent bellantes« patet, ad illud etymon eum respexisse, quo a *curi*, hasta, *Curitis* deducitur (Festus p. 109 Dac. Plutarch. qu. Rom. 86 p. 285. Ovid. fast. 2, 477. Macrob. Sat. 1, 9. Müller in Etrusc. II. p. 45). Dionysio etiam Halicarnassensi (2. p. 114 Sylb.) ea *Κυριτία* audit; in lapidis denique titulo (Grut. 308, 1) hoc cognomen *Quiritis* scribitur.

Aëriam] MS. *Aeram*, forte Heram. *Ἥραν* enim *ἀπὸ τοῦ ἀέρος* derivant philosophi. Gaor. — MS. *Aëram* offerunt, ut fortasse Heram legendum sit. Phurnutus: *ἡ ἥρα, ἤ τις ἐστὶν ἀήρ*. Goez. — Cave corrigas. Primum enim pauci tantum codices, nempe Grotianus ille et Vossianus (Arntz. misc. p. 210) Aëram habent; reliqui recius Aëriam.

cupatam voco; da nosse poscenti, quid haec aëria latitudo, atque atomis perlucentes concurrentibus campi animantium gerant, quidve hic dicatur numinum subvolare. Non enim de humilitate aëris illius quaero, qui volucribus permeatur, quem Olympi montis cacumen excedit, qui vix decem stadiorum altitudine sublimatur; sed elata disquiro, et jam fas puto quidquid
150 περὶ εὐδαιμονίας lectitans intellexeram conspicari. Hic Juno conscendentis precibus non repugnans, eam secum in arces ducit aërias, atque exhinc multarum

Deinde ne Aera quidem legi potest Hera. Porro plures deae cognomen *Aëriae* gerunt, ut Iris (Virgil. Aen. 9, 805), quia in aëre est; Minerva, quae proprie aër superior (Diodor. 1, 12). »Aër autem«, Cicero (N. D. 2, 26) inquit, »inter mare et coelum Junonis nomine consecratur.« Sed vide quae superius (§. 67. 74) a me sunt observata. Sequentia quoque verba »ab *aëris regno nuncupatam*« et paulo post »aëria latitudo« nullam admittunt dubitationem, quin *Aëriam* legendum sit, minime Aeram aut Heram. Denique optimus hujus loci interpres consulendus Tertullianus, qui (adv. Marcion. 1, 13) »Junonem« ait »explicatam esse aëream, secundum sonum Graeci vocabuli«, nimirum Ἥρα. Quibus omnibus perpensis satius duxi vulgatam retinere lectionem.

quid haec] In Guelferbytanis teste Cortio legitur *generant* pro *gerant*, sed praestat vulgata, quia mox etiam conjunctivus sequitur.

aëris illius] Pugnare inter se videntur veteres in determinandis aetheris et aëris finibus, quin poëtae etiam minus accurate aetherem appellant, qui non nisi aër est (Virgil. georg. 1, 406. 409), et Ennius (ap. Varr. de L. L. 4, 37) Jovem ἀέρα, qui aether proprie est. Sed verum facile perspicient, qui duplicem utriusque conditionem spectaverint. Primum enim proximum terrae aërem separat noster a superiore, qui Junoni tribuitur (Cic. N. D. 2, 26. Sallust. philos. 6. p. 255 Gal. Macrob. Somn. Sc. 1, 17; Saturn. 3, 4. Alber. philos. 11. p. 314 Munck.); deinde aether aëre superior Jovi assignatur (Cic. 1, 15 et 2, 26. Virg. georg. 2, 325. Macrob. l. c. Augustin. de civ. dei 4, 10); summus vero Minervae (v. not. ad §. 39).

volucribus] Augustinus (de genesi contra Manich. Op. 1. p. 367): »Olympus mons excessit altitudine sua totum istum aërem humidum in quo *aves* volant.«

decem stadiorum] Ita et epigramma apud Plutarchum (in Paulo Aemil. p. 263):

Πλήρη μὲν δεκάδα σταδίων μίαν, αὐτὰρ ἐπ' αὐτῇ
Πλέθρον τετραπέδῳ λειπόμενον μεγέθει.

et jam] Melius sic Basileensis codex, quam *at jam* apud Grotium aliosque.

περὶ εὐδαιμονίας] Lege: περὶ δαιμόνων. Gron. — Id Goezius in textum recepit, licet nullo in codice legatur, nec quidquam mutari opus sit. Philologia enim in coeli regiones ascendens et circumspiciens reminiscitur eorum, quae saepe περὶ εὐδαιμονίας, de felicitate vel beatitudine illis regionibus propria legerat.

arces aërias] Has Junoni Ovidius (met. 15, 859) tribuit. Macrobius (Saturnal. 1, 15) Junonem *aëris arbitrum* esse docet.

diversitates edocet potestatum. Illi, inquit, quos ignitae substantiae flammantisque suspicimus, ab ipso aethere sphaeraeque superioris ambitu usque solarem circulum demeantes, ipsi dicuntur dii, et coelites alias perhibentur, causarumque latentium arcana componunt. Sunt enim puriores, nec admodum

illi inquit] Hoc loco et ad ea quae sequuntur, omnino Plutarchus (de orac. def. p. 415) comparandus, qui haec observat: »E Graecis Homerus videtur promiscue deorum ac geniorum nominibus uti, ut diis aliquando et daemonum nomen imposuerit. Hesiodus pure et distincte primus quatuor genera praeditorum ratione exposuit: primum deos, deinde genios, post heroes, denique homines; atque hinc distinctionis doctrinam institutiti inter semideos et heroes.«

flammantisque] Flammatisque (in editis) parvus error, sed qui forte non advertenti sensum turbat. Lego *cum manuscripto* »flammantisque.« Grot. — Non igitur e conjectura Grotius hoc notaverat, sicut Arntzenius (misc. p. 210) temere scribit; neque erat quod Vonckius (sp. crit. p. 82) conjiceret, reponendum esse id quod ante eum ita in codice scriptum jam monstratum erat! Sed quis finis esset laboris, si omnem criticorum socordiam notare vellemus! Ceterum codices tam Monacenses (B. C. D. E. G) *flammantisque* exhibent, quam Basileensis, Darmstattensis, et testibus Cortio et Arntzenio Guelferbytanus et Vossianus.

aethere] Darmstattensis »*aetheris*« non male, ita ut cum »ambitu« conjungendum sit, et respiciat ad »extimi ambitus murum«, de quo infra (§. 202); recte tam vulgatam retinebimus, quum aether non tam formam et ambitum, quam materiam et elementum supremi circuli constituat (conf. Aristot. de coelo lib. 1 et 2).

usque solarem circulum] Eusebius (praep. evang. 4, 3, 5. p. 114) Graecorum theologiam exponens, diis assignat coelum cum aethere ad Lunam, locum deinde circa Lunam aëremque daemonibus, illum denique, qui circa terram et subterraneus est, animabus (conf. Stob. in ecl. 1, 23, 1. p. 487. 1, 52, 41. p. 985. 1, 52, 61. p. 1077. 1085). E Romanis primus Varro apud Augustinum (civit. dei 7, 6) docuit »mundum dividi in duas partes, coelum et terram: et coelum bifariam in aethera et aëra; terram vero in aquam et humum. E quibus summum esse aethera, secundum aëra, tertiam aquam, infimam terram. Quas omnes partes quatuor animarum esse plenas, in aethere et aëre immortalium, in aqua et terra mortalium: a summo autem circuitu coeli usque ad circulum Lunae aethereas animas esse astra ac stellas, easque coelestes deos non modo intelligi esse, sed etiam *videri*. Inter Lunae vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aëreas esse animas, sed eas animo, non oculis videri, et vocari heroas et lares et genios.« Haec Augustinus: quem si cum nostro comparaveris, videbis hunc subtilius etiam tam aëris, quam aetheris partes distinguere, et ad Aristotelis propius accedere sententiam. Quatuor enim statuit partes. Primam aetherem usque ad Solem (§. 150): secundam a Sole usque ad Lunam (§. 151): tertiam a Luna in terram portionem superiorem (§. 156): quartam denique a Luna in terram portionem inferiorem (§. 160).

demeantes] Praeter Martianum ejus etiam popularis (met. 6, p. 412. 10. p. 759 Oud.) hoc verbo usus est.

nec admodum] De hac re quid disputatum sit supra (§. 32) exposuimus.

eos mortalium curarum vota sollicitant, ἀπαθεῖςque perhibentur. Illic Jovem
151 regnare certissimum est. At intra Solis meatum usque lunarem globum secundae beatitatis numina supparisque potentiae, per quae tamen vaticinia somniaque ac prodigia componuntur. Haec haruspicio exta fissiculant admo-

ἀπαθεῖς] Sensus est: deos ejusmodi curis, quibus homines crucientur, liberos esse. Ἀπαθὴς enim expers est cupiditatum et ab omni animi perturbatione liber. Plato (Phileb. p. 33. Steph.) jam docuerat, absurdum esse si quis deos vel gaudere vel contristari credat. Quocum apprime convenit sagacissimus ille Epicureus (Lucret. 1, 57) versibus:

»*Omnis enim per se divûm natura necesse 'st*
Immortali aevo summa cum pace *fruatur,*
Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.«

(add. 2, 1092. 5, 83. 175. 6, 57). Ita et Socrates (ap. Xenoph. in memorab. 1, 6, 10) »nulla re indigere *divinum* esse« dixerat. Similiter Cicero ad Trebatium (epist. 7, 12), quem Epicureum factum miratur, scribit: »Quomodo autem tibi placebit, Jovem lapidem jurare, quum scias, Jovem iratum esse nemini posse?« Epicurum enim dixisse, alio loco (in Pison. 25) ait, »deos neque propitios cuiquam esse neque iratos«, sed »beatos potius, nec habere negotii quidquam, nec exhibere alteri« (de N. D. 1, 17). Adde Diog. Laert. (10, 77. p. 634 et 10, 139 p. 661 Meib.), Lactantium (de ira dei 4), Senecam (de benef. 4, 4), Horatium (sat. 1, 5. 101), Appulejum (de deo Socr. p. 124. 130. 132. Oud.).

intra Solis meatum] Quae de diis memorat, exposuit Lipsius Physiol. Stoic. lib. I. Diss. 18, ex quibus apparebit, codicem Vossianum *male* apud Capellam exhibere »*infra* Solis meatum.« Arntz. (misc. p. 211). — *Infra* pro *intra* codices Monacenses (C et G) Bongarsii, Hugii, Musei Britannici, Cantabrigiensis et Guelferbytanus habent.

beatitatis] *Beatitudinis* Hugianus, Dresdensis et Monacenses (B. C. E. G): sed utroque Cicero utitur.

supparis] Id est inferioris vel minoris. Vulcan. — Explicandum potius »prope paris.« Hoc enim sensu non Appulejus tantum (met. 6. p. 427 Oud.) sed Cicero etiam (Brut. 7) hac voce usus est.

potentiae] Darmstattensis codex *substantiae*.

vaticinia] Post Platonem, qui (in symp. p. 202; Epinom. p. 985 Steph.) generaliter agit de daemonum interpretandi munere, Diogenes Laertius (8, 32. p. 514 Meib.) e Pythagoreis docet »totum aërem plenum esse animarum, easque et daemones et heroes existimari; ab his hominibus immitti *somnia signaque* tam morbi quam bonae valitudinis. — Ad eos etiam referri lustrationes vel expiationes, *divinationem* omnis generis, *vaticinia* et cetera hujus generis.« De provinciis singulorum daemonum in eis producendis vide Appulejum (de deo Socratis p. 134 Oud.).

haec aruspicio] Vide quae supra de fissiculatione dixi, et confer hunc locum cum eo qui est in libro Apuleji de deo Socratis, ubi pleraque eadem reperias. Gnor. — Goezius nonnulla ex Appuleji loco (Op. II. p. 132 sequ. Oud.) inseruit, de quo pluribus olim (in palaeogr. mea III. §. 92 sequ.) disputavi. Sed potius ad fontem, unde sua Appulejus hausit, accedere interpretes debebant. Nobilissimus enim Platonis (conviv. p. 202 Steph.) locus est, ubi docet »omnem daemonum naturam esse *mediam* inter mortales deosque. In medio consti-

nentia quaedam vocesque transmittunt, auguratisque loquuntur ominibus. Plerumque enim quaerentes admonent, vel sideris cursu, vel fulminis jaculo, vel ostentaria novitate. Sed quoniam unicuique superiorum deorum singuli 152
quique deserviunt, ex illorum arbitrio istorumque comitatu et generalis omnium praesul, et specialis singulis mortalibus Genius admovetur, quem

tota hac totum compleri connectique. Per hanc *vaticinium* omne procedere, sacerdotumque diligentiam circa sacrificia expiationesque et incantationes et *divinationem* omnem atque magicam.« Huic loco adde alium (in Epinom. p. 984 Steph.) quo »daemones« ait »in media regione aëris, interpretationis gratia, esse collocatos« et paulo post (p. 985): »Dii summi et daemones, inquit, sibi invicem interpretes sunt; medii enim, qui animati sunt, tum ad terram, tum ad coelum levi motu feruntur«; ut omittam quae hoc etiam loco de somniis et vaticiniis repetiit. Plura infra (ad §. 154).

fulminis] Sed Jovem ipsum hoc pacto omina misisse fingunt non solum poëtae, ut Ovidius (fast. 3, 369):

»*Ter tonuit sine nube deus, tria fulgura misit*«;

sed philosophi etiam (Sen. nat. quaest. 2, 32. p. 711 sequ. Lips.) fulmina futura portendere statuerunt, quos jure ridet Seneca (2, 41. p. 714 sequ.).

ostentaria] Recte; non »*ostentatoria*«, ut quidam correxerunt: de ostentis enim sermo. Adjectivum illud usurpat et Macrobius (Sat. 2, 16; 3, 7) pro »ostenti vim habente, vel docente.« Ad totum locum conferenda haec Ciceronis (N. D. 2, 5) verba sunt: »Praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea quae sint, *ostendi*, *monstrari*, *portendi*, praedici? ex quo illa *ostenta*, *monstra*, *portenta*, prodigia.«

novitate] Ansam iterum Cicero praebuit, qui (div. 2, 22) de iisdem ostentis: »causarum enim ignorantia in re *nova* mirationem facit.« Cornelius Fronto (II. p. 468 Maj.): »In ostento *raritas* admirationem facit.« Appulejus (de deo Socrat. p. 129 Oud.): »Raritas conciliat ipsa rebus admirationem.«

generalis] Quum vario sensu vox Genius accipi possit (Vives ad Augustin. de civ. dei 7, 13); haud equidem determinare ausim, quis generalis ille sit. Poterit tamen credi is, quem Augustinus (7, 13) partem universi dixit (conf. supra §. 49). Poterit et Fortuna intelligi, quam qui caecam et arbitrariam esse negarunt, *δαίμονα*, Genium, appellarunt. Jamblichus (ap. Stob. in eclog. p. 402): »Fortuna, quam mox Deum vocamus, mox Daemonem. Si enim altior rerum ordo causa eventuum, Deus a nobis vocatur (quemadmodum Martianus §. 150 »causarum latentium arcana); si naturales causae, Daemon.«

singulis mortalibus] Ejusmodi Genii ab Hesiodo (op. 250) numerantur ter decies mille:

Τρὶς γὰρ μύριοί εἰδιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Quibuscum confer ejusdem poëtae superiores versus (121), Platonemque (in Tim. p. 40 Steph. in Theag. p. 128. de R. P. 5. p. 468), Menandrum (in Stob. eclog. 1, 6, 4. p. 168 Heer.) et Sextum Empiricum (9, 86. p. 571 Fabr.). E Romanis Varro (ap. Augustin. 7, 13) Genium dicit esse »*unius cujusque* animum rationalem« quibus ad Socratis

etiam Praestitem, quod praesit gerundis omnibus, vocaverunt. Nam et populi Genio, quum generalis poscitur, supplicatur, et unusquisque gubernatori proprio dependit obsequium. Ideoque Genius dicitur, quoniam quum quis hominum genitus fuerit, mox eidem copulatur. Hic tutelator fidissimusque germanus
153 animos omnium mentesque custodit. Et quoniam cogitationum arcana superae

Genium respexisse videtur. Ulterius deinde philosophando progressus est Seneca (de quo v. not. ad §. 153). Locum inter Lunam terramque interjectum Plutarchus etiam (de orac. defect. p. 416) Geniis assignat: quos plures esse quam homines Plinius (2, 7) refert.

Praestitem] Praestes, *προστάτης, πρόμαχος*. Sic Saxo Lib. 8 Plutonem Orci praestitem nominat, id est praesidem. Ita Lares praestites dicti, quod aedibus praestarent. Stephan. (ad Saxon. p. 34 f.) — Inde Jupiter prae omnibus *Praestitis* cognomen invenit (Capitolin. in Max. et Balb. 5), et in lapidum etiam titulis (Grut. 22, 1. 1065, 2) illo nomine honoratur (v. et infra §. 164 Manium praestites).

gerundis omnibus] E Festo, qui (p. 161 Dac.): »Genium appellabant deum, qui vim obtineret *rerum omnium gerendarum*.« Licet dubium videri possit, num vera Festi verba nunc legantur. Quid enim illa cum *Genio* commune habent? Verior videtur scriptio Varronis (ap. Augustin. de civ. dei 7, 13): Genius deus, »qui praepositus est ac vim habet omnium rerum *gignendarum*.« Atque ita Isidorus (8, 11, 88. p. 391 Arev.) etiam legit.

populi Genio] Romani populi hic Genius celebratur non modo in numis (Montf. ant. expl. I. p. 318. Spanh. num. I. p. 147. Rasche II. 1. p. 1364) et inscriptionibus (Grut. 8, 3. 1006, 5); sed etiam templi, ubi colebatur, mentionem faciunt scriptores (Dio Cass. 47, 2. p. 492. 50, 8. p. 609 Reim.). Idem esse videtur, qui alias *Genius publicus* appellatur (Ammian. Marc. 20, 5. p. 267. 22, 11. p. 353. 23, 1. p. 381. 26, 2. p. 451 Gron. Camden in praelect. academicis p. 180).

supplicatur] Ita pro *supplicant* in editis Reichenauensis, Basileensis, Darmstattensis, Cantabrigiensis, Britannicus, Bongarsiique codex.

gubernatori] Affert Montfauconius (antiqu. I. p. 318) inscriptiones Genio *gubernatori*, et Genio *patrono* dicatas. Regimen modo flagro, modo gubernaculo significari alio monstravi loco (palaeogr. crit. I. §. 695—697).

genitus] In hoc vocis etymo a *gignendo* ductas plerique conveniunt (Fest. v. Genium p. 161 Dac. Censorin. de die nat. 3. Appulejus de deo Socrat. p. 151 Oud. Isidor. etym. 8, 11, 88. p. 391 Arev. Conf. Müller. Etrusc. II. p. 89 n. 24).

omnium] Legendum fortassis *hominum* pro *omnium*. Nam de Geniis sermo est. Susius (in Gurlitt. anim. 4. p. 9). — Profecto non opus correctione erat, siquidem Susius facile supplere poterat *hominum*. Sed melius etiam Martianus scripsit *omnium*, quia non hominibus tantum, sed diis etiam sui erant Genii (§. 53. 92), quin et rebus (Porphyr. de abstin. 2, 38. p. 172 Rhoer.).

cogitationum] Seneca (epist. 41. Op. p. 453 Lips.) quam nostri theologi *conscientiam* dicunt, intelligit scribens: »Sacer intra nos spiritus sedet malorum bonorumque nostrorum observator et custos.« Plautus (Rud. proleg.) Arcturum finxit hominum facta, mores, pietatem, et fidem pariter ac perjuria Jovi denuntiantem. Lucianus (Necyom. 11. T. III.

annuntiat potestati, etiam Angelus poterit nuncupari. Hos omnes Graeci *δαίμονας* dicunt, *ἀπὸ τοῦ δαήμονας εἶναι*: Latini Medioximos vocitarunt. Qui quidem omnes minus lucidae splendentisque naturae quam illi coelestes, sicut conspicis, approbantur. Nec tamen ita sunt corpulenti, ut hominum capiantur obtutu. Hic ergo Lares, hic post membrorum nexum degunt animae puriores, quae 154 155

p. 15 Bip.) ipsas corporum umbras apud inferos accusare homines refert, quippe quae, utpote eorum semper comites, omni fide dignae sint. Pindarum nempe (Ol. 2, 107) vel Platonem (Phaed. p. 107. Phaedr. p. 249 Steph.) ante oculos habuit, cujus verba pluribus ita circumscripsit Appulejus (de deo Socr. p. 155 Oud.): »Plato autumat singulis hominibus in vita agenda testes et custodes singulos additos, qui nemini conspicui semper adsint arbitri omnium non modo actorum, sed etiam *cogitatorum*. At ubi vita edita remeandum sit, eundem illum, qui nobis praeditus fuerit, raptare illico et trahere ad judicem atque illic in causa dicunda assistere: si qua commentiatur redarguere; si qua vera dicat, asseverare: prorsus illius testimonio ferri sententiam.«

Angelus] Cave credas hoc nomine, quo nuntius significatur, non nisi Christianos scriptores usos esse. Usus est e Romanis jam Labeo, e Graecis Aristides (or. *εἰς Ἀθηναν*) et, si fabula vera, Apollo ipse in responso (ap. Lactant. 1, 7). Porphyrius quoque (de abstin. 2, 38. p. 173 Rhoer. Isagog. ad Aristotelem 3) huc referri potest, *διαγγέλλοντας* inter deos et homines memorans. Sed eadem, quae Martianus, ante eum jam Plutarchus (de orac. def. p. 417) scripserat. Pariter Philo Judaeus (de somniis Op. p. 586): »Sunt quaedam purissimae optimaeque, quae altius diviniusque sapiunt, aspernatae terrestria, ministrae omnipotentis, tanquam magni regis aures et oculi videntes audientesque omnia. Has Genios philosophi, *Angelos* sacrae literae vocant (*ὁ δὲ ἱερὸς λόγος ἀγγέλους εἴωθε καλεῖν*) nomine aptissimo: sunt enim internuntiae, patris mandata perferentes ad filios et ad illum vicissim preces filiorum.« Confer Homeri hymnum in Mercurium (569), et Orphicum (27, 1), Max. Tyrium (14, 8. T. I. p. 266 Reisk.), Origenem (c. Cels.), Plinium Secundum (paneg. 32, 3. p. 657 Cellar.), ac si lubet quae alibi (in palaeogr. crit. III. §. 92. 93) de illis nuntiis exposui.

ἀπὸ τοῦ] Vulgaris haec etymologia est (Plato in Cratyl. p. 398 Steph. Isidor. etym. 8, 11, 15. p. 378 Arev.) a qua differt illa Lennepii (in etym.).

Medioximos] Quasi medios proximos inter deos et homines discurrentes. Vulcan. — Appulejus (dogm. Plat. p. 204 Oud.) »esse *medioxumos*« ait, »qui sui ratione et loco et potestate diis summis sint minores, hominum natura majores.«

conspicis] Pro *conspicitis* in editis non Grotianus tantum codex, sed Reichenauensis, etiam Basileensis, et Darmstattensis habent.

obtutu] Plato (Epinom. p. 984 f. Steph.) daemones ait, quamvis prope nos sint, conspici tamen non posse.

Lares] Manes intelligit illos, quos infra (§. 162), si vitae prioris adjuti fuerint honestate, dicit in Lares domorum urbiumque verti.

post membrorum nexum] Intellige: solutum, sive: »post animas a membrorum nexu solutas.« Non poenitebit contulisse haec Graeca Maximi Tyrii (15, 6. T. I. p. 278 Reisk.): »*ἐπειδὰν δὲ ἀπο-*

plerumque, si meritorum excellentia subvehantur, etiam circulum Solis ac
156 flammantia septa transsiliunt. Dehinc a lunari circulo usque in terram, quid-

κάμῃ τὰ νεῦρα ταυτὶ, καὶ τὸ πνεῦμα, καὶ τὰ ἄλλα τὰ ὥσπερ καλώδια, ἐξ ὧν τέως προβώρμιστο τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα, τὸ μὲν ἐφθάρη καὶ κατὰ βυθοῦ ᾤχετο, αὐτὴ δὲ ἐφ' ἑαυτῆς ἐκπηξαμένη συνέχει τε αὐτὴν καὶ ἵδρυται.«

degunt] Operae pretium erit hic e Dionysio Halicarnassensi (8. p. 522 Sylb.) matris ad Marcium filium haec inserere verba: »Si quis locus est, qui humanas *animas a corpore solutas* recipiat, meam non subterraneus caliginosusque capiet — nec campi, quos Lethaeos nominant; sed sublimis et purus aether, in quo ajunt diis genitos fortunatam et beatam vitam degere.« (Confer ap. Diog. Laert. 3, 44 p. 189 Meib. epigr. in Platonem et nostrum infra §. 211). Sed ipsi Aristoteli visum esse (ap. Cic. divin. 1, 25) legimus, animum, quum e corpore egrediatur, domum revertere. Ac Cicero (div. 1, 30) etiam »vigere et vivere animum post mortem, quum corpore excesserit« docet; et (Tusc. 1, 11) »posse animos, quum e corporibus excesserint, in coelum quasi in domicilium suum pervenire.« Alium Ciceronis (de consolatione) locum Lactantius (3, 19) affert, ubi ille »castos animos« ait »levi quodam et facili lapsu ad deos, id est, ad naturam sibi similem, pervolare.« Conferendus praeterea nobilissimus Ciceronis (de amic. 4) locus, cui adde Senecam, qui (ep. 79. p. 535 Lips.) animo gratulatur, »quum emissus his tenebris et redditus *coelo suo* fuerit, quum receperit locum quem occupavit sorte nascendi. Sursum vocant illum initia sua.« Unde etiam (ep. 86. p. 555) Scipionis Africani »animum in coelum, ex quo erat, rediisse« persuasum habebat, et pluribus locis (ep. 92 et 120; consol. ad Helv. c. 6.) praecepta eadem repetit, quae ei cum Platonicorum *τῇ εἰς τὰ σώματα καθόδῳ* et *ἀνόδῳ* communia erant. E poëtis conferendus inprimis Virgilius (georg. 1, 226).

quae plerumque] Successive enim dignitatis gradibus animas ascendere docebant veteres. Sextus Empiricus (9, 1 adv. phys. 71 sequ. p. 568 Fabric.) »animas, inquit, ne suspicari quidem licet quod deorsum ferantur. Nam quum sint subtiles, et non minus igneae, quam aëreae, sua levitate magis feruntur in loca superiora. — Quum itaque extra Solis tabernaculum positae fuerint, habitant locum qui est sub Luna, et hinc propter puritatem aëris accipiunt majus tempus ad permanendum: et utuntur alimento convenienti, nempe exhalatione ex terra ut cetera astra; nec habent in iis locis quod eas sit dissoluturum. Si ergo permanent animae, fiunt ejusdem naturae cum daemonibus.« Haud aliter Julius Firmicus (mathes. 1, 3 p. 7 ed. 1533) scribit: »Quis dubitat quod per stellas terrenis corporibus divinus ille animus necessitate cujusdam legis infunditur, cui *descensus* per orbem Solis tribuitur; per orbem enim Lunae *praeparatur ascensus*.« Pariter Manes et Manichaei animas primum in Luna per aquam, deinde in Sole per ignem purgari docebant (Mosh. hist. Chr. ante Const. sec. 3. §. 19 not. 3. p. 862. ibique Augustin. haer. c. 46).

a lunari circulo] Plutarchus (de fac. in Luna p. 943): »Omnis anima, ubi primum e corpore exiit, fati lege ad tempus vagatur ea in regione quae terram et Lunam interjacet.« Macrobius (somn. Scip. 1, 11): »Immutabilem quidem partem a sphaera, quae aplanes dicitur, usque ad globi lunaris exordium; mutabilem vero a Luna ad terras usque dixerunt: et vivere animas dum in immutabili parte

quid interpatet, interstitii proprii partitione discernitur, et ab orbe lunari interfusa medietas disparatur. Sed superior portio ejus sicut conspicis claudit quos ἡμιθέους dicunt, quosque Latine Semones aut Semideos convenit memorare. Hi animas coelestes gerunt sacrasque mentes, atque sub humana effigie in totius mundi commoda procreantur. (His animus datus ex sempiternis ignibus, quae sidera stellasque vocamus). Qui quidem plerumque sui miraculo 157

consistant; mori autem quum ad partem ceciderint permutationis capacem: atque ideo inter Lunam terrasque locum mortis et inferorum vocari, ipsamque Lunam vitae esse mortisque confinium et animas inde in terram fluentes mori, inde ad supera meantes in vitam reverti, non immerito existimatum est. A Luna enim deorsum natura incipit caducorum.« (Conf. palaeogr. crit. IV. §. 759 et Ocellum Lucanum de univ. natura p. 516. 529 Gal.). Paulo aliter illud circa Lunam spatium e Chaldaeorum placitis dispertit Psellus (ad Chald. orac. ap. Gallaeum in app. p. 91): »animam curriculo vitae humanae finito ad regionem, quae supra Lunam est, redire, eique sorte assignari locum undique luminosum. Nam qui subter Lunam locus, eum *undique tenebricosum* esse: *lunarem* vero *alternatim lucidum* et *obscurum*. — Graecorum contra doctrinam animam facere interitus nesciam eamque usque ad elementa sub Luna sita extollere.«

Semideos] Vide de iis Ovidium (met. 1, 192. 14, 873; her. 4, 49; in Ib. 80), Statium (Theb. 3, 318. 5, 373. 6, 111. 9, 376. Ach. 1, 71. 2, 363), Rutilium (1, 565), Faliscum (cyneg. 65), Servium (ad Aen. 1, 196), Ausonium (Id. 11, 21). Pro ἡμιθέους infra (§. 160) Latinis literis hemitheos scripsit regionemque aliam indicavit, in qua versentur. Confer Hesiodum (op. 159), Diodorum (4, 85) et Lycophronem (511). Inprimis autem hi Lucani (9, 6) versus memorandi:

»*Quodque patet terras inter Lunaeque meatus*
Semidei Manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita patientes aetheris imi
Fecit et aeternos animam collegit in orbes.«

De Semonibus locus classicus est apud Fulgentium (in serm. ant. p. 172 Munck.).

mundi commoda] Apud Aegyptios Strabo (1. p. 24 Casaub.) tradit divinis honoribus cultos esse eos, qui aliquid utile excogitassent, et (17. p. 822) ab Aethiopibus deum haberi eum qui benefecerit. E Graecis Persaeus, Zenonis auditor, eos esse dixit habitos deos, a quibus *magna utilitas* ad vitae cultum esset inventa (Cic. N. D. 1, 15 et 42). Ex hominibus enim deos factos, unde Dionysius Halicarnassensis (7. p. 478 Sylb.) et Plutarchus (in plac. philos. 1, 6. p. 880) »semideorum« ajunt »animas, relictis corporibus, in coelos ascendisse — Hercutis, Aesculapii, Castorum, Helenae, Panos et aliorum innumerorum.« Quibus mox plures addit noster (§. 157 sequ.). Vide supra (§. 62) et (§. 94) Jovis quoque hac de re decretum.

his animus] Quae uncis inclusa sunt, Ciceroni (ap. Macrob. in somn. Scip. 1, 14) debentur, neque reperiuntur in codicibus Basilecnsi, Darmstattensi, et Dresdensi. Intrusa ea esse e glossa aliqua eo magis videntur, quo certius male se haberent commata sese excipientia »hi animas« et »his animus.« Ceterum nota est differentia inter animum et animam. Ille est quo sapimus, haec qua vivimus, ut ait Nonius (de differ. verb. p. 426 Mercer.).

miraculo] Exemplis, quae in medium profert, ad-

fidem fecere coelestium, ut in ortu Herculis geminatae noctis obsequium serpentesque idem parvus oblidens vim numinis approbavit; Tages sulcis

dere poterat illud Romuli (Dion. Halicarn. 2. p. 119 Sylb.). Alios etiam, qui cum prodigiis nati, recensuerat Apollinaris Sidonius (carm. 2, 105 sequ. p. 202 Sirm.).

fidem fecere] Et statim subjungit Herculis exemplum, ita ut verba illa habuisse videatur a Claudiano (seu quis alius sit poëta) qui laudes Herculis canens hunc sic alloquitur (15. p. 396 Bip.): »Fecisti de patre fidem.«

geminatae noctis] Seneca: »Roscidae noctis geminavit horas« de eadem Herculis genitura. Gnor. — Graeci quidem scriptores triplicatam fuisse noctem scribunt (Diodor. 4, 9. Apollodor. 2, 4, 8. Lucian. dial. deor. p. 32 Bip. Euseb. praep. ev. 2, 2, 2. p. 54. Orph. Argon. 118), unde τριεσπέρου λέοντος nomine insignitur a Lycophrone (33) et ἀλεξίκακος τριέλληνος appellatur a Pallada (anth. Gr. 1, 38, 9, 3. p. 168 Bosch.): sed Romanorum plerique geminatae meminerunt noctis (Propert. 2, 18, 25). Et quamquam verbum *geminare* etiam *multiplicare* significare poterit, id quod e voce *tergeminus* sive *trigeminus* patet, sintque praeterea qui numerum non definiant (Plaut. Amph. prol. 113. 116; adde tamen 158. Senec. Agam. 816. Ovid. Heroid. 9, 9); aliis tamen locis, ut illo a Grotio laudato (Sen. Agam. 805) numerum expresserunt, ut Ovidius (amor. 1, 13. 45):

»*Ipse deûm genitor, ne te tam saepe videret,*
Commisit noctes in sua vota duas«

(conf. Senec. de brev. vit. 16. p. 228 Lips. Hieronym. alios). Servius contra (ad Aen. 8, 103) cum Graecis facit: atque Arnobius (1. p. 115) et Clemens (protrept. p. 20) tribus non contenti vel novem fingunt.

Tages] Cicero: »Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, quum terra agraretur, et sulcus altius esset impressus, exstitisse repente et eum affatus esse qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Ejus aspectu quum obstupuisset bubulcus, clamoremque majorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamque brevi tempore Etruriam convenisse: tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint literisque mandaverint. Omnem autem orationem fuisse eam, qua Haruspicinae disciplina contineretur.« Ovidius:

»*Haud aliter stupuit, quam quum Tyrrhenus arator*
Fatalem glebam motis aspexit in arvis
Sponte sua primum nulloque agitante moveri,
Sumere mox hominis terraeque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenae dixere Tagem: qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Citat Planciades libros ejus Haruspicinae nomine inscriptos. Sed et Servius. Quoniam autem vocem *sypnum* hic mendosam esse,' et ex grammatica hue translatam, idque manifestis MS. libri indiciis liquet, ex locis hic laudatis lubens legerim: et *ritum* statim genti, *haruspiciumque* monstravit, vel si mavis *haruspiciumque*. Et sane alterutrum fuerit, quod vel ex intervallo, quod in MS. est, verum esse colligo. Gnor. — Lacunam in MS. suo testatur fuisse Grotius. Nos priscum codicem possidemus qui ab hac scriptura nec unguem latum recedit. Quid vero illud *sypnum* sit doceri cupimus. Legendum arbitror »et ritum statim genti *inspiciumque* monstravit.« Inspicium solemnis in sacri-

emicuit et ritum statim gentis sypnumque monstravit; Ammon apparuit cum cornibus arietinis et vestimento lanitio, ac sitientibus undam fontis exhibuit.

ficiis vox. Tertullianus lib. I in Marcionem: »Divum posse videri Extorum *inspiciis*, resque exspectare futuras.« Bantn. (in advers. p. 1235) — Vid. de Tagete Cicero de divin. 2, 23 et Ovid. metamorph. l. XV. 555 (l. 553). Servius ad Aen. VIII, 398 et Scholiastes Statii ad IIII. Theb. 516 (?) Tagetem inter scriptores artis aruspicinae numerant, cum quibus etiam plane consentiunt Fulgentius et Isidorus. Gozz. — Addere poterat Festum (p. 557 Dac.), Ammianum (21 pr. p. 193 Lind.), Censorinum (de die natal. 4 f.), Statium (silv. 5, 2, 1), Lucanum (1, 637), Columellam (10, 345), aliosque. Sed magis solliciti sumus de vocis *sypnum* interpretatione. Glossa quidem esse dicit »oppidum Hispaniae, quod infra dicatur Sippone«, sed facile perspicitur scholiastem prorsus nihil hic intellexisse multumque sudasse, ut istam saltem daret interpretationem. Variantes igitur in codicibus lectiones perlustravi. Sed in Monacensibus nihil reperi, nisi quod in nonnullis I, in pluribus Y in voce illa erat. Neque ex Anglicis aliquid accepi memoratu dignum. In Dresdensi quidem substituitur *supplicium*; sed e judicum numero Tagetem fuisse nemo audierit. Quod autem in Guelferbytano Cortius pro *sypnumque* legit *exitumque*, initio quidem mihi arrisit, comparatis nimirum hisce Censorini (17, 6) verbis: »Quare in Tuscis historiis, quae octavo eorum seculo scripta sunt, ut Varro testatur, et quot numero secula ei genti data sint et transactorum singula quanta fuerint, quibusve ostentis eorum *exitus* designati sint, continetur.« Verumtamen neque in hac acquievi explicatione. Postquam enim videram eandem vocem *sypnum*, iisdemque literis scriptam infra (§. 254) a nostro repeti, statim mihi persuasi, hanc unice veram esse lectionem, neque culpandum Martianum de ea in antiquissimis ritibus recensendis adhibita, sed nosmet ipsos in illius vocis ignoratione reprehendendos esse. Docuerat enim jam Gellius (13, 9, p. 148 Conr.) »Romanos pro Graeco ὕπνος primum dixisse *sypnus*, e quo sensim enatum *somnus*.« Liquet igitur vaticinia per somnia, de quibus noster paulo ante (§. 151) egerat, intelligenda esse, additumque verbum *monstravit* eminentiori sensu explicandum, ut significet *demonstravit*. Müllerum quoque (Etrusc. II. p. 25 n. 16) persuasum habeo, si alterum Martiani locum et Gellium inspexisset, non *haruspicium* substituturum fuisse.

Ammon] Duas hic fabulas de Jove tangit, quarum una ab Herodoto lib. II. refertur, quae narrat Jovem Herculi apparuisse in pelle arietina: altera notior, qua refertur Hammonem sitientem Liberum, quum exercitum per Africam duceret, ad fontem deduxisse. Gnor. — Vide Herodotum (4, 181), Pausaniam (8, 32, 1), Macrobium (Sat. 1, 21), et Staverenum (ad mythograph. pag. 953. 957. 960). Frequens ejus cognomen »corniger Ammon« (Lucanus 3, 292. Silius 3, 10. 14, 572. Claudian. 4 Cons. Honor. 143. Ovid. met. 3, 17. 15, 309) ejusque cum cornibus picta imago (Pal. crit. IV. §. 600).

vestimento lanitio] Linitium scribendum arbitramur. Ammonis enim mysteria non lanam, sed linum vestitui quaerebant. Silius Italicus libro III. Punicorum (v. 24):

— — — »velantur corpora lino.«

Bantn. (advers. p. 1235). — Sed errat vir doctus: primum enim non de Ammonis sacerdotibus illic sermo est, sed de Herculis Gaditani, quod Drakenborch (ad Sil. Italic. p. 125) jam animadvertit.

158 Quid loquar eos, qui primi mortalibus usum rerum majoraque commoda praestiterunt? ut vitem Dionysius apud Thebas, Osiris apud Aegyptios haustum vini usumque comperiens; frumentum Isis in Aegypto, Triptolemus

deinde, etiam si (ex Herodoti 2, 81 loco) demus non nisi lineis vestimentis in mysteriis Ammonis locum fuisse, satis tamen notus est latior vocis *lanae* usus, adeo ut serica etiam lanitia dicantur (Plin. 6, 17, 20), omnisque nendi texendique ars hoc vocabulo contineatur; postremo non de vestitu in mysteriis, sed de *pelle arietina* noster loquitur, qua tectus Ammon apparuerit. Profecto igitur non erat, quod inusitatum verbum *linitium* criticus ille Martiano obtruderet. Quod reliquum est, Cortius quidem in Guelferbytano legit *vestimentum* pro *vestimento* et sic etiam in Darmstattensi legitur; sed vulgaris praeferenda lectio est.

qui primi] Lactantius (1, 18): »Artes quoque suis inventoribus immortalitatem peperisse dicuntur, ut Aesculapio medicina, Vulcano fabrica.« Adde Oppianum (in piscat. 2, 15 sequ.) et Lucretium (5. 13):

»*Confer enim* divina *aliorum antiqua* reperta,
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse.«

Dionysius] Pro Dionysus, solemni errore! Munck. (ad Fulgent. p. 90 a). — Nihil muto. Arnobius (5. p. 176) Bacchum appellat »*Nysium* et Semeleium Liberum.« Ipse Cicero (pro Flacco 25), si plurimorum codicum lectionem spectaveris, nomina »Evium, *Nysium*, Bacchum, Liberum« jungit. Et profecto qui vulgatum illud nominis etymon probant, ut sit a *Jove* et *Nysa* compositum (Diodor. 4, 2; alii), non possunt *Dionysum* scribere. A *Nysa* enim gentile est *Nysius*, possessivum *Nysëius* sive *Nysaeus* (Steph. Byz. p. 500), nunquam *Nysus*. Sed qui sola consuetudine ducti rationes non exquirunt, illico clamant et errorem se reperisse gaudent. Nomen equidem Dionysum, ut magis usitatum, scribo; sed eos etiam defendo, qui Dionysium praeferunt.

Osiris] Eundem enim hunc fuisse quem Graeci Romanique Dionysum et Bacchum appellarint, multis jam demonstravi (in Pal. crit. III. §. 465. IV. §. 641. 643. 646. Add. Auson. epigr. 20 et 30). Sed ipsi etiam Osiridi hederae inventionem tribuerunt scriptores tam Graeci (Diodor. 1, 17) quam Latini (Tibull. 1, 7, 33). Heyne (ad Apollodor. 3, 5. p. 571) de Dionyso: »primam notionem«, inquit, »ei fuisse symbolicam et ex oriente profectam nemo dubitet; satis quoque constat naturam ejus *vim generandi* ab initio fuisse declaratam notione in personam seu deum conversa.«

frumentum Isis] Isis Aegyptios terram colere docuit (Diodor. 1. 14. Isidor. etym. 8, 11, 84), unde cum Cerere confusa in Aegypto est (Apollodorus 2, 1, 3).

Triptolemus] Si plura de eo cupis, confer Diodorum (1, 18), Pausaniam (1, 14, 1 — 3. 1, 38, 6. 7, 18, 2. 8, 4, 1), Apollodorum (1, 5, 2), Anthologiam Graecam (2, 47, 24 de Bosch), Strabonem (16. p. 750 Casaub.), Ovidium (fast. 4, 550; met. 5, 646. 653; trist. 3, 8, 1; e Ponto 4, 2, 10), Arnobium (1. p. 21. 3. p. 103. 5. p. 174), Hyginum (astron. 2, 14. p. 380; fab. 147. p. 216. f. 277. p. 336. Munck.), Fulgentium (myth. 1. p. 10 Munck.), Servium (ad georg. 1, 19. 163; Aen. 1, 323). Pictus etiam in gemmis comparet (Winckelman. catal. p. 70. not. 239 sequ. Rasp. 1888 sequ.).

apud Atticos docuere. Eademque Isis lini usum sementemque monstravit. Comminuendae frugis farrisque fragmenta Pilumno assignat Italia. Ascribit Asclepio Graecia medicinam. Alii quoque hujus generis homines in divinandi 159
usum et praescientiam procreati, ut Carmentis in Arcadia ab effuso per vaticinia carmine memorata; Sibylla vel Erythrea, quaeque Cumaea est, vel

lini usum] Hinc Isis linigera et Isiaci linigeri. Juvenalis:

»*Qui grege linigero circumdatur et grege calvo.*

Gnor. — Aegyptii vero etiam laneae vestis inventionem Isidi tribuerunt, utpote quae Mercurio docente prima lanam nere, et vestem ex ea texere invenerit. Gorz. — »Nili regis filiam et textrinae artis magistram« Julius Firmicus (de error. prof. relig.) Isidem appellat; quod praeterea Goezius docet, me latuisse ingenue fateor; quae enim de ea comperta habebam omnia pridem (in palaeogr. crit. IV. §. 593) exposui.

Pilumno] Vide de hoc deo Varronem (ap. Non. Marcell. 12. n. 36. p. 528 Merc.), Virgilium (Aen. 10, 76. 619), Minucium Felicem (25, 8), Servium (ad Aen. 9, 4 et 10, 76), Augustinum (de civ. dei 6, 9) et Gruterum (in inscr. 96, 4).

assignat] Ita pro Grotiano *signat* habent membranae Leidenses (Munck. ad Fulgent. p. 44) et codex Vossianus (Arntz. misc. p. 211), quamvis non sine exemplo ille verbi *signare* usus sit.

Carmentis] Evandri mater Nicostrata, alio nomine Carmenta vocabatur, aliis tamen *Carmentis*. Ovidius:

»*Jamque ratem doctae monitu Carmentis in amnem*

Egerat« — — —

Idem:

»Carmentis *portae dextro est via proxima Jano.*«

Et forte rectius, si etymologicis credimus, qui inde dictam ajunt, quod careret mente: erat enim fatidica. Gnor. — Nominis etymon prodidit Ovidius (fast. 1, 467):

»*Ipsa mone, quae nomen habes* a carmine *ductum.*«

Quod et Graecorum nonnulli (Dionys. Halic. 1. p. 24 Sylb. Plutarch. in Romul. p. 31; quaest. Rom. 55. p. 278) comprobant. Strabo (5. p. 230 f. Casaub.) simpliciter *Καρμέντιν* eam appellat. Aedem habuit in regione octava (cf. Victor. urb. reg. 8).

Sibylla] De nominis etymo Varro (apud Lactant. 1. 6) ita statuit, »*διοὺς* deos, non *θεοὺς*, et consilium non *βουλὴν* sed *βυλὴν* appellari Aeolico genere sermonis; itaque Sibyllam dictam esse quasi *θεοβούλην*.« Alia attulerunt Salmasius (ad Solin. p. 80 ed. a. 1629), Fabricius (in bibl. Gr. I, p. 171—174; edit. Harl. I, p. 229 sequ.), et Perizonius (ad Aelian. var. hist. 12. 35. 5), qui etiam monuit, tandem feminas fatidicas omnes hoc nomine appellatas esse, sicut et Staveren (in mythograph. p. 952) pluribus demonstravit. Primam tamen omniumque antiquissimam *ab Afris* nomen accepisse refert Pausanias (10. 12), unde fortasse fides accedit Hydio, qui (de relig. Persar. c. 32, p. 391 sequ. ed. 1700) reliquis omnibus originationibus spretis, e voce Phoenicia שבולת, *spica*, explicat adque *Virginis* in Zodiaco signum refert.

Cumaea] Pro *Cumea* Munckerus ad Hyginum fab. 228 e codice Leidensi profert *Cymea*, idque etiam exhibet Vossianus, neque illud male. Vide notam ad Livium 38, 39, et quem Drackenborchius excitat Heinsium ad Val. Flacc. 1, 5. Ad-

Phrygia: quas non decem, ut asserunt, sed duas fuisse non nescis, id est, Herophilam Trojanam Marmensi filiam, et Symmachiam Hippotensis filiam, quae Erythra progenita etiam Cumis est vaticinata. Ex hac divinandi possibilitate

datur Cellarius orthogr. Lat. p. 6. Arntzen. (misc. p. 211) — At vero Virgilius (Aen. 6, 98):

»*Talibus ex adyto dictis* Cumaea *Sibylla*« cet. Fabulam ipsam uberius exponit Ovidius (met. 14, 121). Nomen habet a *Cumis*, Campaniae oppido, quod Graecis *Cyme* (conf. Cluver. Ital. ant. 4. 2. 8; Peregrin. de Campania felice in Graev. et Burm. Thes. antiqu. Ital. T. IX, P. 2; diss. II. c. 15), sicut *Erythraea* ab oppido Joniae (Strab. 14, p. 645 Casaub.), quas tamen plerique inter se distinguunt (vid. Solin. c. 2; Pausan. 10. 12. 4, et not. quae sequitur).

decem] Sic verbi causa Scholiasta Platonis (p. 60 Ruhnken.) et Lactantius (1. 6), qui Varronem secutus primam enumerat fuisse de *Persis*, secundam *Libycam*, tertiam *Delphida*, quartam *Cimmeriam* in Italia, quintam *Erythraeam*, sextam *Samiam*, septimam *Cumaeam* nomine *Amaltheam*, quae ab aliis *Demophile* vel *Herophile* nominetur; octavam *Hellespontiacam*, nonam *Phrygiam*, decimam *Tiburtem*. Paulo aliter Aelianus (var. hist. 12. 35): Σιβύλλαι τέτταρες, ἡ Ἐρυθραία, ἡ Σαμία, ἡ Αἰγυπτία, ἡ Σαρδιανὴ· οἱ δὲ φασι καὶ ἑτέραι ἕξ, ὡς εἶναι τὰς πάσας δέκα, ὧν εἶναι καὶ τὴν Ἡμιαίαν καὶ τὴν Ἰουδαίαν.

Herophilam] Hanc noster *Trojanam* appellat, Lactantius *Cumaeam*, Plutarchus (Pyth. orac. p. 401), Solinus (c. 2) aliique (Suidas II, p. 77) *Erythraeam*; cum nostro conspirare videtur Pausanias (10. 12), ita tamen ut et ipse Erythraeos quoque sibi illam vindicare dicat (ἀμφιβητοῦσι γὰρ τῆς Ἡροφίλης προθυμότατα Ἑλλήνων).

Trojanam] Eandem quam modo *Phrygiam* dixerat, etsi Lactantius eam, quam *Hellespontiam* dixit »in agro *Trojano* natam vico *Marmesso* circa oppidum Gergithium«, a *Phrygia* distinxit; quod iisdem fere verbis Suidas repetit.

Marmensi filiam] Quod eam Marmessi vel Marmensi (saepe enim veteres pro ss duplicata ns ponebant, et sic »antecessor« Graecis ἀντιπάτωρ dictus) filiam ait, quum in vico ita nominato natam alii tradant, simile est ei quod Meletem quidam Homeri patrem dicant, alii ad Meletis fluminis ripas natum. Gnot. — *Mermessi* Salmasius ad Solin. p. 92 pro vulgato *Marmensi* reponi jubet. Gorz. — Variat nomen, quod alii *Mermessum*, alii (Pausan. 10. 12) *Marpessum* scribunt, ut satius sit nostram lectionem tueri, quam omnes libri retinent Grotiusque abunde defendisse videtur. Accedit quod *hominis* nostro vocabulum est, non *oppidi*, ut plerisque, nisi *Marmensi filiam* dictum volueris pro *Marmenso oriundam*. Ceterum Tibullus (2. 5. 67) distinxit Mermessiam ab Herophile:

Quidquid Amalthea, quidquid Mermessis *dixit,*
Herophile *Phoebo grataque quod monuit;*

Stephanus autem Byzantius (s. v.) Mermessum Erythraeae Sibyllae patriam fecit (cf. et Clem. Alex. strom. 1, p. 323).

Symmachia] Venus quidem hoc nomine nota (Pausan. 8, 9, 3), de Sibylla autem Symmachia non habeo quod dicam. *Erythra* pro Grotiano *Erythrea* legerunt Cortius in Guelferbytano, Arntzenius in Vossiano (v. misc. p. 211), et ipse legi in Darmstattensi et Basileensi. Patris quoque nomen in Darmstattensi non *Hyppotensis* sed *Hipotensis* scribitur, unde *Hippotensis* restitui.

possibilitate] Pro *potestate*. Voce illa minus Latina saepe utitur noster (§. 535. 625. 759).

Amphiaraus Mopsusque celebrati. A medietate vero aëris usque in montium 160
terraeque confinia Hemithei Heroesque versantur, qui ex eo quod Heram terram veteres dixerunt, Heroes nuncupati. Ibique Manes, id est, corpori

Amphiaraus] Conferri possunt de hoc vate Apollodorus (3, 6, 2), Pausanias (1, 34), Cicero (N. D. 2. 3; de div. 1, 40; de leg. 2, 13), Propertius (2, 25, 39), Statius (Theb. 1, 399 ibique Barth.), Hyginus (fab. 128 p. 195 Munck.), Appulejus (de deo Socr. p. 154 Oud.), et de ejus oraculo quondam admodum celebri Strabo (9. p. 399. 404. 16. p. 762 Casaub.) et Valerius Maximus (8, 15. ext. 3). *Mopsus* plerumque cum eo conjungitur (Stat. Theb. 3. 521), licet longe alia in regione ejus oraculum cerneretur (Strab. 14, p. 668 Casaub. Plut. de def. oracul. p. 434).

Heroesque] Fere eodem modo Augustinus (7. 6) »inter Lunae gyrum« ait »et nimborum et ventorum cacumina aërias esse animas, sed eas animo non oculis videri et vocari *Heroas* et *Lares* et *Genios*.« Pari confusione etiam Varro apud Arnobium (3, p. 124) haesitans »nunc *aërios* deos, nunc *Heroas*, nunc antiquorum sententiam sequens *Lares* appellat, quasi quosdam *Genios* et sanctorum animas mortuorum.« Quo sensu etiam ille apud Dionysium Halicarnassensem (4, p. 207 Sylb.) κατ' οἰκίαν ἥρως intelligendus esse videtur. Noster tamen Genios et Heroes in assignandis sedibus distinxit, Graecos secutus, qui Eusebio teste (praep. evang. 4, 3, 5; p. 141) daemonibus locum tertium, quartum Heroibus assignabant, et coelestes deos in primis, deinde daemones bonos, tertio loco Heroum animas colebant (conf. eund. 5, 4, 3; p. 182, et 15, 43; p. 845. Plut. de plac. philos. 1, 8; p. 882. Macrob. Saturn. 1. 23). Primarius locus de Heroibus est apud Hesiodum (ἐ. κ. ἡ. 161):

Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται
Ἡμίθεοι προτέρη γενεῇ κατ' ἀπείρονα γαῖαν.

Unde Catullus (epithal. Pel. et Thet. v. 23):

O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, salvete, Deûm genus! « — —

(conf. et v. doct. ad Valer. Flacc. p. 4). Quamquam et mali Heroes fingebantur, nocturnis occursionibus perniciosi (Aristoph. Av. 1490), qualis erat Lybas ille ab Euthymo demum Temesa expulsus (Pausan. 6, 6, 3 et 4); quapropter in numo Hadriani (Spanh. II, p. 336) consulto additur: Ἀντίνοος ἥρως ἀγαθός.

Heram] Ab Hebraica etymologia, ad quam etiam Germanica terrae appellatio prope accedit. Vulcan. — Bene MS. *Eram*. Veteres autem intellige Graecos. Illis enim ἔρα terra est. Vetus tamen Isidori glossarium: Hera, terra. Gnor. — Grotius praefert *Eram*, idque firmat Vossianus codex. Arntz. (misc. p. 211) — Codices quidem Reichenauensis, Borgianus et teste Cortio Guelferbytanus *Eram* habent; verum non ab Hebraico ארץ, ut Vulcanius vult, sed a Syriaco ארא Graecum ἔρα deducendum. Suidas etiam (p. 849): »Ἔρα ἡ γῆ«: Hesychius autem (p. 1648) »Ἥρα« scribit, ubi mutato spiritu Juno intelligi poterit, quippe quae pro *terra* interdum accipiatur (Eurip. fragm. e Sexto Empirico advers. mathem. 10, 315. Virg. georg. 2, 325. 326. Macrob. Saturn. 3, 4). Insignis praeterea locus apud Isidorum (etym. 8, 11, 98. p. 393 Arev.) hujus est argumenti: »Heroas dicunt a Junone traxisse nomen; Graece enim Juno ἥρη (sic) appellatur, et ideo nescio quis filius ejus secundum Graecorum fabulam ἥρως fuit nuncu-

161 humano praesules attributi, qui parentum seminibus manaverunt. Denique haec omnis aëris a Luna diffusio sub Plutonis potestate consistit, qui etiam Summanus dicitur, quasi summus Manium. Hic Luna, quae huic aëri prae-

patus, hoc videlicet velut mysticum significante fabula, quod aër Junoni deputetur, ubi volunt Heroas habitare. Quo nomine appellant alicujus meriti animas defunctorum, quasi *ἀηρῶας*, id est viros aërios, et coelo dignos propter sapientiam et fortitudinem.« Plato tamen (in Crat. pag. 398 Steph.) Heroum generationem *ἀπὸ τοῦ ἔρωτος* derivat.

dixerunt] Vossianus *edixerunt*, quod etiam e membranis Leidensibus protulit Muncker. ad Fulgent. myth. 1. p. 621, ubi ex Graecis et Latinis plura cumulantur exempla, in quibus compositum pro simplici ponitur. Eodem fere sensu verbum hoc pro *indicare* et *proloqui* adhiberi notavit Gronovius ad Liv. 30, 4. Arntz. (misc. p. 211. 212). Darmstattensis *edixere* habet.

ibique] Isidorus (etym. 8, 11, 100. p. 393. 394) »Manes« inquit »dicuntur dii mortuorum, quorum potestatem *inter Lunam et terram* asserunt.« De Manibus plura supra (ad §. 55) monuimus. Nomen eorum noster a *manare* derivandum censet, quam originationem quamvis absurdam tamen antiquam esse non Plutarchus modo testatur, qui (quaest. Rom. 52, p. 277) *Genetae Manae* vocabulum ait *ῥύδιν τινὰ καὶ γένεθιν, ἢ ῥέουδαν γένεθιν* significare, verum etiam Festus (p. 222 Dac.) licet alia relatione: »quod per omnia aethera terrenaque *manare* crederentur.«

aëris a Luna diffusio] Generatim Cicero (ap. Macrob. somn. Scip. 1, 17): »infra autem Lunam nihil est nisi mortale et caducum, praeter animos munere deorum hominum generi datos. Supra Lunam sunt aeterna omnia.« Adde Porphyrium (in vita Pyth. p. 60 Küst.) Plutarchumque, qui (de plac. philos. 2, 4; p. 886) ex Aristotele refert »partem mundi infra Lunam affectionibus esse obnoxiam, in qua parte etiam terrestria suas patiantur mutationes.«

Plutonis] Nemo nescit a mythologicis aëris partem crassiorem Plutoni attribui. Phurnutus, quum de Jove, Junone, Neptunoque dixisset, subjungit: *ἀδελφὸς δὲ αὐτῶν καὶ ὁ ᾅδης εἶναι λέγεται καὶ ἐστὶν, ὁ παχυμερέστατος καὶ προδγειότατος ἀὴρ.* Gnot.— Repetit haec Goezius. Sed quinam in hac aëris regione commorentur, hoc erat explicandum. Praeter eos enim, quos in sequentibus noster memorat, Plutarchus (de facie Lunae p. 943): »Animae« inquit »in regione terram inter et Lunam vagantur. Verum non idem est omnibus tempus praescriptum. Impiae enim et intemperantes poenas flagitiorum luunt; piae certum tempus, quantum ad lustrandum et corporis utpote malae causae pollutiones abolendum sufficit, in aëris purissima parte degunt, quam prata *Plutonis* (*λειμωνας ᾅδου*) appellant.« Psellus tamen in brevi dogmatum Chaldaeorum expositione (ap. Gallaeum in app. p. 111. 112) »Plutonem sive infernum« inquit »in varias partes dividunt, eumque modo deum appellant ordinis illius, qui circa terram sortem suam obtinuit, modo *regionem sublunarem*, modo medias inter aetherium et materialem mundum partes obeuntem.«

Summanus] Augustinus (4, 23): »Romani veteres nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuerunt, coluerunt — et vix invenitur qui Summani nomen, quod audiri jam non potest, se

est, Proserpina memoratur. Verum illi Manes, quoniam corporibus illo tem- 162
pore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam post vitam iisdem corporibus delectantur, atque cum his manentes appellantur Lemures. Qui si vitae prioris adjuti fuerint honestate, in Lares domorum urbiumque vertuntur. Si autem depravantur, ex corpore Larvae perhibentur ac Maniae. Manes 163

saltem legisse meminerit.« Legerat nempe illum Ovidii (fast. 6, 731) versum:

»*Reddita*, quisquis is est, Summano *templa feruntur*.«

Varro (L. L. 4, 48) nomen Sabinum esse ait. Sed male Augustinus ne legi quidem illud scribit. Legitur sane non solum in lapidum titulis (Gruter. 121, 1. 136, 1) et in calendariis (mens. Jun.); sed apud multos etiam scriptores (Liv. 32, 29. Cic. div. 1, 10. Plin. 2, 52, 53. 29, 4. 14. Fest. v. Dium p. 123. Plaut. Bacch. 4, 8, 54; Curcul. 3, 1, 43—48. Arnob. 3. p. 125. 5. p. 183. 6. p. 191.). Adde Summanalia liba (apud Fest. p. 345).

praeest] Omnino rectius, quam aliorum *propior est*. Non enim solum codicum auctoritate illa lectio nititur, ut Grotiani, Basileensis, Darmstattensis, Hugiani, Monacensium (C. D. E. G), Guelferbytani, Dresdensis, Cantabrigiensis, Reichenauensis; sed fons etiam apertus est, e quo noster hausit, siquidem Varro (ap. Aug. de civ. dei 4, 10) »terram Plutoni tribuit, inferiorem autem terrae partem Proserpinae.« Causam cur quidam *propior est* scripserint, in ridiculo etymo quaerendam esse arbitror, quasi illius deae nomen a *proserpere* ducendum esset. Sed hanc opinionem jam Cicero (N. D. 2, 27) refutavit, neque de etymo apud Martianum hoc quidem loco quaestio erat. De Lunae cum Proserpina antiquissima collatione vide Orphicum (hymn. 70).

corporibus delectantur] Communis fere omnibus philosophis haec de animae humanae affectione sive propensione sententia fuit. Philo Judaeus (de somn. Op. p. 586): »Animarum aliae descendunt illigandae corporibus mortalibus quotquot viciniores sunt terrae animantioresque corporum. Aliae rursus redeunt separatae denuo post praefinitos a natura terminos: et ex his aliae ante actae vitae desiderio rursum ad eam recurrunt.« Adde Platonem (in Phaed. p. 108 Steph.), et Macrobium (in somn. Scip. 2, 16 et 17). Recentior etiam scriptor Claudianus Mamertus (ap. Boeckh. in Philolao p. 177 f.) haec habet: »Diligitur corpus ab anima, quia sine eo non potest uti sensibus: a quo postquam morte deducta est, agit in mundo incorporalem vitam.« Ceterum pro *hisdem*, quod Grotius edidit, codices Cantabrigiensis, Reichenauensis, et Darmstattensis melius praebent *iisdem*, quod recepi.

Lemures] Hos Manium genus esse recte dixit, idque ex Ovidio (fast. 5, 436) etiam patet. Quae enim de Manibus hic fabarum ope ejiciendis canit, eadem Varro (ap. Non. 2, 513) de Lemuribus. Prae reliquis (Horat. epist. 2, 2, 209. Pers. 5, 185. Augustin. 9, 11) qui Lemures memorant, hoc loco conferendus Appulejus est (de deo Socrat. p. 152 Oud.).

Larvae] Profecto vel Platonem ipsum (in Phaed. p. 81 Steph.) ante oculos habuit noster, vel popularem suum Appulejum (deo Socrat. p. 153 Oud.) de Lemuribus scribentem: »qui *Lar* vero ob adversa vitae merita nullis bonis sedibus incerta vagatione ceu quodam exsilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis,

igitur hic tam boni quam truces sunt constituti, quos ἀγαθοὺς καὶ κακοὺς
164 δαίμονας memorat Graia discretio. In his etiam locis Submanes eorumque praestites Mana atque Manuana; dii etiam quos Aquilos dicunt; item Fura

id genus plerique *Larvas* perhibent« (add. Isidor. etym. 8, 11, 101. p. 394 Arev.). Larva Straboni (1. p. 19 f. Casaub.) est »ἡ μορμολύκη«, recentioribus »δαιμόνιον εἴδωλον.« Sed noster vocem *Larva* a *Lar* deduxisse videtur.

Maniae] Festus (p. 225 Dac.): »Manias, inquit, quas nutrices minitantur pueris parvulis, esse dicunt Larvas, id est Manes, quos deos deasque putabant, quosque ab inferis ad superos *emanare* credebant« (add. Strab. l. c.). Graecis Maniae erant Furiae (Pausan. 8, 34, 1). De Mania, Larium matre, confer inferiorem locum (§. 164).

Submanes] Vulgo *Sumanes*; tamen jam Grotius haec annotavit: »Lege: *sunt Manes*: nisi forte *Submanes*, ut iis opponantur *praestites*, quos subjungit, quorum etiam supra meminit Capella«; Vossius autem, teste Arntzenio (misc. p. 212), margini haec adleverat: »Legendum *Submanes*, ἀπὸ τῆς μάνης, id est Luna, quum eos in infima aëris regione Martianus commemoret, et μάνην vocitet eorum praestitem. Nam jam fere ad Lunam perventum erat, ut liquet ex pag. sequ. ubi est: »Lunari ingressa circulum virgo.« Eandem Vossii notam Cortius libro etiam Lipsiensi adscripsit: et quamvis duo tantum, quod sciam, codices Darmstattensis et Bodlejanus *Submanes* exhibeant, Britannicus et Cantabrigiensis autem *Sumanes* habeant; illud tamen recepi, Grotii nimirum, minime Vossii rationibus motus. Hunc enim malus abstulit error. Namque Luna neque *praestitum* plurali nomine appellari poterat, neque in sequentibus (§. 169) *Lunarum* legitur, sed »*Lunarem* circulum«; nec denique locus ille cum superiori jungi potest, siquidem hic Juno Philologiam praesentem adhuc docet, posteriori autem loco haec jam profecta erat et a Junone prorsus sejuncta.

praestites] Meminit Plutarchus problematis et Ovidius:

»*Praestitibus Majae Laribus videre Calendae*
Aram constitui parvaque signa deûm.«

Gnor. — Versus hi in fastis sunt (5, 129); sed memoratu dignior erat alius (134), ubi poëta et nomen *praestitum* explicat:

»*Quod* praestant *oculis omnia tuta suis.*«

Plutarchus (qu. Rom. 50. p. 276) de Laribus quaerit, ἰδίως πραιδτίτας (*proprie praestites*) quos appellat. De Genio praestite vide quae supra (§. 152) monuimus.

Manuana] Nomen ignoro, nisi quod cognatio cum Manium vocabulo in promtu est. Variat etiam scriptura, siquidem e Monacensibus unus (C) *Manuona* habet; alii (B. D. E) *Montuona*; Dresdensis, Reichenauensis, Darmstattensis, Britannicus, Cantabrigiensisque *Mantuana*; Gyraldus (op. pag. 214) *Mantuona*; Vossianus codex (Arntzen. misc. p. 212) *Manuina*; Basileensis denique *Montuani*.

Aquilos] Nigros. Gloss. *Aquilum* μέλαν ὡς λογχίλλιος. Gloss. Isidori: *Aquilum* fuscum, nigrum. De diis aquilis Arnobius lib. 3: »Siquidem quum facitis atque informatis deos, hos crinitos effingitis, alios laeves, alios senes, juvenes, pueros, *aquilos*, caesios«, cet. Male est in veteri glossario Papiae: Aquili species daemonum, qui in similitudine aquarum (?) apparent. Gnor. — »*Aquilarum apparent*« in hoc glossario legit Vulcanius multo rectius. Sed non praetereundus est Festus (p. 34

Furinaque et mater Mania, Intemperiaeque, et alii triptes divorum degunt. Circa ipsum vero terrae circulum aër ex calore supero atque exhalatu 165

ibique a Dacerio laudatus Plautus (Rud. 2, 4). Cui adde alium Plauti locum (Poen. 5, 2, 152), Suetonium (August. 79), Saxonemque Grammaticum duobus locis et ad eum Stephanium (p. 66 n. 49); inprimis autem Plinium (2, 7, 5. p. 72), quem ad verbum excripsit Arnobius (3 p. 108) a Grotio laudatus, nisi quod, ubi ille *atri coloris* dixit, hic *aquilos* substituit.

Fura Furinaque] Furinae festa Furinalia, ut ait Varro et Festus: sacerdos Furinalis. Deae meminit Cicero. Pro *Fura* vero *Furia* legendum puto; utitur numero singulari saepe Tullius. Gnor. — De luco Furinae conf. Ciceronem (de N. D. 3. 18) et Aurelium Victorem (de viris illustr. 65). *Forinam* quoque dictam esse vult Ursinus (ap. Creuz. ad Cicer. l. l.); tamen dubito num huc referam *Forinarum Genium* in lapide (ap. Gruter. 9. 5). *Furinaque* cum gemino N exhibent codices Britannicus, Cantabrigiensis, Basileensis, et Reichenauensis.

Mania] Varro et Macrobius »Larium matrem« volunt, alii »aviam.« Constat certe aliquam ex furiali genere deam fuisse. Gloss. »Mania, *μανία*.« Gloss. Isidori: »Formidinum imagines.« Gnor. — Verbis haud dubiis Macrobius (Saturnal. 1, 7) et Varro (L. L. 8, 11) Arnobiusque (3. p. 124) Maniam esse »*matrem* Larium« affirmant, unde et noster eam *matrem* appellat. Ac si Festus (v. Maniae p. 223 Dac.) eandem »Maniarum *aviam matremve*« esse tradit, id tantum inde colligo, quorundam e sententia a Mania fuisse Lares, a Laribus Manias, illius Maniae neptes. Atque Larium haec mater Sabina voce (Varro L. L. 4, 47 et 48) Lara sive Larunda, Latina etiam Muta est appellata (Ovid. fast. 2, 599. Lactant. 1, 20. Auson. idyll. monosyll. de dïs 9). Maniae sacelli meminit P. Victor in quarta decima regione urbis Romae. De Maniis vide supra (§. 162 f.): de Mania autem confer Müllerum (Etrusc. II. p. 101).

Intemperiaeque] Duae sunt vim habentes per intemperantiam nocendi, quas Cato jubet sacrificio propelli. Hinc phrasis »intemperiis agi«, usitata Plauto et aliis. Gnor. — Vocis *intemperiae* quum latior et angustior notio sit, ut nostrum intelligamus, omnino Plauti locus (Aul. 4, 4, 15) adscribendus esse videtur: »Larvae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem.« Larvis igitur adnumerat intemperias, et quamvis specialiori etiam sensu vox accipi possit, hoc tamen loco universe positam censeo pro iis, quos Hesiodus (theog. 217) *νηλεοποίνους* appellat.

triptes] Lege *thripes*. *Θρίψ* est id quod minimum est in quaque re, unde et in avium genere *θρίψ* minima est, et in vermium specie: sed et homines vilissimi hoc nomine appellantur. Vide Hesychium. *Ἀετοὺς θριπτοὺς ὁρῶν*, proverbium est, quo utimur quum demonstrare volumus in ejus potestatem aliquem venisse, qui ei occinat illud Hesiodicum:

Ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων.

Pater tamen *cryptas* malebat, *ἀπὸ τοῦ κρύπτειν*, pro iis, quos supra *opertaneos* dixit. Gnor. — In codice Vossiano glossae exponunt per *illusores* a verbo *τρίπτω*, illudo. Arntz. (misc. p. 212). — Equidem hanc praefero explicationem: dixerat noster »Intemperiae *aliique* triptes divorum«, unde colligitur triptes genus esse Intemperiarum, quales illae sunt, quibus omnis agricolarum spes eluditur, unde solemnes horum de avertendis vel prohibendis Intemperiis preces (ap. Caton. de R. R. 141. p. 105 Gesn.) legimus; verbi causa Robigo, quae

madoreque infero turbidatus egredientes e corporibus animas quodam fluenti
166 aestu' collidens non facile patitur evolare. Hincque tractum Pyriphlegethonta sollertia poeticae adumbrationis allusit, atque in eo perenni strepitu volutata colliditur animarum, quas Vedius adjudicarit, impietas. Idem Pluton:

Ovidio quidem (fast. 4, 911) dea est. Praeterea teste Psello (Stanley philos. orient. in Clerici op. philos. 1, 2, 16) Chaldaei statuerant daemones, aërios et terrestres, qui animis hominum *illuderent*. — Observa denique a Basileensi codice vocem *triptes* prorsus abesse.

madoreque] Variantem quidem lectionem e Guelferbytano affert Cortius »odoreque inferto«; sed nostra multo melior est. Laurentius Lydus (in excerpt. 12. p. 10 Roeth.) de circulo Lunari »pervenire ad eum«, ait, »omnis materiae excrementum.« Seneca (nat. qu. 4, 10. p. 754 Lips.): »aër quo propior est terris, hoc crassior, quo editior et longius a terrarum colluvie recessit, hoc sincerior puriorque est.« Conferas hic quae Plato (in Phaed. p. 110 Steph.) de terra dixit. Hinc et Cicero (Tusc. 1, 19) de animo, »qui si permanet incorruptus suique similis, necesse est ut penetret et dividat omne coelum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur: quod et humidum et caliginosum est *propter exhalationes terrae*. Quam regionem quum superavit animus naturamque sui similem contigit et agnovit, junctus ex anima tenui et ex ardore Solis temperato ignibus insistit et finem altius se efferendi facit.« Pariter Sextus Empiricus (9. p. 568 Fabric.) »animas«, inquit, »ne suspicari quidem licet, quod deorsum ferantur. Nam quum sint subtiles, et non minus igneae, quam aëreae, sua levitate magis feruntur in loca superiora. — Quum igitur extra Solis tabernaculum positae fuerint, habitant locum, qui est sub Luna, et hinc propter puritatem aëris accipiunt majus tempus ad permanendum et utuntur alimento convenienti, nempe *exhalatione ex terra*, ut cetera astra, nec habent in iis locis, quod eas sit dissoluturum.« Atque eadem apud Jamblichum (in Stobaei eclog. 1, 52, 35. p. 907 Heer.), Porphyrium (antr. nymph. 12. p. 12 Goens.), alios (Stob. l. c. 1, 52, 42 p. 1001) legere licet. Vetustissimorum Aegyptiorum hanc opinionem jam fuisse Jablonsky (in pantheo p. 30) nos docuit.

Pyriphlegethonta] Confer cum Arnobii loco supra citato de poenis animarum. Gnot. — Et adde Ciceronem (de N. D. 3, 17). Quoniam autem »poëticae adumbrationis« noster meminit, neque ad Arnobium neque ad Ciceronem eum respexisse verisimile est, sed potius ad Homerum (Odyss. ϰ. 513). Latini poëtae versus causa non poterant toto nomine uti, quapropter *Phlegethon* tantum usurpant (Silius 13, 564. Statius Theb. 4, 523. Virgil. Aen. 6, 265. 551. Seneca Oedip. 162. Thyest. 1019. Agam. 748).

impietas] An non *impietatis*? Gnot. — Minime; neque assequor, quid Grotio in mentem fuerit, quum vocabula antecedentia »volutata colliditur animarum« sine nominativo substantivi intelligi omnino non possint! Multo tamen pejus Vonckius (spec. crit. p. 82), qui quum perspiceret Grotianam conjecturam per se stare non posse, alteram addidit, atque »anima eorum« pro eo quod in omnibus libris exstat »animarum« legi jussit! Pessima utique interpretandi ratio est, scriptoris locum, quem non capiamus, funditus evertere! Nihil igitur mutans equidem verborum ordinem sic restituo: »Hinc-

quem etiam Ditem Vejovémque dixere. Ipsam quoque terram, qua homi- 167
nibus invia est, referciunt longaevorum chori, qui habitant silvas, nemora, lucos, lacus, fontes, ac fluvios, appellanturque Panes, Fauni, Fones, Satyri,

que sollertia poëticae adumbrationis (sollertium poëtarum adumbratio) allusit tractum Pyriphlegethonta, atque animarum, quas Vedius adjudicarit (ipsi nimirum Phlegethonti), impietas (id est animae impiae) perenni strepitu in eo volutata colliditur.«

idem Pluton] Ita codex Hugianus et Monacensis (B). Alius (E) »Pluton idem« habet. Utrumque melius quam Grotianum: »Id est Pluton.« Nec sic necesse erit, cum Grotio glossema statuere.

terram] Nullus dubito iis, quae nunc sequuntur, ansam praebuisse Ovidii versus, ubi Jovis haec refert (met. 1, 192) verba:

»*Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina, Nymphae*
Faunique Satyrique et monticolae Sylvani:
Quos quoniam coeli nondum dignamur honore,
Quas dedimus certe terras *habitare sinamus.*«

Quibuscum plures etiam ejusmodi deos idem poëta (Ibis 81) alloquitur:

»*Vos quoque plebs superûm Fauni Satyrique Laresque*
Fluminaque et Nymphae Semideûmque genus.« (Adde insuper metam. 6, 392).

qua hominibus] Vulgatae »quae hominibus« praetuli illam lectionem quam plurimi praebent codices, Monacensium quatuor (B. C. D. E), Vossianus (Arntz. misc. p. 212), Darmstattensis, Britannicus, Cantabrigiensis, et Bongarsianus. Rem ipsam tetigerat jam Accius apud Macrobium (Sat. 6, 5) versu:

»*Et nunc silvicolae* ignota *invisentes* loca.«

Panes] Discernendi nimirum a Pane, qui inter maximos refertur deos, hi minores et Semidei sunt, Satyris plerumque (Ovid. fast. 1, 397; her. 4, 171; met. 14, 638) juncti.

Fauni] Ad hunc Ennii versum, quem Cicero (div. 1, 50) laudat,

»*Versibu' quos olim Fauni, vatesque canebant*«

Varro (L. L. 6, 22) observat: »Fauni dei Latinorum, ita ut Faunus et Fauna sint; hos versibus, quos vocant Saturnios, in silvestribus locis traditum est solitos *fari*: a quo *fando* Faunos dictos.« (Add. Aur. Vict. or. gent. 4. Lactant. 1, 15 et Pomp. Laet. de sacerdot. 1. in Clausing. jur. publ. I. p. 87). Quemadmodum Varro obscurum eis in silvestribus locis domicilium adsignat, ita Plinius (30, 10, 24) inter *nocturnos* deos Faunos refert. Cicero denique (N. D. 3, 6 f.) »Faunum quid sit omnino se nescire fatetur.« (Conf. Gerhard del dio Fauno e dei suoi seguaci. Rom. 1825).

Fones] Lege »*Fontes.*« Citat tamen Gyraldus »*Fines*«, quod non improbo, si pro terminis accipias. Per »Fines juratum« refert Livius hac formula: »Audi Jupiter, audite *Fines*, audiat Fas.« Glossa tamen Isidori: »Fones, dii silvestres.« Gnov. Varians lectio est *Foni*: sed Salmasius (ad Solin. p. 414) scriptum refert Πόνος pro Πάνος, additque: »inde Latinum *Fonus*, et veteri more scribendi *Faunus*.« Equidem non repugnarem si quis variantem lectionem *Foni*, quam Grotius ad marginem rejecit, praetulerit. Certe melius id esse censemus, quam Grotii uti conjectura, quae nullius codicis auctoritate firmata est.

Satyri] De iis omnia collegit Casaubonus (in notiss. comm. de Satyrica poesi 1, 2; v. Crenii museum p. 27 sequ.). Nocturnos Semideos pariter

Silvani, Nymphae, Fatui, Fatuaeque, vel Fantuae, vel etiam Fanae, a quibus fana dicta, quod soleant divinare. Hi omnes post prolixum aevum

atque Faunos fuisse ex inferiori loco (§. 667 ibique not.) colligi potest. Itidem de locis, ubi echo auditur, Lucretius (4, 584):

»*Haec loca capripedes Satyros Nymphasque tenere*
Finitimi fingunt, et Faunos esse loquuntur.«

Fatui] Meminit hujus nominis in feminino inter alios Arnobius, masculini Servius, qui Inuum Fatuum Fatuellum dictum ait: utriusque Donatus ad illud Terentii »Fatuus est, insulsus, tardus«: fatuus, inquit, inepta loquens, a fando fatuus dicitur. Inde Fauni Fatui et Nymphae Fatuae. Gnot. — Vulgi superstitionem testatur Plinius, dum (27, 12, 83) herbae meminit, qua Fatui a mulieribus abigerentur.

Fatuaeque] Gabinius Bassus apud Lactantium (1, 22) »Fauni in Latio sororem et conjugem *Fatuam* nominatam esse, quod mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus viris« (add. Cic. de divin. 1, 45. 50). Bonam deam autem Macrobius (Sat. 1, 12) Fatuam a fando dictam scribit.

Fantuae] Fantua: ut Mana Mantua, sic Fauna vel Fana Fantua: in Arnobio lib. I. MS. pro *Fana* refert *Fenta*, forte sit Fantua vel Fentua. Gnot.— Nomen ipsum reperies apud Saxonem Grammaticum 2, p. 22 Steph.). Sed juvabit totum locum, quia fere eadem, quae noster, habet, adscribere:

»*Trux Lemurum chorus advehitur, praecepsque per auras*
Cursitat, et vastos edit ad astra sonos.
Accedunt Fauni Satyris Panumque caterva
Manibus admixta militat ore fero.
Sylvanis coëunt Aquili Larvaeque nocentes
Cum Lamiis callem participare student.
Saltu librantur Furiae, glomerantur eisdem
Larvae, quas Similis Fantua *juncta premit.*«

Ad quae Barthius (in advers. p. 1187): »Fantuam Fatuam gratia carminis dictam autumo. Sed et antiquiores ita dicebant. Glossae veteres: Fatuus quasi Fantuus a fando, quia Faunis oracula edebat.« (Conf. Aur. Vict. de orig. gent. 4. ibique Ennium).

vel etiam] Sic vulgo et apud Grotium, sed fortasse e Cantabrigiensi reponendum *sive*. Certe enim noster ejusdem nominis non nisi diversam pronuntiationem notaturus erat, ut etymon vocis *fanum* adderet, quod a *divinando*, sive *fandis* eventuris deduxit, secutus Varronem (de L. L. 5, 14 sequ.), Servium (ad Aen. 7, 47) et Frontonem (ap. Dacer. ad Fest. v. Fanum p. 143).

prolixum aevum] Ergo hi dii non immortales, sed longaevi, ut et ipse Capella nominat. Et hac ratione forte Virgilius dixit:

»*Sylvius Albanum tua posthuma proles,*
Quem tibi longaevo serum Lavinia conjux
Educet silvis.«

Longaevo est indigeti jam facto (?). Idem ferme testatur auctor epigrammatis de aetate animalium de Nymphis, quum prius de Phoenice dixisset

»*Quam vos perpetuo decies praevertitis aevo*
Nymphae Hamadryades quarum longissima vita est.«

Ubi *perpetuo* improprie dicitur. Gnot. — E Graecis Pausanias (10, 31 f.) »Nymphas« ait »annos quidem vivere innumerabiles, non tamen esse mortis immunes.« Platonis (in Epin. p. 982 Steph.) doctrinam de animalibus longaevam vitam degentibus haec sapiunt. Atque conferre praeterea operae pretium erit Plutarchum (de oracul. defectu p. 415) adducentem Hesiodi versus, qui alibi frustra quaeruntur. Epigramma, quod Grotius citat, in anthologia Latina Burmanni (II. p. 422) reperies.

moriuntur ut homines, sed tamen et praesciendi et incursandi et nocendi habent praesentissimam potestatem. Inter priores igitur Genios tua adhuc 168
mortalis Virginis diva consistit. Nam eccam tibi Juno aetherea seu Vesta est; ut jam immortali divaeque praecipit dicens: jam sede in concilio Jovis dilecta; demumque de acerra virginis partem sumit. Tunc portitores divae correpta 169
lectica magno eam molimine subvexere. Sed postquam centum viginti sex millia stadiorum aëria subvecti levitate conscenderant, ac tonum primum ex phthon-

tua adhuc] Tuus, inquit, o Philologia, Genius vel potius (si ita dicere licet) tua Genia, ἡ σοῦ δαίμων (feminae enim Nymphae mulieribus attributae, ut masculis Genii) inter priores Genios locum habebit. Te vero ego jubeo in ipso deorum concilio locum habere. Confundit autem Junonem cum Vesta, quod et alii faciunt. Gnor. — Multa hic sunt monenda. Primum, quod ad lectionem attinet, perperam in editis *consistet* legitur, quod e Cantabrigiensi codice, qui omnino melius *consistit* exhibet, correxi. Deinde corrupit Grotius lectionem, edens *eccum*: femininum enim »Juno aetherea« proxime sequitur, unde anteriores etiam editiones, pariter atque codices, *eccam* habent. Exhibent illae etiam »in concilio«, ubi particula *in* a Grotio negligenter est omissa. Quod vero ad interpretationem, errat Grotius dearum confusionem arguens. Juno enim neutiquam dicit, *se* Vestam et Philologiae Junonem (Genium) esse; sed *de* Vesta loquitur, quem Genium *muliebrem* Junonem dici neque ipse Grotius ignoravit, multique praeterea testantur tam scriptores (Dionys. Halicarn. 3. p. 159 Sylb. Tibull. 3, 6, 48. Propert. 2, 4, 7. Plin. 2, 7, 5. Senec. epist. 110. p. 640 Lips.) quam lapidum tituli (Grut. 24, 1—5. 25, 11. 410, 5. 1065, 6. 1159, 2. Fabrett. p. 73. 74. Donat. suppl. ad Murat. 12, 1. 7. 11. 13. 15. 5. 7. 8. 10. 14, 2. 3. 4. add. Mus. Pio-Clement. I. p. 172. 175. ed. Mediol. Chiaram. p. 68. De Vita annal. Benev. I. p. 101. not. Montfauc. antiqu. I. p. 317. Turneb. adversar. 16, 19). Appulejus tamen (de deo Socrat. p. 152 Oud.) muliebrem Genium maluit *Genitam* dicere.

aetherea] Bene distinxit Junonem *aetheream* ab ea, quae hactenus Philologiam edocuerat, quamque supra (§. 149) *aëriam* appellaverat. Hanc *aetheream* autem Vestam dicit, quia aether ignis aeque ac Vesta habebatur. Macrobius (in Saturnal. 3, 4) ad Virgilii versum:

»*Junonis magnae primum prece numen adora*«

observat: »Eodem nomine appellavit et Vestam, quam de numero Penatium aut certe comitem eorum esse manifestum est.«

dilecta] In editis legitur *directa*; sed recepi melius illud e codice Hugiano. Totum nunc locum sic intelligendum esse equidem persuasum habeo, ut Juno aëria Philologiae dicat: »Inter Genios (de quibus modo verba feci) priores (primores) diva tua adhuc mortalis virginis (dum adhuc mortalis eras) consistit. Nam eccam tibi (nam ecce eam)! Juno aetherea seu Vesta (ipsa) est, tibique utpote jam immortali divaeque praecipit dicens: dilecta jam in concilio Jovis sede.«

tonum primum] Coelorum distantiam per tonos metiuntur astronomi, de quibus Hyginus lib. 4: »A Lunae circulo abest circulus tonon dimidium,

gis complevere coelestibus, Lunarem ingressa circulum virgo, divae congruis nidoribus supplicando, de proximo conspicatur globosum quoddam tenerumque corpus ex superni roris levitate compactum instar speculi praenitentis adja-
170 culati fulgoris radios revibrare. In eo sistra Niliaca, Eleusinaque lampas,

quo loco Mercurii sidus velitur« cet. quae ibi quaere: nam admodum ad horum locorum explicationem conducunt. Glossae Capellae ad vocem Limmata: »Circuli caelestes musica ratione vel tono vel semitonio comprehenduntur.« Vide Macrob. ad somn. Scip. Gnot. — Quodsi ita Hyginus, profecto male scripsisset. Scripsit potius (poët. astr. 4. p. 485 Munck.): »Ab hoc (Lunae) circulo abest circulus *semitonio*, quo Mercurii sidus velitur.« Ac sic demum mensura cum illa Martiani convenit, qui »*tono* completo a terra in Lunarem circulum progressam« Philologiam fingit, hinc ad Mercurium (§. 171) *hemitonium* permeantem. Sed memini accuratius me hanc rem olim tractare (in philolog. crit. III. §. 285), et demonstrare *tonos* non solum sonos, sed etiam intervalla significare, multumque interesse inter metiendi rationem. Licet enim non negem distantiam inter corpora coelestia primum musica ratione aestimatam fuisse, postea tamen mathematicorum interventu factum esse arbitror, ut geometrica ratio cum illa confunderetur, immo praevaleret; Plinium tamen cum magno Boeckhio (in Danb. et Creuz. stud. III. p. 89) ignorantiae in musica arte accusare nolim. Magis enim ille sobrius geometras, quemadmodum opus suum poscebat, secutus, intervalla correxit, licet fictionis ex harmonia non ignarus videri vellet. Sed praeter Plinium (2, 21 et 22) de distantiis planetarum confer Macrobium (ad somn. (Scip. 2. 3 extr.) et Hyginum de limitib. p. 171 Goes.), cujus tabulam in Monacensi etiam codice D fol. 48 b ante Martianum depictam vidi.

viginti sex] Unus e codicibus Monacensibus (C) non nisi »CXXIII millia« habet. Stadium autem nostro (§. 610) 125 passuum est. Quibus igitur numeris multiplicatis tonus vel 15,750000, vel 15,375000 passuum erit. Sed Hugianus codex multo minorem numerum praebet, quippe qui *centum* omittat.

tenerumque corpus] Lunam enim »*aetheream terram*« physici vocaverunt, docente Macrobio (somn. Scip. 1, 11 et 19). Ac sic etiam Aegyptii (Procl. in Timaeum 1. p. 45). Rorem aëris et Lunae filium dictum ipsamque Lunam roscidam cognominatam esse supra (ad §. 14) diximus.

speculi] Debet hanc comparationem populari suo (Appulej. met. 11. p. 787 Oud.), qui et ipse »planam rotunditatem in modum *speculi* Lunae argumentum« appellaverat.

adjaculati] Delenda erat, quae apud Grotium praecedebat, particula *et* auctoritate codicum Britannici, Cantabrigiensis, Darmstattensis, et Hugiani. Videt enim Philologia globosum corpus instar speculi praenitentis radios adjaculati fulgoris revibrare (conf. §. 110). Verbum *adjaculare* praeter nostrum, quod sciam, nemo usurpavit. Significatur eo, Lunam splendorem suum extrinsecus accipere.

in eo] Omnia mysteria in Luna esse reposita docet. Vere etiam Plinius (2, 9, 6): »Omnium *admirationem* vincit novissimum sidus terrisque familiarissimum et in tenebrarum remedium a natura repertum, Lunae. Multiformi haec ambage *torsit* ingenia *contemplantium*.« Dicto fidem faciunt in antiquissimis temporibus pronuntiata ab Jobo (31, 26) verba, Latmiique herois fabella. De Lilaeo

arcusque Dictynnae, tympanaque Cybeleïa videbantur. Triformis etiam discolorque vertigo terribili quadam majestate rutilabat. Quae licet cornigera et aspera videretur aggestionibus, opportuna tamen et felem et cervam, et con-

etiam pastore Plutarchus (seu quisquis libri de fluminibus auctor fuerit) scribit, superstitiosum hunc solam Lunam veneratum esse profundaque nocte ejus mysteria celebrasse.

sistra] Plutarchus (de Is. p. 376): »Sistri superiori parte rotundi conspectus admonet de quatuor corporibus quae concutiuntur. Nam quae pars mundi ortui et obitui est obnoxia, ea continetur globo *Lunae*, inque ea omnia moventur ac mutantur ratione quatuor elementorum, ignis puta, terrae, aquae, et aëris.« (Conferre licet Appul. met. p. 759 Oud. et Bacchini de sistris dissertationem, Traj. ad Rh. 1696. 4 praetereaque Fabretti Inscr. p. 467. 488).

Eleusinaque lampas] Sic *Eleusinam* Cererem dixit Arnobius pro *Eleusiniam*. Gron. — Non Arnobius tantum, sed melior etiam scriptor, Minucius Felix (21, 1), Cererem solo *Eleusinae* cognomine denotavit.

Cybeleïa] De Cybeleïis cerimoniis sive mysteriis vide Apollodorum (3, 5, 1).

triformis] Arnobius (3. p. 119): »Non indocti viri, neque quod induxerit libido garrientes, Dianam, Cererem, Lunam, caput esse unius dei triviali germanitate pronuntiant: neque ut sunt trinae dissimilitudines nominum, personarum differentias tres esse: Lunam his omnibus vocari, atque in ejus vocamen reliquorum seriem coacervatam esse cognominum« (v. Prudent. in Symmach. I, 365). Adde illud Ovidii (her. 12, 79):

»*Per* triplicis *vultus arcanaque sacra Dianae*«

et (met. 7, 49):

— — »*per sacra* triformis« —

et Horatii (od. 3, 22, 4):

— — »*diva* triformis« — —

Graecis: *Βριμὼ τρίμορφος* (Lycophr. 1176).

vertigo] Corpus sphaericum, ut et alibi, a vertendo, *τὸ κυκλοφορούμενον*. Gron.

aspera] In MS. videtur fuisse »et *sphaerica* crederetur.« Gron. — Male. *Aspera* enim *aggestionibus* videbatur Luna. Sic enim, non *egestionibus*, legendum esse me docuerunt codices Monacenses (B. C. D. E) et Darmstattensis. Unde etiam lectionem »parum aspera« in Hugiano codice sprevi. Lunae enim superficies omnino *aspera* nobis quoque videtur (conf. Plutarch. de facie in Luna).

felem] Felis Lunae (quae hic cum Diana, Cerere Cybeleque confunditur) sacra eo, quod narratur se ad Lunae conversiones mutare, mirabili *συμπαθείᾳ*, qualem aelurus, seu felis mas, cum Sole habet. Sed et felis apud Aegyptios Isidi sacrata. Isis autem Luna est. Gron. — Felis Lunae teste Plutarcho dicatur *διὰ τὸ ποικίλον καὶ νυκτουργὸν καὶ γονιμὸν τοῦ θηρίου*, et eo quod narretur se ad Lunae conversiones mirabili *συμπαθείᾳ* mutare. Gorz. — Minime Martianus Lunam cum Diana, Cerere, Cybeleque confudit, ut Grotio visum est; sed mysteria tantum harum dearum omnia in Luna reposita esse finxit. Quod ad Plutarchi locum (de Iside p. 376) attinet, ex eo praecedentia verba non praetercunda erant, quae haec sunt: »Curvamini *sistri* in vertice infigunt *felem* humana facie.« Humanam ei esse faciem noster quidem non dixit, neque dicere potuit, si sistra, quae felem in superiori parte repraesentant (v. Bacchin. de sistr. p. 16. Montfauc. ant. expl. II. tab.

171 versiones bis binas vultibus praeferebat. Ex hinc medio quam ad Lunam conscenderat, ad Cyllenii circulum venit. Quo hemitonio permeato, multiplex
172 ei, utpote nubenti dominae, ministrorum populus laetabundus occurrit. Inter quos splendentis formae habitusque femina ac promptae ubertatis ornatibus opulenta, virgine salutata, usque in ejus osculum confisa pervenit. Sed mirabatur illa obsequentium multitudo, quae sicut Syrus quidam astruit in numero duorum millium fuerat constituta, quod femina, quam Hetrusci dicebant ipsi deo nuptam fuisse Cyllenio, nulla prorsus invidia titillata, vir-
173 ginem complexa constrinxerat. Haec autem Facundia, nam illi hoc erat vocabulum, in Philologiae penatibus se ortam educatamque memorabat, nec indignum esse, quod sibi alumna praelata est, quae et sibi semper ornatum

117. Cassal. de profanis ritibus Aegyptiorum 24, p. 77. Caussei mus. Rom. 3. tab. 15 sequ. Beger thesaur. III, p. 399. Sallengre thesaur. II. p. 1389) ante oculos habuit. Quod reliquum est, Ovidius quoque deos fingens Typhonem fugientes et in animalia sese transmutantes (met. 5, 330) »latuit« inquit,

»Fele soror Phoebi, *nivea Saturnia vacca*.«

Adde Apollodorum (1, 6, 3), et Hugii librum vernacula lingua scriptum (Mythos p. 73 et 171), cui tamen concedere nequeo, nomen *Nestis* nihili esse et apud veteres omnes corrigendum, quia in tota lingua Aegyptiaca frustra quaeratur. Omnino enim (Scholtz lexic. p. 61) *nischti* significat *magna*.

cervam] Haec Dianae sacra, quae cum Luna eadem; hinc ἐλαφηβόλος, ἐλαφηβολία, ἐλαφία, ἐλαφιαία dicta, sed et ἐλλοφόνος, ἔλλοι enim antiquis ἔλαφοι. Grot.

bis binas] Cortius quidem e Guelferbytano affert *bis senas*. Verum non de mensibus sermo est; sed de Lunae conversionibus, quare vulgaris lectio praeferenda. Confer Aratum (780).

medio] Intellige *spatio*, vel *tono* (§. 169). Illico enim hoc explicat voce *hemitonio*. Adde hunc locum Hugio (in myth. p. 208).

populus] Ita (§. 43) *populum deorum*, (§. 62) *populum potestatum*, (§. 211) *populum angelicum*, (§. 730) *populum astrorum* dixit. Pariter Saxo Grammaticus (12. p. 223 Steph.) *divitum populum* scripsit, et Plinius (2, 7, 5) *populum coelitum*.

Syrus quidam] Codex quidem Monacensis (C) lectionem *Cirus* praebet; sed hoc etiam nomine substituto non magis intelligimus ea, quae Martianus refert. Mox pro *in numero* Britannicus habet *in medio*, quod certe cum verbo *constituta* melius cohaeret; sed in tantis tenebris nihil mutare praestat.

Facundia] Hanc a Philologia educatam cur dicat facile intelligitur. Ubi autem ab Etruscis dictum fuerit Cyllenio eam denuptam fuisse, omnino me latet. Deum Horatius (od. 1, 10, 1) alloquitur »Mercuri, *facunde* nepos Atlantis«, Orphicus (hymn. 27, 4) »λόγου θνητοῖσι προφῆτα.« Atque notissima res est, Mercurium, ut Macrobii (Sat. 1, 12) verbis utar, »vocis et sermonis potentem« fuisse.

alumna] Simili modo Varro (apud Nonium pag. 243 Merc.) »canam veritatem Atticae philosophiae

et pabulum multis praebuerit disciplinis. Venit etiam quaedam decens ac 174
pudicissima puellarum, quae praesul domus custosque Cylleniae, verum
Themis aut Astraea aut Erigone dicebatur: spicas manu, caelatumque ex
hebeno pinacem argumentis talibus afferebat. Erat in medio avis Aegyptia, 175
quae Ibis memoratur ab incolis. Sed cum petaso vertex atque os pulcherrimum 176

alumnam« dixit. Quanquam ibi dubium esse potest, utrum sit ea quae alat, an ea quae alatur; nostro loco certe active accipiendum est de ea quae *aluerit*; ut apud Silium (9, 532):

— — »*lumen* alumnae
Hannibalem Libyae pelli florentibus annis.«

praebuerit] Ita pro Grotiano *praebuerat* melius Monacenses (C. D. E), Britannicus, Cantabrigiensis, Darmstattensis, et teste Cortio Guelferbytanus: causa enim praelationis et approbationis exprimitur.

Themis] Quae Latinis Justitia. Themidem, Astraeam et Erigonem unam eandemque diversis tantum nominibus esse appellatam, recte dixit secutus veteres (Virgil. ecl. 4, 6; georg. 2, 474. Ovid. met. 1, 150. 7, 767; fast. 1, 249. Catull. 68, 153. Juvenal. 6, 19. Arat. 132. 135. Manil. 1, 85. 194. 544. Hygin. fab. 130; astron. 2, 25. p. 401 Munck. Minuc. Fel. 21, 16).

spicas] Attributas nimirum virgini coelesti sive Erigonae (Cic. N. D. 2, 42 f. Hygin. astron. 3, 24. p. 444 Munck. Macrob. Sat. 1, 21).

pinacem] Quum anteriores editiones omnesque libri scripti vocem Latinis illis literis exaratam praebeant; a Grotio tantum Graecas literas substitutas fuisse suspicor.

argumentis] Argumenta sunt artificia ingeniosa et arguta, unde Quinctilianus: »In picturis quoque *argumentosa* opera vocamus ingeniosa.« Ovidius:

— »*Longo caelaverat* argumento«

Grot. — Alium debebat apud Quinctilianum locum (5, 10, 9. p. 234 Spald.) evolvere, ubi de vario hujus vocis sensu disserit. Paulo inferius Martianus (§. 177) verbis: »*sponsi* cognosceret *argumentum*« ipse declarat, Mercurii symbolum esse intelligendum. Alio etiam loco (§. 435) corvum dicit *Apollinis* esse *argumentum*. Pariter Appulejus (met. 11. p. 757 Oud.) dixerat planam rotunditatem *argumentum* esse Lunae. Haud male Forcellinus (in lexico) idem interdum esse ait, quod Galli vocent *armes parlantes*, Plinii exemplo usus, qui (hist. nat. 36, 5, 4) de Sauro et Batracho architectis loquens »etiamnum in columnarum spinis insculpta *nominum* eorum *argumenta*« ait, lacertam nimirum atque ranam. Ceterum *hieroglyphica* signa esse, quae sequuntur, quivis videbit, ignoscetque, si non totam eorum vim indagare hucusque licuit.

Ibis] Haec enim avis Mercurio sacra apud Aegyptios. Plato in Phaed. Ἤκουδα τοίνυν, περὶ Ναύκρατιν τῆς Αἰγύπτου γενέσθαι τῶν ἐκεῖ παλαιῶν τινὰ θεῶν, οὗ καὶ τὸ ὄρνεον τὸ ἱερὸν ὃ δὴ καλοῦσιν ἶβιν· αὐτῷ δὲ ὄνομα τῷ δαίμονι εἶναι Θεύθ. Grot. — Lege Θωυθ, quemadmodum Clemens Alexandrinus (strom. 1. p. 303) apud Platonem jam legerat. Quam quidem lectionem multo meliorem esse ipsa testantur quae adhuc supersunt monumenta (Palaeogr. crit. IV. §. 603), id quod contra tenues et valde infirmas Osanni objectiones evici (v. Allgem. Schulzeit. 1828. II. 82. p. 665). Sed ut ad Ibidem ejusque cum Mercurio conjunctionem oratio redeat, praeter ea, quae Aelianus (in hist. animal. 10, 29) vix lectu digna re-

videbatur, quod quidem serpentis gemini lambebat implexio. Subter quaedam praenitens virga, cujus caput auratum, media glauca, piceus finis exstabat.
177 Sub dextra testudo minitansque nepa, a laeva capra. Sed dilofon alitem,

tulit, plura dabit Strabo (17, p. 823 Casaub.), inque primis Ovidii (met. 5, 331) hic versus notandus erit:

»*Pisce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis*«

(add. Apollodor. 1, 6, 3. Anton. Liberal. 28. p. 187 Verh. Hygin. astronom. 2, 28. p. 404 Munck. Horapoll. 1, 10 f.).

petaso] De Mercurii pennis, galero, virga, gallo vide Fulgent. mythologicon Lib. I. et Albricum de Mercurio. Gnot.

auratum] Auream virgam Mercurii jam cognomen ejus χρυσόῤῥαπις testatur (conf. Homer. h. in Merc. 527. Apollodor. 3, 10, 2. Orph. Argon. 155. Horat. Od. 1, 10, 19. Cornut. 16, in Gal. opusc. p. 165). Martialis quoque (7, 74, 2) eum alloquitur:

»Aurea *cui torto* virga *dracone viret.*«

Sed nostro loco caput tantum auratum, reliqua diversis coloribus notata, quibus diversa mundi regna, coeli, maris, et Orci, significari videntur; his enim omnibus pariter servire Mercurius supra dicebatur (§. 126).

testudo] Haec etiam inter Mercurii symbola referenda. E testudine enim lyra a Mercurio primum est confecta (Horat. Epod. 13, 7. Od. 3, 11, 3) unde hic »curvae lyrae parens« (Id. 1, 10, 5) appellatur. Deinde lyra illa in coelum est translata (Hygin. poët. astr. 2, 7. Nicomach. harm. 2. p. 29 Meib. Arat. 266 — 274), quare Ciceroni (in Arat. 381 et 465) »fides Cyllenia« est, quae Arato (396) λύρη Ηνλληναίη.

nepa] Genus est scorpii, qui fertur filios suos devorare: uno in setis dorso ejus inhaerente atque ita mortem evadente. Hinc et nepos dicitur, qui facultates suas per luxum prodigit. Per testudinem autem, nepam, et capream id significatur: quemadmodum testudo undique durissimo tergore munitur, ita sermonem rhetoris debere omni ex parte circumspectum esse atque instar scorpii adversarium celeriter ferire. Per capream velocitas sermonis significatur. Vulc. — Quot quantaeque nugae! Nec Pignorius (ad tab. Isiac. p. 82) hunc locum intellexit, nepam pro scorpio accipiens. Ambiguam omnino vocem esse Festus (p. 275) testatur verbis: »nepa Afrorum lingua sidus, quod Cancer appellatur, vel, ut quidam volunt, Scorpius.« Clarus tamen apud Plautum vocis sensus ex hoc versu exit (Cas. 2, 8, 7):

»*Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.*«

Quum autem Cancri tutelaris deus Mercurius habitus esset, quid mirum *minitantem nepam* inter alia ejus symbola a nostro relatam esse? Quid mirum, quum in gemmis etiam cancer, caduceus et aries juncti (ap. Passer. in gemm. astrif. I. tab. 154) compareant?

capra] Sic Monacenses (B. D. E) pro vulg. *caprea*, estque alterum Mercurii symbolum. Arietem enim fidelem Mercurii comitem fuisse alio loco (palaeogr. crit. III. §. 280) uberius demonstravi.

dilofon] Dilophon alitem, ibin, quasi δειλοφίν, quod formidinem serpentibus incutiat. Vulc. — De gallo, quem δίλοφον nominat Capella, *bicristatum*, vide Fulgentii mythologicon Lib. I. et Albricum de Mercurio. Gnot. — Omnino melior haec Grotii explicatio est, quam Vulcanii. *Alitem*, non *aliten*, Britannicus etiam et Cantabrigiensis praebent. De Mercurii gallo permulta olim (in pal. crit. IV. §. 874) e veterum scriptis monumentis-

quae sit oscinum mitior, in certaminis tentamenta pulsabat. Ipsa vero Ibis 178
praenotatum gerit nomen mensis cujusdam Memphitici. Hanc tabellam quum 179
ingestam sibi conspiceret virgo venerata, licet sponsi cognosceret argumentum,
tamen non ausa est sine supplicatione transire. Tunc etiam candidior Atlantidum 180

que attuli, ibique duas etiam gemmas interpretatus sum, quas lectorum oculis hic subjeci.

certaminis] Pugnaces gallos gallinaceos esse jam antiquitas novit adeoque publica illorum certamina instituit, quod Aeliano teste (var. hist. 2, 28) Themistocles primus Athenis fecisse fertur. Adde Plinium (hist. nat. 10, 21, 24), Lucianum (de gymnas. 37. VII. p. 199 Bip.), Plutarchum (Lycurg. p. 52; de stoic. repugn. p. 1049), Pausaniam (6, 26, 2. 9, 22, 4), gemmasque (Mus. Flor. 2, 91, 5. Lieet. gemm. p. 235. Rossi gemm. ant. II. 226 sequ. Montf. ant. V, tab. 47). Sed vocabula »mitior oscinum« apud nostrum quid sibi velint, jure quaeras mirerisque interpretes, qui quum singula verba passim explicent, in obscuris sententiis provinciam suam turpiter destituant. Ego, quatenus possum, explico: »pulsabat (incitabat, manu vel pede) in certaminis tentamenta, quae inter oscines mitior sit (id est, ut certamine experiretur, utra certantium oscinum ignavior atque debilior esset).

mensis] Incertos in hoc mensis nomine explicando jam vidimus viros doctos et inter se pugnantes (Jablonsk. in panth. 5, 5; p. 162. Georg. in praef. ad fragm. evang. Joh. p. 140), neque mirum; Jablonskius enim locum, quo nititur, Plutarchi (symp. 9, 3; p. 738) nondum satis explicaverat, et Georgius de literis Aegyptiacis prorsus incerta profert. Vide potius Hugium nostrum (myth. p. 183 not.). Verisimillima Grotii est sententia, qui ad primum Aegyptiorum mensem, qui ab eorum Mercurio *Θωυθ* nomen accepit, Martianum alludere arbitratur (§. 102 not.). Quanquam in tantis tenebris certam opinionem concipere nec licet nec libet.

ingestam] Quamvis codices Monacenses (C. D. E. G), Darmstattensis, Cantabrigiensis, Britannicus, Bodlejanus, Hugianus, et Vossianus pro *conspiceret*

Jovis congressu pignorisque culmine provecta supervenit, quae quidem nec in nurus officio sine bilance libra apparere dignata est. Quam virgo venerata, quoniam satis sociam filio recognovit, duabus cum lucrorum potente dicatis

habeant *cognosceret*, praetuli tamen vulgatam lectionem eo magis, quod hoc verbum proxime sequitur. *Ingestam* pro *adspiciendam* vel *contemplandam sibi datam* dixit.

candidior] Majam dicit Atlantis filiam, Mercurii matrem, quam Virgilius quoque *candidam* appellat (Aen. 8, 138). Comparativo noster pro superlativo usus est (§. 6. 121), eodem sensu quo Ovidius (fast. 5, 85) canit:

»*Quarum Maja suas* forma superasse *sorores*
Traditur.«

pignorisque] Pro *pignorisque*, quod Grotius edidit, Vossianus *pignerisque*, idque etiam ex cod. Leid. profert Muncker. ad Fulgent. mythol. I. 27, idque eo probat, quia Afri saepius archaismos adfectare soleant. Grammatici quidem voluerunt *pignera* rerum esse, *pignora* vero filiorum et adfectionum; sed doctos hanc distinctionem spernere recte notat Drackenb. ad Liv. III. 38; adde Burmann. ad anthol. vet. epigr. II. 26 et quae ad tit. ff. de pign. action. passim notare solent. Arntz. (misc. p. 212). — Britannicus: »pinnigerisque«; sed hoc cum reliquis verbis neque jungi potest, neque explicari.

culmina] *Pignora* pro *liberis* dici notum est (§. 25. 32. 91. 92). *Pignus* igitur hoc loco est Mercurius, Majae filius, cujus illa *culmine* provecta dicitur, quum dignitas ejus non minus filii auctoritate et splendore quam Jovis toro insigniter aucta esset. *Culmen* enim translato sensu accipiendum, ut apud Claudianum (6 cons. Honor. 64):

»*Inclinat populo* regale *modestia culmen.*«

Vide tamen, ne aliquid etiam astrologicae ambiguitatis his verbis subsit. Atlantides enim inter stellas quoque numerabantur (Virgil. georg. 1, 221), communi nomine Pleiades sive Vergiliae appellatae.

bilance] Veram hanc lectionem nemo est qui ignoret: alii tamen codices *blance* referunt, et exponunt Gloss. nostrae *blanda*, quibus suffragatur Gloss. II. St. Blanx εὐηθής. Gnot. — Suis glossis suffragari glossam Stephani annotat Grotius, sed falsus in eo est; legendum: »Blax εὐηθής«, hoc est stultus. Munck. (ad Fulgent. p. 165). — Quamvis in Vossiano codice (Arntz. misc. p. 212), et in duobus Monacensibus (D. E) etiam legatur *blance*, atque in alio Monacensi (C) pariter ac in Darmstattensi, Cantabrigiensi, Britannico, et Bodlejano *blancae*, omnino tamen vulgata lectio praestat corruptis illis, quae originem traxerunt ex eo, quod interpretes causam ignorarunt, cur librae hic mentionem faciat noster. Qua in re admodum obscura quum solis conjecturis locus sit, haud pudet meas exponere. Discimus e Macrobio (Sat. 1, 12) »mense *Majo* mercatores omnes *Majae* pariter *Mercurioque* sacrificasse.« Mercurii igitur mater, eademque mercatorum dea, non dignata est (noluit) *sine libra* apparere; in nurus nempe officio. Ceterum pro Grotiano *ne* e Bodlejano et Monacensi (C) reposui *nec*, quod omnino praeferendum, quin etiam substitui adeo necesse est, ut quo pacto antecessores mei, *ne* legentes, locum intelligere potuerint, prorsus non perspiciam.

potente] In MS. fuit *lucrorum pote*. Gnot. — Praestat omnino vulgata. De Mercurio enim sermo est, qui pariter *lucrorum potens* dicitur, atque a poëtis *ignipotens* Vulcanus, *ensepotens* Mars, *belli-*

coepit honorare pecudibus. Hinc festinatur ascensus, et usque in Veneris 181
circulum hemitonio transvolatur, ipsaque Venere, quae nuptiis allubescebat, quantum decebat honorata, hoc in ea perhibetur intuita, quod admodum pulchra tamen antias draconibus circumflexa crebroque capillitio vulsa, ambifariumque nital secum congressa mitificat. Mox studium in solarem ela- 182

potentes Mars et Pallas, *nemorum* et *silvarum potens* Diana, *frugum potens* Ceres, *Manium potens* Trivia, *Umbrarum potens* Pluton, *lyrae potens* Musa, *maris potens* Neptunus, *nimbrorum tempestatumque potens* Aeolus, *lauri potens* Apollo, *uteri potens* Lucina, et a Macrobio (Saturn. 1, 12) Mercurius ipse *sermonis potens* appellatur. Accedit quod Graece etiam idem *κερδῶος* (v. Lucian. in Timone 41. Hesych. I. p. 1204) audit.

honorata] Editi *orata*. Cortius in Guelferbytanis legit *ornata*. Meliorem lectionem e Cantabrigiensi et Basileensi substitui. »Quantum decebat« ideo adjectum videtur, ne Philologia Veneri nimium dedita censeretur.

antias] Cincinnos dependentes prope auriculas. Isidor. Vulcan. — Vide de hac voce Festum et Isidorum. Utitur et Appulejus. Gloss. H. St. *κόμαι διὰ τῶν κροταφῶν κρεμάμεναι γυναικείων*. Gloss. Isidori: »Antiae, capilli emissi, vel capilli quos mulieres proximos in capite componunt.« Gnot. — Appuleji locus in Floridis (1, 3. p. 14 Oud.) legitur. Longe quidem aliter accepit J. Scotus, qui a. 875 obiit, ut ex hac glossa codicis Basileensis videmus: »Locus iste corruptus est scriptorum vitio et ideo a nonnullis prave expositus; J. Scotus ita sentit: ipsa Venus admodum pulchra erat, tamen *antias* i. e. *contraria* videbatur Philologiae«; quasi a Graeco *ἀντίος* descendat!

nital] Varians in margine lectio praebet *amital*, ad quod verbum Grotius haec annotat: »Multum de hoc laboravi, ac necdum verum comperi, sed adhuc haereo; in quibusdam codicibus *Nisam* legitur, unde conjeci *Misam*, quem Isidis filium nominat Onomacritus in initiis Orphicis et ambifarium facit, ait enim: ———— *Ἄρρενα καὶ θῆλυν διφυῆ*. Postea vero in historiis Indicis inveni coli apud Indos deum nomine *Amida*, cujus effigiem, et quidem monstrosam, vidi ipse ex India allatam: habebat ille non binas manus more nostro, sed quaternas, unde non immerito possit *ambifarius Amida* vel *Amital* (consona enim haec sunt) appellari. Sane constat, magica pleraque ex Indico fonte esse deducta.« — Sed mera haec somnia esse Grotii manifestum est. Potuit quidem noster ante oculos habere hunc Martialis (5, 37, 8) versum:

»*Quae crine vicit Baetici gregis* vellus,
Rhenique nodos aureamque nitelam«;

sed hunc non magis quam Martiani locum intellexisse videntur interpretes, qui de »micis pulveris auri repertis in arena et ramentis aureis, quibus conspersam comam illuminassent« cogitarunt, quum de flavicomis potius Germanis poëta egerit, nemoque ignoret, flavum crinem pariter atque flavum aurum dici. *Nital* denique noster pro *nitela* usurpavit, quod Appuleji et Solini interpretes pro *splendido* accipiunt, me autem judice apud utrumque etiam pro flavo colore accipi potest. Docere autem noster voluit »minime fidendum esse pulchritudini Veneris ambiguae, cujus coma serpentibus circumflexa sit.«

mox studium] Rectius forte excerpta nostra: »Mox studium in solarem elaborare circum, quippe sescuplo fatigabatur adscensu.« Aliis id extulit p. 44:

borare circulum, quippe sescuplo fatigabatur ascensu, qui tonus ac dimidius
183 habebatur. Ibi quandam navim, totius naturae cursum diversa cupiditate moderantem, cunctarum flammarum congestione plenissimam, beatis circumactam mercibus conspicatur. Cui nautae septem germani suique juris con-

»maximis conatibus sescuplo itinere evehi.« Bosp. var. lect. p. 58) — Melior certe haec lectio est, quam apud Grotium *laborare* et deinde *fatigabat ascensum*; sed pro *circum* e Monacensi (G) et Cantabrigiensi *circulum* etiam reposui.

tonus ac dimidius] Legendum puto: Tonus dimidius. Hyginus: »Sol abest ab Hespero medietate toni.« Gnot. — Dormitavit Grotius, neque erat quod Goezius hoc somnio textum corrumperet. Sequitur noster Plinium et Censorinum, quorum ille (hist. nat. 2, 20. s. 22) »Pythagoras« inquit »ex musica ratione appellat tonum, quantum absit a terra Luna; ab ea ad Mercurium spatii ejus dimidium et ab eo ad *Venerem* fere tantundem; a qua ad *Solem sesquiplum*«; alter autem (de die nat. c. 13) »hinc ad Φώσφορον, quae est *Veneris* stella, fere tantundem, id est, aliud ἡμιτόνιον: inde porro ad *Solem* ter tantum, quasi *tonum et dimidium*; itaque Solis astrum abesse a terra tonos tres ac dimidium, quod vocatur διὰ πέντε.« Alia tamen ratio est Plutarchi (de animae procr. p. 1028), alia aliorum (v. palaeogr. III, §. 285).

ibi quandam] Lectionem, quam e Guelferbytano codice prodidit Cortius, recepi. Grotius enim ediderat *cursibus, cunctaque*, atque *et* ante *beatis*, quae copula a Britannico, Cantabrigiensi, Reichenauensi, et Darmstattensi abest.

moderantem] Jamblichus (de myst. 7, 2. p. 151): »Ubi in symbolis *deus* tanquam *navis rector* est, id ostendit potestatem *mundi gubernatricem*. Sicut enim gubernator navis adstat clavo, eodem modo et *Sol mundi totius* temonem regit.« Conferendus hoc loco omnino Apollonius Tyaneus est (apud Philostr. 3, 11. p. 143 f. Mor.) et inferior (ad §. 186) nota.

septem germani] Septem fratres in prora navis sedentes significant hebdomadae dies. Leo aestatem; Crocodilus hiemem. Vulc. — Septem hebdomadae dies indicat mystice ut solet. Nautas autem vocat quia etiam Soli et Lunae navigia uti currus tribuuntur. Vide Plutarch. de plac. phil. Lib. 2, c. 10. Gnot. — In hoc Plutarchi loco illud non reperies, sed in commentatione de Iside (p. 364). De diis Aegyptiorum in navigiis constitutis pluribus olim egi (in palaeogr. crit. III. §. 258. IV. §. 695) permultisque imaginibus e gemmis selectis (III. §. 507. IV. §. 609. 649. 770. 779) rem illustravi. Errat autem cum Vulcanio Grotius, hebdomadis septem dies intelligens. Istos enim Martianus certe non dixisset *totius naturae* navem regere; sed intelligendi potius Sol et Luna cum reliquis quinque planetis. Quae sequuntur apud Grotium verba »*germani tamen suique consimiles*« emendavi. E Vossiano enim codice (Arntz. misc. p. 213) vocem addidi *juris*, sed vocabulum *tamen*, quod a Cantabrigiensi abest, expunxi. *Sui juris* planetas esse ex suo cuique proprio cursu dixit. Voce *germani* autem, qua et Plato (Epin. p. 986 Steph.) planetas significat, ἀδελφούς eos appellans, nihil aliud quam illam eorum similitudinem innuere voluit, qua septem hae stellae semper contrarium reliquis omnibus cursum peragerent. Adde Hugium (in myth. p. 254. 255. 256).

similes praesidebant. In prora felis forma depicta, leonis in arbore, crocodili in extimo videbatur. In eadem vero rate fons quidam lucis aethereae, arca- 184
nisque fluoribus manans, in totius mundi lumina fundebatur. Quo viso Philologia consurgens, totaque veneratione supplicans, ac paululum connivens oculis, deum talibus deprecatur:

Ignoti vis celsa patris, vel prima propago, 185

felis] Miror Grotium, Walthardum et Goezium, qui *felix* edere potuerint. Neque enim solum in anterioribus Martiani editionibus (v. Lugdun. a. 1539) in margine varians lectio *felis*, quam recepi, adnotata erat; sed *felis* etiam legerant Pignorius (mens. Is. p. 40), Galc (ad Jambl. p. 280), Cuperus (in Harp. p. 13), Montfaucon (in ant. suppl. 2. p. 185). Certe igitur melior eligi debebat lectio. Felis autem hic Lunae symbolum est, quemadmodum supra (§. 170) a nostro jam traditum erat. Transposita etiam interpunctione, quae falsa apud Grotium et recentiores editores est, recte Martianus felem sive Lunam in prora collocavit; leonem sive Solem (Pal. crit. III. §. 298. 303. IV. §. 705. 716) in summa navis arbore. Alias dii tutelares in navis prora collocabantur (v. Lips. ad Sen. ep. 76 p. 525).

leonis] Leonem Soli sacratum paucissimi ignorant, quod oculorum fervore et radiis ei possit non immerito comparari. Affert et alias rationes Macrobius Lib. 1. c. 21 Sat. Gnor. — Plura qui cupit evolvat palaeographiam meam (IV. §. 705. 716), Hugiumque nostrum (in myth. p. 172), ubi de leonis et aquae vocabulis disserit; quibus adde Moysis nomen a Salmasio (in epistol. p. 152) Aegyptiacae linguae vindicatum.

crocodili] Crocodilus Serapidi sacer, id est Soli. Serapis enim idem cum Sole, ut ex oraculo ei attributo comprobatur. Vide Macrob. c. 20. lib. 1. Sat. Gnor. — Hoc quidem non nego; verum quoniam leonem, Solis symbolum, in navi depictum esse jam dictum, omnino pulchrior Martiani fictio erit, si mecum conjeceris, eum hausisse e Clemente Alexandrino, qui (str. 5. p. 566) e quorundam sententia docet, »crocodilo significari tempus a Sole genitum.« Unde 365 dentes, anni nempe dierum numerum, huic animali adfinxerunt (Achill. Tat. Erotic. 4 f. p. 272 Salm.).

fons lucis] Heraclitus Solem »fontem coelestis lucis« nominat (Macrob. somn. Sc. 1, 20), Plato (de R. P. 6. p. 508 Steph.) »lucis auctorem« (v. §. 185), Orphicus (hymn. 7) *οὐράνιον φῶς*. In sacra denique precatione cum allocuti sunt *ἥλιε κόσμου φῶς* (Macrob. Saturn. 1, 23).

connivens oculis] Alii *connibens*, et hinc alii *oculos* contra MSS. vetustissimos exhibuere. Ornavn. (ad Appul. I. p. 44). — Non hoc solum correxi, sed paulo post etiam e Cantabrigiensi, Darmstattensi, Reichenauensi, et Hugiano reposui *deprecatur* pro *deprecabatur*.

ignoti] Lucretius (5, 149):

»*Tenuis enim natura deûm longeque remota*
Sensibus a nostris animi vix mente videtur.«

Neo-Platonici, quod olim jam observavi (palaeogr. crit. III. §. 126), sibi persuaserant, hominibus innotescere tantum hujus mundi creatorem, ex factis nimirum ipsius; eo autem longe antiquiorem esse (*τὸν πρῶτον νοῦν*) deum supremum, quem ipsis

Fomes sensificus, mentis fons, lucis origo,
Regnum naturae, deus atque assertio divûm,
Mundanusque oculus, fulgor splendentis Olympi,
Ultramundanum fas est cui cernere patrem,
Et magnum spectare deum; cui circulus Aethrae
Paret, et immensis moderaris raptibus orbes.
186 Nam medium tu curris iter, dans solus amicam
Temperiem superis, compellens atque coërcens
Sidera sacra deûm, quum legem cursibus addis.
187 Hinc est quod quarto jus est decurrere circo,
Ut tibi perfecta numerus ratione probetur;

semper obscurum et *ignotum* manere necesse sit (Euseb. praep. ev. 11, 10, 18. p. 539), sive, ut Ciceronis verbis utar (N. D. 1, 14, f.), deum illum, quem *mente* noscamus *nusquam apparentem*. Praeterea conferre licet cum hoc carmine epigramma Latinum in Solis laudem (in Burm. anthol. Lat. 5, 1. T. 2 p. 295).

vel] *Vel* ego arbitror nimis ignavum, neque dubito *Sol* restituendum, cum recta cum Philologia alloquatur. Bantu. (adv. p. 517) — Ego vero contra sentio. Non intellexit censor verum illius particulae sensum. Non *vim* solum, sed, quod majus est, *primam propaginem* patris Solem esse docte scripsit Martianus, Platonem secutus, qui (Rep. 6, p. 509) Solem summi Boni progeniem dixerat.

oculus] Invocatur ab Orphico (hymn. 7) Sol: *αἰώνιον ὄμμα*, et ad quaestionem »quid sit Sol?« Epictetus philosophus respondet »Mundi oculus« (Fabric. bibl. Gr. 13. p. 557), et Atheniensis sophista (p. 566) »*Οὐράνιος ὀφθαλμός*«, pariterque Ovidius (metam. 4, 235) de Sole:

»*Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum,*
Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,
Mundi oculus« — —

ultramundanum] Graecus philosophus (Sallust. 6. in Gal. opusc. p. 253 f.) eum *ὑπερκόσμιον* dixerat, quam vocem primus Appulejus (dogm. Plat. p. 204 Oud.) Latine vertit, ultramundanum patrem summumque deum appellans.

temperiem] De Apolline aërem temperante vide supra (§. 18). Hic Solem laudat stellarum ducem (Orph. hymn. 7 et 33), qui Ciceroni (de re publ. 4. p. 128 Zell.) est »dux et princeps et *moderator* luminum reliquorum, mens mundi et *temperatio*«, Ovidio (met. 1, 770) »qui *temperat* orbem.« Ante oculos autem noster habuisse videtur Macrobium (in somn. Sc. 1, 20) ad illum Ciceronis locum (conf. §. 14. 18. 34. 183).

sidera sacra] Quasi diis solis sacrata, mortalibus negata. Bantu. (adv. p. 1242). — Vereor ne plus tribuerit vir doctus verbis, quam in iis latet. Astra enim quum noster semper fere cum diis conjungat (§. 97), *sidera sacra deûm* nil aliud est quam *sacri dii*.

Nonne ac principio geminum tu das tetrachordon?
Solem te Latium vocitat, quod solus honore 188
Post patrem sis lucis apex; radiisque sacratum
Bis senis perhibent caput aurea lumina ferre,
Quod totidem menses, totidem quod conficis horas.
Quatuor alipedes dicunt te flectere habenis, 189
Quod solus domites quam dant elementa quadrigam.
Nam tenebras prohibens retegis quod caerula lucet, 190
Hinc Phoebum perhibent prodentem occulta futuri,
Vel quia dissolvis nocturna admissa; Iseum 191

ac principio] Ita anteriores editiones, inque sequentibus *das*, quorum utrumque restitui. Grotius *hac* et *dans* substituit adnotans: »Lege *a* principio. Comparat Solem mese in musicis. Gemina autem tetrachorda sunt tres planetae utrinque et ipse utrinque quarti supplens vicem, in primo tetrachordo ultimus, in ultimo primus.« Sed quamvis recte geminum tetrachordon explicaverit (conf. tamen et Boeckhium in Creuz. stud. III, p. 88), emendatio tamen non adeo certa est, ut in textum recipi possit, quum plerique codices in vulgata consentiant. Unus ex omnibus Monacensis (G) *hic* pro *hac* habet; quam qui receperit lectionem profecto non contemnendam, certe non omni externa auctoritate destitutus erit. *Das* etiam in Darmstattensi, Cantabrigiensi, et teste Cortio in Guelferbytano legitur.

solus] Latini nominis etymon, quod multi sic exposuerant (Varro de L. L. 4, 40. Cicero N. D. 2, 27. Fulgent. myth. 1, 11. p. 43 Munck. Macrob. Somn. Sc. 1, 20; Saturnal. 1, 17).

patrem] Illum nimirum ignotum, de quo supra (§. 185). Nihil vidit in hoc loco Barthius, qui (adv. p. 517. 2084) Christi patrem intelligit!

bis senis] Val. Flacc. l. III. (lege 4) 92:

— »*Sol auricomis* (lege *mus*) *ingentibus* (*l. cingentibus*) *horis*
Multifidum jubar, et bisseno *sidere textam*
Loricam induitur« — —

Bisseno autem dicit, quia duodecim signis via Solis, quem zodiacum appellamus, distribuitur. Gozz. — De radiis Solis eorumque numero causisque confer etiam superiorem locum (§. 75) ibique observata.

lucet] Pro *lucet* omnino scribendum *luce*. »Caerula luce retegere« est *tenebras luce depellere*. Munck. (ad Fulg. p. 43) — Ne unus quidem codex viro docto adstipulatur, eoque minus aliquid mutare audeo, quod varians lectio in margine veterum editionum adscripta est *licet*. Quantum igitur possum, explico: »Nam tenebras prohibens retegis quod caerulam lucem prodit«, ut *caerula lucere* dictum sit ut supra (§. 116) »creperum micare.«

Iseum] Lege *Lyaeum*. Ostendit idem, quod Macrobius lib. 1, omnes deos ad Solem referri, Apollinem, Serapim, Osirim, Mithram Persarum, Ditem patrem, Typhonem, Atyn, Adonin, Ammonem, Triptolemum, et hic Liberum patrem. Obiter alludit ad nomen *Λυαῖον ἀπὸ τοῦ λύειν*, idque eo

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim,
Dissona sacra Mithram, Ditemque ferumque Typhonem;
192 Attis pulcher item, curvi et puer almus aratri,

refert, quod Sol occulta dissolvat tenebrasque dissipet. Sed de deorum hac confusione plura collegimus ad Onomacritum. Gnor. — Ipse Vossius in margine conjecerat *Lyaeum*. Arntz. (misc. p. 213) — Certe et Grotius non *Lycaeum*, uti Goezius incaute reposuit, sed *Lyaeum* voluit. Nec tamen probo. *Iseus* enim Isidis filius appellari eodem jure potuit, quo (§. 87) Vulcanus Junonius dictus erat; quod autem ex conjunctione cum antecedentibus Grotius argumentum repetiit, in tanta constructionis ambiguitate nihil contra codicum auctoritatem efficere potest. Possit adeo ipsum vocabuli etymon ad *nocturna admissa* referri, si Martianum cum Plutarcho (de Iside p. 351) Isidis nomen ab *ἴδημι* derivasse statuamus; multo tamen melius *dissolvendi* illud officium ad *Phoebi* nomen referemus, quum *φοιβάζω* etiam *purgare* vel *verrere* significet. Ceterum *Iseum* pro *Isaeum* e Basilecnsi codice reposuimus, quia Graece *ἴδειος* est. Glossa Monacensis (D) explicat *justum, aequum*, ut de *ἴδω* cogitasse videatur!

Serapim] De magnifico hujus dei in Aegypto templo vide Ammianum (22, 12). Imitatus est noster variando unius ejusdemque dei nomina permultos alios scriptores (Stat. Theb. 1, 717. Appulej. met. 11. p. 753 Oud. Auson. epigr. 29 et 30. Nonn. Dionys. 40). Quibus diversis Solis nominibus hujus ipsius oracula ansam dederunt (Macrob. Saturn. 1, 18. Euseb. praep. ev. 3, 4, 15. p. 125. Laur. Lyd. p. 42 Roeth.). Accusat quidem Goezius (Grotium secutus) Martianum de correpta media in nomine Serapis; sed corripuit eam jam antiquior Prudentius illo versu (c. Symm. 2, 551): »Nil potuit Serapis« cet. Et omnino operae pretium erit audire Hieronymum de Bosch, qui (in anthol. Gr. T. 4. p. 297. 298. 418) observat, in nominibus propriis a veteribus eandem syllabam modo corripi, modo produci, quare nugas agere, qui in *Batavia* an secunda corripienda, an producenda sit, tantopere laborent. Atque eadem Priscianus jam docuerat (de accent. p. 814) scribens: »In peregrinis verbis, et *barbaris* nominibus, vel interjectionibus, nulli sunt certi accentus. Ideoque in potestate uniuscujusque consistunt, ut quo necessarium videat sic in metro ponat.«

dissona] Barbara. Sic supra »dissonans discrepantia nationum«, et alibi »secundum dissonas nationes.« Gnor. — Haec enim primitiva vocabuli *βάρβαρος* significatio est, unde jam apud Homerum *Κᾶρες βαρβαρόφωνοι* (Il. *β*. 867), quo idem declaratur quod alibi (Odyss. *α*. 182; *γ*. 302; *ο*. 432) locutione *ἀλλόθροοι ἄνθρωποι*.

Mithram] Solem Mithram appellari liquet ex hac inscriptione Latina: »*Soli Mithrae*« et illa Graeca: »*ΗΛΙΩ ΜΙΘΡΑ ΑΝΙΚΗΤΩ*«, aliisque centum similibus. Gnor. — Res est notissima vel e Nonno, Strabone, Justino martyre, Porphyrio, Statio, Curtio, Claudiano, aliis. (Conf. Palaeogr. crit. III. §. 106. 309. 481. Hyde de relig. Pers. Eichhorn de deo invicto Mithra, et Camdenum in praelectionibus academicis p. 177). Literas in nomine *Μιθρας* numerum 365, nimirum anni dierum continere, olim (loco citato §. 454) jam monui.

Attis] Sic pro Atys e Vossiano scribe, quod etiam placuit Munckero ad Fulgent. mythol. 3, 5,

Ammon et arentis Libyes, ac Byblius Adon.
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.
Salve vera deûm facies vultusque paterne, 193

et recte quidem, quum ita priori longa semper poëtis dicatur, judice Schradero Obs. 1, 5, ubi et hanc emendationem a Munckero institutam probat. Auctt. (misc. p. 215). Salmasius quoque (ad Solin. p. 51) *Atys* nomen Lydum, Cybeles autem amasium *Attidem* scribendum censet, itaque corrigit Arnobium (l. V), ubi de Attide pro Sole habendo itidem sermo est. Confer tamen et Doeringium (ad Catull. 63) et interpp. ad Persium (1, 95).

puer] Quicunque Virgilium (georg. 1, 19) legerit, sane videbit eum a nostro exscriptum fuisse. Sed difficilior quaestio est, quinam fuerit »almus ille puer aratri?« Etenim ipse Virgilius obscurus est adeo, ut vel Heyne eum non intellexerit, puerum interpretatus Triptolemum, qui a Martiano hoc loco designari non potuit, quum nunquam ille Solis nomine veniat. Viam potius nobis aperit Servius, ad Virgilii locum observans: »Alii Triptolemum, *alii Osirin* volunt.« Atque posterius rectius esse e poëtis colligitur. Tibullus (1, 7, 29):

»*Primus* aratra *manu sollerti fecit* Osiris
Et teneram ferro sollicitavit humum.«

Idem Rutilius (itin. 1, 75):

—— »*vinique repertor*
Et qui primus humo pressit aratra puer.«

Bacchum enim et Osirin eundem deum fuisse non magis ignoramus, quam Osirin pro Sole accipi (Palaeogr. crit. IV. §. 643. 661). Hinc mihi quidem persuasum Virgilium a nostro melius intellectum esse, quam ab Heynio, cujus interpretatio et eo laborat, quod impertinentem Virgilio adfinxit conjunctionem *deorum* cum Triptolemo *semideo*. Sed in voce *puer* haesisse videtur, qua tamen neque ipse Virgilius (in cul. 25. 36), neque Cicero (Phil. 4, 1) vel Caesarem Augustum appellare dubitarunt. Erraret igitur similiter qui *pueri aratri* nomine inductus Tagetem intelligere vellet. Nemo enim unquam hunc pro Sole accipi legerit. *Curvum aratrum* similiter dixit Lucretius (3, 931. 6, 1251).

Ammon] Peccat Capella in legem pedarium, ut et supra Serapim media correpta dixit. Cur autem Sol Ammon dicatur, ex Nonio docebimus in notis Onomacriticis. Gnor. — Macrobius (Saturn. 1, 21) »Hammonem« inquit »Solem occidentem Libyes existimant«: et ego de Ammone copiosius pluribusque locis (in palaeogr. crit. T. III. §. 125. 281. 481. T. IV. §. 600. 669. 670) egi. De metro equidem nostrum in nota ad nomen Serapim modo defendi. Ac profecto antiquissimorum etiam poëtarum negligentiam non minus accusandam esse Athenaeus (14. p. 632 Casaub.) multis ostendit exemplis.

Adon] Pariter Theocritus (Syracus. 145) Solem intellexit his versibus:

Ἴλαθι νῦν, φιλ' Ἄδωνι, καὶ ἐς νέωτ' εὐθυμήσαις.
Καὶ νῦν ἦνθες Ἄδωνι, καὶ ὄκκ' ἀφίκῃ φίλος ἦξεῖς.

In primis autem Macrobius (Sat. 1, 21) totus in eo erat ut demonstraret Adonin Solem esse.

salve vera] Sumsisse videtur ex hemistichio hoc Virgilii (Aen. 8, 301):

»*Salve vera Jovis proles.*« —— Mox miror Walthardum et Goezium edidisse *paternae*, quod omni sensu caret. Scilicet non animadverterunt, in erratis a Grotio istud mendum cor-

Octo et sexcentis numeris, cui litera trina
Conformat sacrum mentis cognomen et omen.
Da pater aethereos mentes conscendere coetus,
Astrigerumque sacro sub nomine noscere coelum.

194 His auditis deorum sedes jussa est permeare. Verum hemitonio sublevatam
195 Pyrois circulus immoratur, in quo Jovis fuerat maximus filiorum. Ex quo
196 circulo visus Pyriphlegethon amnis ad infera demeare. Quo transgresso (neque

rectum fuisse. Verumtamen intelligere debebant, quod scriberent!

sacrum] Vulg. *sacrum nomen, cognomen et omen*, sed haec annotant docti interpretes: MS. »sacrum *mentis* cognomen.« Est autem hoc nomen, quod diligenti indagatione inveni, *HYΣ*, quod mentis affectum placidum denotat, estque τριγράμματον et numerorum 608. Nisi quis *YHΣ* malit. Id enim nomen Baccho tanquam humidae naturae domino tribuit Plutarchus. Ego tamen alterius malim, quo sit *mentis cognomen*. Et sane ab eodem fonte Apollinem ἥϊον dici quis est qui ignoret? Gnor. — Versiculum ipso suo sono horridum rectius forte codex MS. hunc in modum refert:

»*Conformat mentis sacrum cognómen et omen.*«

Et ita etiam codex a Grotio adhibitus, quem virum summum egregie (!) haec illustrantem vide in notis. Aliam longe viam in illustrando hoc loco ingressus est Barthius (adv. XL. c. 3. p. 517) qui Capellam Christianum esse hinc colligit, rectene an secus ipse viderit. Bond. (var. lect. p. 58) — Scribendum omnino »mentis cognomen«, quod in suis codicibus invenerunt Grotius et Bondamius et in Vossiano exstat. Arntz. (misc. p. 213) — Addere licet e Monacensibus plures, Hugianum, Basileensem, Darmstattensem, Britannicum et Cantabrigiensem. Ceterum ut non nego nugas egisse Barthium, ita et egregie errasse Grotium et Bondamium patet, quos Aegyptiacum Solis nomen ΦΡΗ omnino latuerat (v. Palaeogr. meam crit. III. §. 229. IV. §. 588). Quod autem hic *mentis cognomen* dicit, hoc ex superiori loco (§. 185) illustrandum, ubi Solem *mentis* fontem appellat.

mentes] Grotius *mentis*. — Vel legendum est »pater mentis«, id est mundi, vel »da pater mentes.« Vulc. — Cessat, quia Bodlejanus codex exhibet *mentes*, atque ipsum *mentis* pro accusativo pluralis numeri accipi potest. Sensus est: »Da pater mihi animum, ut coner ascendere coelum.« Nam sic intelligenda dictio est »dare mentem.« Confer illum Horatii (in ep. 2, 2, 36) versum:

»*Verbis, quae timido quoque possent* addere *mentem.*«

nomine] Lege *numine*. Vonck. — Equidem verbum, quod in omnibus tam editis quam scriptis libris exstat, corrigere non ausus sum, praesertim quum vox *cognomen* praecedat.

auditis] Grotius *audita*, quod correxi e varianti lectione apud Walthardum et e Basileensi codice. In sequentibus Guelferbytanus quidem *sublevata*, et Cantabrigiensis *circulo* praebent, sed quum Pyrois primus sit casus, male.

infera] Ita pro Grotiano *infra* habent Monacenses (C. D. E), Reichenauensis, Basilensis, Darmstattensis, Guelferbytanus teste Cortio, Britanni-

enim labor fuerat, hemitonii interjecta transcurrere) in Jovialis sideris pervenere fulgores, cujus circulus Phrygio phthongo personabat. Illic sidus erat temperamenti vivifici ac salubris, fulgentibus blandisque vibratum candoribus. Cujus quidem lucis natura, ex calidis humidisque commixtionibus candens, quadam prosperitatis tranquillitate rutilabat. Verum ibi sidus Jovis; nam ipso totius mundi membra collustrans ad deorum dicebatur imperium et senatum coelitem commeasse. Hunc etiam praetergressa circum, ac parili in- 197
terjectione sublimis, deorum rigidissimum creatorem in algido inhaerentem pruinisque nivalibus conspicata: verum idem quem circumire nitebatur orbis melo Dorio tinniebat. Sed ipsi praesuli nunc draconis facies, nunc rictus leonis, nunc cristae cum aprugnis dentibus videbantur, totoque exitialis

eus et Cantabrigiensis teste Federo, quapropter haud dubius meliorem lectionem in textum recepi.

neque enim labor] E Virgilii (Aen. 11, 684): »neque enim labor.«

phthongo] Quodsi Plinii (2, 22, 20) verba: »Saturnum Dorio moveri phthongo, Jovem Phrygio« contuleris, videbis omissum esse *Phrygio*. Phthongus enim sonus est (§. 939) qui variatur, unde paulo post (§. 197) Saturno *Dorium* melos adscribit. Quumque liqueat Martianum sua e Plinio hausisse, ex eo etiam supplere quod omissum non dubitavi, praesertim quum viderem hoc ipso loco in Darmstattensi codice verbum quoddam erasum esse. Nicomachus (in harmon. manual. 1, 2, 3. p. 7. Meib.) *Jovi* sonum adscripsit *parhypates*.

temperamenti] Peculiarem hanc hujus planetae notam fuisse, supra (§. 17 et 32) vidimus, et infra (§. 885) legemus. Confirmant eam tam philosophi, quam poëtae. Etenim ex Saturno et Marte *temperari* illum interjectum et Cicero (N. D. 2, 46 f.) et Plinius (2, 8) et Aristides Quinctilianus (de musica p. 148 Meibom.) docent, repetitque idem Ptolemaeus (tetrab. 1, 4); Vitruvius autem (9, 1. p. 267. Bip.) »*temperatissimos*« ei *effectus* tribuit. Adde palaeogr. crit. III. §. 282.

fulgentibus] In locum vulgaris lectionis *effulgentia vibrata* meliorem recepi, quam Basileensis codex et teste Cortio Guelferbytanae membranae habent, »*fulgentibus blandisque vibratum candoribus.*«

coelitem] Cantabrigiensis *coelitum*, unde sensus exit idem.

algido] Virgilius (georg. 1, 336):

»*Frigida Saturni sese quo stella receptet.*«

inhaerentem] *Haerentem* Grotius; *inhaerentem* e variis lectionibus Bondam (p. 58), quamvis parum intersit. Sed paulo post pro *circumvenire* e Darmstattensi, Reichenauensi, Basileensi, et Guelferbytano omnino rectius *circumire* recepi.

Dorio] Gravissimo sono. Vulc. — Confer Milichium (ad Plinii librum secund. p. 167) et Harduinum (ad Plin. 2, 22, 20. not. 11).

aprugnis] Ediderat Grotius *aprinis*. In MS. inquit Grotius, videtur *aprugnis*. Ita clare Vossianus, atque certe vox ea Capellae est restituenda, quum in magis notam a librario sit mutata. Hausit

saeviebat horrore; cui tamen potestas pro circi granditate major ac praelata ceteris habebatur. Denique harpis bombisque perterrita, tam intoleranda
198 congressione virgo diffugit. Inde maximis conatibus sescuplo itinere evehuntur. Nam tono ac dimidio ad ipsius coelestis sphaerae globum ac laqueatum stellis
199 ambitum pervenitur. Sicque sex tonorum conscensionibus et stadiorum defecta lassitudine fatigati, quum diapason symphoniam, quidquid emensi erant,

id certissime e Solino, qui cap. 32 »aprugnis dentibus« dixit, ut in quibusdam editionibus legitur, quod tamen in Venetiana ann. 1498, quae penes me est, mutatum quoque in *aprinis* eodem errore. Salmasius edidit *aprugineis;* sane Latinis dici *aprugineus*, *apruginus* et *aprugnus* idem notavit exercitat. Plin. p. 574. Anxtz. (misc. p. 215). — Correximus, quia in codice illo *aprugnis* legitur; quamvis *aprinus* haud deterior vox sit a Varrone et Plinio usurpata. Profecto sicut a *caper* est *caprinus*, ita ab *aper* dici potest *aprinus*.

exitialis] Pro Grotiano *exitiali* e Vossiano legendum *exitialis*. Litera S absorpta est a sequenti voce, licet non novum fuerit Latinis etiam elegantioribus, qui duo adjectiva uni substantivo adponant. Cicero pro Milone: »propter multa praeclara merita.« Drackenborch ad Liv. 1, 14, et ex poëtis exemplorum segetem congessit elegantissimus Broukhus. ad Tibull. 3, 3, 22. Neque id Graecorum poëtis ignotum, unde δεσμοῖς ἀλυτοῖς ἀγρίοις recte defendi posse apud Aeschyl. Prometh. vinct. v. 154 vidit H. Stephanus. Anxtz. (misc. p. 214) — De Saturno exitiali confer superiora (§. 17). *Exitiali* pro *exitialis* non nisi typographorum errori adscribendum esse videtur, quum anteriores omnes editiones meliorem proferant lectionem, quam Grotium mutare voluisse non arbitramur.

harpis] Ediderat Grotius *arpis*, quapropter coactus erat hancce addere notam: »Lego *harpis* et explico *falcibus;* ita enim sonat vox Graeca: est enim ἅρπη δρεπάνη. Falces autem Saturno attribuit antiquitas, ut omnis auctorum tam Graecorum, quam Latinorum, turba testatur. Mavult tamen illustriss. Scaliger pro musico instrumento accipere, praesertim quum *bombis* sequatur, motus inter alia isto Fortunati loco:

»*Romanisque lyra tibi plaudo barbarus harpa.*«

Nomen hoc etiamnum Gallis et Belgis usitatum.« Gnot. — Equidem Grotio potius, quam Scaligero adstipulor: haud enim video, quo pacto Philologia musico instrumento *perterrita* dici potuerit. A Thracibus ἅρπην, incurvum gladium, inventam fuisse Clemens Alexandrinus (strom. 1. p. 307) docet. Persei etiam falcem ἀδαμαντίνην ἅρπην poëtae appellant (Apollodor. 2, 4, 2. Apollinar. Sidon. carm. 7 p. 307 Sirm.). Ab harpis etiam milites quidam harpigeri olim dicti (v. Cang.). Ceterum aspirationem addere non dubitavi e rationibus supra (§. 7 not.) expositis.

bombisque] Sono graviori (Varro R. R. 3, 16, 32), veluti tympani (§. 67). Catullus (64, 264):

»*Multis* raucisonos *efflabant cornua* bombos.«

sescuplo] »Tempora tria ad duo sescuplum faciunt« (Quinctil. 9, 4, 47. p. 556).

coelestis] Reichenaucnsis et Grotianus codex praebent *coelitis*, quod non minus probum est (v. §. 62 not.).

defecta] Ita pro Grotiano *defessa* codices Monacenses (B. C. D. E. G), Reichenauensis, Basilcensis, Darmstattensis, Bodlejanus, Britannicus, Can-

adverterent consonare, perfectione absolutae modulationis post labores maximos recreati, paululum conquierunt. Ipsa quoque Philologia lectica desiliens, 200
quum immensos luminis campos aethereaeque tranquillitatis verna conspiceret, ac nunc tot diversitates cerneret formasque decanorum, tunc octoginta quatuor liturgos coelo miraretur astare: videretque praeterea fulgentes crebrorum siderum globos et circulorum alterna illigatione texturas; ipsam vero, quae 201
ambitum coërcet, ultimam sphaeram miris raptibus incitatam, polosque et axem ex coeli summitate vibratum profundam transmeare terram, atque ab ipso totam coeli molem machinamque torqueri; tanti operis tantaeque rationis 202
patrem deumque noscens ab ipsa etiam deorum notitia secessisse, quoniam extramundanas latitudines eum transscendisse cognoverat, empyrio quodam

tabrigiensis, Bongarsii, igitur plurimi. Tamen etiam *defessa* defendi per hypallagen potest.

desiliens] Hoc e codicibus Grotiano, Basilcensi, Darmstattensi, Britannico, Bodlejano, et Guelferbytano substitui pro *dissiliens*, quod male se habet in editis.

immensos] Philologiam astrorum multitudinem admirantem eodem fere modo noster depinxit, quo Lucanus de Pompejo divo facto (9, 11) cecinerat:

— — »*Illic postquam se lumine vero*
Implevit, stellasque vagas miratus et astra
Fixa polis vidit, quanta sub nocte jacerent
Nostra dies.« — —

decanorum] Vide quae de iis eorumque nominibus Aegyptiacis in palaeographia critica (T. III. §. 320. 328. 330. 332) disputavi; quibus adde Hermetem (ap. Stob. in eclog. 1, 22, 9. p. 469 Heer.).

liturgos] *Λειτουργούς*. Ministri sunt publici Graeco vocabulo. Gnor. — Plura dabit Salmasius (de ann. climact. p. 522. 796). Absurda si qua alia ad hunc Martiani locum in codice Monacensi (E) legitur glossa: »quasi letargi, resolutores laboris!«

ipsam vero] Describit post coelos planetarum et *ἀπλανέων* astrorum primum mobile cum primo motore. Gnor. — Supple ex antecedentibus »*quum videret*« et refer *vibratum* ad *axem*, ad eumque etiam, quod sequitur, *ab ipso*.

noscens] Grotius pro eo, quod in libris legebatur, *non sciens* reponi voluit *non nesciens*, quae tamen emendatio necessaria non est, postquam Cortius in Guelferbytano legit *noscens*.

secessisse] Vossianus: »se cessisse«, non male. Vulgatum tamen *secessisse* tueri posset frequens pronominis *se* ellipsis, cujus exempla dedi ad Sedul. 4, 80. Anntz. (misc. p. 214). — Cur desideret vir doctus pronomen *se*, prorsus ignoro. Certe Martianus nihil aliud quam Neo-Platonicam doctrinam exponere voluit, qua *pater ille ignotus* summus deus est (palaeogr. crit. III. §. 126), quem adeo ignotum esse dicit, ut ab ipsa deorum notitia *secesserit*; adeo ut dii ipsi eum non noscerent. Conferre licet Jamblichum (de myst. 8, 2. p. 158 Gal.).

latitudines] Grotius quidem *beatitudines*; sed Hugiani codicis lectionem eo libentius recepi, quo

intellectualique mundo gaudentem, juxta ipsum extimi ambitus murum annixa
203 genibus ac tota mentis acie coartata diu silentio deprecatur; veterumque ritu vocabula quaedam voce mentis inclamans, secundum dissonas nationes

certius et supra (§. 38) eadem legebantur. Hoc autem codice olim nondum inspecto, prius (in Palaeogr. mea III. §. 131) aegre hunc Martiani locum intelligebam.

extimi ambitus] »Coelum ipsum« inquit Cicero (div. 2, 43) »quod extremum atque ultimum *mundi* est.« Ulterius progredi Philologiae non licebat, sed sola mente deum supremum atque ignotum, quippe qui extra mundum esset, persequebatur. Plato hunc locum (in Phaedr. p. 247 Steph.) ὑπερουράνιον τόπον appellat.

murum] Aut Maximi Tyrii (17, 12. T. I. p. 337. Reisk.) »οἷον τεῖχος« ante oculos habuit, aut Lucretium, qui pariter pluribus locis (1, 74; 5, 372. 455) »moenia mundi« statuit.

silentio deprecatur] Aegyptios jam Porphyrius (de antro nymph. 27. p. 25) refert δεβομένους ὑπὸ σιωπῆ θεὸν ἀρχὴν τῶν ὅλων ἔχοντα: et Jamblichus de mysteriis Aegyptiorum (8, 3. p. 159 Gal.): ὃ δὴ καὶ διὰ σιγῆς μόνης θεραπεύεται. Pulcherrima etiam Plinii Secundi (in panegyr. 3 f. p. 615 Cellar.) haec est sententia: »Animadverto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate lactari: gratioremque existimari, qui delubris eorum *puram castamque mentem*, quam qui *meditatum carmen* intulerit.« (Conf. et not. quae sequitur).

voce mentis] Quod audiri nequit, sed sola percipitur mente. Ita et Manilius de felici alicujus genitura, ut vocant, hosce composuit versus (4, 198):

——— »causas *viresque dabit perquirere* rerum
Atque oculos mentis, *quae possit* cernere cuncta
Quamvis occultis naturae condita causis.«

Seneca etiam (nat. qu. 7, 31. p. 810 Lips.) de deo inquit: »effugit oculos, *cogitatione* visendus est.« Unde quosdam a voce ad inarticulatos sonos transiisse testatur Nicomachus (manual. music. 2. p. 37 Meib.) scribens: »Inde est, quod Therini (mavult Meibomius Tyrrheni) sibilis inarticulatisque strepitibus numen invocant.« Ovidius quoque de Pythagora:

»*Vir fuit hic ortu Samius*« ——
(metam. 15, 60) canit,

——— »*isque licet coeli regione remotos*
Mente deos adiit *et quae natura negabat*
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.«

Quibus adde Jamblichum (de vit. Pyth. p. 45 Küst.) Expressis autem verbis Seneca (de benef. 2, 1. p. 274): »adeo, inquit, deos, quibus honestissime supplicamus, *tacite* malumus et *intra nosmet ipsos* precari.« Certe e Platonis (Tim. de anima mundi p. 96 Steph.) doctrina: »deum *sola mente* videri«, Neo-Platonici dogmata sua »de patre ignoto sola mente invocando« (v. Palaeogr. crit. III. §. 131) hausisse videntur. Pulcherrima haec Ausonii (in ephemer.) est oratio:

»*Omnipotens solo* mentis *mihi cognite cultu,*
Ignorate malis et nulli ignote piorum:
Principio extremoque carens, antiquior aevo,
Quod fuit aut veniet, cujus formamque modumque
Nec mens *complecti poterit, nec lingua profari*«
cet.

Adde Hermetis Trismegisti dialogum, qui falso adscribitur Appulejo (in edit. Bip. T. II. p. 299 f. sequ.).

dissonas nationes] Vario sensu *dissonum* noster

numeris varia, sono ignota, jugatis alternatisque literis inspirata, veneraturque verbis intellectualis mundi praesules deos eorumque ministros, sensibilis sphaerae potestatibus venerandos, universumque totum infinibilis patris profunditate coërcitum: poscitque quosdam tres deos, aliosque diei noctisque septimo ra- 204

dicit, ut *dissona elementa* (§. 1. 92. 912), *dissona sacra* (§. 192), *dissonas cantilenas* (§. 209), *dissonam suavitatem* (§. 912) cet. Hoc autem loco ita usurpat, ut Livius (1, 18) subjectos Numae Pompilio populos scribit esse »gentes sermone et moribus *dissonas*«; vel Silius (16, 19): »tot *dissona* lingua agmina« et (3, 221) »*dissona* linguis castra«; vel Claudianus (laud. Stilich. 1, 152): »nec tantis *dissona* linguis turba.« Adde Solinum (31).

ignota] Ita apud Ovidium (met. 14, 366) Circe »*Ignotosque deos ignoto carmine adorat.*«

alternatisque] Locum olim (in palaeogr. crit. III. §. 254) explicavi, literasque esse docui septem vocales Graecas, quas alternatas dixit, quum quolibet versu repetitarum ordo mutatus sit:

A E H I O Y Ω
E H I O Y Ω A
H I O Y Ω A E
I O Y Ω A E H
O Y Ω A E H I
Y Ω A E H I O
Ω A E H I O Y

Adde quae alio etiam loco (III. §. 260) annotavi, cum observationibus doctissimi nostri Hugii (in myth. p. 218 et 220).

verbis] Vide quemadmodum distinguat intellectualis mundi deos a patre illo ignoto, extramundano deo. Illos *verbis*, hunc *solis literis* sensu carentibus adorari (conf. Stanlejum 1, 2, 11 et 12 in Clerici op. philos. T. 2) dicit.

tres deos] Tres temporum varietates, praesens, praeteritum ac futurum. Gloss. (cod. Monac. E). — Videtur hic ad sacrosanctae Trinitatis absconditum profanis mysterium alludere, an ludere? Gnor. — Neque hoc neque illud Martianum voluisse mihi quidem persuasum est. Magis enim, quam isti interpretes, ille Neo-Platonica philosophia imbutus erat, ejusque dogmata haud ignorabat. Quos inter Numenius (*περὶ ἀγαθοῦ* in Euseb. praep. ev. 11, 10, 18. p. 537 Vig.) haec tradit: »*Primus* ille deus, ut est in semet ipso, simplex est, sibique undequaque cohaerens et individuus. Deus etiam *secundus* ac *tertius* unus est« cet. Qui plura cupiat adeat Eusebium ipsum, et Plotinum, qui (enn. 5, 1, 1) »sunt *tres*« inquit, »hypostases: unus seu bonum, mens seu intellectus, et anima mundi; nec de his nisi implorato dei auxilio et sedata mente loquendum« cet. Pariter Cyrillus (c. Julian. 1. p. 34) e mente Porphyrii, opinionem Platonis exponentis, docet dei substantiam ad *tres* procedere, esse verum *supremum deum optimum*, post ipsum et *alterum creatorem* seu opificem, *tertium* porro *mundi animam*.

septimo] An ad sabatha Judaeorum, ad quae Juvenalis:

— »*Cui septima quaeque fuit lux ignava*«

an ad diem *κυριακὴν* Christianorum? Gnor. — Lege Ausonii eclogam de nominibus septem dierum (372. 3. p. 413 Delphin.), ubi »*radiatus* Sol« omnino diem habet primum et *supremum*, qui hebdomadis est septimus. »Diei autem noctisque deos« dicit, quia Sol interdiu, reliqui planetae, qui diebus nomina sua dederunt, noctu conspiciuntur. Planetae ab Appulejo etiam (de deo Socr. p. 121

205 diatos. Quandam etiam fontanam Virginem deprecatur; secundum Platonis
260 quoque mysteria *ἅπαξ καὶ δὶς ἐπίκοινα* potestates. His diutissime florem ignis

Oud.) *radiantes dii* appellantur. Quod reliquum est, confer inferiorem locum (§. 738).

fontanam] Id est fontem et originem vitae, quod nihil est aliud quam deus. Vulcan. — Profecto haec omnia caecis sunt circumfusa tenebris. Forte tamen (si quis in loco tam intricato conjecturae locus) legendum videatur *fontanam uriginem*, ut Solem intelligamus, quem fontem aetherei ignis nominat Martianus, et profecto tale quid requiritur, et forte hoc ipsum, si *uriginem* pro igne accipias, nam subjungit *florem ignis*. Quod si hoc non probas, vide an *originem* malis. Sed sane quia hic magis de primo motore, quam de Sole sermo, vide an hanc *fontanam virginem* de Entelechia velis intelligere. Gnot. — Meam de hoc loco sententiam jam dudum (in palaeograph. crit. IV. §. 776) aperui. Sed praestabit verba ipsa hic subjungere: »Data enim opera Martianus omnem reconditam philosophorum doctrinam fabellae suae inserit: quare vereor ut unquam nostrum sint intellecturi, nisi qui illis placitis probe imbuti fuerint. Sane hi Chaldaicorum oraculorum versus (278. 279) consulendi sunt:

Λαιῆς ἐν λαγόβιν ἙΚΑΤΗΣ ἀρετῆς πέλε ΠΗΓΗ,
Ἔνδον ὅλη μίμνουβα, τὸ ΠΑΡΘΕΝΟΝ οὐ προϊεῖβα.

Nec praetermittendum Psselli ad hos versus scholion (p. 99 Gallaei), qui »Chaldaei«, inquit, »Hecaten deae loco habent, quae medium ordinem ducat, et quasi centrum sit omnium potentiarum. In dextris ejus partibus collocant *fontem* animarum, in sinistris *fontem* bonorum sive virtutum: ajuntque animarum quidem fontem ad propagationem esse proclivem, virtutum vero fontem intra propriae essentiae limites coërcitum manere, *virginis* intactae instar incorruptum, eamque, quam habet, firmitatem et immobilitatem ab implacabilium potentiarum facultate adeptum esse et *virginali zona* accinctum.« Fons autem ille animarum haud dubie e Platonis cratere (in Tim. p. 41 Steph.) est sumtus. Haec igitur Martiani illa *fontana virgo* est. Omnino alio, quam ego, modo nostrum interpretatur Joannes Sarisberiensis (in metalog. 4, 36; p. 921), quem vide.

ἅπαξ καὶ δὶς] Ridicula est glossa in codice Basilecnsi: »pater filius super omnia«; sed facilius est dictu quid non significent, meritoque miramur Grotium, qui nihil ad eorum illustrationem annotavit. Quum tamen *Platonis* illa arcana appellet, veri simillimum est placitum illud respici, quod non quidem in libris, sed in secretiori discipulorum coetu, Pythagoreos secutus Plato proposuerat, de monade et infinita dyade rerum omnium principiis, quibus inter se mixtis quum reliqua omnia, tum maxime ternarius omnia complectens oriatur. Conf. Aristidem Quinctilianum (in Meibom. scr. r. mus. p. 121): »*Ἀρχὴν τῆς τῶν ὅλων συμφωνίας καὶ ποιητικὴν αἰτίαν ἐλογίζοντο οἱ παλαιοι. Πάντα γὰρ γίνεσθαι διὰ τῆς εἰς ἓν ἁρμονίας συνεχόμενα. Τὴν δὲ δυάδα κατὰ τὴν ὕλην ἔταττον, ἐναντιότητος οὖσαν πρώτην ἐμφαντικήν. Τριάδα δὲ τὸ σύμπαν ἐκάλουν, ἐναντιότητι καὶ μεσότητι πεπληρωμένον,*« inque primis Simplicium (ad Aristot. Physic. f. 104, B), quem egregie explicavit Brandis (de perd. Aristot. libris p. 33 sequ.).

florem ignis] Flos ignis idem ignis purissimus, unde divinitati proximus putabatur, ut anima, quae divinae originis est. Vide quae de *fontana* virgine

atque illam exsistentem ex non exsistentibus veritatem toto pectore deprecata, tum visa se cernere ἀποθέωσιν sacraque meruisse. Quippe quidam candores 207
lactei fluminis tractu stellis efflammantibus defluebant. Lactabunda igitur gra- 208
tesque testata iter in Galaxeum flectit, ubi senatum deûm a Jove noverat congregatum. Erat autem ibi Jovialis domus, quae etiam granditate mira mundanum ambitum possideret, et decore conspicuo fulgorem siderum vinceret, et novitate situs signiferum circulum decussaret; praeterea tanto splendore renidebat, ut argenti crederetur fabricata materia. Ibi septa candentia, culmenque septatum limbis nivalibus albicabant. Ibi Jupiter cum Junone 209

modo adstruximus. Saepe πυρὸς ἄνθος in Chaldaicis memoratur oraculis (v. 21. 85. 155. 122. ap. Gallaeum de Sibill. orac. in app.). Infra (§. 571) Palladem quoque ex Jovis capite prognatam et purissima virginitate praeditam *florem ignis* appellat. Huc etiam explicandum est, quod ignem furatus Prometheus (ap. Claudian. 4 cons. Hon. 250) dicitur

»*Sinceram patria mentem furatus Olympo.*«

non exsistentibus] Valde difficilis quaestio est, quam veritatem *exsistentem ex non exsistentibus* Martianus significare voluerit. Plerisque veterum videbatur, ut apud Persium est (3, 84), »*gigni De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti*«, vel ut Lucretius ait (1, 151):

»*Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam*«

idque »commune physicorum omnium placitum« (τὸ κοινὸν πάντων τῶν φυσικῶν δόγμα) Aristoteles (Physic. 1, 4; de gener. et corrupt. 1, 3. p. 499. a) appellat. (Adde Oecl. p. 511 Gal. Antonin. imp. 4, 4 et 5, 13; Democritum, Diogenem Apolloniatem, Epicurum ap. Laert. p. 575. 578. 619; auctorem de mund. incorr. in Philon. op. p. 939). Sed non physico, sed metaphysico sensu Martianus hic loquitur; quapropter veri simillimum est veritatem exsistentem ab eo dici divinam naturam vel quod Plato ait τὰ ὄντως ὄντα, quae licet aeterna sint, ab hominibus tamen sero tantum intelliguntur, nec nisi multo labore ex terrestribus et caducis, quae *non exsistentia*, μὴ ὄντα, Platonico sensu appellare poterat, per abstractionem et inductionem inveniuntur.

se cernere] Male Grotius *secernere*, quod quilibet videbit, qui verba construxerit: »visa est Philologia *cernere*, se ἀποθέωσιν meruisse.«

defluebant] Stellarum trajectionem describit. Lucretius (2, 209):

»*Non cadere in terram stellas et sidera cernis?*«

Veterum hac de re opiniones collegit Stobaeus (in eclog. 1, 28, 1. p. 580 Heer.) et Ammianus (25. p. 309 Lind.); praesertim etiam Seneca (natur. qquaest. 1, 1. p. 684 Lips.), ubi: »Stultissimum est« inquit, »existimare, aut stellas decidere aut transsilire, aut aliquid illis auferri et abradi: nam si hoc fuisset, jam defuissent.«

Galaxeum] Nimirum circulum; de cujus natura disputarunt philosophi (v. Aristot. meteorol. 1, 8. Stob. eclog. 1, 28, 1. p. 572 Heer.). Saepe noster ejus meminit (§. 27. 209. 826. 835).

septatum] MS. *sectatum*. Sic in Gramm. *resectationem* pro *resectione* posuit. Videtur autem hic Capella coelum crystallinum (ut vocant patres Christiani) describere, quemadmodum supra empyreum

omnibusque divis in suggestu maximo ac subselliis lacteis residens sponsales praestolatur adventus; qui simul ut Musarum voces ac dissonis mela dulcia
210 cantilenis virgine adveniente percepit, priore loco praecepit venire Cyllenium, cum quo Liber et Delius fidi amantissimique germani, Hercules etiam, uterque Castorum, Gradivusque, et quidquid deorum de Jove progenitum est, Cyllenii
211 adhaerebat officio. Elementorum quoque praesides, angelicique populi pulcherrima multitudo, animaeque praeterea beatorum veterum, quae jam coeli templa
212 meruerant, gressus Majugenae sequebantur. Linum, Homerum, Mantuanumque

descripsit: ait enim: »limbis nivalibus albicabant.« Gnor. — Cum Grotiano codice tam Hugianus, quam Bodlejanus, Darmstattensis, et Reichenauensis conveniunt: Basileensis autem *septatum* praebet. Atque parum interest utro modo legas. Haud dubie enim ille sectatus vel septatus locus Jovis domus (§. 97) in lacteo circulo erat.

ut] Omissam hanc particulam e Basileensi codice supplevi.

dissonis] *Concentus* enim, Seneca teste (epist. 84, p. 550 Lips.), fit *ex dissonis*; unde Ovidius (met. 10, 145) de Orpheo:

»*Ut satis impulsas tentavit pollice chordas,*
Et sensit varios, *quamvis* diversa sonarent,
Concordare *modos*« cet.

Pythagorei jam definiverant musicam *contrariorum compositionem* aptam (Tennul. e Theon. pr. ad Jamblich. in Nicom. arithm. p. 175), *dissimiliumque concordiam*, ut ait Quinctilianus (1, 10, 12; p. 210), ἁρμονίαν vocabant; quos secutus Aristoteles (de mundo 5), dum de concordia per contraria disserit: »musica«, inquit, »acutis et gravibus sonis, longisque et brevibus una permixtis in diversis vocibus, unum ex illis concentum absolvit (ἀπετέλεσεν ἁρμονίαν).« Adde Maximum Tyrium (1, p. 271 Reisk.) et Macrobium (Saturn. I. in praef.), qui Senecam ad verbum fere exscripsit. Ipse denique noster infra (§. 910) de Musica clypeum gestante scribit: »Denique mox ingressa atque (statim) ejusdem orbis sonuere concentus, cuncta illa, quae *dissona suavitas* commendarat, velut mutescentia tacuerunt.«

Hercules] Recte hunc deum adhaesisse Cyllenii officio dicit. Adeo enim junctos eos cogitavit antiquitas, ut una eademque basi Hermeracles hodieque conspiciatur, addita hac inscriptione: *ΕΡΜΑΗΡΑΚΛΕΟC* (D'Orvill. Sicula p. 575. Torremuzza Cl. 7. n. 17). Nec Mercurio soli (Horat. Od. 1, 10, 3) sed utrique deo palaestrae cura credita fuit (Palaeogr. cr. IV. §. 801). Eodem denique carmine uterque celebrabatur (Anthol. Gr. 1, 38, 4. p. 165 de Bosch.).

beatorum] Similiter Nemesianus (ap. Barth. in advers. p. 1557):

— — »*sublimes animae coelestia templa*
Sidereasque colunt sedes, mundoque feruntur.«

Harum animarum sedis noster supra (§. 155) jam mentionem fecerat.

Linum] De Lino et Orpheo musicis pariter ac sapientibus vide Quinctilianum (1, 10, 9; p. 215). Linum »divino carmine pastorem« appellat Virgilius (Ecl. 6, 67), ubi Heynius haec annotavit:

vatem redimitos canentesque conspiceres; Orpheum atque Aristoxenum fidibus personantes; Platonem Archimedemque sphaeras aureas devolventes. Ardebat 215
Heraclitus; udus Thales, circumfusus atomis Democritus videbatur. Samius Py-

»Linum, supra (4, 56) cum Orpheo junctum, memorat, nomen inter vetustissimae memoriae vates clarum, servatum illud partim fama ac mythis, partim carminibus, quae ejus esse ferebantur.« Pluribus de eo egerunt Burette (Mem. de l'Acad. d. Inscr. X. p. 195), Bode (de Orph. poëta p. 77—79), Ambroschius (diss. de Lino, Berolini 1829), et Welckerus (Allgem. Schulzeit. 1830, n. 2—5). Statuam ejus prope Musarum lucum in monte Helicone Pausanias vidit ibique quotannis ei parentatum esse refert (9, 29, 3).

Orpheum] De eo omnia congessit Bode (de Orpheo poëtarum Graecorum antiquissimo, Gottingae 1824). »Deorum in numerum consecratum« unus Albricus philosophus (18, p. 320 Munck.) tradidit.

Aristoxenum] Peripateticum, quem tamen non solum philosophum, sed et musicum (§. 923) insignem fuisse, plures testantur scriptores (Aristoph. schol. ad ran. 1337. Suidas p. 327. Cic. de finib. 5, 19. Gell. 4, 11). Conferenda omnino est Mahnii diatribe (Amstelod. 1793 et in Schäferi thesauro critico novo, T. I).

sphaeras] Nota sunt, quae Plato de natura sphaerae et de orbibus coelestibus pluribus locis exposuit; de Archimedis autem sphaera artificiosa noster infra (§. 585) agit.

ardebat] Ignem enim rerum principium esse Heraclitus docebat (Diog. Laert. 9, 7 ibique Meib. Plutarch. de plac. philos. 1, 3. p. 877. Cic. N. D. 3, 14. Vitruv. 2, 2 et 8 praef. Arnob. 2. p. 48). Quem secuti Stoici (Plutarch. de stoic. p. 1077) ignem ipsum deum esse docebant (Euseb. in praep. ev. 15, 16. p. 810). Heraclitum vero acri sed justo judicio perstrinxit Lucretius (1, 639 sequ. 695. 783). Conf. et infra (§. 738).

udus Thales] Qui aquam esse rerum initium statuit (Aristot. metaph. 1, 3. Diogenes Laert. 1, 27. Cic. N. D. 1, 10; acad. qu. 2, 37. Lactant. 1, 5. Auson. sap. p. 240 Dac. Vitruv. 2, 2 et 8 praef. Minuc. Felix 19, 5. Plutarch. plac. philos. 1, 3. p. 875. Apollinar. Sidon. carm. 15, 82 et 89. p. 576. Arnob. 2. p. 48 et ipse Seneca nat. qu. 13. p. 727 Lips.). Sed confer omnino observationes Hallenses (2. p. 417 sequ.).

atomis] Docente Lactantio (inst. 3, 17; de ira dei 10) et Diogene Laertio (9, 30) primus Leucippus illam de atomis dócrinam Democrito tradidit. Exceperunt eam deinde Epicurus et qui hunc sectati sunt (Lucret. 1, 54. 56. Cic. de finib. 1, 6. Plutarch. placit. philos. p. 877 f. 878. Senec. nat. qu. 5, 2. p. 759 Lips. Minuc. Fel. 19, 9. Macrob. somn. Scip. 1, 14. Lucian. vitar. auct. 13. p. 95. Bip.). De Arcesilao etiam Apollinaris Sidonius (carm. 15, 94. p. 377 Sirm.):

»*Post hos Arcesilas divina mente paratam*
Conjicit hanc molem, confectam partibus illis,
Quas atomos *vocat ipse leves.*« — —

Posidonius autem (ap. Strabonem 16. p. 757 Casaub.) contendit antiquum de atomis dogma Moschi esse, viri Sidonii, qui ante res Trojanas floruerit.

Pythagoras] Quo pacto arithmeticas harmoniae proportiones invenerit, multi tradidere scriptores, quos laudavit Bruckerus in praeclaro suo opere (hist. philos. I. p. 1057).

thagoras coelestes quosdam numeros replicabat; Aristoteles per coeli quoque culmina Entelechiam scrupulosius requirebat; Epicurus vero mixtas violis rosas et totas apportabat illecebras voluptatum. Zeno ducebat feminam providentem; Arcesilas collum intuens columbinum; multusque praeterea palliatorum po-

replicabat] Ubi de numeris sermo est, noster plerumque (§. 749. 757. 759. 760. 764) verbo *replicare* utitur pro »*analogiam* inter numeros *exquirere*.« Plutarchus (plac. philos. p. 876) δυμμετρίας dicit, et noster infra (§. 764), multiplicationem a *replicatione* distinguens, »*replicatio*«, inquit, »a maxima ratione incipit et subinde ad minores minoresque transit.« Porphyrius (περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων p. 30) Pythagorae mentem his quidem verbis exponit: »οἱ γοῦν Πυθαγόρειοι, περὶ τοὺς ἀριθμοὺς καὶ τὰς γραμμὰς σπουδάζοντες, ἐπὶ τὸ πλέον τοῖς θεοῖς ἀπήρχοντο.« Unde Arithmetica infra (§. 730) Jovem cum monade comparans, »tuae«, inquit, »primigeniae naturae fontem Jupiter recognosce.« Hoc tamen loco verbum *replicare* etiam simpliciter pro *repetere* sive *resolvere* accipi poterit. Ita enim Symmachus (epist. 6, 31) »nota *replicare*« pro »repetere quae nota sunt« scripsit.

Aristoteles] »Peripateticorum princeps Aristoteles fuit, quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum« (Cic. de finib. 5, 5).

Entelechiam] Confer Plutarchum (plac. philos. 1, 3. p. 878), Macrobium (somn. Scip. 1, 14), Justinum Martyrem (ad Graecos p. 7 f. Op. Colon. 1686), Tertullianum (de anim. 32), inque primis superiorem locum (§. 7) ibique notata.

violis rosas] De *violarum* usu in coronis supra (§. 119) disputavimus; *rosas* autem omnium maxime adhiberi ad convivia solitas esse quam plurimi veterum loci docent. Ovidius (fast. 5, 335):

»*Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,*
Et latet injecta splendida mensa rosa«;

Horatius (od. 1, 36. 16):

»*Neu desint epulis rosae,*
Neu vivax apium, neu breve lilium«;

plura dabit Fulvius Ursinus (in append. ad Ciacconium de triclinio p. 263 sequ.). Unde apparet vitam voluptuariam et delicatam significari, quam Epicurus inprimis commendasse dicitur, licet immerito, quum ea, quam ille finem bonorum constituit, ἡδονή, neutiquam tam pravo et abjecto sensu accipienda sit, quam verbi causa a Cicerone in libro de finibus secundo factum est; id quod non Lucretius modo, verum etiam Seneca (de vita beat. 13, p. 239) recte intellexit. Martianum communem opinionem secutum esse docent sequentia; vide tamen ne flores illi simul et *hortos* significent, quos in deliciis Epicurum habuisse constat (Cic. N. D. 1. 33; de leg. 1. 21. Propert. 3, 20, 20. Juven. 13, 122. 14, 319. Stat. silv. 1, 3, 94).

providentem] Significat πρόνοιαν sive Providentiam, qua mundum regi Stoici docebant (conf. Cic. N. D. 2, 30 sequ. Diogen. Laert. 7, 138, et superiores notas ad §. 6 et 32).

Arcesilas] Idem philosophus, qui et Arcesilaus ab aliis, inter quos Laertius in ejus vita. In Minutio, ubi textus habet Arcesilas, MS. Arcesilaus refert, in Arnobio pro Arcesilao MS. Arcesila, ut ex excerptis Scaligeri monet Meursius meus. Hic ille quem ignorantiae magistrum vocat Lactantius, et quem Cicero omnem funditus philosophiae rationem sit sustulisse. Docebat enim ἀκαταληψίαν,

pulus studiis discrepantibus dissonabat; qui quidem omnes inter Musarum carmina concinentium audiri, licet perstreperent, nullo potuere reboatu. Ve- 214
niente igitur introgressoque Cyllenio omnis ille deorum senatus veneratus verticem ingredientis exsurgit. Ipse Jupiter eum propter suum consessum, Pallade a dextra sociata, medium collocavit. Nec longo interjectu ipsa quoque 215

nihilque certo sciri posse asserebat (meminit hujus opinionis Aristoteles in metaphysicis) utebaturque argumento remi infracti, et colli columbini (ut testis est Cicero in acad.), in quo aliud quid videtur, quam revera est. Huc alludit Capella. Gnor. — Ciceronis locus in academicis quaestionibus est (4, 25). Sed ante hunc jam Lucretius (2, 800) hac de re:

»*Pluma columbarum quo pacto in sole videtur,*
Quae sita cervices circum collumque coronat:
Namque alias fit, uti rubro sit clara Pyropo,
Interdum quodam sensu fit, uti videatur
Inter coeruleum virideis miscere smaragdos.«

Adde huic Senecam (nat. qu. 1, 3. p. 687 Lips. et epist. 71 p. 512), et Apollinarem Sidonium (carm. 15, 89. p. 377 Sirm.). Certe Cicero (de div. 2, 119) edixerat: »Nihil tam absurde dici potest quod non dicatur ab aliquo philosophorum.« Quod reliquum est, non recordatus est Grotius, quod ipse Socrates saeverat dicere: »scire se nihil praeter hoc ipsum, quod nihil sciret« (Diog. Laert. 2, 32. Cic. acad. 1, 16).

palliatorum] Id est philosophorum Graecorum, ut ex inferioribus locis (223. 328. 353. 424. 429. 430) apparet. *Pallium* quidem omnino ad Graecae gentis habitum pertinebat; Romanorum autem tempore ii potissimum eo utebantur, qui Graecarum literarum notitiam affectabant, ut v. c. Seneca rhetor (controv. 4, 29, p. 255 Elzev.) oratores commemorat, »qui quum *Latine* declamaverant, *toga* posita, sumpto *pallio* quasi persona mutata redibant et *Graece* declamabant«; inque primis philosophi eo insignes erant, qui diutius quam alii veterem cultus simplicitatem servarent (conf. Valer. Maxim. 2, 6, 10 ibique Vorst. n. 65 p. 178 Torr.; Apollinar. Sidon. epist. 9. 9, p. 265 Sirm., et in universum Salmasium ad Tertull. de pallio).

dissonabat] Infra (§. 912) noster:

»*Ut nulli sceleant* dissona *litibus.*«

Ridet discrepantes de rerum principiis opiniones, quem philosophorum dissensum alii multi pariter reprehenderunt (Max. Tyr. 32, 2. T. 2. p. 119 Reisk. Vitruv. 2, 2. et 8 praef. Tertull. de anim. 32 et adv. Marc. 1, 13. Arnob. 2. p. 48. Macrob. somn. Sc. 1, 14. Sidon. carm. 2, 156 sequ. p. 204. Sirm. Minuc. Fel. 19. Plutarch. de plac. philos. I. p. 874 sequ. Euseb. praep. ev. 1, 5. p. 22 sequ. Justin. Mart. ad Gr. Oper. p. 6. Theodor. c. Gr. de mater. 4. Claudian. consul. Mallii 84 sequ.).

reboatu] Ita codices Cantabrigiensis et Hugianus sane melius pro Grotiano *rabulatu*. Superiori loco (§. 98) nomen simplex *boatum* legimus. De prorsus dissimilibus philosophorum sententiis lege et Ciceronem (de divinat. 2, 57 et 58).

propter] Codex Cantabrigiensis quidem *prope*; sed unum idemque est, illudque noster saepius aeque atque Appulejus (v. Oudend. ad eum I. p. 243), et quod majus est, Cicero (N. D. 3, 22; de invent. 2, 31) adhibuit. Paulo inferius, ubi Grotius *interjecta* habet, rectius Hugianus, Darmstattensis et Cantabrigiensis exhibent *interjectu*.

Philologia ambita Musis ac matre praeambula corrogatur. Qua ingrediente, ac Vesta deûm nutrice ejusdemque pedisequa acerram illam olacem aromatis refundente, omnis ille ordo coelicolûm portiones sibi competentes attribuens
216 Arabicis lactabatur halatibus. Verum virgo, ut est per omnia verecunda, licet a Jove ejus assidere confinio juberetur, tamen ibi potius voluit, ubi
217 Musas conspexerat, admota Palladis consortione residere. Tunc exsurgens virginis mater poscit de Jove superisque cunctis, uti sub conspectu omnium, quidquid sponsalium nomine praeparaverat Majugena, traderetur, ac demum dos a virgine non deesset; tuncque tabulas ac Papiam Poppaeamque legem

Vesta] MS. »Vesta deum nutrice« habuit, unde liquet et *pedissequa* rescribendum. Attribuit autem Vestae munus thuris distribuendi, quod ea focis arisque sit praefecta. Gnor. — Vesta eadem quae Tellus, atque haec deorum mater (Serv. ad Aen. 7, 136). *Pedisequa* autem Cortius etiam e Guelferbytano notavit, quare pro *Vestae nutrici* et *pedissequae*, ut Grotius ediderat, reposui *Vesta nutrice* et *pedisequa*, et e Basileensi codice *ejusdem* pro *eidemque*. In Darmstattensi a prima manu recte scriptum erat *nutrice* et *pedisequa*, sed deinde perperam correctum. De Vesta Jovis nutrice plura dabunt Lactantius (1, 14) et Albricus philosophus (17. p. 319 Munck.), qui tamen reconditum fabulae sensum capere non potuerunt. Sane purificatur igne aër, eoque fit ut aether (Jupiter) nutriatur.

Arabicis] Confer ad hunc locum Spanhemium (de praest. numism. I. p. 334) et laudatos ab eo auctores, quibus adde Maximum Tyrium (4, 4. T. I. p. 53 Reisk.), Tibullum (2, 2, 3. 4, 2, 18), Propertium (2, 22, 17. 3, 11, 8), Lactantium (de Phoen. 79, 18), et Sirmondum (ad Apollin. Sidon. p. 148). Tertullianus (apolog. 30) tura *Arabicae* arboris lacrymas appellat.

tabulas] Nuptiales nimirum. Confer Brissonium (de form. 6, 124. p. 515 518), et Appulejum (met. 4 p. 293 Oud.) ibique notata, et adde quae Quinctilianus (5, 11. p. 304) e Cicerone de non usu tabularum in probando matrimonio affert.

Poppaeamque] Popaea lex ab Augusto, Coss. extraordinariis M. Papio Mutilo et Q. Popaeo Secundo. Vide Dionem. Eadem et Julia dicta, quod Augustus se in ea ferenda a divi Julii commentariis edoctum profiteretur. Agit haec lex praeter alia multa de dote non alienanda, quod caput legis huc pertinet. Gnor. — In Vossiano codice est *Popeamque*; sine ulla haesitatione substituendum *Poppaeamque*. Id jam vidit Grotius, quem secutus est (?) Burmannus ad Suetonium Claud. 23 et Wielingius lect. juris civil. 2, 32. p. 262. Aliquando autem haec nomina a librariis esse confusa ostendi superius. Arntz. (misc. p. 214). — Vulgo enim perperam *Pompeamque*. Codices quidem Monacenses (B. C. D. E. G), Reichenauensis, Darmstattensis, et Bongarsii *Popeamque* exhibent, cum quibus Grotius etiam orthographiam corrupit, quod Arntzenius non vidit, ipse tamen meliorem scriptionem attulit e fontibus ipsis, quibus adde Tacitum (hist. 3, 25 et 28 et annal. 3, 25) et confer Augustinum (de legibus in Graevii thesauro II. p. 1241), Dionemque (54. p. 531).

legem] Jam supra (§. 90) finxerat senatus con-

sinerent recitari. Cujus petitioni justissimae deorum senatus attribuit, ut in con- 218
sessu coelitum offerenda probarentur. Hinc Phoebus exsurgit fratris officium
non detrectans, ac singulas ex famulitio delectuque Cyllenio incipit admovere,
quae tam pulchrae cunctis quam ornatissimae refulsere.

Transcursa, lector, parte magna fabula, 219
Quae tam morosis implicata ductibus
Tenui lucernam palpitare lumine
Coëgit instans innitens crepusculum;
Ac ni rosetis purpuraret culmina
Aurora primo et convenustans habitu
Surgens fenestras dissecaret lumine,
Adhuc jugata compararet pagina
Quocunque ducta largiorem circulum.
Nunc ergo mythos terminatus; infiunt 220

sultum more Romanorum aereis tabulis incisum; imitatur nunc Senecam, apud quem (apocol. Claud. p. 834 Lips.) lege Cornelia de sicariis in ipso quaeritur orco. Ita Appulejus etiam deos non solum legibus humanis (met. 6. p. 391. 397 Oud.) subjicit, sed Jupiter quoque apud eundem jubet »Mercurium deos omnes ad concionem provocare, ac si qui coetu coelestium defuisset, in *poenam decem millium numûm* conventum iri.« Deinde Psyches et Cupidinis nuptias »*legitimas* facit et *jure civili* congruas.«

delectuque] Grotius *dilecto*. Sed ex Vossiano restituendum *dilectuque* vel *delectuque*, quod in aliis est. Arntzen. (misc. p. 214). — *Dilectuque* exhibent Monacenses (B. C. D. E), Basilcensis, Bodlejanus, Cantabrigiensis, Britannicusque. *Delectuque* praebent Reichenauensis, Bongarsii et Hugii codex. Utrumque bonum.

innitens] In codice Lugduno-Bat. est: »*et innitens*«, unde emendo »*et nitens*.« Arntz. (ad paneg. vet. II. p. 755). — Sed crepusculum vix nitet. Num forte pro *imminens* istud *innitens* scripserit? Geminata enim adjectiva non curo (§. 197 not.).

crepusculum] Crepusculum, quod jam instat, facit ut lucerna a claritate deficiat et tenui lumine palpitet, narrationique tam multis ambagibus impeditae finem imponit. Gosz. — Confer supra *creperum* (§. 116).

purpuraret] Confer superiorem (§. 116) Aurorae descriptionem. Egregie Rutilius (itiner. 277):

»*Roscida* puniceo *fulsere crepuscula coelo*.«

primo et] Ita recte Basilcensis. Male in reliquis et editis *et* omissum est.

largiorem] Circuli epitheton, quod omnino melius, quam Grotianum *longiorem*. Exhibent illud Basilcensis, Darmstattensis, Guelferbytanus, Hugianus, Britannicus, Cantabrigiensis, et Bongarsii codex.

nunc ergo] Absunt septem postremi hi versus

Artes libelli qui sequentes asserent.
Nam fruge vera omne fictum dimovent,
Et disciplinas annotabunt sobrias
Pro parte multa, nec vetabunt ludicra.
Habes quid instet, si potestas coelitum
Faveantque Musae et chelys Latoïa.

a codice Guelferbytano, nec mirum, quum eo codice non nisi nuptiae contineantur, minime septem libri posteriores. Adduntur autem haec: »Mart. Min. Fel. Carth. de nuptiis Philol. finis.« Praeterea quae duobus in aliis codicibus continentur nuptiae, has ille uno tantum complectitur. In Hugiano codice spurius insuper hic versus additur:

»*Gloria fulgenti Christo sit cunctipotenti.*«

terminatus] MS. *terminatis*. Ergo lege et distingue: »*Nunc ergo mythis terminatis infiunt*
Artes libelli qui sequentes asserent.«

Sensus clarus: ait imposito fabulis fine incipere libros de septem artibus ad quos transeamus. Gnot. — Sed *mythos* in omnibus legitur tam editis quam manuscriptis, ipsoque Grotiano; quapropter male recepit Grotius *terminatis*. Equidem *terminatus* reposui codicum Reichenauensis, Monacensis (C), Cantabrigiensis, Britannici, Bodlejani, et Hugiani auctoritate. Alii quidem *terminatur* praebent; sed illud melius, quia jam factum est.

infiunt] *Infit* saepe; *infiunt*, quod sciam, non nisi apud nostrum legitur, quamvis Varronem dixisse *infio* testatur Priscianus (8 extr.).

fruge vera] Id est vero et simplici intellectu. Vulcan. — *Utilitatem veram* dicere praestabat, qua sequentes disciplinarum libros nuptiarum commenta superare Martianus ait. *Sobrias* Macrobius quoque (Saturn. 1. 5) fabulas suas appellat.

MARTIANI
MINEI FELICIS
CAPELLAE,
AFRI CARTHAGINIENSIS,
DE ARTE
GRAMMATICA
LIBER III.

Rursum Camoena parvo 221

Grammatica] Perlecto tertio hoc libro quilibet videbit, minime totam hic propositam esse grammaticam, sed fragmenta potius quaedam ejus disciplinae. Cujus rei causam perspicere mihi videor. Primum enim absurdum ipsi Martiano videbatur, Jovi in omnium deorum senatu hanc exponere velle artem, quae nonnisi pueris traditur (§. 263), unde etiam Minervae, Grammaticam interrumpentis, haec inserit (§. 326) verba: »quae (omnia) si ab scholaribus inchoamentis in senatum coelitum ducis, decursae peritiae gratiam deformabis.« Deinde suam noster encyclopaediam in eorum tantum gratiam scribere poterat, qui primis ejusmodi elementis jam imbuti essent. Alii enim, haec prorsus ignorantes, Martianum ne hucusque quidem intellexerint. Omnino autem praeterire hanc primam e septem artibus quum nequiret, ea elegisse videtur, in quibus vel dissentiret a superioribus grammaticis, vel clarius se docere posse putaret.

rursum] Sensus hujus carminis hic est: »Rursus accingit se Musa ad similes fabulas, qualibus in duobus prioribus libris mythologicas et philosophicas doctrinas velaverat atque ornaverat, ut delectatione quoque aliqua difficultas et frigus discendi compensetur (v. 1—10). Cui Martianus obloquitur, artes, quas sobrias modo appellavit, serio tractandas esse (v. 11—16); sed cavillabunda illa reponit, omni tamen orationis ornatu carere ipsum non posse; quaeritque, quo ordine artes traditurus sit (v. 17—25). Respondet Martianus, se ipsas loquentes producturum esse (v. 26—29), quo facto Musa hoc ipsum figmentum esse arguit (v. 30—34) Martianusque victus manus dat (v. 35 et 36). Similis est Virgilii sententia (in culice 4):

»*Omnis ut historiae per* ludum *consonet* ordo
Notitiae, ducam voces: licet invidus *adsit,*
Quisquis erit, culpare jocos *Musamque paratus:*
Pondere vel culicis levior famaque feretur.«

Phaleras parat libello,
Et vult amica fictis
Commenta ferre primum,
Memorans frigente vero
Nil posse comere usum,
Vitioque dat poëtae,
Infracta ferre certa,
Lasciva dans lepori,
Et paginam venustans
Multo illitam colore.
222 Atquin prioris ille
Titulus monet libelli,
Mythos ab ore pulsos
Artesque vera fantes
Voluminum sequentem
Praecepta comparare.
Ad haec jocante rictu:
Nil mentiamur, inquit,

phaleras] Primum equorum, deinde etiam hominum ornamenta (Barth. advers. p. 1176), unde factum est, ut metaphorice quoque de iis usurpetur, quibus fucum facere aliis speciemque asciticiam rei alicui addere conemur; ut v. c. *phalerata verba* apud Terentium (Phorm. 3. 2. 15).

amica fictis] Manuscriptus habet *amicta*, quod et rectius. Gnot. — Utrumque bonum sensum praebet; rectius neutrum dixerim; quare majorem codicum numerum sequor.

frigente vero] Id est: exstincta et cessante veritate. Vulc. — Produxit primam syllabam secundi pedis Anacreontici, ut alibi. Sic libro VII: Madida detergit ora. Gnot. — Melius, quam Vulcanius, sensum ita capies: vel veritatem, quae alioquin nuda fingitur, vestimento aliquo carere non posse, quin frigeat; frigentem autem solo usu nihil amplius ornamenti accipere.

pulsos] Grotius *pulsans*, Britannicus et Reichenauensis *pulsas*, Cantabrigiensis *pulsus*, hi omnes sine sensu. Recepta igitur Monacensis codicis (C) lectione construo: »titulus libelli monet mythos ab ore pulsos, sive omissos esse.«

vera fantes] Pariter Cornelius Severus in Aetna (257) »*verum professas artes*« nuncupat.

jocante rictu] Horatius (sat. 1, 10, 7): »Risu diducere *rictum*.« Ovidius (arte am. 3, 283): »Sint modici *rictus*, sint parvae utrinque lacunae.«

Et vestiantur artes.
An tu gregem sororum
Nudum dabis jugandis,
Et sic petent notandis
In coelitum senatum?
Aut si tacere cultum
Placet, ordo quis probatur?
Certe loquentur illae
Quidquid ferant docendum,
Habitusque consequentur
Asomato in profatu.
Haec nempe ficta vox est
Et devius promissi es;
Cur ergo non fateris
Ni figminis figura
Nil posse comparari?
His me Camoena vicit:
Fugis jugabo ludum.

Admoverat igitur Latoides unam priori loco Mercurialium ministrarum 225

jugandis] Id est Mercurio et Philologiae, qui matrimonii vinculo jungendi sunt; his indecorum fore ait, si nudae artes dotalitiae tradantur. — Sequentia manifesto corrupta; nihil tamen varietatis exstat, nisi quod Grotius in margine pro *in* apposuit *et*.

ordo] Quis ordo? id est, quae convenientia. Vulc. — Vel potius, quae ratio, quae institutio operis? unde proficiscendum, quomodo progrediendum tibi videtur?

quidquid ferant] Melius forte: »Quae quid ferat docendum«: quod ex vestigiis colligo. Gnor. — Reichenauensis a prima manu *ferat* (omissa scilicet lineola N significatura); Monacensis (C) correctum *ferant*: quod quum grammaticae simul et metro respondeat, recepi pro *erat* in editis.

asomato] Spectare haec videntur ad Stoicorum doctrinam, qui quum omnia alia *corporea* dicerent, *λεκτὸν* et tria alia statuebant *ἀσώματα* (Sext. Emp. adv. phys. X. 218. p. 670 Fabric.).

promissi] Sic *devius aequi* apud Silium (1, 57), et *devia* pectora *recti* (8, 316).

fugis] Non intelligo, nisi pro dativo casu substantivi *fuga* accipiam, ut sensus sit: »victus a Camoena fugae (id est cladi) meae statim subjungam fictionem poëticam, quam illa me continuare coëgit.«

aetate quidem longaevam, sed comitate blandissimam, quae se in Memphide ortam rege adhuc Osire memorabat, diuque obtectam latibulis ab ipso repertam educatamque Cyllenio. Quae femina, licet in Attica, ubi majore aevi parte floruerat, se assereret incedere palliatam, tamen ritu Romuleo propter Latiale numen et Olium caput propterque Martiam gentem Venerisque propaginem senatum deûm ingressa est penulata. Gestabat haec autem teres

Memphide] Grammaticam in Aegypto inventam primus testatur Plato (in Phileb. p. 18), quem sequuntur Cicero (N. D. 3, 21), Tacitus (ann. 11, 14), Plutarchus (quaest. sympos. 9, 3, p. 738 d), Servius (ad Aen. 4, 377).

Cyllenio] Plato inventorem nuncupat Theuth, sed restituendum esse Thoyth, id est Aegyptiorum Mercurium, alibi jam monui (§. 175 not.).

Attica] Ibi prima grammaticae fundamenta posita sunt a philosophis, inprimis Platone (Diog. Laert. 3, 25, p. 180 Meib. Dionys. Hal. de compos. p. 14 Sylb.) et Stoicis (vide omnino Classenium de prim. gramm. gr. p. 3 sequ.); Romae autem, teste Suetonio (de ill. gramm. init.), diu ne in usu quidem, nedum in honore ullo erat grammatica.

Latiale] Saepe noster vocibus utitur *Latialis, Latiale*. Codices Darmstattensis et Monacensis (C) semper alterum L cum R permutant: sed parum interest (Macrob. Saturn. 1, 6 et 16. Steph. ad Saxon. p. 7); quandoquidem Jupiter modo Latialis, modo Latiaris audit (conf. palaeograph. crit. III. §. 370).

Olium caput] MS. *Olium caput*, credo *capitolium*. Gnor. — Lege »*Toli* caput.« Nota est narratio de capite Toli Vulcentani evoluto ex fundamentorum sedibus in colle Tarpejo. Et mihi quidem aliquando placuit, etiam Varronis locum (de L. L. lib. 4) hoc Toli nomine insignire ad ipsius autoris mentem: »Capitolium dictum, quod hic quum fundamenta foderentur aedis Jovis, caput *Toli* hominis inventum dicitur.« Pignon. (de serv. p. 137 ed. 1613. p. 266. 1674). — Quousque tandem corrigendi pruritus criticos abripiet! Nonne multo melius Varro, Florus (1, 7), Aurelius Victor (de vir. illustr. 9) et Dionysius Halicarnassensis (4. p. 757 Sylb.) ignoti prorsus hominis, cujus caput inventum, nomen reticuerunt? Quis est etiam veterum, qui id prodat, vel prodere potuerit? Primus omnium Arnobius, quarti seculi scriptor, de eo fabulatur. Ac ne apud hunc quidem nominis lectio certa est. Quamvis enim Stewechius *Toli* legat, Haraldus tamen atque editio, quae Lugduni Batavorum 1651 prodiit (p. 194), *Oli* praebet. Et certe melius vox *Capitolium* e »caput *Olium*« prodit. Cave igitur Martianum corrigas, qui apud popularem suum *Oli* legens, ut illi nomini propius accederet, *Olium* scripsit. Accedit quod Servius (ad Aen. 8, 345) refert: »caput humanum, quod *Oli* diceretur, inventum esse.« Neque Grotianus solus, sed Cantabrigiensis etiam codex *Olium* praebet, quare fidenter hoc reposui pro *olim* in editis, quod sensu carebat.

penulata] Pariter Augustinus (confess. 1, 16; Op. I, p. 52 Basil.) grammaticos *magistros* appellat *penulatos*. Initio in itineribus tantum penulae gestabantur, ut v. c. Milo, quum Lanuvium petens cum uxore in rheda veheretur, *penulatus* fuisse

quoddam ex compactis annexionibus ferculum, quod levi exterius elephanto praenitebat. Undo velut medendi sollers magistra curandorum vulnerum in- 224
signia proferebat. Nam ex eodem scalprum primo vibranti demonstrabat acumine, quo dicebat circumcidi infantibus vitia posse linguarum, dehincque nigello quodam pulvere, qui ex favilla confectus vel sepia putaretur, illato

dicitur (Cic. pro Mil. c. 10); mox autem in urbe quoque, initio, ut videtur, a delicatioribus hominibus facto, qualem Martialis (2, 57) »Alpha *penulatorum*« appellat; sed paulatim adeo invaluerunt, ut togarum fere in locum succederent; unde factum est, ut noster *penulatam* opponeret *palliatae*, ut antiquiores *togatam*. Qua de re jam queritur, quisquis dialogum de oratoribus scripsit (c. 39): »quantum humilitatis putamus eloquentiae attulisse *penulas* illas, quibus adstricti et velut inclusi cum judicibus fabulamur?« et licet »*contra consuetudinem*« Lampridius dicat Commodum »*penulatos* jussisse spectatores, non togatos, ad munus convenire« (in vita Comm. c. 10), eo tamen ipsa consuetudo processit, ut Gratianus et Theodosius imperatores Senatores juberent »chlamydis terrore deposito *quieta* coloborum ac *penularum* induere vestimenta« (cod. Theodos. l. 14, tit. 10, c. 1; T. V, p. 232 Ritter. cum not. Gothofredi). Diligenter in hanc rem inquisivit Ferrarius (de re vestiaria T. II, p. 68 sequ.), quem vide.

gestabat] Ex iis quae nunc sequuntur apparet, Grammaticam a nostro medici habitu induci. Pariter Lucianus (epigr. 22. T. X. p. 45 Bip.):

»Ἴλαθι γραμματικὴ φυσίζοε, ἵλαθι μοῦσα,
Φάρμακον εὑρομένη« — —

elephanto] Totum pro parte: eburnum intelligit (conf. C. Fr. Hermann. ad Lucian. de histor. scr. p. 304). A Virgilio (georg. 3, 26) *solidus elephantus* dicitur. Ferculum autem hoc sive gestamen ipsum thecam calamariam vel graphiariam significare videtur, quam nuncupat Suetonius (in vita Claudii c. 35).

proferebat] Ad omnia illa, quibus Grammatica usa esse fingitur, Johannes Sarisberiensis (metal. 1, 21. p. 778) haec observat: »Martianus Grammaticam inducit cum scalpro et ferula et unguentaria pyxide medicorum. *Scalpro* siquidem oris vitia purgat, et infantium linguas, qui ad artem philosophiae, ea praelactante, cibante, et ducente, ituri sunt, radit, dum erudit: et ne barbarismo aut soloecismo balbutiant, in sermone performat: peccantes autem castigat *ferula*; et *unguento* honestatis et utilitatis, quae ex ea provenit, patientium mitigat poenam. Manum quoque ad recte scribendum reddit idoneam; acuit et visum, ut ei partes literae densiores aut velum multipliciter elaboratum obstare non possit. Aperit aures, quas tam gravibus, quam acutis, immo et cunctis vocibus reddit accommodatas.« De singulis praeterea conferatur monstrum eruditionis, Jacobi Martorelli liber de regia theca calamaria (Neapoli 1756. 4).

nigello] Hoc est »mero incausto« (encausto) Vulcan. — *Incaustum* Vulcanius dicere videtur *atramentum*, quod etiam nunc Italis est *inchiostro*.

sepia] Ad atramenti alludit materiam. Gnor. — Persius (3, 13):

»*Nigra quod infusa vanescat* sepia *lympha*.«

Confer Plinium (9, 26, 45. 11, 5, 2. 32, 10, 52. 35, 6, 25); Aristotelem (hist. animal. 1, 4), et Ausonium (epist. 4, 74):

»*Meloni*) *albam filiam*,

per cannulas eadem resanari. Tunc etiam quoddam medicamen acerrimum, quod ex ferulae flore caprigenique tergoris resectione confecerat, rubri admodum coloris expromsit, quod monebat faucibus adhibendum, quum indocta rusticitate vexatae foetidos ructus vitiosi oris exhalant. Demonstrabat etiam quendam gratissimum gustum vespere multo olivoque laboratum, quo depulsa vocis
225 insuavissimae diritate canoros etiam fieri posse memorabat. Arterias etiam pectusque cujusdam medicaminis adhibitione purgabat, in quo et cera fago illita, et gallarum gummeosque commixtio, et Niloticae fruticis collemata no-

»*Notasque furvae* sepiae
Cnidiosque nodos prodidit.«

cannulas] Calamos significat, quorum usum Quinctilianus (10, 3, 31; p. 163 Spald.) descripsit his verbis: »quoad *intinguntur* calami, morantur manum.«

ferulae] Ad ferulas sceptra paedagogorum alludit, unde id quod in proverbialem formam abiit: »Et nos ergo manum ferulae subduximus«; et illud Columellae: »Ferulasque minaces.« De ferulis diversum quid a reliquis subindicat Apulejus. Alii enim de manibus puerorum ferula caedendis indicant: ille vero ait libro 10 met. »quam altissime sublato puero ferula nates ejus obverberans«. Gaor. — Adde apud Suetonium (de ill. gramm. 9) Domitii Marsi versum:

»*Si quos Orbilius* ferula scuticaque *cecidit*«

et Martialis (10, 62, 9) haec:

»*Qua vapulavit Marsyas Celenaeus,*
Ferulaeque *tristes, sceptra paedagogorum*«

alioque loco (14, 80)

»*Invisae nimium pueris, grataeque magistris.*«

Conferatur etiam Juvenalis (1, 15).

adhibendum] Variantem hanc lectionem pro *admovendum* praetuli, quum et Reichenauensis, Britannicus et Cantabrigiensis cum ea concinant.

caprigenique] Alludit ad scuticas. Gaor.

foetidos ructus] Saxo grammaticus (6. p. 107): »Indigestam ventris saniem *foetido* oris *anhelitu ructabatur.*« Atque ipse Cicero (in Pis. 6): »quum isto ore foetido teterrimam nobis popinam inhalasses.«

vespere] Vigilias significat, ut *olivo* lucernas (conf. supra §. 2 et infra §. 576 not.).

diritate] Darmstattensis quidem codex *ariditate*, quod Heinsius (ad Sil. 11, 416 Burm.) etiam praeferebat; sed vulgatam relinquere non opus est, quum *dirum* omnino *canoro* oppositum sit. *Diraealites* nemini ignotae. »Teterrimum omni *diritate*« Cicero (in Vatin. 3 f.) scripsit.

purgabat] In editis additum erat *gargarizando*. Notavit tamen Grotius: »in MS. meo haec vox pro glossemate est, et recte: si enim haec ad gargarizandum essent, utique epithemata non essent.« — Abest ista vox a codicibus etiam Reichenauensi, Darmstattensi, Monacensi (C), Cantabrigiensi et Britannico. Posterior codex praeterea pro *purgabat* exhibet *curabat*.

cera fago illita] Notissimae sunt tabulae ceratae (Guilland. de papyro 3, 41 sequ. Nov. op. dipl. alii). Earum prae membranis praestantiam docet Quinctilianus (10, 3, 31. p. 162).

et gallarum] Observes velim hodiernam hic atramenti praeparationem, cujus antiquius testimonium equidem non novi.

tabantur. Quae vis epithematis licet memoriam intentionemque procuraret, tamen natura sui etiam vigilias inferebat. Protulit quoque limam quandam 226
artificialiter expolitam, quae octo partibus auratis velut diversis nexionibus

gummeosque] Gummis, ut Capella hoc libro testatur, feminino genere dicitur. In genitivo gummeos Graecanioe, et gummis Latine. Nonius Marcellus: »Gummi generis neutrius, ut est usu monoptoton. Tamen feminini Cinna: Alpinaque gummi; ut sit genitivus ejus hujus gummis, ut puppis, febris, pelvis.« Gnor. — Confer infra (§. 291).

Niloticae] A Plinio haec habet, qui (5, 12, 23) de papyri scirpis: »texuntur« inquit »madente tabula *Nili* aqua. Turbidus liquor *glutinis* praebet vicem« cet.

collemata] *Κολλήματα* sunt conglutinamenta. Gnor.

memoriam] In omni scripturae laude id maxime extollitur, quod rerum memoria ejus ope servatur. (Stob. serm. 79. Cicer. partit. 26).

epithematis] Quod Celso *emplastrum*, id Marcello Empirico (20 p. 131 Froben.) *epithema* est.

limam] Lima est cultura operis jam scripti, qua politur illud, et in honestam formam redigitur, vitiosis omnibus derasis velut. Horatius »arte poëtica«, libello jam Sidonii aevo singulari, ne quis epistolam esse acrius contendat:

»*Nec virtute foret clarisve potentius armis*
Quam lingua Latium, si non offenderet unum
Quemque poëtarum limae *labor et mora.*« —

Cui eidem *limatus* pro subacto poëta et quamlibet cultissimo lib. 1. sat. 10. Martialis lib. 10, ep. 2:

»*Nota leges quaedam, sed* lima *rasa recenti.*«

Idem *limandi* verbo in eam rem usus lib. 6, ep. 64. Ovidius lib. 1 de Ponto, elegia 6:

»*Scilicet incipiam* lima *mordacius uti*
Ut sub judicium singula verba vocem?«

Eleganter *miri ingenii scriptor* Martianus Capella talem Grammaticae limam tradit. Barth. (advers. 1353). — Adde Ausonii (sapient. 299, 15. p. 228 Dac.):

»*Et correcta magis, quam condemnata vocabo,*
Apponet docti quae mihi lima *viri.*«

octo partibus] Quo melius haec intelligas, confer infra (§. 289) versus:

»*Bis quarta fandi quis paratur portio*
Vel vulneratur ductus oris integer.«

Unde (§. 326) Minerva: »ni fallor«, inquit, »*octo partes* orationis velut incunabula repetitura intimare disponis.« Octo partes jam Aristarchus statuit Quinctilianique aetate (1, 4, 20; p. 78 Spald.) Palaemon, quod fugerat Isidorum, qui (etym. 1, 6, 1. p. 13 Arev.) a Donato demum orationem in partes octo partitam esse scribit.

nexionibus] Quae sunt diversae *nexiones* illae? Mihi videtur ab abbreviatione, solemni librariorum terriculamento, error natus, et non paulo Capella dignior vox reponenda *pectinationibus*, quod vocabulum rei ipsi mirum in modum conveniens curioso talium asserendum scriptori nemo, puto, negabit, qui scripti codicis penes nos exstantis lectionem *pensionibus* audierit, quae quidem fundamentum hujus correctionis nobis bonum est. Barth. (advers. p. 1353). — Peccat Barthius hic in pluribus. Nam primum falsa, sed cum multis criticis ei communis, argumentatio est: quum alii librarii in legendis verbis breviatis errarint, hunc etiam errasse! Error scilicet singulorum neutiquam omnium est, et a singulis argumentari ad universum profecto omnis vetat logica. Porro e *corrupto* in codice suo verbo, quod vitiosum esse ipse agnoscit, corrigere audet

interstincta vibrabat, ex qua scabros dentes vitiliginesque linguarum et sordes, quas in Soloe quadam civitate contraxerant, levi sensim attritione purgabat.
227 Haec abstrusa nosse carmina numerosque multifidos crebrae supputationis opere putabatur. Denique quoties curandos acceperat, mos ejus erat de nomine primo tractare. Casus etiam non tacebat, quanti vel vitia creare possent, vel prudentissime declinari. Tunc genera rerum, verba etiam curandorum cum ratione captabat, ne, ut fieri ab aegrotantibus moris est, nomen pro nomine commutarent. Tum morborum modos, tempora, figurasque et schemata requirebat, jubebatque alios, quis plenitudo obtusior atque immobilis torpor insederat, gradus percurrere scandereque quam plurimum operum,

vocem claris literis scriptam. Denique in illud etiam criticorum vitium, quod persaepe in hoc ipso libro arguimus, incidit, ut auctorem ipsum quibusdam tantum locis legerit, neutiquam perlegerit. Unde factum est, ut vocem damnaret nostro perfamiliarem, ut supra (§. 31) »tabens divûm *nexio*«, et (§. 92) »quaeque elementa liget dissona *nexio*.« Neque solus noster hac vocis forma usus est; sed popularis etiam ejus (Arnob. 5. p. 156) verbis: »vinculorum illae injecta sunt *nexiones*«: ita ut Afris in primis usitata fuisse videatur. Neque sensus ullam mutationem flagitat, quum *partes nexae* inter se facile *diversae nexiones* appellari potuerint.

Soloe] Σόλοι Straboni et Ptolemaeo. Alludit ad soloecismum, qui ea ex urbe originem traxisse memoratur. Gnot. — Adde Suidam, et inprimis Diogenem Laertium (I, 51 ibiqu. interpr.), similiter Strabonem (14. p. 663 Casaub.) et Isidorum (etym. 1, 33, 2. Op. III. p. 52 Arev.), cujus verba haec sunt: »Dictus autem *soloecismus* a Cilicibus: qui ex urbe *Soloe*, quae nunc Pompejopolis appellatur, profecti, quum apud alios commorantes suam et illorum linguam vitiose inconsequenterque confunderent, *soloecismo* nomen dederunt.« Sed verbum, quod sequitur, non debebat a Grotio singulari numero addi, quum anteriores editiones jam *contraxerant* haberent, et ita etiam, quos vidi, libri scripti. Infra noster (§. 326) iterum soloecismos tangit.

quanti] MS. *qua*. Gnot. — Profecto melior vulgaris lectio. *Quanti* enim e Graeco ὅσοι pro *quotquot* explicari potest.

declinari] Facete metaphoram persecutus est, usus verbis ambiguis, ut hic *declinari vitia*, quod de *adversis* in vita *casibus* pariter ac de *nominum* in grammatica *casibus obliquis* intelligi potest.

morborum modos] E manuscripto Grotius hanc lectionem in notis attulit, quam pro vulgata *verborum* recepi, magis nimirum convenientem ad metaphoram persequendam. In codice etiam Reichenauensi sic legitur.

plenitudo obtusior] Id est: magna ingenii tarditas. Vulc. — Hypallage pro »plena hebetudo.«

quam plurimum] Nescio quid haec sibi velint, ni legas: »scandereque quam plurimum, operum praepositionibus, aut conjunctionibus participatis« (ita est in manuscripto) »insistere.« Alludit, ut solet, ad partes, quas vocant, octo orationis. Gnot. — Non vidit Grotius »quam plurimum ope-

praepositionibus aut conjunctionibus aut participatis insistere, totaque curandos arte fatigari. Hanc igitur feminam tali multorum curatione callentem 228
quum deorum nonnulli Jatricen, alii Genethliacen diversis rerum operibus aestimarent, adderetur que fidei medendi sollertia, quod eam opitulari posse oris vitiis nec Pallas denegaret nec ipse Majugena; inconsentaneum tamen videbatur incedere medicam penulatam. Idcirco ab ea et nomen et officium suum ac totius expositio artis exquiritur. Tunc illa, ut familiare habebat expo- 229
nere percunctata ac docere facile, quae ab eadem quaerebantur, penula a dextra cum modestia verecundiaque revelata, sic coepit: *Γραμματικὴ* dicor in Graecia, quod *γραμμὴ* linea, et *γράμματα* literae nuncupentur, mihique sit attributum literarum formas propriis ductibus lineare. Hincque mihi Romulus Literaturae

rum« idem esse ac si dixisset »quam plurima opera.« Voluit sane noster »discipulos cogere, ut gradus (quibus ad fastigia §. 268 pervenitur) percurrerent, *scanderentque* quam plurima opera (poëtica), et insisterent praepositionibus (§. 287) aut conjunctionibus (§. 286) aut participatis (participiis §. 283 f. 285).«

curatione] Verbi *calleo* cum sexto casu constructi plura exempla congessit Stephanius (ad Sax. p. 87) e Petronio, Septimio Sereno, Sulpitio, Appulejo, Ammiano, aliis.

Genethliacen] Hanc a Phronesi educatam et a Pallade Apollineque laudatam noster inferioribus locis (§. 892—894) fingit. Confer Reimerum apud Mitscherlich. (ad Horat. carm. T. II. p. 696) et Horat. ep. 2, 2, 187.

inconsentaneum] Quia servi plerumque et libertini vel Graeci homines medicinam factitabant Romae. Conf. Schlaegeri historiam litis de medicorum conditione (Helmstadt. 1740).

revelata] Lectio quidem ad marginem notata *relevata* habet; sed vulgatam servavi, quoniam vox satis apta et a Martiani populari (Appulej. met. 3, p. 188 et passim) quoque usurpatur. Graecum *ἀποκαλύπτειν* idem *revelare* est. Voluit igitur noster »veste composita ad dicendum agendumque« significare (conf. Quinctil. 11, 3, 144 sequ. p. 448—450 Spald.).

propriis] Intellige »suis cuique literae peculiaribus« ut alia ab alia discerni possit. Augustinus (de ordine 2, 12 op. I, p. 342 Bas.) repertas esse ait literas »notatis omnibus oris ac linguae sonis atque *discretis*.« Infra (§. 232) ad artificiosam literarum formationem illos ductus refert.

Romulus] Utitur hoc nomine pro Romanis, ut Persius (1, 85): »an *Romule* caves?« Quinctilianus (2, 1, 4. p. 255. 2, 14, 3. p. 340 Spald.) »grammaticen«, inquit, in *Latinum* transferentes *literaturam* vocaverunt.«

Literaturae] Ipsam Grammaticam esse Literaturam dicit sensu omnino latiori, quam in hujus vocis explicatione, a Cicerone (partit. 26. p. 282 Proust.) data, latet. Seneca (epist. 88. p. 567 Lips.): »*Literatura*« inquit »per quam pueris elementa traduntur, *non docet liberales artes*, sed mox praecipiendis locum parat.« *Literatorem* differre

nomen adscripsit, quamvis infantem me literationem voluerit nuncupare, sicut apud Graecos γραμματιστικὴ primitus vocitabar; tunc et antistitem dedit et sectatores impuberes aggregavit. Itaque assertor nostri nunc literatus dicitur, literator antea vocabatur. Hoc etiam Catullus, quidam non insuavis poëta, commemorat dicens:

Munus dat tibi Sylla literator.

Idem apud Graecos γραμματοδιδάσκαλος vocitatur.

a grammatico e serioris aevi scriptoribus patet (v. Jul. Capitolini Antonin. Philosoph. 11. p. 57 Obr. Aelium Lamprid. in Commodo Antonino 10. p. 118; in Alexandro Severo 5. p. 304. Jul. Capitolin. in Maximino jun. 1. p. 392).

infantem me] Manifesto hoc a Varrone habet, qui (apud Augustin. de ordine 2, 12. in op. I. pag. 342 Bas.) »grammaticae *infantiam literationem*« vocat.

γραμματιστικὴ] Codices quidem Darmstattensis, Monacensis (C), Cantabrigiensis, et Britannicus *grammatice* habent; sed vulgatam retinui lectionem, quacum concinit et Reichenauensis. Graeca illa voce utitur Sextus Empiricus (1, 2. p. 225 Fabric.). Plato quoque (in Protag. p. 312 Steph.) γραμματιστὴν appellat grammaticae artis ludimagistrum, qui alias γραμματοδιδάσκαλος appellabatur. Confer omnino Wowerium (polymath. c. 4, p. 27 sequ.), Heraldum (Observat. 7, 25; p. 608), Solanum (ad Lucian. de merc. cond. T. III, p. 523 Bip.) et Classenium (de prim. gramm. gr.).

sectatores] Distinguit eos Suetonius a discipulis, scribens: »Marcus Valerius Probus non tam discipulos, quam *sectatores* aliquot habuit. Nunquam enim ita docuit, ut magistri personam sustineret« (illustr. gramm. extr.); hoc tamen loco iidem cum discipulis esse videntur.

literatus] Suetonius (de ill. gramm. 4): »Appellatio grammaticorum Graeca consuetudine invaluit: sed initio *literati* vocabantur. Cornelius quoque Nepos in libello, quo distinguit *literatum* ab erudito, *literatos* quidem vulgo appellari ait eos, qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere aut scribere.« Apud nostrum inferiori loco (§. 231) *Grammatica*: »Sum, inquit, literatura ipsa quae doceo; *literatus* quem docuero.« Addit Suetonius: »Sunt qui *literatum* a *literatore* distinguant, ut Graeci *grammaticum* a *grammatista*; et illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment. Orbilium apud majores, ait, quum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem *literatum* in titulo, sed *literatorem* inscribi solitum esse, quasi non perfectum literis, sed imbutum.« Gellius (16, 6) »quempiam linguae Latinae literatorem« memorat. Unde infra (§. 231) adverbium etiam *literate* explicatur »quod *perite* tractaverit, qui a Grammatica edoctus fuerit.« Hanc literatoris notionem graeca voce facilius, quam Latina, Aristoteles (categ. de qual. p. 38) γραμματικώτερος exprimere potuit. Appulejus (in flor. p. 97 Oud.) de Musarum crateris: »Prima cratera *literatoris* ruditatem eximit, secunda grammatici« cet.

Catullus quidam] Male se habet apud Grotium *quidem*, unde lectionem praetuli, quam Monacensis (C), Britannicus, et Darmstattensis praebebant. Versum reperies in carm. 14, 9.

QUID SIT OFFICIUM GRAMMATICAE.

Officium vero meum tunc fuerat, docte scribere legereque. Nunc etiam 230
illud accessit, ut meum sit erudite intelligere probareque. Quae duo mihi vel cum philosophis criticisque videntur esse communia. Ergo istorum quatuor duo activa dicenda sunt, duo spectativa. Siquidem impendimus actionem, quum quid conscribimus legimusve, sequentium vero spectaculo detinemur, quum scripta intelligimus aut probamus; licet inter se quadam cognatione conjuncta

apud Graecos] Ita a Strabone (14. p. 638 Casaub.) Epicuri pater Neocles γραμματοδιδάσκαλος appellatur. Confer Diogenem Laertium (10, 2. p. 604 Meib.), Hesychium (p. 855 v. γραμματιστής); add. Stallb. (ad Plat. Phil. p. 116) et Dionem Cassium (28. p. 15. 75, 5. p. 1259 Reim.).

quid sit] Inscriptio haec et quae sequuntur omnes absunt a codicibus Anglicis, Darmstattensi pluribusque aliis.

nunc etiam illud] Sextus Empiricus (adv. gramm. 1, 2, 49. p. 226 Fabr.) »duplicem esse« ait »grammaticam, aliam quae doceat elementa, artem nimirum legendi et scribendi; aliam, quae facultas profundior versetur in examinanda etiam literarum cognitione et natura, et in orationis partibus, quae iis constent.« Augustinus (de ord. 2, 12. Op. I. p. 342 Bas.), postquam prius grammaticae officium in tradendis elementis literarum, doctrina verborum et syllabarum accentibus retulerat, addit: »poterat jam perfecta esse grammatica; sed quia ipso nomine profiteri se literas clamat, unde etiam Latine literatura dicitur, factum est, ut quidquid dignum memoria literis mandaretur, ad eam necessario pertineret. Itaque unum quidem nomen, sed res infinita, multiplex, curarum plenior, quam jucunditatis aut veritatis.« Senecae etiam verba (epist. 108. p. 636 Lips.) sunt »quae philosophia fuit, facta est philologia.« Conferenda omnino hic pulcherrima Classenii commentatio (de primordiis Grammat. Gr. Bonn. 1829) et Herzogius (ad Sciopp. grammat. philos. p. 1).

criticisque] Unde Quinctilianus (1, 4, 3. p. 53 Spald.) de grammaticorum officio: »Nam et scribendi ratio conjuncta cum loquendo est, et enarrationem praecedit emendata lectio, et mixtum his omnibus judicium est: quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripti, tanquam subdititios summovere familia permiserint sibi; sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exegerint numero.« *Grammaticos* postmodo appellatos esse, qui antea *critici* audierint, testatur Dio Chrysostomus (or. 53, p. 533 Morell.). Erant tamen, qui differre criticum a grammatico contenderent (Sext. Emp. adv. gramm. 1, 3, 79. pag. 253 Fabric.; add. Aquil. pag. 141 Ruhnk.). Hinc noster etiam infra (§. 138) judicium de carminibus et poëmatibus Dialecticae vindicat.

activa] Aristoteles (metaph. 5, 1) haec etiam distinguit, πρακτικὰ nimirum et θεωρητικά. Adde Stobaeum (serm. 59 ed. Gesneri), Quinctilianum (2, 18, 1. p. 394. 395. 3, 7, 1. p. 543) et Maximum Tyrium (I. p. 395 sequ. Reisk.).

licet] Grotius ediderat »et licet«; unde Von-

sint, sicut et in ceteris artibus comprobatur. Nam et actor cognoscit primo quae valeat actitare, et astronomus quaedam facit, ut per ea cognoscat, quae debeat comprobare. Promittit etiam utrumque Geometres, quippe formas theorematum cum rationibus certis efficit et cognoscit.

QUOT SINT PARTES EJUS.

231 Partes autem meae sunt quatuor: literae, literaturae, literatus, literate. Literae sunt quas doceo, literatura ipsa quae doceo, literatus quem docuero, literate, quod perite tractaverit, quem informo. Profiteor autem de orationis natura usuque tractare. Natura est ex qua formatur oratio. Usus, quum eadem utimur, appellatur. His etiam materies admovetur, ut de qua re dicendum sit aestimemus. Oratio vero ipsa tribus gradibus eruditur, literis, syllabis, et verbis.

ckius (sp. crit. p. 82) legere jubet *videlicet* et pro *sint* indicativum *sunt*. Sed quum copula *et* absit a codice Cantabrigiensi, ista resectione et correctione non opus est. Paulo post ex eodem codice post *sicut* inserui *et in*.

actor] Non generaliori sensu hanc vocem accipio, sed pro histrione, qui discere ante debeat quam agat.

astronomus] Prorsus contrarium Quinctilianus (2, 18, 1; p. 393): »Astrologia nullum exigens actum, sed ipso rei, cujus studium habet, intellectu contenta: quare θεωρητικὴ vocatur.«

promittit] Praebent quidem codices Britannicus et Cantabrigiensis pariter ac Grotianus *misit*; Darmstattensis *miscet*, quemadmodum Grotius legere malebat. Verumtamen vulgata lectio, quam retinui, non prava haberi debet, nec desunt exempla, quibus verbum *promittere* pro *profiteri* usurpatum sit. Seneca (epist. 88. p. 365 Lips.): »ne *promittunt* quidem, nec hujus rei scientiam affectant.« Petronius (10. p. 41 Burm.): »tu literas scis et ego aliquid aliud *promittam*.« Sic scribebant (Sen. contr. 4, 29 Rufi Vibii p. 276 Elzev.) »*promittere* oratorem«, ita ut illud *promittere* Graeco ὑπισχνεῖσθαι prorsus responderet (conf. C. Fr. Hermann ad Lucian. de hist. scr. p. 220).

oratio] Quinctilianus (2, 1, 6. p. 256 Spald.): »Rhetorice, inquit, a grammatica jam paene possessione depulsa est.« Addit tamen: »Nec inficiabor, ex iis aliquem, qui grammaticen profitentur, eousque scientia progredi posse, ut ad haec quoque tradenda sufficiat: sed quum id aget, rhetoris officio fungetur, non suo.« Correxi apud nostrum verba, quae praecedebant: in editis enim legebatur »ex quibus *formetur*«; Cantabrigiensis rectius: »ex *qua formatur* oratio.«

literis] Grotius ediderat: »*id est ex* literis, syllabis, et *ex* verbis.« Illud *id est* delevi codicum Reichenauensis et Britannici auctoritate, et illa bina *ex* melius Cantabrigiensis omisit, sicut et ego feci.

DE NATURA LITERARUM.

Verum in literis gemina quaestio diversatur. Namque aut naturales 232
sunt, aut effectae. Natura enim insinuante earum nomina in loquendi substantiam procreata sunt, artificiosa vero formatio earum lineas quas scribimus designavit ad hoc, ut praesentes una uti, absentes alia potuissent; atque ita ex hac parte, qua scribitur, mutae, ex illa, qua legitur, voces sunt appellatae, siquidem haec auribus tantum, illa solis oculis valeat comprehendi.

Literae igitur aliae sunt, quae per se efficere totum valeant, aliae quae 233

Manilius (in astron. 2, 755):

— »*rudibus pueris monstratur litera primum*
Per faciem nomenque suum componitur usus:
Tunc conjuncta suis formatur syllaba nodis.
Hinc verbi structura venit per membra legendi.
Tunc rerum vires atque artis traditur usus,
Perque pedes proprios nascentia carmina surgunt,
Singulaque in summa prodest didicisse priora,
Quae nisi constiterint propriis fundata elementis,
Perdunt, quae propere dederint praecepta magistri,
Et fluet in vanum rerum praeposterus ordo.«

aut naturales] Differentiam hanc inter *naturales* literas et *effectas* sic exponit Sarisberiensis (in metalog. 1, 12 p. 759): »Literarum nomine tam simplicium *vocum figurae*, quam elementa, id est *voces figurarum* intelliguntur. — Literae, id est figurae, primo vocum indices sunt, deinde rerum, quas animae per oculorum fenestras opponunt, et frequenter absentium dicta sine voce loquuntur. Tradit ergo prima elementa sermonis ars ista, ut non facilius queat aliquis praeter eam philosophari, quam inter philosophos eminere, qui semper caecus aut surdus fuit.« Est haec differentia inter στοιχεῖον et γράμμα, quam Ammonius grammaticus docet (in Vulcanii thesauro lingu. utriusque p. 772).

sunt] Omissum hoc auxiliare verbum e Cantabrigiensi supplevi.

absentes] Operae pretium erit hic conferre, quae Nonnus (in Dionys. 4. p. 127 Falk.) de Cadmo refert:

— — »αὐτὰρ ὃ πάδῃ
Ἑλλάδι φωνηέντα καὶ ἔμφρονα δῶρα κομίζων
Γλώσσης ὄργανα τεῦξεν ὁμόθροα, συμφυέος δὲ
Ἁρμονίης, στοιχηδὸν ἐς ἄζυγα ζύζυγα μίξας
Γραπτὸν ἀδιγήτοιο τύπον τορνώσατο διγῆς.

qua scribitur] Britannicus, Reichenauensis et Monacensis (C) hic et paulo post *quae* pro *qua* exhibent; sed omnino melius in Darmstattensi, et in editis *qua* leges.

voces] Haud dubius substitui pro Grotiano *vocales* illam codicum Darmstattensis, Monacensis (C), Cantabrigiensis, et Britannici lectionem; quae confirmatur praeterea loco e Sarisberiensi allato.

per se] Clarius Isidorus (etym. 1, 4, 3. Op. III. p. 8 Arev.): »dictae vocales, quod *per se* vocem impleant et *per se* syllabam faciant nulla adhaerente consonante. Consonantes vocatae, quia *per se* non sonant, sed junctis vocalibus *consonant*.«

nihil. Nam vocales, quas Graeci septem, Romulus sex, usus posterior quinque commemorat, Y velut Graeca rejecta. Hae tamen in Latio nunc produci, nunc contrahi, nunc acui, nunc gravari, vel etiam circumflecti, nunc aggregari, nunc distrahi sine jactura sui nominis possunt. Modo solae syllabas formant, nunc consonantes utrinque suscipiunt. Vocalesque nonnullae modo se invicem mutant, nuper sibi cum decore succedunt. Quippe A plerumque in E transvertitur, nam capio cepi facit; nunc in I, ut salio, insilio; nunc in O, ut plaustro, plostro; vel in V, ut arca, arcula. Item E litera in primum A reformatur, ut sero, satum; vel in I, ut moneo, monitus; vel in O, ut a tegendo toga; vel in V, ut a tecto tugurium. Similiter I vocalis in A convertitur, ut siquis, siqua; in E, ut fortis, forte; in O, ut qui, quo; in V, ut ibi, ubi. Non aliter O litera in A

nam vocales] Hanc literarum distributionem apud Platonem (in Crat. p. 424 Steph.) et Aristotelem (poët. 20) jam legimus.

sex] Addit nimirum quinque prioribus Y a Graecis acceptum. Infra (§. 258): »Placet enim mihi Y in vocalium numerum congregari — sic igitur erit, ut *senae* fiant vocales.«

Y velut] Non admissam esse in Latino alphabeto hanc literam e Quinctiliano liquet, qui (1, 4, 9. p. 63 Spald.) »X nostrarum ultimam« appellat. Priscianus autem (1. p. 8 Basil.) »Y Graecorum nominum causa a Romanis ascitum esse« affirmat. Et ita Quinctilianum quoque intelligendum esse ex eo patet, quod inferiori loco (12, 10, 27 p. 628) fatetur »Romanos mutuari solitos esse a Graecis literam Z, quoties eorum nomina scribenda essent.« Vide infra (§. 261) Y.

mutant] Plura hujus transmutationis exempla habes apud Priscianum (1. p. 18 sequ.).

nuper] Pro *nunc*. Num ab aliis illud ita usurpatum sit, haud scio. Sed a nostro hoc factum esse videtur taedio repetitarum vocum *modo* et *nunc*.

A plerumque in E] Confer hoc loco et in sequentibus Schneiderum (in elem. gramm. lat. I. p. 9. sequ.).

in O] Ita et *Ἀνάθεις* dicunt Aegyptiorum *Oases* (Steph. Byz. p. 138. Strabo 2. p. 130. 17. p. 813, ubi male editum *Ἀνάθις* et *Ἀνάθεις*. V. Casaub. p. 56). Adde Macrobium (in Saturnal. 1, 4), et Schneiderum (elem. l. l. p. 59).

a tecto tugurium] Pomponius: Ofilius ait *tugurium* a *tecto* tanquam *tegularium* esse dictum, ut *toga*, quod ea tegamur. Citatur tit. de verbor. signif. l. 180. Forte legendum: *tugurium* a *tego* tanquam *tegurium*. Et sane non dubitarem, nisi et Festus a *tecto* derivaret; sed an et ille in pari mendo sit ambigo. Gnot. — Priscianus (1. p. 19) scripsit: »In V (transit) E, tego, tugurium«: sed Reichenauensis codex verba »*a tecto*« Martiano manifesto tribuit, quae ideo recepi, pro »a tego«. Confer praeterea Scioppium (in gr. philos. p. 194 Herz.).

in O] Sic *olo*, *oloe*, pro *illo*, *illi*. Conf. Sylburg (ap. Sciopp. p. 256).

transit, ut creo, creavi; vel in E, ut tutor, tutela; vel in I, ut virgo, virginis; vel in V, ut volo, volui. Item V simili ratione convertitur in A, ut magnus, magna; in E, ut sidus, sideris; in I, ut telum, teli; in O, ut lepus, leporis. Sic igitur transformatae nunc utrinque poterunt copulari, nunc ex altero, nunc ex neutro, nunc aliquas partes orationis terminant, nuncque nullas.

QUOD VOCALES UTRINQUE ALIQUANDO COPULANTUR.

Nam A primum utrinque sibi associat V et I literas, nam et aurum 234
et varus dicimus, et Janus et Ajax. Ex uno autem latere suscipit E, ut Aeneas. Ex neutro vero latere O. Finit feminina nomina, ut dea, masculina ut lugurtha; neutra in singulari numero tantum Graeca, ut toreuma, peripetasma, in plurali autem Latina, ut monilia. In verbis imperandi modum, ut canta, salta. E autem vocalis duarum Graecarum literarum vim possidet. 235
Nam quum corripitur, ε Graecum est, ut ab hoc hoste; quum producitur, ἦτα est, ut ab hac die. Ac maxime tunc circumflexum accentum tenet.

lepus leporis] Plura exempla Quinctilianus (1, 4, 16 p. 74 et 1, 7, 26 p. 186 Spald.) affert. Addatur Staveren (in mythogr. p. 956), et Sylburgius (ap. Scioppium p. 254), qui etiam rursus O pro U poni animadvertit, ut *totela, porporeâ, osocapitor, soper, quomque, patronos, servos, vitiom, manom, conseront, moritor, piacolom, fortom, foratos, leberom, aedebos, compedebos, noctebos, tibicinebos, soperstitebos.* Adde, quod promiscue ponitur, *adulescens* et *adolescens.*

poterunt copulari] Confer Platonem (in sophista p. 253 Steph.): ὀχεδὸν οἷον τὰ γράμματα πεπονθότ' ἂν εἴη· καὶ γὰρ ἐκείνων τὰ μὲν ἀναρμοστεῖ που πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ ὀυναρμόττει.

dicimus] Transposui hoc verbum auctoritate codicum Britannici, Cantabrigiensis, et Reichenauensis. Vulgo enim *dicimus et varus.*

ex neutro] Haud dubie corrupta lectio et desideratur aliquid. Tentabam: »Ex altero vero O, ut Aonius.« Vorcx. (spec. crit. p. 148) — E Cantabrigiensi supplevi *latere*; in reliquis consonant omnes. Scripsit igitur Martianus »vocalem A neque ante, neque post se admittere O«, scil. in eadem syllaba.

modum] Ita Darmstattensis, pro *modi* in editis. Supple, quod antecedit, *finit.*

ἦτα est] Ausonius (Id. 12. 347; p. 364 Delph.):

Ἦτα quod Aeolidum, quodque ε valet, hoc Latiale E
Praesto, quod E Latium semper breve, Dorica vox E.

Sextus Empiricus (1, 5, 115. p. 241 Fabr.) cor-

Haec duas vocales, id est I et V ex latere utroque complectitur, ut in Euro, Vejentano, et in eja, jecore. Finit vero neutra nomina, ut monile; feminina etiam, sed Graeca, ut Calliope; pronomina, ut ille, iste; numerum etiam totius generis, ut quinque, licet *ἄπτωτον* sit. Item verba imperativi modi, ut sede, curre; modi
256 infiniti, scribere, scripsisse. I vero litera cunctis utrinque vocalibus sociatur. Nam A complectitur, quum dicimus janua et Ajax; E autem ut teneat, docuerunt exempla superius demonstrata; O autem literae copulatur in nomine Jovis et Oinone; oisus etiam dicitur — sic enim veteres usum dixere; V autem in juvando et vita. Haec aliquando vocalis geminam syllabam facit; finitque omnium

reptum Eta ait fieri Epsilon, productum contra Epsilon fieri Eta.

circumflexum] Corrigi jubet Vonckius (sp. crit. p. 148): »quum — accentum.« Ego vero puto dicere voluisse Martianum: »E quando productum Graeco *Ἦτα* assimuletur, tunc maxime circumflexum accentum habere.«

utroque] Aliter atque sagacius olim Nigidius (apud Gell. 19, 14): »I et V semper subditae; E et subit et praeit. Si quis putat praeire V in his verbis, *Valerius, Vennonius, Volusius*, aut I in his, *jam, jecur, jocum, jucundum*, errabit, quod hae literae, quum praecunt, ne vocales quidem sunt.«

ἄπτωτον] Confundi interdum aptota cum monoptotis Priscianus (5. p. 151) ait; significari autem proprie *aptotis* ea verba, »quae *nominativum solum* habeant: monoptotis vero ea, quae pro omni casu una eademque *terminatione* fungantur.« Sic et noster infra (§. 299) *fas* et *nefas* inter *aptota* refert, *nequam* autem (§. 242) *monoptoton* nuncupat.

teneat] Grotius margini adscripsit: »al. *taeniae*«, quasi hoc exemplum esset literae I cum E copulatae, ex antiqua nimirum scriptura *tenie*; sed ipse Martianus intellexit exemplis amplius opus non esse, quum supra jam *eja* et *jecore* allata essent, in quibus non minus I cum E, quam E cum I utrinsecus juncta sunt.

Oinone] Codex Darmstattensis exhibet *Jonone*, quasi pro *Junone* dictum; sed quum jam exstet exemplum literae I ante O positae, unice vera est vulgata lectio, ubi I post O subjicitur. Mira sane est ratio scribendi Graeca, quum Romani plerumque *Oenonen* dicant (Ovid. heroid. 5, 3), sed alteram quoque scripturam certe antiquam esse probabunt exempla a Schneidero congesta (elem. I. p. 80).

geminam] Ut verbi causa in vocabulo *Graji*. Fuerunt adeo, qui soli I, ubi consonantis partes ageret, vim geminatam tribuerent; cf. Isidor. (etym. 1, 4, 7. op. III. p. 9 Arev.): »propterea interdum *duplex* dicitur, quia quotiescunque inter duas vocales invenitur, pro duabus consonantibus habetur, ut *Troja*. *Geminatur* enim ibi sonus ejus.« Unde patet, quid voluerit Quinctilianus (1, 4, 11. p. 67 Spald.): »sciat enim (grammaticus), Ciceroni placuisse *aiio maiiamque geminata* I scribere: quod si est, jungetur etiam ut consonans.« Isidorus tamen hoc reprehendit (etym. 1, 27. 11. Op. III. p. 44 Arev.) verbis: »I literam inter duas vocales constitutam bis scribi quidam existimabant, ut *Troiia, Maiia*; sed hoc ratio non permittit. Nunquam enim tres

generum nomen, ut frugi; numerum itidem omnium generum, ut viginti; item verba modi indicativi, ut novi, memini; imperativi, sali, veni; infinitivi, jaculari, luctari. O vero litera quibus vocalibus quave ex parte 237
cohaereat, superius memoratum. Finit autem nomina masculina, ut Cato; feminina, ut Juno; numerum omnium generum, ut octo; item verba activa, ut canto, laudo; modi imperativi tantum modo invenitur, ut cedo; adverbium, ut subito; praepositionem, ut pro. V autem litera vocalibus om- 238
nibus utrinque coit, praeter O antelatum. Sola etiam V sui generis literam non geminat, sed conjungit, ut vulgus, Vulcanus. Finit articulos, ut tu; nomina neutra, ut cornu, genu; nullum autem verbum claudit.

DE SEMIVOCALIBUS.

Hactenus de vocalibus. Non enim vocales astruere, sed omnes literas 239
sum jussa monstrare. Verum reliquas, quae sequuntur, consonantes esse non dubium est. Quae item discernuntur in semivocales et mutas, quarum exse-

vocales in una syllaba scribuntur. Sed I litera inter duas vocales constituta *pro dupla* habetur.« (Conf. Schneider. elem. gramm. 1. p. 277. 231).

ut canto] In editis omissum *ut* Darmstattensis suppeditavit.

imperativi] Vin' sensum, lege: »modi imperativi tantummodo unum finit, ut cedo.« Voscx. (spec. crit. p. 82) — Multo lenior medela fuerit separatis vocabulis *tantum modo*. Codex Darmstattensis, omisso *modi*, legit *imperativo*, sed nihil eo proficimus.

articulos, ut tu] Rectius Macrobius (p. 536 Pont. sive 702 Zenn.) articulis Latinam linguam carere docet. Quinctilianus item (1, 4. p. 78 Spald.): »noster sermo«, inquit, »articulos non desiderat, ideoque in alias partes orationis sparguntur.« Quae quidem posteriora verba hisce illustrantur Prisciani (17. p. 568): »Ab eis, quae loco articulorum sumi possunt apud nos, incipiamus. Articulus secundam notitiam superpositorum demonstrat. Deficit autem praepositivis articulis lingua Latina. Nam pronomen *hic*, quod grammatici in declinatione nominum loco praepositivi ponunt articuli, nunquam in oratione sensum articuli habet.« Videtur tamen noster cum aliis grammaticis pronominibus pro articulis abuti. Infra enim articulos appellat *hic, haec, hoc* (§. 249), porro *ille, iste* (§. 250), quin etiam *quot, tot* (§. 256). Isidorus (etym. 1, 8, 4. Op. III. p. 18 Arev.): »inter articulum et pronomen hoc interest, quod articulus tunc est, quum nomini jungitur, ut *hic sapiens*; quum vero non conjungitur, demonstrativum pronomen est, ut *hic*, et *haec*, et *hoc*.

semivocales] Sextus quoque Empiricus (advers. gramm. 1, 5, 102; p. 238 Fabr.) semivocales distinguit a mutis, »quippe quae per se sonum efficere nequeant, quum semivocales contra sonum

240 quae rationem. Quippe F litera, quae est semivocalium prima, duas tantummodo consonantes praelata complectitur, L et R, ut dicimus flavus et frugi. Vocales vero complectitur ita, ut I et V vocales sibi praeferri prohibeat;
241 nullum autem claudit finitiva sermonem. L vero litera tripliciter sonat. Nam exilem sonum reddit quum geminatur, ut sollers, Sallustius; medium autem quum terminat nomina, ut sol, sal; item leniter sonat, quum vocales antevenit, ut lapis, lepus, liber, locus, lucerna; plenum vero sonum habet, quum ei praeferuntur literae P, G, C, F, ut in Plauto, glebis, Claudio, flavo. L autem nunquam ulli semivocali vel mutae praeponitur, quae pro D in praepositione accipitur, quum et A praefertur, ut alligat. Haec etiam praelata praepositione servatur, ut illepidus, illotus. Utrinque autem vocales amplectitur, et nomina nonnulla determinat: in masculino Sol, in feminino Tanaquil, in neutro A, E, I praecedentibus, ut bidental, mel, sil. Adverbia etiam claudit,
242 ut semel. M vero litera tam in sermonis initio quam in medio esse et in ultimis potest, ut mores, umbra, triticum. Ex consonantibus solam praecedit

dent, ut R *ῥοῖζον*, S *δίγμὸν*« cet. Adde Servium (ap. Prisc. 1, 5), qui: »sunt« inquit »septem semivocales, quae ita proferuntur, ut inchoent ab E litera et desinant in naturalem sonum, ut F, L, M, N, R, S, X. Sed X ab I inchoat.«

F] Aliter sentit Priscianus (l. 1): »Quum F loco mutae ponatur, id est P et H sive *φ*, miror hanc inter semivocales posuisse artium scriptores. Nihil enim aliud habet haec litera semivocalis, nisi nominis prolationem, quae a vocali incipit; sed hoc potestatem mutare literae non debuit. Si enim esset semivocalis, necessario terminalis nominum inveniretur, quod minime reperies; nec ante L vel R in eadem syllaba poni posset, qui locus mutarum est duntaxat« cet.

tripliciter sonat] Confer omnino Prisciani (1. p. 22) verba: »L triplicem, ut Plinio videtur, sonum habet: *exilem*, quando geminatur secundo loco posita, ut *ille*, *Metellus*; *plenum*, quando finit nomina vel syllabas, et quando habet ante se in eadem syllaba aliquam consonantem, ut *Sol*, *sylva*, *flavus*, *clarus*; *medium* in aliis, ut *lectus*, *lecta*, *lectum*.« (Conf. Schneider elem. gramm. I, p. 297). Isidorus etiam (etym. 1, 32, 8. p. 52 Arev.): »Labdacismus est« inquit »quoties unum L exilius, duo largius proferimus. Quod contra est: nam unum largius, duo exilius proferre debemus.«

et A praefertur] Ex antecedentibus: »quum *ei* praeferuntur literae« supplendum et hic *ei*. *Et* autem est pro *etiam*, ita ut sensus sit: »quum non solum D, sed etiam A praefertur«, igitur *ad*.

haec etiam] Litera nempe L. Deinde perperam ediderat Grotius *inlepidus*, *inlotus*, quod ex anterioribus correxi editionibus.

solam] Sic scripsi pro »sola M«, quod erat in editis; ea enim observatio ad N potius quam ad M

N, ut Memnon; subsequitur solam S, ut Smintheus; mutaturque in N nonnunquam, ut quum dicimus nunquis. Terminatque neutra, ut aurum et argentum; item monoptota, ut nequam; in genere masculino accusativum simplicem, et duplicem genitivum; item participia, et verba, et adverbia, ut tractum, legam, cursim; numerum etiam omnium generum, ut novem, decem. N autem litera plenior apparet in primis et ultimis, ut Nestor, tibicen; in 243
mediis exilior, ut mane, damnum. Ex consonantibus sequitur M literam, ut Memnon; S autem praecedit, ut fons, mons. Convertitur etiam in M, quum eam sequuntur B, P, M, ut dicimus, imbuit, impulit, imminet. Eadem nomina terminantur, masculinum, ut tibicen, femininum Graecum, ut Siren, neutrum, ut culmen. R vero vocales utrinque complectitur. De consonan- 244
tibus S soli praeponitur, ut sors, fors, et X duplici nonnunquam, ut arx. Convertitur in L, N et S, ut niger, nigellus; femur, feminis; gero, gessi. Finit nomina masculina post omnes vocales, ut par, pater, vir, nitor, fur; feminina post E et O, ut mulier, soror; neutra post omnes praeter I, ut calcar, piger, marmor, sulphur. Finit verba et adverbia, ut venor, vador. S nonnulli literam non putaverunt. Nam Messala quendam sibilum dixit. 245

literam pertineret. Turbavit fortasse librarios, quod alias quoque literas praecedere M videtur, ut in *ambo*, *ampulla* cet.; sed quod Martianus vult, syllabas tantum singulas spectat, neque in una eademque syllaba alii literae praeter N praeponi posse M certum est.

Smintheus] Apollo (Homer. Il. α. 39. Macrob. Saturnal. 1, 17. Pausan. 10, 12, 3. Strabo, Stephan. Byz. alii). Male Grotius *Smynthius*. Nostram lectionem tuentur codices Reichenauensis et Monacensis (C).

nunquis] Conferendus hic Schneiderus (elem. gramm. I. p. 310).

femur] Et Britannicus et Cantabrigiensis hanc lectionem praebent, quam Grotius conjectura assecutus erat, qui ediderat quidem *femen*, sed jusserat legi *femur*, *feminis*, addens: »Ita enim eo aevo illos sensisse, ut quum neque rectus *femen*, neque obliquus *femoris* esset usitatus.«

vador] Verbum nimirum: adverbiorum autem exempla deerant, quae Grotius e manuscripto suo supplevit. Cantabrigiensis alia addit: »agiliter, viriliter, jugiter.« Quibus e variis exemplis patet, non nullis in locis interpolatum nobis traditum esse Martianum (add. §. 11 not.).

non putaverunt] Quia, ut ait Cledonius (p. 1882 f. Putsch.) »superflua invenitur, interdum et ipsa liquescit in metro; quia sibilus magis est quam consonans«; adde Priscianum (I. 1, p. 25), qui non solum in metro apud vetustissimos vim suam frequenter amittere, sed etiam tantam cum aspiratione hanc literam cognationem habere docet, ut in iis

Quae tamen utrinque P literae copulatur, ut spado, psittacus; et C, Q, T sequentes amplectitur, ut Scaurus, squama, stella. In plures etiam transitum facit, ut in L, dicimus enim modus, modulus; in N, sanguis, nis; in R, flos, floris; in D, custos, custodis; in T, nepos, nepotis. Terminat etiam masculina et feminina post omnes vocales; neutra post A, O, V, ut vas, os, nemus. Huic literae Divus Claudius P adjecit aut C propter ψ et ξ
246 Graecas literas, ut P, psalterium, ut C, saesa. X autem nemo literam putat, quoniam duplex est. Constat enim ex G et S, ut rex, regis; aut ex C et

dictionibus, quas a Graecis Latini sumserint, saepe pro ea ponatur, ut *sex*, *sal* cet.

Messala] M. Val. Corvinus Messala, Ciceronis et Augusti aequalis, et oratoria arte et grammatica clarus, de cujus vita et studiis doctrinae eruditam dissertationem scripsit Ludovicus Wiese (Berolini 1829. 8). Singularem librum ediderat de litera S, quem commemorat Quinctilianus (1, 7, 23 et 35), ubi et illud positum fuisse videtur, quod noster ei tribuit, et quod Quinctilianus alio loco (9, 4, 37) narrat, Messalam S literam, quoties ultima esset aliaque consonante susciperetur, subtrahendam censuisse.

Claudius] De Claudii novationibus circa literarum formas testes sunt Tacitus (ann. 11, 14), Suetonius (Claud. 41), alii; confer omnino Schneiderum (elem. I, p. 6 sequ.). Sed egregie lapsus est Martianus, quum Claudium arbitrarctur singulis literis Graecis binas Romanas substituisse, ut pro Ψ esset P S, pro Ξ vero *C S*, unde tantum ille abfuit, ut, quum Romani pro Ξ unam X haberent, pro Ψ itidem simplex signum Antisigma hac figura:)(introducere studeret, quod iisdem verbis testatur Priscianus (1, p. 25 Basil.).

literas] Apud Grotium erat: »propter ψ et ξ Graecas, Psalterium, saxa«; equidem e cod. Monac. (C) inserui »literas ut«, deinde e Darmstattensi post *ut* »P« et post *psalterium* »ut C«; denique ex priscis editionibus restitui scripturam »saesa«, quae Martiani sententiae unice convenit, neque a veterum usu prorsus abhorret. Sic in monumentis saepissime legimus VICSIT (palaeogr. crit. IV, §. 387), inque lapidis cujusdam titulo (ap. Gruter. 544, 4) LVCSERVNT, unde Isidorus etiam (etym. 1, 4, 14; p. 11 Arev.) »pro X, inquit, scribebant C et S, siquidem duplex vocatur«, ipseque Quinctilianus (1, 4, 9, p. 63 Spald.) de litera X scribit: »qua tamen carere potuimus, si non quaesissemus.« Confer. omnino Schneiderus (elem. I, p. 372) et nota quae sequitur.

duplex] Scioppius (grammat. philos. p. 236): »Annaeus Cornutus de orthogr.: Varro X literam esse negat, in quo quid viderit nondum deprehendi (nempe singulam non esse). Victorinus art. gramm. lib. 1: Latini voces, quae in X literam incidunt, si in declinatione earum apparebat G, scribebant G et S, ut *conjugs*, *legs*. Nigidius in libris suis X litera non est usus, antiquitatem sequens. Priscianus lib. 1: X duplicem loco C et S, vel G et S, postea a Graecis inventam, assumsimus, ut *dux*, *ducis*, *rex*, *regis*. Charisius lib. 1: *Merx*; Sallustius *merces* dicit. Sic *faces* antiqui pro *fax*, teste Festo. — Servius in Aen. 1: *Adnixus* antiquum est, ut *connixus*, quibus hodie non utimur. Dici-

S, ut nux, nucis. In V aliquando transfertur, ut nix, nivis; et C, ut pix, picis; in T, ut nox, noctis. Haec in Latinis nunquam ponitur prima, apud Graecos autem ponitur, ut Xanthus. Et masculino et feminino omnibus vocalibus sociatur, ut Ajax, frutex, calix, velox, Pollux, et feminino, fax, lex, lodix, velox, lux. Neutrum nullum claudit.

DE MUTIS.

Transactis semivocalibus mutae sunt perquirendae; quae ideo hoc 247
nomine nuncupantur, quoniam nisi illis vocales associatae succurrerint, intra
oris sonitum ante auspicia moriuntur. B prima omnibus vocalibus utrinque 248
connectitur; praefertur consonantibus L et R, ut blaesus et brevis. Transit
in C, ut succurrit; in F, ut sufficit; in T, ut summittit; in P, ut supponit;
in S, ut sustulit. Finit nihil, nisi tres praepositiones, ab, ob, sub. C vocales 249
utrinque collaterat, consonantes quasdam praecedit L, T, R, M, N, ut clarus,

mus enim *adnisus* et *connisus*. Et Aen. 8. Galli *Senones* dicti sunt, quod Liberum patrem *hospitio* recepissent, quasi *Xenones*: quum Graecum ξένος significet hospitem. Festus: *Senonas* Gallos Verrius ait existimari appellatos, quia novi venerint ex Transalpina regione, ac primum appellatos *Xenos*, postea *Senonas*. Cicero in Oratore: Verba saepe contrahuntur non usus causa, sed aurium: quomodo enim vester Axilla *Ahala* factus est nisi fuga literae vastioris? — Ita et *sedecim* pro *sexdecim*, *sedigitus* pro *sexdigitus*.«

in T] Nemo hunc locum corruptum esse non judicet. Conjicio: et in CT, ut *nox, noctis*. Neque enim sufficit dicere in T, sed CT. At fungi haec conjunctim dicta disjunctim cepere, itaque exemplum deesse arbitrati pro lubitu adjecerunt, aut potius transjecerunt, quum forte antea legeretur: »aut ex CS, ut *nux, nucis, pix, picis*«, quae bina et alibi conjuncta reperies. Gnot. — Hariolatur Grotius, neque quidquam mutare audeo, licet aliquatenus faveat illi Priscianus (1, p. 26): »X duplex modo pro CS, modo pro GS accipitur, ut *apex, apicis, grex, gregis;* transit tamen etiam in V consonantem, ut *nix, nivis;* nec non in CT, ut *nox, noctis*.«

velox] Lego: *ferox;* sed et postremum istud »*et feminino*« glossema sapit; exstirpandum itaque. Vonck. (specim. crit. p. 82 f.) — Procul dubio legendum *celox*, quia substantivum requiritur; sed invitis codicibus nihil muto.

moriuntur] Isidorus (etym. 1, 4, 4. op. III, p. 8 Arev.): »si enim eis extremum *vocalis detraxeris sonum, inclusum* literae *murmur* sonabit.« Adde Cledonium (p. 1881 Putsch): »Mutae vero non sonant, nisi a vocali *spiritum* acceperint«; quod enim spiritu caret, moritur.

ut sufficit] Omissum apud Grotium *ut* supplevi e codicibus Darmstattensi et Monacensi (C).

tectum, crus, Acmon, Cnidus. Finit articulos, quos pronomina vocant, hic, haec, hoc; et adverbia, ut sic, huc, hic. Sola mutarum antecedentem vo-
250 calem producit, et pro duplici habetur, ut hic, hoc, haec. D utrinque vocales tenet. Praeponitur R literae in Druso; M literae nunquam praefertur in Latinis; in Graecis autem aliquando, ut Dmolus. Sic et N, ut Ariadne. Transit in C, ut accidit; in G, ut aggerat; in L, ut alligat; in P, ut apponit; in R, ut arripit; in S, ut assidet; in T, ut attinet. Finit articulos
251 neutralis generis, ut illud, istud; et praepositionem, ut apud. G omnibus vocalibus praefertur; sequitur A literam, ut in aggere, quae, quoties geminatur, adjungitur. Praefertur R literae, ut grave; L, ut gladius; N, ut ignis. In
252 C quoque convertitur, ut rego, rector. Nihil quoque concludit. H aspirationis notam esse certissimum est; quae quando vocalibus accedit, ut hospes, heres; transit in X, ut traho, traxi. Hanc Graeci diviserunt. Nam pars ejus dex-
253 terior aspirationis nota est, sinistra contrariae significationis. K vero nunc

quos pronomina] Confer quae supra (ad §. 258) annotavimus.

haec] Vulgatae hoc additum est in Darmstattensi codice.

Dmolus] An pro Tmolo monte, an δμωὸς legendum? Gnor.

aggerat] Ita in editis; sed Grotius e MS. suo reposuit *agger*, addita nota: »*aggerat* quum ab *aggere* derivetur, non mutat D in G. Sed *agger* mutat, quum ex *ad* προσθέει et *gero* componatur. Itaque aut ita legendum uti docuimus, aut *aggerit*, aut *aggregat*.« — Nonne autem a verbo *aggerere* sive *adgerere* conjunctivus est *aggerat*? Adde Quinctilianum (1, 11, 5; p. 237 Spald.).

quoties geminatur] Intellige: quae (litera A) adjungitur, quoties G geminatur. Nusquam enim G geminatum invenies, quin A praecedat.

aspirationis notam] Non igitur literam, sicut et Quinctilianus distinguit (1, 5, 19; p. 101 Spald.): »sic H litera est, non nota« (conf. et infra §. 258). Pariter Priscianus (1, 8, 47; p. 44 Krehl.): »H literam non esse ostendimus, sed notam aspirationis, quam Graecorum antiquissimi similiter ut Latini in versu scribebant; nunc eam diviserunt et dexteram ejus partem supra literam ponentes *psiles* notam habent, sinistram autem contrariae aspirationis« (vide notam quae sequitur). Adde Gellium (2, 3; p. 161 Conr.), Isidorum (1, 4, 11; p. 10 Arev.), et Appuleji librum de nota aspirationis (ab Osanno editum a 1826). »Est autem«, inquit Spaldingius (ad Quinctil. 1, 4, 9; p. 61), »de H magna inter grammaticos Putschianos lis, aliis literam eam vocantibus, aliis, et plurimis quidem iis negantibus, cum quibus facere Quinctilianum apparet.« Mox e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi reposui *accedit* et *heres* pro *accidit* et *haeres* in Grotiana editione.

dexterior] Pars dexterior est ⊦, sinistra ⊣, haec

nota putatur esse, nunc litera; nam ejus effectus C integrare non dubium est absque his, kapite, kalendae, kalumniae. P autem convenit utrinque vo- 254
calibus; R literae praeponitur, ut prandere; L, ut placere; S, psittacus; T, Ptolemaeus; N, ut in Sypnum. Terminat vero nihil. Q quidam literam 255
non putabant, et vincerent, nisi in equo et equitatu appareret expresse. Haec

levigationis, illa aspirationis nota. Gaor. — Isidorus (etym. 1, 18, 9; p. 31 Arev.): »*Δασεῖα*, quod interpretatur *aspiratio*; ubi enim H poni debet, tali figura annotatur: ⊦; *ψιλή*, quod interpretatur *siccitas*, sive *purum*, id est ubi litera H esse non debet, tali nota ostenditur: ⊣.« Confer palaeogr. meam (I. §. 114; p. 91) et in primis Villoisonum (anecdd. Gr. II, p. 288) et Fischerum (ad Welleri gramm. Gr. I, p. 239).

nunc nota] Hanc quoque supervacuam esse contendit Priscianus (loco citato): »quae quamvis« inquit »scribatur, nullam aliam vim habet quam C«; quae eadem nostri sententia esse videtur, quum literam C »omnes ejus effectus integrare« hoc est, omnibus, quae K efficere possit, integris exprimendis sufficere dicat. Confer et Isidorum (1, 4, 12; p. 10), qui: »ideo, inquit, supervacua dicitur, quia exceptis *Kalendis* supervacua judicatur; per C enim universa exprimimus.« Quinctilianus quoque (1, 4, 9; p. 62 Spalding.) »redundare eam« ait nec nisi »quorundam nominum *notam* esse«, et alio loco (1, 7, 10; p. 177) in nullis verbis utendum ea putat nisi quae *significet*, etiam ut *sola* ponatur; »hoc, inquit, eo non omisi, quod quidam eam, quoties A sequatur, necessariam credunt, quum sit C litera quae ad omnes vocales vim suam perferat.« Plura dabit Schneiderus (elem. I, p. 290 sequ.). Vide et palaeogr. meam (I, §. 117).

absque his] Id est *praeter haec*, ut infra (§. 280 f.). Tria Ausonius quoque excipit (Id. de liter. 20):

»*Haec tribus in Latio tantum addita nominibus K*« atque eadem prorsus, quae Martianus, Diomedes (p. 419 Putsch.) affert scribens: »K consonans muta supervacua, qua utimur quando A correpta sequitur, ut *Kalendae, kaput, kalumnia*.« Isidorus autem (etym. 1, 20, 13; p. 44 Arev.): »K literam« inquit »antiqui praeponebant quotiens A sequebatur, ut *kaput, kanna, kalamus*; nunc autem *Kalendae* et *Karthago* per eandem tantum scribuntur, omnia autem Graeca nomina quacunque sequente vocali per K scribenda.« Notandum praeterea, pro *kapite* apud nostrum margini Grotianae appictum esse »al. *Kapua*.«

kalumniae] *Calumnia* olim per *k* scribebant, ut liquet ex eo, quod lex Rhemnia statuit calumniatioribus inurendam literam K ad infamiam. Gaor. — De lege Remmia vide doctos ad Cic. pro R. Amer. 20.

ut prandere] »*Ut*« exhibent editiones, quod Grotii incuria omissum erat.

Sypnum] Ita codex Monacensis (C). Quartum casum Martianus posuit, ut ad superiorem locum (§. 157), quem respice, sese referret. Nihili igitur nota est Grotii edentis *Sypnis* et conjicientis intelligendam urbem esse Achajae, quae Ptolemaeo et Straboni *Σιφνος*.

literam non putabant] Isidorus quoque de Q litera (etym. 1, 4, 13): »haec« inquit »prius non erat, unde et illa supervacua vocata, quia per C cuncta veteres scripserunt.« Plura dabit Scioppius (gramm. philos. p. 230 Herz.) et Schneiderus (elem. I, p. 321).

nunquam sine duabus vocalibus ponitur, quarum prior erit V, et sic ceterae consequenter, ut quartus, questus, Quirites, quotus, equus. Constat autem ex C et V, ideoque duplex et composita dicitur, nec geminatur. Nullam
256 singularem literam comprehendit, finit nihil. T vocales ex utroque concludit, in conjunctionibus et praepositionibus. Praecedit L, in Tlepolemo; M, in Tmolo; N, in Potnia; R, in Troja. Finit neutra, caput, sinciput, lact. Articulos terminat, ut quot, tot. Verba, ut legunt. Adverbium et interjectionem, ut
257 at. Z a Graecis venit, licet etiam ipsi primo C Graeca utebantur; nam Sethum

equo] Quinctilianus (12, 10, 30; p. 632 Spalding.): »Duras« inquit »et illa syllabas facit, quae ad conjungendas demum subjectas sibi vocales est utilis, alias supervacua, ut *equos* ac *equum* scribimus, quum etiam ipsae hae vocales duae efficiant sonum, qualis apud Graecos nullus est, ideoque scribi illorum literis non potest.«

ex C et V] Unde ipsa quoque ejus figura derivari posset, ut V litera alteri C inserta esset; melius tamen Quinctilianus (1, 4, 9) cum Graeca Koppa eam comparat, quae apud illos in numero tantum mansit; »cujus« inquit »similis effectu specieque, nisi quod paulum a nostris obliquatur.« (Conf. Rose inscr. Gr. antiqu. p. XXX sequ.).

praepositionibus] Valde laborat hic liber de grammatica e distinctionibus, quarum nos nonnullas emendavimus: quod et hic usu venit, legendum enim: »T vocales ex utroque concludit ut in conjunctionibus et praepositionibus: praecedit L in« etc. Gnor. — Quas praepositiones innuat, difficile dictu est, nisi *ad* et *apud* in T terminavit (conf. Quinctilian. 1, 7, 5). Sed vide supra (§. 250).

Tlepolemo] *Tleptolemo* quidem codices Darmstattensis et Monacensis (C) exhibent, sed vulgaris scriptio vera est.

lact] Alii *lac*, alii *lacte* dicunt; sed profecto hoc *ἀναλογώτατον*. Ausonius:

»*Vox solita et cunctis notissima, si memores* lac,
Cur condemnetur, ratio magis ut faciat lact?«

Capella infra: »quidam quum *lac* dicunt adjiciunt T propter quod facit (l. propterea quod faciat) *lactis*.« Gnor.

at] Hic neque adverbii neque interjectionis exemplum. L. *atat*. Neque negarim etiam adverbii exemplum desiderari, ut *forsit*. Gnor. — Favet conjecturae, quod in codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi est *utut*; sed in re dubia nihil mutare praestat.

Z a Graecis] Quare hanc literam paulo post (§. 260) a Latinis excludit. Isidorus (1, 4, 15; III. p. 11 Arev.): »A Graecis« inquit »mutavit Latinitas Y et Z propter nomina scilicet Graeca. Et hae apud Romanos usque ad Augusti tempus non scribebantur.« Addit idem inferiori loco (1, 26, 28. p. 46): »nam quum *justitia* Z literae sonum exprimat, tamen, quia Latinum est, per T scribendum est.«

C Graeca] Quam absurda haec sunt, ni legas: *C Graeca*, hoc est *sigma*. Ea enim hujus literae antiqua forma, quod ex quibusvis inscriptionibus liquet, itemque ex Macrobio, in quo *Bassarea* scribitur BACCAPEA. Dicit Graecos (quamquam Z litera sit Graecis deducta e fontibus) non semper Zeta litera usos, sed pro ea sigma usurpasse ideoque *CHΘON* pro *ZHΘON* scripsisse. Componi

dicebant, quem nunc Zethum dicunt; tamen haec geminata ab ipsis etiam habetur. Nam a T et C componitur, quam ut advertas duplicem, nunquam poterit geminari. Haec praeponitur M literae, ut Zmyrna. Ex his igitur 258
universis decem et octo literae necessitatem cunctae conscriptionis absolvunt. Placet enim mihi Y in vocalium numerum congregari. Neque sine hoc Hyacinthus aut Cyllenius poterit annotari. Sic igitur erit ut senae fiant vocales; semivocales et mutae duodecim. H enim aspirationi dabitur, supervacuaeque 259
erunt Q et K; X autem ut duplex sine elementi cardine non probatur; Z vero a Latinis excluditur; decem et octo numero sicut dictum est supersidunt. Quae tamen cum supervacuis rejectisque cunctis ex unius vocis sonitu con- 260
formatae, diversas naturalis harmoniae causas sub oris concinentia repererunt.

DE FORMATIONE LITERARUM.

Namqūe A sub hiatu oris congruo solo spiritu memoramus. 261

autem dicit Z ex T et C vel Σ. Gnor. — Recte Martianum intellexit Grotius, sed plura verba fecit, quam necesse erat, haud scio an sui ipsius typothetae fraude inductus, qui bis G posuit pro C, ut nos ex antiquioribus editionibus restituimus. Praeterea e codicibus Monacensi (C), Reichenauensi, et Darmstattensi Latinis literis scripsi *Sethum* pro Grotiano *cetum*, ut apud Priscianum quoque (1, 8, 40) est: »Sethus pro Ζῆθος dicentes«, quo notus ille Amphionis frater (Apollod. 3, 10, 1) significari videtur. Conf. et Schneid. (elem. p. 379 n.).

Zmyrna] Priscianus quidem (1. p. 33): »Smyrna: nam vitium faciunt, qui Z ante M scribunt.« Sed non solum monumentis noster defenditur (Ruhe philolog. num. 1. p. 35); verum Luciani (in jud. vocal. I. p. 67. Bip.) etiam testimonio. Confer et Sext. Empiricum (adv. math. 1, 169; p. 255 Fabr.), Majum (ad Cic. de R. P. 1, 8), et Odofredum Müllerum (Goett. Anz. 1831. St. 56. p. 553).

sine elementi cardine] X hic literis non annumerat, facit enim tantum XVIII, has videlicet: A B C D E F G I L M N O P R S T V Y. Itaque legendum: »X autem ut duplex in elementi cardine non probatur.« Error ex repetitis literis. Gnor. — Vero similis quidem est haec conjectura; sed lectio in omnibus libris est eadem, in codice etiam Reichenauensi et Darmstattensi. Ac fieri potest ut locus sic explicetur: X literam non esse, quia ut duplex, e duabus nimirum composita, sine elementi cardine sit. Intelligo *cardinem* quo se vertit omnis elementi natura et conditio, quippe quod simplex esse debeat.

cum supervacuis] *Cum* a Grotio neglectum ex anterioribus editionibus codicibusque Reichenauensi et Darmstattensi restitui.

de formatione literarum] Eandem rem tractat Marius Victorinus (de arte gramm. l. I, p. 2454 Putsch.), unde ea quae Martiano vel illustrando

B labris per spiritus impetum reclusis edicimus.
C molaribus super linguae extrema appulsis exprimitur.
D appulsu linguae circa superiores dentes innascitur.
E spiritus facit lingua paululum pressiore.

vel comparando inserviunt, transscripsimus: »A litera rictu patulo suspensa neque impressa dentibus lingua enunciatur. E reprehenso modice rictu oris reductisque introrsum labiis effertur. I semicluso ore impressaque sensim lingua dentibus vocem dabit. O ut E geminum vocis sonum pro conditione temporis promit, unde inter nostras vocales η et ω Graecorum ut supervacuae praetermissae sunt; igitur O qui correptum enunciat, nec magno hiatu labra reserabit et retrorsum actam linguam tenebit; longum autem productis labiis, rictu tereti, lingua arcu oris pendula sonum tragicum dabit, cujus observationis et in E litera similis paene ratio est. V literam quotiens enunciamus, productis et coëuntibus labris efferemus. — B et P literae dispari inter se oris officio exprimuntur; nam prima exploso e mediis labiis sono, sequens compresso ore velut introrsum attracto vocis ictu explicatur. C etiam et G oris molimine nisuque dissentiunt; nam C reducta introrsum lingua hinc atque hinc inter molares surgens haerentem intra os sonum vocis excludit; G vim prioris pari linguae lapsu palato suggerens lenius reddit. D tamen et T, quibus, ut ita dixerim, vocis vicinitas quaedam est, linguae sublatione et positione distinguuntur; nam quum summos atque imos conjunctim dentes suprema sui parte pulsaverit, D exprimit, quotiens autem sublimata partem qua superius dentibus est origo continget, T sonore vocis explicabit. K et Q supervacuo numero literarum inseri doctorum plerique contendunt, scilicet quod C litera harum officium possit implere — non nihil tamen est, utra earum prior sit C seu Q sive K, quarum utramque exprimi faucibus, alteram distento, alteram producto rictu, manifestum est. H quoque inter literas otiosam grammatici tradiderunt eamque aspirationis notam conjunctis vocalibus praefici — quae profundo spiritu, anhelis faucibus, exploso ore fundetur. Superest ut septem reliquas semisonas, spiritu quoque instrepentes, ordine quodam persequamur; e quibus F literam imum labium supremis imprimentes dentibus, reflexa ad palati fastigium lingua, leni spiramine proferemus. Sequetur L, quae validum nescio quid per partem palati, qua primordium dentibus superis est, lingua trudente diducto ore personabit. At M impressis invicem labiis mugitum quendam intra oris specum attractis naribus dabit; N vero sub convexo palati lingua inhaerente gemino naris et oris spiritu explicabitur. Sequetur R, quae vibratione vocis in palato linguae fastigio fragorem tremulis ictibus reddit. Deinde duae supremae S et X jure jungentur; nam vicino inter se sono attracto sibilant rictu, ita tamen, si prioris ictus pone dentes excitati ad medium lenis agitetur, sequentis autem crasso spiritu hispidum sonet, qui per conjunctionem C et S vim exprimit.« Adde Terent. Maurum (p. 2387 sequ.).

edicimus] Forte *elicimus*. Susius (in Gurl. anim. 4, p. 9). — Non necessaria est haec conjectura, adeoque elegantior, quam Martiani stilum decet.

C molaribus] Ni egregie fallor, jam ea haec pronunciandi ratio est, quae apud hodiernos Italos obtinet, quasi Germanice dicas *tsch*; jure illa reprehensa a Scioppio (gramm. philos. p. 216), qui

F dentes labrum inferius deprimentes.
G spiritus cum palato.
H contractis paulum faucibus ventus exhalat.
I spiritus prope dentibus pressis.
K faucibus palatoque formatur.
L lingua palatoque dulcescit.
M labris imprimitur.
N lingua dentibus appulsa collidit.
O rotundi oris spiritu comparatur.
P labris spiritu erumpit.
Q appulsu palati ore restricto.
R spiritum lingua crispante corraditur.
S sibilum facit dentibus verberatis.
T appulsu linguae dentibusque impulsis extruditur.
V ore constricto labrisque prominulis exhibetur.

recte docet antiquitus C etiam ante E et I sonum K habuisse.

F dentes] Quinctilianus (12, 10, 29; p. 630 Spald.): »Nam et illa, quae est sexta nostrarum, paene non humana voce, vel omnino non voce potius, inter discrimina dentium efflanda est.« Discrimen inter F et Graecam Φ idem tangit alio loco (1, 4, 44), atque ipse Priscianus, qui alioquin F et Φ confundit (cf. §. 240 not.), »hoc tamen« inquit »scire debemus, quod *non fixis labris* est pronuncianda F, quomodo P et H, atque hoc solum interest.« Confer et Scioppium (gramm. philosoph. p. 219).

dulcescit] Lege *succrescit*. Vonck. — Male! Iterum iterumque patet a critico Martianum neque lectum, neque intellectum esse. Infra enim (§. 271) noster naturam literarum L et R *mollem* esse docet, et supra (§. 241) literam L *leniter* sonare scripserat, nisi ei praeferatur una e quatuor literis P. G. C. vel F.

spiritum] Lege *spiritu* et in *spiritu lingua*. Vonck. (sp. crit. 148) — Correctione non opus erat, modo criticus verbis recte construendis par fuisset: scilicet »R corraditur, lingua crispante spiritum.« Platonem (in Crat. p. 426 f. Steph.) forsan respexit, qui dixerat »linguam in pronuncianda hac litera *non immorari*, quin *potius concitari*.«

extruditur] Variat hic lectio: in editis male legitur *excuditur*; sed ad marginem notatum *extruditur*, quod recepi. In Monacensi denique (C) et Darmstattensi codicibus exhibetur *extuditur*, quod substituissem, si lineola superimposita potius redditum fuisset *extunditur*.

prominulis] Ita in codicibus antiquissimis (Oudend. ad Appul. I. p. 142), in Darmstattensi etiam

X quidquid C et S formavit exsibilat.

Y appressis labris spirituque procedit.

Z vero idcirco Appius Claudius detestatur, quod dentes mortui, dum exprimitur, imitatur.

262 Praestricta est cursim rationis regula prima,
Quae multis tendi sueta voluminibus;
In qua, juncturis quid nectat litera utrisque,
Quo admittat sociam vel faciat latere,
Quae quo transsiliat conversis legibus usu,
Et transformatum nomen habere velit;
Quas oris sonitus, vel quas modulatio linguae
Gignant, et pulsu rupta labella suo.
Nunc jam compactis cursanda est syllaba formis,
Ut fastigetur longa brevisque fuat.
Haec duo percurram, juncturas litera quippe
Praeveniens docuit sub ratione pari.

et Monacensi (C) legitur pro voce *promulis*, quam habent editi.

formavit] Codex Monacensis (C) *formatur*, quod jam Grotius tanquam variantem lectionem margini alleverat; praestat tamen vulgata, qua *C et S* nominativus est.

Y appressis labris] Dionys. Halicarnassensis (de compos. vocabb. 18; p. 12 Sylb.): »*Υ περὶ αὐτὰ τὰ χείλη βυβτολῆς γενομένης ἀξιολόγου πνίγεται, καὶ στενὸς ἐκπίπτει ὁ ἦχος· ἕβδομον δὲ πάντων τὸ Ι, περὶ τοὺς ὀδόντας τε γὰρ ἡ κρότησις τοῦ πνεύματος γίνεται.*«

dentes mortui] Vir summus Josephus Scaliger (p. 115 ad Eusebium) hunc Martiani locum negat se unquam assequi potuisse. Sed Z, juxta Verrium aliosque grammaticos, componitur ex D et S, incipitque a litera D, uti X a litera C. DS itaque pronuntiatum imitatur dentes mortui compressos. Fabric. (bibl. Lat. III. p. 219 Ern.) — Adde Schneiderum (elem. I, p. 380) et Scioppium (p. 237 Herz.).

praestricta] Lego *perstricta*. Sic infra pro *percurram* in MS. est *praecurram*. Error ex abbreviatione. Grot. — Saepissime haec confundi testatur et Drackenborchius (ad Silium 1, 358); nihil tamen mutare ausus sum, quia haud scio an ab ipsis scioris aetatis auctoribus non minus quam a librariis confusa sint.

cursanda est] Lege »versanda est« *vel* »signanda.« Voscr. (spec. crit. p. 148) — Vulgatam tuetur Tacitus (Agric. 2): »cursaturus tam saeva tempora«, ubi vide doctum interpretem Walchium.

fuat] Pro *sit* per archaismum, quem tamen non intellexit, qui in Darmstattensi codice corrigendo substituit *fiat*. Paulo ante »ut fastigetur« de accen-

Hoc igitur subdens nectendum concipit ordo,
Si vestrum, superi, comprobat arbitrium.

Haec quum Grammatice diceret, eamque progredi Jupiter Deliusque praeciperent, hic Pallas: de junctura syllabarum, inquit, dum haec Literatura deproperat, partem historicam praetermisit. Quo virginis objectu perterrita: scio, inquit, mihi plurima transeunda, ne minutiora nectendo fastidium superae beatitatis incurram; proposito igitur per compendiosos calles festina perfungar, ne densis obumbrata ramalibus velut senticosae copiae densitate silvescam. 263

DE JUNCTURA SYLLABARUM.

Syllaba igitur dicta est, quod junctis literis sonitum simul accipientibus informetur. Cujus, ut dixi, tres partes esse non dubium est, de junctura, de fastigio, aut de longitudinibus. Juncturae sunt genera quatuor, duo naturalia, duo historica. Naturalia sunt quum quaeritur, unaquaeque syllaba utrum ex una, an gemina, an neutra parte jungatur, et utrum literae, quae inter se copulari non possunt, adjecta alia litera socientur; ut M et N, dum non coëant, vocali accedente sociantur, ut in amni et somno, quae junctura- 264 rum genera ex hoc, quod in literis memorata sunt, transeant. Historica vero illa 265 conjunctio est, quum ex literis, quae inter se poterunt copulari, diversitas fandi non easdem nec pares in numero sociarit. Scribimus nos enim Musarum primam syllabam duabus literis, Graeci tribus. Lucilius in dativo casu A et E con- 266

tibus sive apicibus intelligendum esse docebunt sequentia (§. 268 sequ.).

beatitatis] Quinctilianus (8, 3, 32. p. 236 Spald.): »apud Cic. *beatitas* et *beatitudo*, quae dura quidem sentit esse, verumtamen usu putat posse molliri.«

ramalibus] Ramis (v. Erasm. et Casanb. ad Pers. 1, 97. Stephan. ad Saxon. p. 47).

in numero] Ita Darmstattensis multo melius quam quod in editis legitur »numeros.«

Graeci tribus] Nempe μοῦ. Sed veteres Latini pariter *loumen, loucem, courato, joussit, joudicare* scripserunt (Sciopp. gr. philos. p. 210).

Lucilius] Male Grotius *Lucillius*. Correxi codicum Monacensis (C) et Dresdensis auctoritate. Satirarum auctorem intelligendum esse apparet e Quinctiliano (1, 7, 18 et 19; p. 183 Spald.): »*At* syllabam, cujus secundam nunc *E* literam ponimus, varie per A et I efferebant; quidam semper ut Graeci, quidam singulariter tantum, quum in dativum vel genitivum casum incidissent, unde *pictai*

jungit, dicens: huic Torentiae, Orbiliae; Lucinius A et I, et Lucretius crebro,
267 et noster Maro, aulaï, pictaï. Item duae juncturae sunt, quum sociamus syllabas propter pedem vel versum, ut duae in una reponte depereant, ut in synaloephe, vel quum literae excluduntur e verbo, ut in eclipsi.

DE FASTIGIO.

268 Hactenus de juncturis, nunc de fastigio videamus, qui locus apud Graecos *περὶ προσῳδιῶν* appellatur. Hic in tria discernitur: unaquaeque enim

vestis et *aulai* Virgilius amantissimus vetustatis carminibus inseruit. Est in hac quoque parte *Lucilii* praeceptum, quod quia pluribus explicatur versibus, si quis parum credat, apud ipsum in nono requirat«; ubi quod Spaldingius annotavit idem fere hoc praeceptum fuisse videri ac Nigidii Figuli apud Gellium (13, 25), Martiani loco confirmatur; Nigidius certe et ipse genitivum per AI, dativum per AE scribi jussit. Quanquam dativum quoque per AI scriptum esse et lapidum tituli et librorum vestigia testantur. Confer Schneiderum (Form. p. 25).

Lucinius] An *Licinius*? Gaot. — Si vera haec lectio, aut Licinium Imbricem intelligerem, poëtam comicum, aut Porcium Licinium, quem Weichertus (poët. lat. reliqu. p. 138) juniorem Terentii aequalem fuisse suspicatur; sed in tantis tenebris nihil mutare praestat; praesertim quum ipse Martianus hoc loco adeo caecutiat, ut quum de dativo casu loquatur, genitivi in AI exempla afferat; dativum neque apud Lucretium neque apud Virgilium sic terminari constat.

in una] Ita codices Monacensis (C) et Darmstattensis pro *in unam* in editis.

synaloephe] *Synaloephen* veteres grammatici dicebant quam nostri *elisionem* (Schneider. element. p. 132), neque in versibus tantum verum etiam in prosa eidem locum dabant (Quinctilian. 9, 4, 36; p. 546). Huic autem ubique adjungitur *ecthlipsis*, quum, ut ait Valerius Probus (p. 1440 Putsch.) »inter se aspere concurrentium syllabarum, intercedente sola M litera consonante, et vocalem et consonantem, quam diximus, elidi necesse est«; unde apparet, apud nostrum quoque scribendum fore mox *in ecthlipsi*, si certum esset librariorum, non ipsius Martiani errorem esse. Varians lectio nulla est, nisi quod in Reichenauensi et Darmstattensi perperam *eclypsi* legitur.

περὶ προσῳδιῶν] Quinctilianus (1, 5, 22; p. 103 Spald.): »Difficilis observatio est per *tenores* (quos quidem ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut videlicet declinato a Graecis verbo, qui *τόνους* dicunt), vel *accentus*, quas Graeci *προσῳδίας* vocant, quum acuta et gravis alia pro alia ponitur, ut in hoc *Camillus*, si acuitur prima; aut gravis pro flexa, ut *Cethegus*, et hic prima acuta: nam sic media mutatur; aut flexa pro gravi, ut apice circumducta sequente« cet. Pariter Isidorus (etym. 1, 18, 1. p. 20 Arev.): »Accentus, qui Graece *prosodia* dicitur, ex Graeco nomen accepit. Nam Graece *πρὸς* Latine *ad*, *ᾠδὴ* Graece Latine *cantus* est: — Latini habent et alia nomina. Nam *accentus*, et *tonos*, et *tenores* dicunt, quia ibi sonus crescit, et desinit.« Atque hisce antiquior Gellius

syllaba aut gravis est, aut acuta, aut circumflexa, et ut nulla vox sine vocali est, ita sine accentu nulla. Et est accentus, ut quidam putaverunt, anima vocis, et seminarium Musices, quod omnis modulatio ex fastigiis vocum gravitateque componitur, ideoque accentus quasi accantus dictus est. Omnis igitur vox Latina, simplex sive composita, habet unum sonum, aut acutum, aut circumflexum; duos autem acutos aut inflexos habere nunquam potest, gravis vero saepe. Acutum habet in prima syllaba, si dicas Caélius; in secunda Sallústius; in tertia Curiátius; inflexum item in prima, si dicas coêlum; syllaba autem penultima nunquam acuitur natura ipsa, sed praecedens ejus, id est ab ultima tertia, sive brevis sive longa sit, ut Cicero, Caélius. Flexus autem sonus in ea tantummodo syllaba consistit quae praecedit ultimam, nec aliter quam ut ipsa natura longa sit, et ultima tamen brevis, ut Galènus. At si ultima longa, aut penultima natura vel positione longa, licet ultima brevis, acutus tamen sonus fiet, Galéni, 269

(13, 6): »Quas Graeci«, inquit, »προσῳδίας dicunt, eas veteres docti tum *notas* vocum, tum moderamenta, tum *accentiunculas*, tum vocalationes appellabant.« Et paulo inferius (13, 25): »P. Nigidius *summum* tonum προσῳδίαν *acutam* dicit, et, quem *accentum* nos dicimus, *vocalationem* appellat« (v. infra §. 275). De accentibus in universum praeter reliquos grammaticos conferendus est Prisciani liber singularis de hoc argumento; eque recentioribus Franciscus Ritterus (elem. gramm. Lat. l. II, Berol. 1831), licet ejus rationes probare in omnibus haudquaquam possimus.

accantus] Isidorus (etym. 1, 18, 2; p. 26 Arev.): »Accentus dictus, quod *juxta cantum* sit, sicut *adverbium*, quia *juxta verbum* est.« Beda (de arte metr. Op. I, 29): »quod ad cantilenam vocis nos faciat agnoscere syllabas.« Cicero (orat. 17 f.): »Mira est quaedam natura vocis: cujus quidem e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit et tam suavis varietas perfecta in cantibus.«

duos autem] Miror Grotium ad hunc locum nihil adscripsisse, quem tamen ab eo non intellectum fuisse e prorsus falsa interpunctione patet, qua junxit: »gravis vero saepe acutum habet«! Quam si mutaveris, ut supra fecimus, et vocem *gravis* pro quarto pluralis acceperis, quae scriptio Martiano admodum familiaris est, sensum demum capies.

autem penultima] Grotius edidit *antepenultima*: quo facto coactus erat hanc addere notam: »Lege syllaba *autem penultima*; quod vel ex eo liquet verum esse quia subjungit: »sed praecedens ejus id est ab ultima tertia.« Et ita habuit MS. qui et semper pro *penultima pene ultima* refert.« Sed ipsius tantum Grotii error erat, siquidem jam anteriores editiones veram exhibuerant lectionem, quam Darmstattensis quoque codex confirmat.

at si ultima] Lege juvante ex parte manuscripto »at si ultima longa natura aut positione longa, licet ultima brevis, acutus sonus fiet, ut Galeni, Camillus.« Gnor. — In editis enim legebatur *aut*, cui verus sensus non respondebat, unde in Reichenauensi etiam codice quod a prima manu seri-

Camilli. Inflexi proprium est hoc, ut nisi longis naturae syllabis non adhaereat; acutus autem et in longis et in brevibus invenitur. Omnis autem vox aut acutum aut circumflexum sonum habeat necesse est, etiam si monosyllaba sit. Monosyllaba enim gravi carent. Omnis vox monosyllaba, quum aliquid significat, sive brevis sive positione longa, acuitur, ut dicimus fár, árs; si autem natura longa fuerit, flectetur, ut lûx, môs. Disyllabae vero priorem acuunt, vel quum brevis est utraque, ut cítus, vel quum positione longa est utraque, ut sóllers, vel alterutra positione longa, ut cóhors. Si vero prior syllaba natura longa est et sequens brevis, flectetur prior, ut lûna; si posterior longa erit positione vel natura, prior acuetur, ut códex, dócte. Nulla enim longa invenietur gravis in disyllaba prior. In trisyllabis si media brevis fuerit, quam penultimam dicimus, non dubie gravi accentu pronunciatur, ac statim prima ejus, hoc est tertia ab ultima, acuetur, ut in Cátulo; si vero eadem longa est, interest quemadmodum sit longa. Si enim natura longa est, brevisque ultima, media flectitur, ut Cethêgus, Mancinus; si vero media longa erit natura, et extrema longa, media acuetur, ut Catóni, Cicerómi; vel si positione longa erit, media acuta durabit, qualiscunque novissima fuerit, ut Catúllus, Catúllo, Metéllus, Me-
270 téllo. Pronomina autem quae duplici modo declinantur, id est aut corripiuntur

ptum erat *aut* deleta litera media correctum vidi. Cum nostra autem lectione omnino concinit Darmstattensis, nisi quod verba »*natura vel*« omissa sunt.

omnis autem] Quinctilianus (1, 5, 31 p. 112): »Ea (verba), quae sunt syllabae unius, erunt acuta aut flexa, ne sit aliqua vox sine acuta.«

ars] Adde ex MS. *ars*: hoc enim exemplum, ubi monosyllaba dictio positione longa acuitur, desideratur. Gnor. — At hoc quoque jam in editis legebatur, pariterque in Reichenauensi et Darmstattensi exstat.

fuerit] Omissum hoc e Darmstattensi supplevi.

alterutra] Ita pro *altera* Grotius e suo codice reponi jussit. Concinit Reichenauensis.

docte] An non *doctae*? Gnor. — Correctione non opus est: nam in *docte* etiam extrema longa.

Cethégus] Eadem ad idem nomen Priscianus (de accent. p. 836) profert, addito et alio exemplo vocis *peróso*. Quinctilianus (1, 5, 23; p. 103 Spald.) haec: »Si *Cethegus* prima acuta pronuncias, media mutatur. Ultima nunquam acuitur, in disyllabis prior.«

duplici modo] Ita non Grotianus tantum codex; sed Monacensis etiam (C), Reichenauensis, et Darmstattensis. Vulgo *modo* omissum. Quod ad sensum, pariter Priscianus (pag. 857) pronominum *istius*, *ipsius*, *illius* penultimas *indifferenter* poni affirmat.

aut producuntur, mediam syllabam in genitivo casu acuunt, ipsíus, illius. Horum si secundae breves fiant, primae acutae erunt, ut ípsius, íllius. Si vero longae erunt mediae, primae graves, secundae inflexae erunt, ut óccidit sol, et occidit hominem; ergo primae acutae sunt, quum mediae breves. Quum vero mediae longae, vel acutae vel inflexae; acutae quum longae ultimae, ut tenebrae, latebrae, manipli. Haec a superioribus quae sunt alia, 271
ut Catúllus, Sallústius, hoc differunt, quod illa consonantes discretas habent, haec quamvis et ipsam penultimam positione habent longam, nullam tamen in secunda syllaba ex consonantibus sibi retinent, sed in tertia sunt duae. Ideoque factum est, ut media haec nomina, ténebras et látebras, acuto accentu primam syllabam proferrent, at manípios et fenéstras penultima syllaba acuta diceretur: quod quidam illud genus syllabae penultimae omnino breve putaverunt, quia non terminaretur consonante; quidam quia, licet non termina-

occidit] Clarius Beda (de arte metr. Op. I. p. 20): »Concido, decido, *occido*, si ad *casum* pertinent, correptam habent *ci*; si ad *concisionem*, productam.«

quum vero] Legendum puto: »Cum vero mediae longae vel acutae vel inflexae: Et acutae tum cum longae ultimae, ut tenebrae, ut latebrae manipli.« Dubito tamen aliquantulum: mendosum vero esse locum non dubito. Gnot. — Ante *acutae* enim in anterioribus editionibus legebatur *aut*: apud Grotium *vel*; deinde in anterioribus *quum* ante *longae*, apud Grotium *tum*. Quae reposui, praebuerunt codices Monacensis (C) et Darmstattensis.

haec a superioribus] Nescio quo pacto hic voces hae irruperint »Catullus, Sallustius«, et illa »hoc differunt«: non addubito ex glossemate annata. Lege ergo, his expulsis: »Haec a superioribus sunt alia quod illae consonantes« cet. Gnot. — Legerim: »Haec a superioribus, quae sunt allata, hoc differunt.« Id certe magis placet, quam violentum prorsus maximi Hugonis Grotii remedium, qui pluribus expulsis emendavit Vonck. (spec. crit. p. 148). — At vero nondum »maximus« erat Grotius dum ista scriberet; sed puer tantum quindecim annorum. Deinde nonne hujus censor Vonckius ipse plura temere expellere voluit, quia neque hic neque ille Martianum intellexerat? Videamus igitur num verba scripta retineri possint et intelligi. Possunt vero. Nam recte Martianus distinguit nomina quae consonantes habent discretas, ut *Catul- lus*, *Sallustius*, ab iis quorum consonantes separari nequeunt, ut »tene- *brae*, late- *brae*, mani- *pli*, et in utroque genere accentuum imponendorum rationem diversam esse contendit. Paulo aliter, attamen similibus usus exemplis rem tetigit Priscianus (de accent. init.) hisce verbis: »Si penultima positione longa fuerit, acuetur; antepenultima vero gravabitur, ut Cátéllus, Metéllus. Si vero ex muta et liquida longa *in versu* constat, *in oratione* mutat accentum, ut *látebrae*, *ténebrae*.«

terminaretur] Male Grotius *terminantur*; et paulo post, ubi iterum *terminaretur*, reposuit *ter-*

retur consonante, proxima syllaba inciperet a duobus consonantibus, et quod natura literarum L et R, quod mollis est, nunc longam, nunc brevem syllabam efficiat. Nulla autem vox Romana duarum vel plurium syllabarum acuto sono terminatur; inflexum autem non alias postremum habet, nisi cujus posterior pars in syllabam natura longam excurrit, ut ergô et ponê.
272 Contextus orationis plerumque adimit aut mutat proprios sonos singulis vocibus. Adimit his quae referuntur ad aliquid sequens, ut praepositionibus, ante urbem; nam hic ante perdidit acutum sonum prioris syllabae: item post muros. Mutant accentus adjunctis vocibus que, ve, ne, ce; quum tamen complexiva

minarentur! Equidem priores editiones, quas ille conferre neglexit, secutus sum, et Reichenauensem codicem.

quidam] Lege: »Quidam *mediam*« cet. De re ipsa v. Justi Zinzerlingii dissertationem additam *Promulsidi* ejus *criticae*. Voncк. (spec. crit. p. 149). — Interpungendo effecisse arbitror, ne quid difficultatis remaneret.

nulla autem] Quinctilianus (1, 5, 31. p. 110 Spald.): »Est autem in omni voce utique acuta, sed nunquam plus una; nec ultima unquam; ideoque in disyllabis prior.«

poné] Errat hic profecto Martianus, nisi mire depravati sint codices. De *ergo* facile concesserim, sed *pone* gravi notandum et ultimam habere brevem, ideoque circumflecti non posse in postrema, quis puer est qui ignorat? In MS. tamen fuit *ponae*. Grot. — Erravit utique Martianus, quum circumflexo notandum *pone* diceret, cujus ultima brevis est; acuto autem, non gravi, ut Grotio placet, notatum esse ex Prisciano apparet, quem qui legerit, erroris fontem apud nostrum facile intelliget: »Distinguendi ratio legem accentuum saepe conturbat, dum si quis pronuncians dicat *pone*, *ergo* vel *quia*, quod apud Latinos in ultima syllaba, *nisi discretionis causa*, poni non potest accentus, et hoc est quod diximus *poné*, *ergó*. *Poné* ideo diximus ne putetur esse verbum imperativi modi *póne*. *Ergó* autem diximus, ne putetur esse conjunctionem rationalem, quae est *érgo*.« (Adde eund. l. 8. p. m. 278). Similiter Augustinus (Dial. in oper. I, p. 195) de ambiguis tribus de causis: »acumine«, inquit, »ambiguum est quum scribitur *pone*, utrum ab eo, quod est *pono*, an ut dictum: *poné sequens; namque hanc dederat Proserpina legem*, incertum est per placentem *acuminis* locum.« *Accentum* igitur in extrema syllaba perspicuitatis causa contra regulam positum communem habebant *poné et ergó*; sed *circumflexum* solum *ergó*, quam diserte Servius (ad Virg. Aen. 6, 670) testatur »solam esse particulam, quae habeat in fine circumflexum.« Adde Diomedem (p. 428) et Franciscum Ritterum (elem. gr. Lat. p. 56), qui Priscianum recte emendat.

ce] Inserui hoc e Darmstattensi codice. Sic et Servius (ad Aen. 10, 668): »Minores particulae, ut *que*, *ve*, *ne*, *ce*, quotiens junguntur aliis partibus, ante se accentum faciunt, qualislibet sit syllaba quae praecedat, sive brevis sive longa.«

quum tamen] Habebant editi »cum tamen complexiva *conjunctione* que, ve cum expletiva« cet. Lectionem, quam recepi, codices Darmstattensis et Monacensis (C) mihi praebuerunt.

conjunctio est quae, ve quum expletiva, ut „Latiúmque augescere vultis", et „stimulóve meum cor" apud Accium in Pelopidis. Nunquam migrabit acutus sonus de primis syllabis in postremas, praeter particulas conjunctas, quarum hoc proprium est, acuere partes extremas vocum quibus adjunguntur. Graeca nomina quum in Latinum vertuntur, nostra regula pronunciantur, nisi maneant Graeca. Olympus igitur et Caucasus sicut Latina proferuntur, quam acuere vel flectere debeant secundum rationem suprascriptam apparet. Sed si manent Graeca, et huic regulae in peregrinis vocibus accedimus, necesse est tamen in obliquis casibus acutos sonos in mediis syllabis servent, quoniam apud Graecos quoque non alio accentu haec enunciari audimus. Acutus ac- 275
centus notatur virgula a sinistra parte in dextram ascendente /, gravis autem a sinistra ad dextram descendente \; inflexi signum est sigma super ipsas literas devexum: ^. Accentus partim fastigia vocamus, quod literarum capitibus apponantur, partim cacumina, tonos, vel sonos; Graece προσῳδίας. Sciendum etiam uni vocabulo accedere omnes tres accentus posse, ut est Argiletum.

complexiva] Conjunctio quae plura verba *complectitur*, vel potius *connectit*. Apud Gellium (10, 29) inscriptio quidem capitis legitur: »Quod particula *atque* non *complexiva* tantum sit« cet. Deinde autem: »*Atque* particula a grammaticis quidem conjunctio esse dicitur *connexiva*, et plerumque sane *conjungit* et *connectit* verba« cet. Alii ut Isidorus (etym. 1, 12, 2. p. 21 Arev.) *copulativas* illas appellant conjunctiones.

expletiva] Isidorus de conjunctionibus (etym. 1, 12, 3): »*expletivae*« inquit »dictae, quia explent propositam rem, utputa: si hoc non vis, saltem illud fac.« Syllabam igitur adjunctam ve Martianus intelligit.

Latiumque augescere] Ennianum est. Gnor. — Integrum fragmentum ex annalium primo servarunt Acron et Porphyrion (ad Hor. sat. 1, 2, 51):

»*Audire est operae pretium, procedere recte,*
Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis.«

Accii fragmentum non ultra notum est.

sigma] Haec est figura ea qua nunc in Graecis libris utimur quaque jam Epiphanius (de pond. et mensur. Op. II, p. 158) usus erat; sed altera quoque veterum testimoniis comprobatur, ut Prisciani, qui (de accentibus p. 853) circumflexum ait esse »notam de acuto et gravi factam« (ergo ^), atque Isidori, cujus haec sunt verba (etym. 1, 18, 2; p. 29 Arev.): »Circumflexus, quia de acuto et gravi constat; incipiens enim ab acuto in gravem desinit, atque ita, dum ascendit et descendit, circumflexus efficitur.« In monumentis quoque accentus apparent quum Graecis (Bianchi marm. Crem. tab. X; Ursati monum. Patav. p. 276. Biagi monum. Gr. p. 225) tum Latinis (Lupi Ser. mart. 60. Mus. Veron. 170, 3); quorum de antiquitate confer et

DE NATURA SYLLABARUM.

274 Memoratum arbitror competenter, quae sint et quemadmodum vertantur fastigia syllabarum; nunc earum longitudines intimabo. Unaquaeque enim syllaba aut brevis est, aut longa, aut communis. Brevis est, quum vocalis corripitur ac nullis consequentibus adjuvatur; aut quum correpta forma vel
275 litera terminatur. Longa autem duobus modis efficitur, natura et positione. Natura, quum vocalis producitur, aut quum syllaba circumflexum accentum tenet vel acutum in penultima, aut quum monosyllaba unaquaeque vocalis est, aut quum diphthonga reperitur, vel quum prima syllaba sub alia forma cujuscunque verbi composita nec vocalem nec acumen mutat. Positione, quum brevem vocalem aut duae consonantes sequuntur, sive in eadem syllaba, sive
276 in sequenti, sive per ambas divisae, aut in altera tria: duplex una. Duplices autem sunt X et Z: aliquando I et C fieri possunt duplices, ut si I inter vocales sit, ut ajo, Troja; item C, ut „hoc erat alma parens.“ Hae autem consonantium, vel duplicium, quae breves adjuvant, formae tunc possunt, si in eodem sermone claudantur; ceterum proximi sermonis consonantes nihil adjuvant praecedentem, licet Virgilius refragetur dicens: „arma virumque
277 cano, Trojae“ — et item: „fontesque fluviosque voco.“ Diphthongi autem sunt AE, OE, EU, AU, EI; absque his syllabis nulla diphthongus memoratur.

Villoisonum (anecd. gr. II, p. 130 sequ.) et Norisium (ad Cenotaph. Pisan. diss. 4, p. 188 sequ.).

diphthonga] MS. plerumque *diphthonga*, ut subaudiatur *vocali*. Gnot. — Equidem subaudio *syllaba*, at nominativus sit. Vulgo *diphthongo*. Isidorus (etym. 1, 16, 2. p. 23 Arev.): »Diphthongae syllabae Graeco nomine dictae quod in eis binae vocales jungantur.«

hoc erat] Eodem exemplo (e Virg. Aen. 2, 664) inferius (§. 278) iterum utitur; pariterque Charisius (p. 4 Putsch.) Mariusque Victorinus (p. 2474). Totam quaestionem erudite tractavit Schneiderus (elem. II, p. 666—675).

fontes] Virgilii (Aen. 12, 181). Alia exempla congessit Schneiderus (elem. 2, p. 691).

diphthongi] Omissum in editis vocabulum *autem* supplevi e codicibus Reichenauensi et Darmstattensi.

EI] Priscianus (I. p. 30): »I quoque apud antiquos post E ponebatur et EI diphthongum faciebat, quam pro omni I longa scribebant more an-

DE COMMUNIBUS SYLLABIS.

Communium autem syllabarum modi sunt octo. Nam primus est quum 278
correptam vocalem sequitur subjecta consonantibus liquida; est enim longa, ut „vasto Cyclopis in antro“; brevis, ut „vastosque ab rupe Cyclopas.“ Secundus modus, quum correpta vocalis in unam desinit consonantem sequente H; est enim longa, ut „terga fatigamus hasta“; brevis: „quisquis honos tumuli.“ Tertius, quum correptam vocalem duae consonantes sequuntur, quarum prima S litera sit; est enim longa: „unde spissa coma“; brevis: „ponite spes sibi quisque.“ Quartus locus, quum brevis syllaba partem terminat orationis; est enim longa in commate, ut est „nam tibi Tymbre caput Evandrius“; brevis: „hoc caput o cives.“ Item alter locus, ex diphthongo fit communis; longa, ut „Musae Aonides“; brevis: „insulae Ionio in magno.“ Quum vocalis enim sequitur, potest diphthongus fieri brevis, ut „sudibusve praeustis.“ Alius locus, quum longam vocalem alia vocalis sequitur; est enim longa: „o ego infelix quem fugis“; brevis: „sub Ilio alto.“ Alius

tiquo Graecorum.« Atque etiam Isidorus quinque illas diphthongos (etym. 1, 16, 3; p. 23 Arev.) statuit. Quinctilianus (1, 7, 15; p. 180 Spald.): »Diutius duravit, ut E et I jungendis eadem ratione qua Graeci ει uterentur, sed ea casibus numerisque discreta est.« Scioppius (gramm. philos. p. 200 sequ.): »*Eitur*: quod est tertiae personae verbum ab *eor*. Hic I longa est ac duorum temporum; sed E propemodum absorbetur. — Plauti comoedia exstat *Capteivei* inscripta. — Elegantiores imitabantur Graecos et *binei* seu *bini* eodem prorsus modo quo illi suum βίνει efferebant, quod epistola ad Paetum Cicero testatur. — Varro (R. R. 1, 2) auctor est, *villam* quae ex *vehillam* et *veillam* facta vox est, a rusticis *vellam* efferri solitam, ergo dubium non est quin et antiquissimi Romanorum pronunciare fuerint soliti. Nam *liber* posteriores fecerunt ex *leiber*, priore vocali suppressa, quod contra veteres dixerant *leber*.« Adde Velium Longum (de orthogr. p. 2220 Putsch.).

octo] Quinque numerat Charisius (p. 3 Putsch.), novem Beda (p. 2352) iisdem fere exemplis usi. Adde Valerium Probum (p. 1432) et Marium Victorinum (p. 2474). Exempla pleraque e Virgilio petita sunt (Aen. 3, 617 et 647. 9, 610. 10, 493. 11, 309. 10, 394. 12, 572. 3, 211. 7, 524. 5, 261. 2, 664. 4, 22. 11, 7. 3, 270).

ponite] Male Beda: »ponite spes sibi quisque *suas*.« Male etiam libri ante Grotium editi illum secuti. Sed pejus Grotius: »ponite spes quisque suas.« Nullus eorum fontem (ap. Virg. Aen. 11, 309) adiit. Optime codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C) ipsa Virgilii verba, quae edidi, exhibent.

locus, quum pronomen C litera terminatur vocali sequente; est enim longa: „hoc erat alma parens“; brevis: „solus hic inflexit sensus.“ Alius locus, quum correptam vocalem sequitur Z; est enim longa, ut „Mezenti ducis exuvias“; brevis: „nemorosa Zacynthos.“ Dicta natura in tribus generibus syllabarum. superest ut finales dicantur, in quibus artis auctoritas et canonica forma consistit; ac prius de nomine retractandum.

DE NOMINE.

279 Nominativus casus singularis A litera terminatus brevis est, ut Catilina, Julia. E litera finitus in Graecis longus est, ut Euterpe. I autem terminatus longus est, ut frugi. O finitus in Latinis brevis, ut Cato; in Graecis longus est, ut Dido. V terminatus longus, ut cornu. Al finitus brevis, ut tribunal; el brevis, ut mel; il brevis, ut vigil, excepto uno Hetrusco, Tanaquil. Ol longa est, ut Sol; ul brevis, ut consul. M terminatus brevis, ut tectum; licet hujus raro occurrat exemplum, quia inter vocales M deprehensum velut metacismi aspiritate subtrahitur. An finitus producitur, ut Titan; en in neutris brevis est, ut carmen, in aliis generibus longus est, lien, Siren. On terminatus longus est, ut Memnon. Ar terminatus in monosyllabis tantum longus est, ut Nar, far. Er finitus in Latinis brevis est, ut puer, excepto monosyllabo ver; in Graecis producitur, ut aër. Ir terminatus corripitur, ut vir. Or terminatus brevis est, ut auctor. Vr terminatus corripitur, ut murmur, excepto uno monosyllabo fur. As finitus

autem] Lege *item*. Vonck. (spec. crit. p. 83). — Vide ne exciderint aliqua in antecedentibus, quibus oportuit certe addi: »in Latinis brevis«, ut *sedile, monile, singulare, verbale*, quibus exemplis Priscianus utitur (p. 817).

o finitus] Exempla Macrobius (p. 561 Pont. 732 Zeun.) affert e Virgilio. Sed vide Quinctilianum (7, 9, 13; p. 161 Spald.) et adde nostrum (§. 280).

cornu] Codices Monacensis (C), Darmstattensis, et Reichenauensis pro *longus* habent *brevis*, inepte; quamquam duo priores in eodem errore perseverant et infra (§. 280) ubi pro *producitur* legunt *corripitur*.

occurrat] Sic codex Darmstattensis. Male editi *currat*.

aër] Cicero (de N. D. 2, 36): »cui nomen est aër, *Graecum* illud quidem, sed perceptum jam tamen usu a nostris: tritum est enim *pro Latino*.« Plinius (2, 5, 4): »Proximum spiritus, quem *Graeci* nostrique *eodem vocabulo aëra* appellant.«

in Latinis nominibus producitur, ut facultas, paupertas; in Graecis tunc tantum brevis est, quum genitivus dos fuerit terminatus, ut Arcas, Arcados. Es terminatus in Graecis nominibus brevis est, ut Anchises; in Latinis, si quintae declinationis fuerit, producitur, ut dies; si tertiae, tunc longus est, quum genitivus singularis non crescit syllaba, ut labes, vel crescens E productam ante ultimam syllabam retinet, ut quies quietis; nam si eam in I mutaverit, ut miles militis, aut corripuerit, ut seges segetis, corripitur, exceptis his, Ceres, pes, atque his similibus. Is finitus brevis est, ut agilis. Os terminatus tunc est in Latinis brevis, quum genitivus ante ultimam syllabam non habet naturaliter longam, ut os ossis; in Graecis tunc corripitur, quum genitivus diphthongo terminatur, ut δῆλος, τοῦ δήλου. Vs finitus brevis est, ut doctus; sed longus fit, si genitivus syllaba creverit et ante ultimam I aut V productam habuerit, ut virtus, et in uno inflexibili, ut pus. T terminatus corripitur, ut caput. C finitus duo tantum nomina facit, ut halec, quod producitur, et lac, de cujus declinatione dubitatur. Genitivus singularis tunc producitur, quum aut nominativo similis est, ut se- 280
natus; aut diphthongum habet, ut Juliae; aut I terminatur, ut docti; in ceteris corripitur. Dativus singularis producitur, ut Pompejo; in Graecis corripitur, si I litera finiatur, ut Palladi. Accusativus singularis in Graecis tunc tantum corripitur, quum A vel on terminatur, ut Thesea, Delon; in Latinis vero brevis est, ut doctum. Vocativus singularis A litera terminatus

singularis] Addidi hoc e Reichenauensi et Darmstattensi.

nam si] Beda (de arte metr. Op. 1. p. 30) paulo clarius: »Breviatur vero *es*, si aut E in I mutaverit in genitivo crescente, ut *miles, militis;* aut brevem habuerit, ut *seges, segetis.*«

exceptis] Codex Monacensis (C) pro *pes* habet *spes;* male.

os terminatus] Clarius iterum Beda (p. 30): »*Os* monosyllaba, si *ora* significat, producitur: si *ossa*, breviatur. Quae tamen *os* syllaba quum in disyllabis venerit, et media syllaba genitivi producta natura permansit, tunc longa erit, ut *nepos, nepotis;* si vero correpta, abbreviatur, ut *compos, compotis.*«

ossis] Reichenauensis male *oris.*

δῆλος τοῦ δήλου] Ita non solum codex Monacensis (C), sed antiquiores etiam editiones habent pro eo quod negligenter admisit Grotius *Delus*, et in notis demum correxit.

dubitatur] Vide infra (§. 307).

in Latinis omnibus, vel in Graecis femininis, corripitur, ut in tabula, Musa; in masculinis longus est, ut Aenea. E terminatus in Latinis brevis est, ut docte; in Graecis producitur, ut Tydide; exceptis his, quae nominativus Graecus os terminat, ut Phoebos, Phoebe. I terminatus in Latinis longus est, ut Mercuri; in Graecis corripitur, ut Nai. O terminatus in Latinis brevis est, ut Cato, licet Virgilius contra sentiat; in Graecis producitur, ut Dido. V terminatus producitur, ut cornu. In consonantes vero desinens nominativi sequitur regulam, exceptis Graecis nominibus, quae saepe mutantur varietate linguarum, ut Diomedes. Ablativus singularis semper producitur, absque quum E terminatur, in his duntaxat nominibus, quae tertiae fuerint
281 declinationis, ut a pariete. Nominativus et vocativus plurales in masculino et feminino genere producuntur, ut fluctus, terrae; in neutris breves sunt, ut fata: in Graecis vero, quum A vel S terminati fuerint, ut rhetores, poëmata; in aliis vero longi sunt, ut Musae. Genitivus pluralis brevis est, ut doctorum; in Graecis longus, sed Graeca declinatione, ut Philemon. Dativus pluralis et ablativus, si is fuerint terminati, producuntur, ut doctis; si bus, corripiuntur, ut hominibus: at si Graeca sit declinatio, in terminatus dativus corripitur, ut Arcasin; alias longus est. Accusativus pluralis in omnibus masculinis vel femininis producitur, ut doctos, Julias; in neutris corripitur, ut moenia; in Graecis vero si as fuerit terminatus, et veniat a genitivo os finito, corripitur, ut Arcadas; alias producitur, ut Musas.

terminat] Ita Darmstattensis et Reichenauensis. Grotius absque sensu »*terminatur.*« Antea pro *Tydide* perperam scriptum erat *Titide*, quod correxi. Diomedem intellige ex Virgilii (Aen. 1, 97) versu:

»*O Danaûm fortissime gentis Tydide.*«

Philemon] Sic libri omnes praeter Grotium, qui legit *Philenon*, unde conjectura elicuit *φιλολνων*: sed vulgatam retinui, licet manifesto falsam, quia non mere Graeco sed a Latinis quoque usurpato vocabulo indigemus, neque certum est, utrum librarii an Martiani ipsius error sit.

at si] Lego: *aut si*, et deleo vocem *corripitur* ex glossa natam. Grot. — *At* particula transitum tantum facere a Latinis ad Graeca videtur; quare nihil mutavi.

veniat] Sic rectius codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C) pro Grotiano *venit*.

DE PRONOMINE.

In omnibus pronominibus singularis nominativus correptus inveni- 282
tur, exceptis duobus monosyllabis, tu et qui. Genitivus singularis I vel E prolatus longus est, ut mei, meae; alias brevis est, ut illius. Dativus singularis semper productus est, ut nostro; exceptis mihi, tibi, sibi, quae indifferenter accipiuntur. Accusativus singularis corripitur, ut illum, exceptis me, te, se. Vocativus singularis a nominativo suo non dissentit. Ablativus singularis longus est, ut ab illo. Nominativus et accusativus plurales tunc tantum corripiuntur, quum A fuerint terminati, ut nostra. Genitivus pluralis nunquam producitur, ut illorum. Dativus et ablativus plurales is terminati producuntur; bus finiti corripiuntur.

DE VERBO.

In omnibus verbis, modis, temporibus, numeris, personis, conjuga- 283
tionibus haec uniformis est ratio. Quaecunque persona A fuerit terminata, producitur, ut canta. E finita brevis est, ut lege, nisi a secunda conjugatione veniat, ut doce; tunc enim longa est. I terminata persona semper producitur, ut nutri. O quae finitur, correpta est, ut audio; licet auctoritas et in his discrepet. Nam primae conjugationis primam personam Virgilius longam facit, ut „canto quae solitus“, et „terra tibi mando.“ Tamen monosyllaba etiam producenda sunt, ut do, sto, flo. V terminata persona producitur. Am quae finitur, brevis est, ut legebam. Or finita corripitur, ut legor. S litera terminata verba producuntur, si penultima litera A vel E fuerit, ut amas, doces; excepto monosyllabo es, et iis quae ex eo fiunt, ut ades. Si vero I ante S habuerit, corripitur, ut legis, legitis; excepta secunda persona indicativi modi temporis praesentis numeri singularis a tertia conjugatione pro-

primae conjugationis] Omissa apud Grotium supplevi e Darmstattensi et Reichenauensi codicibus. In primo exemplo legendum *canto* ex ipso Virgilio (ecl. 2, 25), unde (8, 93) et alterum exemplum repetiit.

a tertia] Lege »*a tertia* conjugatione producta.«

ducta, ut nutris, audis, et a verbo volo, vis. Si vero V ante S habuerit, correpta erit, ut nutrimus. T litera terminata correpta sunt, ut legit. C finita producuntur, ut produc. Participia licet per casus flectantur, a nominibus tamen omni ratione dissentiunt.

DE ADVERBIO.

284 Adverbia monosyllaba, ut huc, vel quae ex his fiunt, ut illuc, omnia producentur, exceptis bis et ter. Quae vero A finiuntur, longa sunt, ut una. Quae in E desinunt, producuntur, ut docte, pulchre; exceptis quae aut non comparantur, ut rite, aut in comparatione deficiunt, ut bene, impune. Quae I finiuntur, longa sunt, ut heri, praeter ibi et ubi, et quae componuntur ex ipsis, ut sicubi; item quasi corripitur. Quae O finiuntur, a se venientia brevia sunt; ab aliis ducta producuntur, ut falso, licet auctoritas variet. Quae V finiuntur, longa sunt, ut noctu. Quae L terminantur, corripi debent, ut semel. Quae M, N, R finiuntur, brevia sunt, ut cursim, forsitan, fortiter. Quae S terminantur, tunc tantum producta sunt, quum ante eam A habuerint. Quae C finiuntur, producta sunt, ut illuc.

DE PARTICIPIO.

285 Omnium participiorum temporis futuri nominativus singularis brevis est, ut lecturus; genitivus et dativus singularis producuntur, ut lecturi, lecturo,

Tertia producta conjugatio illo aevo quae nobis quarta. Juvat me manuscripti auctoritas. Gnor. — Accedunt Reichenauensis et Darmstattensis. Utique mala in editis lectio erat »*quarta*«, atque ex ipso auctore (§. 321) corrigenda.

impune] Quod hoc vocabulum deficere in comparatione arbitratur, valde erravit Martianus; *impunius* enim dixit Cicero (divin. 2, 27), *impunissime* Plautus (Poenul. 1, 3, 2). Meliorem rationem correptae ultimae attulit Priscianus (15, 2, 10; p. 619 Krehl.), qui omnino hunc locum de adverbiorum quantitate doctius tractavit.

heri] Priscianus: »in I quoque desinentia inveniuntur adverbia, sed pauca primitiva, ut *heri, ubi, ibi*; dicitur tamen et *here*.« Confer Quinctilianum (1, 7, 22).

variet] Priscianus: »multa autem ex supradictis nominibus ipsa terminatione dativi pro adverbiis ac-

excepto praesentis temporis participio, quod genitivum corripit, ut amantis. Accusativum et vocativum breves esse constat, ut lecturum, lecture; ablativus singularis tantum corripitur, ut amante, legente. Nominativus et accusativus plurales in masculini et feminini generis participiis producuntur, ut lecturi, lecturos; in neutris corripiuntur, ut lectura. Genitivus pluralis brevis est, ut lectorum. Dativus et ablativus pluralis is terminati producti sunt; bus finiti breviantur.

DE CONJUNCTIONE.

Copulativae et disjunctivae et expletivae conjunctiones breves sunt, nisi 286
positio fecerit longas. De causalibus vero et rationalibus, quae A terminantur, exceptis ita et quia, productae sunt, ut propterea et interea; quae I terminantur, excepta una nisi, producuntur, ut si; quae in N desinunt, si ante eam I habuerint, producuntur, ut sin; alias breves sunt. Ceteras vero omnes correptas esse constat.

DE PRAEPOSITIONE.

Praepositiones, quae in A exeunt, solae productione laetantur, ut contra 287
et extra, et una monosyllaba a. Ablativae praepositiones omnes corripiuntur, exceptis monosyllabis, quae vel ex vocalibus constant vel vocalibus terminantur, ut e et de. Utriusque casus praepositiones correptas esse non dubium est.

cipiuntur, ut *falso* cet. — Et saepe corripiunt O terminalem, quando in adverbia transeunt, ut *cito, sero, modo.*«

ablativus] Tertiam tantum declinationem respicit, quia in secunda idem est cum dativo.

in masculini] Ita codex Monacensis (C) et Darmstattensis melius quam *ex masculini* in editis.

conjunctiones] Donatus (p. 1765 Putsch.): »Potestas conjunctionem in quinque species dividitur. Copulativae hae sunt: *et, que, ac, atque, at.* Disjunctivae sunt: *aut, vel, ve, ne, an, neque.* Expletivae sunt: *quidem, equidem, saltem, videlicet, quamquam, quamvis, quoque, enim, autem, porro, licet, tamen.* Causales: *si, tametsi, etsi, ... alioquin, praeterea.* Rationales: *ita, itaque, enimvero, quia, ... propterea, ideirco.*« Expletivas Priscianus (16, 2, 13) nuncupat *completivas.*

DE INTERJECTIONE.

288 Interjectiones longae sunt, si monosyllabae fuerint, ut heus; si vero disyllabae erunt vel trisyllabae, quoniam speciem retinent partium orationis, exemplo earum, quarum similes erunt, judicandae sunt, ut papae. Haec ita, ut dixi, per omnes partes orationis in ultimis syllabis observanda sunt, exceptis positione longis et diphthongis.

289 Expleta cursim syllabarum pagina est,
Juganda demum verba, nam probabilis
Hic ordo rebus, quique disgregabitur
In bina demum: prima nam proportio
Dicenda, Graji analogiam quam vocant,
Ac mox repulsa quae novantur regula
Vulgoque docti quae anomala nominant,
Bis quarta fandi quis paratur portio,
Vel vulneratur ductus oris integer;
Quantumque solo inditum libellulo
Potest probare seriûm fastidium.

vel trisyllabae] Omisit haec Grotius, quae tamen tam in editis, quam in manuscriptis exstant.

quique] Grotii codex *quisque*, male; sensus est: »hic ordo est probabilis et qui disgregabitur.«

dicenda] Expunxi *est*, quod in editis sequitur, codicis Darmstattensis auctoritate, quia metro adversatur.

vulgoque] Editi habent *vulgo* et *quaeque*; sed jam Grotius: »melius, inquit, alii codices *vulgoque docti, quae anomala*. Vides aliquotiens Capellam longas vocales diphthongosque non elidere.« Nostram lectionem Reichenauensis etiam et Darmstattensis praebent.

bis quarta] Id est *dimidia*. Sensus totius loci hic esse videtur: »referam primum analogiam, deinde anomala, quibus dimidia pars sermonis constat, vel potius integra sermonis species deturpatur; quatenus et unius libri angustiae deorumque aequanimitas patiantur, quos seria hodie fastidire consentaneum est;« sicut et infra (§. 326) subita Minervae interpellatione probatur. Extrema sic construo: »quantumque fastidium seriorum probare potest.«

DE ANALOGIA.

Analogia est igitur, quae Latine proportio dicitur, observatio similium 290
inter se loquelarum. Nam primum omnia nomina Latina duodecim literis terminantur: vocalibus quinque, et semivocalibus sex, atque una muta T, ut caput. A igitur vocalium prima terminat masculina, ut Catilina, Jugurtha; feminina, ut advena; feminina etiam Graeca, ut Helena, Andromacha; pronomina

analogia] Ἀναλογία est proportio, quae apud grammaticos dicitur ἀναφορά, i. e. relatio, teste Ammonio. Vulcan. — Gellius (2, 25): »In Latino sermone sicut et in Graeco alii ἀναλογίαν sequendam putaverunt, alii ἀνωμαλίαν. Ἀναλογία est similium similis declinatio, quam quidam Latine *proportionem* vocant; ἀνωμαλία est inaequalitas declinationum consuetudinem sequens. Duo autem Graeci grammatici illustres Aristarchus et Crates, summa ope ille ἀναλογίαν, hic ἀνωμαλίαν defensitavit.« Qua de re Varro (de L. L. libr. 8 ab init.): »Crates nobilis grammaticus, qui fretus Chrysippo homine acutissimo, qui reliquit sex libros περὶ τῆς ἀνωμαλίας, his libris contra *analogiam* atque Aristarchum est nixus; sed ita, ut scripta indicant ejus, ut neutrius videatur perdidisse voluntatem. — Hi qui in loquendo partim sequi jubent nos consuetudinem, partim rationem, non tam discrepant, quod consuetudo et analogia conjunctiores sunt inter se, quam hi credunt: quod est nata ex quadam consuetudine *analogia*. Neque *anomalia* neque *analogia* est repudianda« cet. Confer et Sextum Empiricum (adv. gramm. 1, 10, 179 sequ.), qui et ipse usum loquendi maxime respiciendum, *analogiae* nullam vim in grammatica esse contendit. Verissimum, si quid aliud, Quinctilianus (1, 6, 16 p. 147 Spald.) docet: »Non enim, quum primum fingerentur homines, *analogia* demissa coelo formam loquendi dedit: sed inventa est, postquam loquebantur, et notatum in sermone, quid quoque modo caderet. Itaque non ratione nititur, sed exemplo; nec lex est loquendi, sed observatio, ut ipsam *analogiam* nulla res alia fecerit, quam consuetudo.« Idem paulo ante (1, 6, 12): »Sed meminerimus non per omnia duci *analogiae* posse rationem, quum sibi ipsa plurimis in locis repugnet.«

Latine proportio] Eadem modo in versibus dixerat. Quinctilianus (1, 6, 3; p. 139 Spald.): »Analogiam proxime ex Graeco transferentes in Latinum *proportionem* vocaverunt.« Pariter Vitruvius (3, 1) et Cicero (de univ. 4), qui primum se ausum dicit Graecam vocem ita vertere, quamquam Varro (de L. L. 9 init.) illius versionis auctor erat. Deinde Seneca (ep. 120 p. 663 Lips.): »hoc verbum (analogia)«, inquit, »quum Latini grammatici civitate donaverint, ego damnandum non puto, nec in suam civitatem redigendum.« Gellius (15, 9) *rationem proportionis* dicit, quae *analogia* appelletur. Isidorus (etym. 1, 28, 1. Op. III. p. 47 Arev.) »analogiam Latine proportionem dici« refert quidem sed addit, sicut noster: »et similium comparationem.«

advena] Atqui advena communis est generis: utrum ergo *avena* legendum? an sit hic duarum vocalium defectus hoc ferme pacto: »A igitur vocalium prima terminat masculina, ut Catilina, Jugurtha; feminina, ut Musa; communia, ut advena«? Grot. — In omnibus, tam editis, quam scriptis libris, eadem est lectio, quare nihil correxi.

quoque, ut altera, sola, illa. Quibus si detrahas A et ius addas, genitivum singularem feceris, ut dicimus alterius, solius, illius; si vero I, dativum, ut alteri, soli. Illa vero quae sunt Graeca neutra, ut poëma, toreuma, tres casus in utroque numero similes habent; in genitivo singulari tis assumunt, in dativo S amittunt, et in E correptam ablativum finiunt, atque in plurali dativo et ablativo genitivi singularis
291 formam servant, licet et bus possint assumere. E correpta nomina terminata, quae Latina sunt, neutra sunt, ut monile, sedile. Haec praeter casus, quos similes habent, dativum et ablativum confundunt, ut huic et ab hoc monili, sedili; quoniam ablativus, si in E exierit, quatuor casus similes faciet, quod neutrorum nominum declinatio non admittit. Nam quae E producta in nominativo finiuntur, Graeca sunt generis feminini, ut Agave, Autonoe, Graecorum more sunt declinanda, ut nominativus, dativus, vocativus et ablativus pares sint, genitivus S, accusativus N finiantur. Quae nomina autem E in A convertunt, ut Andromache Andromacha, sic declinantur, ut Latina in A exeuntia. I litera terminata Latina nomina totius generis sunt ac monoptota, ut frugi, nihili. Gummi autem et sinapi peregrina sunt neutri generis, et tantum numeri singularis, sed per casus eodem modo decurrunt, excepto genitivo, qui S recipit, ut
292 sinapis, gummis; quamvis recte dicatur, haec gummis. O litera nullum nomen in neutro finit; nam aut masculina sunt, ut Cicero; aut feminina, ut Juno, hirundo; aut utrique generi communia, ut homo. Quorum declinationes in duas species exeunt: nam aut O literam in obliquis casibus retinent, ut unio unionis; aut I mutant, ut cupido cupidinis, crepido crepidinis;

singulari] Omissum hoc e Reichenauensi et Darmstattensi supplevi, et paulo post ex iisdem reposui *possint* pro *possunt* in editis.

Graecorum more] Quinctilianus (1, 5, 59; p. 127 Spald.): »Si reperias grammaticum veterum amatorem, neget quidquam ex Latina ratione mutandum, quia quum sit apud nos casus *ablativus*, quem illi non habent, parum conveniat, uno casu nostro, quinque Graecis uti.« Omnino cf. Schneiderum (form. I, p. 31).

nomina] Supplevi hoc e codicibus Reichenauensi et Darmstattensi, a quibus etiam paulo post copula *et* ante vocem *neutri* melius abest.

I mutant] Exspectasses *in I;* sed Latini quoque usurpant hanc prolepsin Graecis admodum familiarem, ut *mutare* construant quasi *mutando assumere;* sic Statius (Theb. 10, 259): —— »*permutat* Agylleus *arma* trucis Nomii«, et Seneca (tranq. animi 2): »*mutare* nondum fessum *latus*.«

utraque autem syllaba crescunt in obliquis casibus, praeter vocativum singularem. Caro autem praeter hanc analogiam ut declinetur, consuetudo obtinuit; item Anio, et quae in sua declinatione unica sunt, et sine exemplis similium declinantur. Faciunt enim hujus carnis, Anienis. Duo et ambo quum sint semper pluralia, non sunt annumeranda his, quae supra dixi; sua etenim consuetudine declinantur. Graeca nomina, quae O litera finiuntur, ea quae a prima positione in nostram formam transierunt, ut leo, draco, sic declinantur ut Cicero, Milo; ea vero quae primam sui positionem integram servant, ut Io, Ino, Graeco more declinantur, ut faciant in genitivo Ius, Inus, accusativo Ion, Inon, et ceteris casibus similiter, quanquam consuetudo hanc Io dicat. Turbo, si nomen est proprium, ut Cicero declinatur; si autem vim venti significat aut puerilis ludi instrumentum, ut cupido declinatur. V litera tantum neutra finiuntur, ut cornu, veru, quod in plurali facit verua. 295
Apud veteres etiam specua dicebantur. Horum nominum plurales declinationes carent dubitatione. Nam tres casus, ut in omnibus neutris, similes sunt; item dativus et ablativus in bus syllabam exeunt; dativus et ablativus singulares in genitivo plurali um syllabam jungunt. Quaeritur autem de genitivo singulari, quem alii in us, alii in V literam egerunt; nec non dativo, quem alii in I agunt, ut genui, cornui; quidam, veteres secuti, ablativo

et quae] *Et* errori librarii deberi videtur; sed invitis libris nihil muto.

positionem] Quod Graeci θέμα dicunt, Latini *positionem*. Quinctilianus (1, 5, 60): »quia hoc omnibus nostris nominibus accidit, quorum *prima positio* in easdem quas Castor literas exit.«

Ion] Schneiderus (form. I, p. 300) legi vult *Iun*, *Inum*, quae utique Graeca forma est (conf. Fisch. ad Well. gr. Gr. I, p. 411).

Turbo] Priscianus (6, 3, 16; p. 228 Krehl): »Turbo turbinis, quando de vi ventorum loquimur; nam si sit proprium, servat O in genitivo, hic Turbo, nomen proprium gladiatoris, Turbonis. Sic Horatius in secundo sermonum (2, 3, 310):

»*Corpore majorem rides* Turbonis *in armis*
Spiritum« cet.

specua] Sic et *pecua* Appulejo et antiquioribus. Grot. — Confer Virgilium (Aen. 7, 568) et Silium (13, 425).

in genitivo] Anteriores secutus editiones ita reposui; neque liquet cur Grotius duobus illis verbis omissis ediderit »V syllabam jungit«! Pro *singulares* codices Darmstattensis et Monacensis (C) exhibent *singularis*, male.

similem faciunt, huic genu, cornu; quoniam pluraliter genibus et cornibus, amissaque ultima syllaba relinquitur dativus singularis, sicut fit in civibus et suavibus, et quoniam genibus et cornibus dicimus, I litera in locum V transit, sicut et optimum et maximum item dicimus, quum optumus et maxumus diceretur. Sunt aliqui, qui genitivo casu genuis et cornuis dicant, sed non debet genitivus plures habere syllabas, quam dativus et ablativus. Quamvis ergo dissimilia sint senatus et exercitus, tamen sic genus et cornus in genitivo dicendum est, quemadmodum senatus et exercitus. Praeterea quaecunque nomina vel participia genitivo singulari in is exeunt, dativo plurali syllaba crescunt, ut Catonis, Catonibus; secundum quam rationem si esset genuis,
294 genuibus fecisset, ut syllaba cresceret. L litera finita nomina duplicem formam habent. Prima est, in qua masculina sunt, ut Hannibal, Hasdrubal, neque alia fere propria quam Punica, excepto Solis nomine; item feminina, ut Tanaquil, nomen Hetruscum; et communia, ut vigil, pugil; quae omnia easdem declinationes habent. Altera species neutrorum, ut mel, fel, quae hoc differunt a superiori declinatione, quod monosyllaba sunt, et L literam per obliquos casus geminant. Nam de proconsule in nominativo, qui E litera finiunt, naturam pro praepositionis intuentur; pro quippe ablativo tantum praefertur. Nam respiciunt, quum proconsul dicitur, non duabus vocibus, sed composito nomine dici, ut procurator, propugnator; nec quidquam obesse

genuis et cornuis] Sic codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C), quemadmodum Grotius jam suspicatus erat, pro *genuus* et *cornuus* in editis. De re ipsa vide Schneiderum (form. I, p. 330). Cicero ipse (in Arateis) *genus* in secundo casu a *genu* dixit.

ut syllaba] Sic Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C). Male in editis legebatur *et*.

quod monosyllaba] Pro *quum — sint* apud Grotium, meliorem codicis Monacensis (C) lectionem *quod* recepi, et ex eodem, Darmstattensique et Reichenauensi *sunt* pro *sint*.

proconsule] Restitui ex codice Darmstattensi pro *proconsulo*, quod jam Grotius intellexerat ferri non posse, hac nota addita: »Lege: *tamen si proconsule*. De *proconsule* et *proconsul* vide orthographiam Manutii. Glossa: Proconsule, ἀνθύπατος, Propraetore, ἀντιστρατηγός. Sic exconsul et exconsule.« Plura dabit Augustus Soldan (quaestt. de aliquot partibus proconsulum et propraetorum, Hanoviae 1831, p. 18 sequ.).

exemplo, quod haec nomina possunt verba ex se facere, ut procuro, propugno; nam praepositio perit, proconsulo autem non facit, licet consulo faciat. Tamen si proconsule dicatur, in casu nominativo monoptoton erit; sed propter consuetudinem proconsul dicatur, ut declinari possit, quemadmodum illa, quae litera L terminantur, ut vigil, pugil, mugil; quoniam in plurali genitivo mugilum dicimus, et pugilum; nam si mugilis esset nominativus, ut agilis, mugilium faceret, ut agilium. M litera etiam neutra finiuntur, ut 295
telum, scamnum. Sed hoc animadvertamus, quoniam quae nomina I ante ultimam syllabam habent, ut lilium, folium, genitivo singulari, item dativo et ablativo pluralibus, eandem geminare debent, ut lilii et liliis; quoniam genitivus aut pares syllabas nominativo habet, ut scamnum scamni, aut plures, ut caput capitis, pauciores nunquam; praeterea dativus O litera finitus, in I eam convertit, ut scamno scamnis; sed consuetudo et auctoritas veterum ingeni, consili, imperi per tres syllabas maluit dicere. Vasum an vas dici debeat, quaeritur, quoniam quaecunque neutra non M litera nominativo finiuntur, si pluralem recipiant, dativo et ablativo in bus cadunt, itaque monile monilibus, genu genibus, pecus pecoribus, nomen nominibus, marmor marmoribus; secundum quae vas vasibus facere debuit, et in genitivo horum vasum, quoniam quaecunque neutra singularia ablativo E litera finiuntur, genitivum pluralem totidem syllabarum habent, quot ablativum singularem, ut a nemore nemorum, capite capitum; sed hoc nomen

nam respiciunt] Ita Grotius in margine pro *non.*

ut lilium] Sic codex Monacensis (C), unde et infra *lilii* et *liliis* scripsi. Grotius exempla hic prorsus omisit, infra autem in nominativo casu posuit. Impugnat autem Martianus eos, qui hos genitivos antiquo more per simplex I proferebant *lili, folî;* qua de quaestione inter recentiores quoque magnae lites exstiterunt, postquam Bentlejus (ad Ter. Andr. 2, 1, 20) contenderat, sub Augusti senescentis aetate demum mutationem illam factam esse, ut I geminarent. Conf. in primis Forbiger (de Lucretii carmine p. 74 sequ.), Huschke (de Annio Cimbro p. 42 sequ.), et ab altera parte Sverdsjoci Vindiciae praecepti Bentlejani (Rigae 1832. 8).

scamno, scamnis] Lege *scamno, scamni.* De genitivo singulari sermo. Gnot. — Codices nihil variant.

secundum quae] Lege: »*secundumque haec* vas vasibus facere debuit, et in genitivo horum *vasum.*« Gnot. — Haud perspicio, cur quae bona erant correxerit. *Vasum* tamen rescripsi, quia sequentia postulabant itaque in codice Darmstattensi a prima manu scriptum videram. De re ipsa conf. Ruddimannum (inst. gr. Lat. I, p. 111 Stallb.).

per anomaliam declinatur, et erit singulari nominativo vas, genitivo vasis, dativo vasi, ablativo a vasi; plurali autem sic declinabitur, ut scamna. Lu-
296 cretius tamen genitivo vasi, ut: — „rarique facit lateramina vasi.“ N litera terminantur masculina, ut flamen, peeten; communia duobus generibus, ut tibicen, fidicen, quod frequentissimi auctores non probant, nam etiam tibicinam et fidicinam dicunt; item neutra, ut nomen, flumen, quae omnia manifesta declinatione uno modo declinantur. Altera species est generis masculini, quae E literam ante extremam N servant, ut lien, ren, quae tamen ipsa quoque in ceteris ut superiora declinantur. Gluten quoque his simile est, licet Sallustius glutinum dixerit; item feminina quasi similia videntur; nam ren singularis nominativus nec ullus alius ablativo excepto in usu est. Graeca, quae N finiuntur, praecedentes habent literas A E I O, ut Aleman, Cephen, delphin, Phaethon; ex quibus quae an, en, in terminantur, exemplo superiorum declinantur, ut fulmen, numen, fidicen; quae vero on finiuntur, si producta on Graeca declinantur, ut Leon, eandem literam et apud nos producunt, ut Cicero, Scipio: ea autem, quae ex productione nominativi casus corripiuntur in reliquis figurationibus, ut Amphion, Creon, Agamemnon, admittunt apud nos N literam in nominativo, et comparabuntur his Latinis, quae conversis casibus correpta efferuntur, ut virgo, turbo; quae apud Graecos recipiunt T literam, apud nos quoque eandem habebunt, ut Phaethon
297 Phaethontis. R litera praecedente A terminatorum, ut Caesar, lar, far, par,

genitivo] Nempe singularis. Locum tamen apud Lucretium (6, 232) nunc sic legunt recentiores:

— »rareque *facit lateramina* vasis«

(ed. Paris. 1744; Lips. 1776); quamquam *vasi* in codicibus lectum esse ex eo colligitur, quod Wakefield *vasi* edidit.

tibicen] Priscianus (5, 2, 4): »communia in easdem literas desinunt, in quas et masculina, ut *hic* et *haec advena, homo, vigil, tibicen, fidicen,* ut quibusdam placet; nam usus eorum feminina in A terminat, *tibicina, fidicina*.«

Sallustius] In libris deperditis. Plenius fragmentum servavit Charisius (p. 67 Putsch.): »quasi glutino adolescebant.«

alius] Intellige *casus* singularis numeri. Ablativum excipit, eo enim usus Ausonius (ep. 13, 2) erat.

AEIO] Ita codices Monacensis (C), Reichenauensis et Darmstattensis. Grotius addiderat etiam V: sed male, quia hae litera Graeci carent, et quam-

impar, una forma est, nisi quod neutrum in reliquis casibus R literam geminat, ut far, farris. Poëtarum vero licentia haec nomina pluraliter dixit, quum omnia nomina, quae pondere aut mensura aestimamus, pluralem numerum non admittant, ut aurum, plumbum, triticum, oleum. Errant ergo qui parium dicunt, quoniam haec in plurali triptota sunt, ut hi Caesares, hos Caesares, o Caesares; nec potest accusativus I habere ante S, si genitivus ante V R habeat. Videntur tamen qui parium dicunt nominativum pluralem generis neutri intueri, et quoniam paria dicuntur, ut suavia, facere parium ut suavium. R litera praecedente E terminatorum species sunt sex. Prima 298
quae genitivo casu nullum incrementum admittit, et in I literam mutatur, ut aper, niger, macer: apri, nigri, macri. Secunda haec, tener, lacer, puer: teneri, laceri, pueri. Tertia, ut imber, uter, quae a superioribus hoc differt, quod haec in genitivo S literam accipit, et dativo I finitur, et non crescit ut secunda species, et in genitivo plurali ium literis finitur. Quarta, ut pater, mater, frater, quae dativis pluralibus non ut prima species apris, sed fratribus facit, nec secunda syllaba crescit et in genitivo plurali um syllabam habet. Dicimus enim fratrum, patrum, non ut in tertia utrium, imbrium. Praeterea tres casus similes habet, hi patres, hos patres, o patres, quum

vis in margine legamus *Creun*, hoc tamen nihili est, quum *Creon* scribatur, ut paulo post a Martiano ipso.

farris] Addidi vocem e Darmstattensi codice.

pondere] Fere iisdem verbis Charisius (p. 72 Putsch.): »alia pluralitate carent, ut *garum*, *oleum*, *vinum*, *ferrum*, *panis*, *frumentum*, et cetera, quae ad pondus, numerum, mensuramque exiguntur.« Item Priscianus (5, 10, 54; p. 202 Krehl.): »Sciendum tamen quod metallorum vel seminum vel humidorum ad *mensuram* vel ad *pensum* pertinentium pleraque semper singularia inveniuntur.«

triptota] Nimirum quae *ium* in genitivo habeant, non *es* sed *is* in accusativo habere censet (v. §. 298). Sed de *par* dubium est; confer Schneiderum (form. I, p. 258), qui tamen nostri loci prorsus immemor fuit.

apri] Quinctilianus, qui saepe eos ridet, qui usu loquendi non contenti in rationis scribendi causas curiosius inquirunt, haec (1, 6, 15; p. 144 Spald.) observat: »Illi autem iidem, quum interrogantur, cur *aper apri* et *pater patris* faciat? illud nomen simpliciter positum, hoc *ad aliquid* esse contendunt. Praeterea, quoniam utrumque a Graeco ductum sit, ad eam rationem recurrunt, ut πατρὸς *patris*, κάπρου *apri* faciat.«

imber et uter hos imbris et utris faciat. Quinta species est, ut passer, anser, later, mulier, quae a secunda specie hoc differunt, quod illa cum incremento syllabae I litera finiuntur, ut gener generi; haec in S exeunt, ut passer passeris, et in ceteris discrepant. Piper namque et cicer neutra in quinta specie habentur; nam ut passer ita declinantur in numero singulari, quem nunquam egrediuntur. Sexta species, ut neuter, uter; neutrius enim et utrius facit, et declinantur ut cetera pronomina, quae in ius literas genitivos, et in I dativos agunt. Praeterea eos genitivos et dativos communes habent cum reliquis generibus, id est feminino neutroque. R litera praecedente I una tantum species est, vir. R litera praecedente O terminatorum species sunt duae: alia quae per obliquos casus producuntur, ut sopor soporis, color coloris; alia corripiuntur, ut arbor arboris; sed uno modo declinantur. Castoris et Hectoris genitivos veteres produxerunt, sed nos corripimus, quoniam Graeci horum nominum genitivos corripiunt. R litera praecedente V terminatorum species sunt duae: prima, ut satur, quae genitivo I finitur, ut saturi; secunda, quorum genitivus in is literas venit, ut sulphur sulphuris, Augur Auguris. Neutra autem, quae ur literis finiuntur, alia retinent V literam,
299 ut sulphur sulphuris, alia in O mutant, ut ebur eboris. S litera finitorum nominum formae sunt octo. Nam aut A litera praeponitur, ut Maecenas,

hos imbris] Causam inferius (§. 306. 308) affert. Reliquos grammaticos congessit Schneiderus (form. 1, p. 369 sequ.).

Castoris] Quinctilianus (1, 5, 60) de grammaticis veterum amatoribus: »inde *Castorem* media syllaba producta pronunciarunt, quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat« cet. Cf. Ritterum (elem. l. Lat. p. 47).

ut sulphur] Confer omnino Quinctiliani (1, 6, 22; p. 151 Spald.) haec verba: »*ebur* et *robur* ita dicta ac scripta summis auctoribus in O literam secundae syllabae transferunt, quia sit *roboris* et *eboris*; *sulfur* autem et *gutture* V literam in genitivo servent: ideoque etiam *jecur* et *femur* controversiam fecerunt, quod non minus est licentiosum, quam si *sulfuri* et *gutturi* subjicerent in genitivo literam O mediam, quia esset *eboris* et *roboris*: sicut Antonius Gnipho, qui *robur* quidem et *ebur*, atque etiam *marmur* fatetur esse: verum fieri vult ex his *robura*, *ebura*, *marmura*! Quodsi animadverterent *literarum affinitatem*, scirent, sic ab eo, quod est *robur*, *roboris* fieri, quomodo ab eo, quod est *miles*, *limes*, *militis*, *limitis*; *judex*, *vindex*, *judicis*, *vindicis*.« Adde Scioppium (gramm. philos. p. 65 not.).

civitas; aut E, ut verres, moles; aut I, ut panis; aut O, ut custos, nepos; alias V, ut Ligus, vetus; alias R, ut iners; alias N, ut serpens; alias P, ut praeceps. S autem litera praecedente A species sunt duae. Prima, ut Maecenas, Laenas; secunda, ut nostras, Privernas; quae a superioribus hoc differunt, quod communia sunt omnibus generibus, et assumere debent I literam in genitivo plurali, quae neutralibus in plurali nominativo, accusativo, vocativo familiaris est. Igitur nostratium, Privernatium dicemus, quia sunt haec nostratia, Privernatia; sed et praegnatium et optimatium dicimus, quia accusativus pluralis I literam habet, ut hos et has optimatis et has praegnatis, quamvis veteres praegnatum et optimatum dixerunt. Praegnas autem feminini et neutri generis est. As et mas quum sint monosyllaba, analogia non tenentur, sed propria quaedam declinatione assis et maris faciunt, et in plurali assium, marium. Fas et nefas aptota sunt. Graeca nomina, quae apud nos in as 300
exeunt, tres species habent. Prima est, ut Olympias, Pythias; nam Olympiadis et Pythiadis facit. Secunda, ut Pallas, Thoas, Atlas; nam Pallantis, Thoantis, Atlantis facit. Tertia, ut Aeneas, Pythagoras, Lycas; nam facit Aeneae, Pythagorae, Lycae; quando nostra ratione nomina, quae genitivo in E exeunt, nominativo A finiuntur, ut Catilinae, Catilina. Sed Graeca sunt, ideo in nominativo S literam retinent. Quaedam tamen perdunt S literam in nominativo, ut Nicia, Mela. Ergo in his nominativis consuetudo servanda est. S litera praecedente E terminatorum species sunt quinque. Prima, quorum 301

Laenas] In editis *Lenas;* unde Grotius observat: »Dubito de hoc loco.« Sed non erat, quod dubitaret, quandoquidem sexcenties AE cum E permutatur; Laenas autem gentis Popilliae cognomen satis est notum.

differunt] Non erat igitur cur Schneiderus (form. I, p. 252) *Maecenatium* quoque dicendum existimaret, ut in gentilibus; utrumque enim genus clare noster distinguit.

fas et nefas] Ita Reichenauensis et Darmstattensis pro corruptis, quae Grotius edidit, *phas* et *nephas*.

sed Graeca] Ita Darmstattensis. Perperam in editis: »sed *haec* Graeca.« Non enim ad Latina exempla respicit, sed ad illa quae Graeca in AS terminantur.

Mela] In editis erat *Medaea,* unde Grotius jam e vestigiis codicis sui conjecerat *Mela,* quod ipsum in Monacensi (C) legitur pariter atque in Darmstattensi et Reichenauensi; ex quo et anterioribus

nominativus et accusativus et vocativus plurales similes sunt, sed genitivus pluralis in um exit, ut Hercules, proles, Herculum, prolum. Secunda species est, quae a superiore hoc differt, quod genitivum pluralem in ium compellit, accusativum in es, ut nubes, rupes, cautes. In qua forma masculina non habentur. Tertia, quae etiam si aliquam inter se habent differentiam in declinatione, tamen quoniam incremento syllabarum pares sunt in obliquis casibus, in unam speciem rediguntur, ut Ceres, bipes, merces; masculina autem exempla non sunt nisi Graeca, ut Chremes, Laches. Quarta species hoc differt a praecedente, quod obliquos casus E in I compellit, quum superior E literam servat: videlicet quoniam in nominativo non ut superiora E producunt, sed contrahunt, ut hospes, antistes, ales, comes. Quinta species a superiore hoc differt, quod genitivus aucta syllaba I litera finitur, qui etiam dativus habebitur, accusativo in em exit, ablativo in E productam, cui adjecta rum syllaba genitivum pluralem facit; cujus numeri nominativum cum prima positione et vocativo singulari confundit, dativum et ablativum bus syllaba finit, ut facies, dies, spes, acies. Sed consuetudo rei et spei corripuit,
302 fortasse quod monosyllaba sunt. S litera praecunte I terminatorum alia crescunt per obliquos casus, alia intra modum positionis continentur, duntaxat in numero singulari. Eorum igitur, quae non crescunt, species sunt duae. Prima generis masculini, ut scrobis, mensis, licet Lucanus exiguam scrobem

editionibus etiam *Nicia* reposui pro *Nicaea* apud Grotium.

sed genitivus] Male Grotius omisit *sed*, quamvis in anterioribus legatur. Idem mox mire *habent* pro *habentur*.

quarta] Perperam editi »non differt« quo sensus prorsus contrarius falsusque exit. Quod reposui »hoc differt«, codices Monacensis (C) et Darmstattensis praebuerunt.

quinta] Quo melius perspicias quae sequuntur, adde exemplum et intelliges: »quod genitivus aucta syllaba (nempe *dies*, *diei*) I litera finitur, qui genitivus etiam dativus *(diei)* habetur: accusativo in EM exit *(diem)*, ablativo in E productam *(die)*, cui adjecta RUM syllaba genitivum pluralem *(dierum)* facit; cujus numeri (pluralis) nominativum cum prima positione (id est nominativo *dies*) et vocativo singulari *(dies)* confundit.

Lucanus] In Pharsalia 8, 756: »*exigua* posuit trepidus *scrobe*«, ubi Cortius monet Servium (ad georg. 2, 50 et 288) reprehendisse *scrobem* femineo genere a Lucano prolatum. »Melius« inquit

dixerit; feminini et communis, ut canis, juvenis, quorum declinatio liquet. Secunda species hoc a superiore differt, quod ablativum in I litera finit, accusativum in im, ut duo sola masculina, Ligeris, Tiberis; feminina, clavis, pelvis, turris, classis, cassis. Hanc rationem declinandi manifestam diminutio facit, quae I producta in omnibus istis pronunciatur. Itaque quoties dubitamus de nominum enunciatione, diminutionem ejus consulemus. Eorum, quae syllaba crescunt, species sunt duae, quarum altera corripit I literam, in qua forma sunt masculina, sanguis, pulvis, lapis; feminina, cuspis, cassis; in quibus nihil interest, quod alia in declinatione I conservant, alia in E transeunt, item quod alia dis- alia trisyllaba in genitivo finiuntur. Altera species I literam producit in nominativo, glis, lis, quam et in obliquis similiter conservant; in genitivo plurali I ante um syllabam dicimus, glirium, litium, non ut superiora, lapidum, cuspidum, cassidum. S litera praecedente O 305
terminatorum quum sit parvum discrimen, una species potest esse; nam quum omnia in obliquis syllaba crescant, hoc differunt, quod quaedam in genitivo S literam in T, quaedam in D, quaedam in R convertunt, ut nepos nepotis, custos custodis; monosyllaba masculina, ut flos floris, ros roris; item neutrum, os oris. In ossibus autem nominativum consuetudo facit os, contra rationem, quoniam in genitivo R non habet. Sed nec ossum potest dici,

»Priscianus (7, p. 251) utrumque genus admittit, ut Martianus Capella obiter tantum notat Lucanum. Sed cum Lucano Ovidius (met. 7, 245) et Prudentius (*περιστεφ.* 10, 1011): »nempe sub terram *scrobe acta.*«

Ligeris, Tiberis] Sic e codice Darmstattensi scripsi pro *Liguris, Tyburis* apud Grotium. Fluvii sunt notissimi, licet alter in Gallia plerumque *Liger* appelletur. — Mox Grotius in margine: »al. *sitis, tussis*«, melius fortasse quam vulgo *classis, cassis*, quarum altera certe per errorem tantum huc irrepere potuit.

diminutionem] Quinctilianus (1, 6, 6; p. 140 Spald.): »Deminutio genus modo detegit, et ne ab eodem exemplo recedam, *funem* masculinum esse *funiculus* ostendit. Eadem in verbis quoque ratio comparationis.« Sed hoc huc non pertinet, quia non de genere, sed de flexione vocabulorum sermo est. Neque producunt I sed corripiunt horum diminutiva, ut *navicula, classicula, turricula* cet. Vide igitur ne de *ablativo* casu Martianus loquatur, qui I producta terminetur; fuerunt enim grammatici, qui eadem vocabula accusativum in IM habere censerent, quae ablativum in I; cf. Schneiderum (form. I, p. 206).

quoniam neutra, quae nominativo M terminantur, bus syllabam non admittunt
304 numero plurali; ergo in monosyllabis analogia non tenetur. S litera praecedente V terminatorum species sunt sex. In prima genitivus I simplice, vocativus E terminatur, ut Marcus, Sextus; genitivus, ut Marci, Sexti; vocativus, ut Marce, Sexte. Secunda species a superiore hoc distat, quod genitivo I geminat, et in vocativo I terminatur, ut Antonius, Julius, hujus Antonii, Julii facit, et o Antoni, Juli; in ceteris cum superiore consentiunt. Tertia species nominativum cum vocativo miscet, et genitivo easdem literas producte conservat, dativo V et I, ablativo V, accusativo um terminatur, ut senatus, fluctus, exercitus, quae pluraliter nominativum cum accusativo et vocativo in us productum agunt, genitivum in um, dativum et ablativum in bus syllabam. Quarta species incrementum syllabae per obliquos casus accipit; ita tamen ut aliquam varietatem inter se habeant. Quaedam enim V literam retinent, alias correptam, alias productam, ut Ligus Liguris, palus paludis, virtus virtutis; quaedam V literam in E vel in O mutant, ut vetus veteris, Venus Veneris, nemus nemoris; quaedam tamen uno modo declinantur. Laus et fraus, quum

in prima] *In* omnino inserendum erat codicis Darmstattensis auctoritate.

secunda] De harum specierum differentia acriter pugnatum esse inter grammaticos Gellius (14, 5) refert, quem conferre operae pretium erit. Scioppius (gramm. philosoph. p. 64): »(nomen) proprium per IUS (in vocativo) dabit I. Fallitur Priscianus, qui lib. 7 veteres contra hanc regulam putat *Laërtie* dixisse, pro *Laërti*. Nec enim proprium nomen est *Laërtius*, sed appellativum, ut sit Laërtius filius, Laërtia proles, Laërtium praedium, pro Laërtae. Accius, opinor, in versu, quem a Cicerone usurpatum Fabius memorat: »nisi quo Ulysses rate evasit *Laërtius*.« Recte igitur Jul. Caesar Stella in versu ad Franciscum a Castro *Castrie* dixit. Nam Franciscus comes *Castrius* est idem quod Castri comes. Qui Stellam eo nomine reprehendunt — Priscianum condiscipulum habebunt. Etsi hic sua sponte resipuit, ut ex libro ejus XVIII apparet, ubi de possessivorum vocativis praecipiens recte dici fatetur: »O genitor noster *Saturnie* maxime divum«; et »*Evandrie fili*« et »*Telamonie* Ajax.« Simili certe ratione *Delie* vocativus est a Delius apud Statium. *Julius* et *Pompejus* interdum sunt adjectiva, ut Julius ensis, Pompeja domus, et tunc vocativus fit *ensis Julie*; sed quum sint nomina propria, vocativus exit in I, ut *Juli*.«

producte] Editiones quidem *producente;* sed codices Reichenauensis et Darmstattensis et ipsius Grotii margo *producte;* quibus addo *productae* pro *producte* in Monacensi (C). Quod paulo etiam post legitur *productum*, ex iisdem codicibus recepi pro eo, quod manifesto falsum erat apud Grotium *productam.*

sint monosyllaba et duas vocales habeant junctas, in eadem specie habentur, quia similiter syllaba crescunt. Quinta species pronominum, quae us terminantur, ut unus, totus, solus, quae hoc modo declinantur: unus unius uni unum une ab uno; uni unorum unis unos uni ab unis. Sexta in eus, ut hinuleus, equuleus, a vocativo E litera geminata efferuntur, ut equulee, hinulee; sed quidam malunt in eu, ut Tydeu, vocativo Graece dicere. S 305
litera I praecedente finita neutra monoptota sunt, ut tressis, sexis. S litera praecedente V duae species sunt. Prima, quae in I genitivum agit, et pluralem non habet, ut vulgus, pelagus; virus Lucretius viri dicit, quamquam rectius inflexum maneat. In secunda specie sunt, quae per obliquos casus crescunt et genitivo singulari in ris literas exeunt, ut genus, nemus; ex quibus quaedam V in E mutant, ut olus oleris, ulcus ulceris, quaedam in O, nemus nemoris, pecus pecoris. In dubitationem veniunt stercus et foenus, in E an in O mutent, quoniam quae in us syllabam finiunt, V in E mutant, ut vulnus, genus, funus et funeratus dicimus; foenus enim exemplo non debet nocere, quum inter dubia genera ponatur; item veteres sterceratos agros dicebant, non stercoratos. S litera finita nomina praecedentibus N vel R omnia sunt unius 306

tressis, sexis] Et ita semper utitur Martianus, ut in arithmetica »sexis faciunt« et similia. Gaor. — Varro (de lingua Lat. 4, p. 47): »ab tribus assibus *tressis* et sic proportione usque ad *nonussis*.« At »in denario numero«, inquit, »*mutat*« id est *declinatur*, ut *decussis*, *centussis*.

ut vulgus] Quae sequuntur (usque §. 315) apud Cassiodorum (de arte grammatica) fere iisdem verbis leguntur; ut verisimile sit e Martiani Capellae codice aliquo exscripta esse. Cassiodorum enim minime ea scripsisse quum inde patet, quod ille se Donatum secuturum esse ab initio profitetur, tum quod, ubi Martiani verba incipiunt, nullus cum antecedentibus nexus animadvertitur. Mirum profecto ne Benedictinos quidem, alias diligentissimos, in novissima Cassiodori, sive, ut illi scribunt, Cassiodorii editione id perspexisse.

inflexum] Nimirum *non flexum*, ita ut etiam genitivus vocis *virus* enuncietur. Lucretii (2, 475) autem verba sunt: »tetri primordia *viri*.«

dubitationem] Ita e Cassiodoro (ed. 1729, p. 530) et codice Darmstattensi reposui pro *dubitatione*, quod in editis erat. Paulo etiam post e Reichenauensi restitui *quoniam* pro *quomodo*.

us] E Cassiodoro (p. 522 ed. a. 1663) hanc lectionem reposui pro absurda in editis *mus*.

sterceratos] In codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi pariterque apud Cassiodorum (p. 530) inverso hanc ordine leguntur, quasi *stercoratos* antiquior forma sit; sed nihil muto.

generis; nisi quae ante S R habent, interdum D recipiunt, ut socors socordis, interdum T, ut sollers, iners. In plurali quoque excepto genitivo et accusativo omnibus casibus similiter declinantur. Nam quaedam in um genitivo, accusativo in es exeunt, ut Mars, Aruns; quaedam in ium, ut sapiens, patiens, et ob hoc accusativi eorum in is exeunt. Pleraque autem ex his nomina tribus generibus communia sunt, et I literam, quam habent neutra in nominativo plurali, dant etiam genitivis reliquorum generum cum quibus
307 communia sunt. T litera neutra tantum nomina quaedam pauca finiuntur, ut git, quod non declinatur, et caput, sinciput. Quidam quum lac dicunt, adjiciunt T, propter quod facit lactis; sed Virgilius: „Lac mihi non aestate novum, non frigore defit"; quippe quum nulla apud nos nomina in duas
308 mutas exeant, et ideo veteres lacte in nominativo dixerunt. X litera terminatorum quaedam in genitivo plurali, in quibus omnia communia, in ium exeunt, et ob hoc accusativo in I et S; plurima vero genitivo in V et M non praecunte I, et ob hoc in E et S accusativo exeunt. Nam in reliquis consentiunt, utpote quum singulariter omnia in nominativo habeant X, genitivum in I et S agunt, dativum in I literam, ablativum in E vel I definiant, adjectaque M accusativum definiunt implentque; pluraliter vero dativum ablativumque bus syllaba finiunt. Nam de ceteris, quibus dissident veteres, quidam atrocum et ferocum, qua ratione omnium X litera finitorum una species videbitur. Huic X literae omnes vocales praeferuntur, ut capax, frutex, pernix, atrox, redux. Ex his nominibus quaedam in nominativo

ium] Grotius in margine: »alii *tum*.« Codex Monacensis utrumque praebet, sed hoc etsi verum sit, Martiani tamen sententiae minime aptum est.

exeant] Pro Grotiano indicativo *exeunt* codex Darmstattensis et Monacensis (C), Cassiodorusque (p. 550) rectius habent conjunctivum. Virgilii locus est in eclogis (2, 22). De re ipsa confer superiorem notam (§. 256), et Priscianum (7, 9, 48; p. 323 Kr.): »*lac lactis*, quod quibusdam placet in nominativo per apocopam *te* proferri; *hoc lacte* enim dicebant antiqui.«

in B] Supplevi e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi voculam *in*, quam Grotius omiserat: et ex libris ante eum editis post literam E restitui »vel I«; licet non sine causa haec Grotius omiserit, quia ad ea quae mox de accusativi formatione ex

producuntur, quaedam corripiuntur; quaedam consentiunt in nominativo, in obliquis autem dissentiunt. Pax enim et rapax, item rex et pumex, item nux et lux, primam positionem variant; at nix et nutrix, item nox et atrox sic in prima positione consentiunt, ut discrepent per obliquos. Et illud animadvertendum est, quaedam ex his X literam in G et quaedam in C per declinationes compellere. Lex enim legis, grex gregis facit, et pix picis, nux nucis; nam in his, quae non sunt monosyllaba, nonnunquam X litera genitivo in C convertitur, ut frutex fruticis, ferox ferocis facit. Supellex autem et senex et nix privilegio quodam contra rationem declinantur, quoniam supellex duabus syllabis crescit, quod vetat ratio; et senex, ut in nominativo, item in genitivo disyllabum manet, quum omnia X litera terminata crescant; et nix nec in C convertitur ut pix, nec in G ut rex, sed in V consonans, quum in vocalem transire non possit. In plurali autem genitivo ablativus singularis formas vertit; nam in A aut O terminatus in rum exit; E correpta in um, producta in rum; I terminatus in ium, V terminatus in uum. Dativus et ablativus plurales item aut in is exeunt, aut in bus, quae praecepta in scholis sunt tritiora; sed quoties in is exeunt, longa syllaba terminantur, quoties in bus, brevi.

ablativo noster subjungit, minime quadrant, Martianusque ut *atrocum*, sic etiam *atroce* dicere propter analogiam maluisse videtur.

lux] Darmstattensis *dux*. Mox *enim* post *sic* omisi ejusdem et Monacensis (C) auctoritate.

obliquos] *Conversos* Cic. (N. D. 2, 25) appellat. Nominandi casum solum ab obliquis separat noster rectius quam Donatus (ap. Bedam Op. 1. p. 17), qui praeter nominativum etiam vocativum *rectum* dicit, sejungens utrumque ab *obliquis*.

in plurali autem] Lege: »in plurali autem genitivos et ablativos singularis forma vertit.« Subnectit hic regulas generaliores, quarum prima est »ablativos genitivosque plurales pro varietate positionis variari.« Grot.— *Formas*, non *forma*, tam priores editiones, quam codices Reichenauensis et Darmstattensis, et Cassiodorus multo melius exhibent. Errat etiam Grotius, quod videbis, si Priscianum cum nostro contuleris. Ille enim eadem, quae hic, sed clarius (7. p. 231 ed. Bas.) docet verbis: »et genitivus quidem pluralis fit in omni genere ab ablativo singulari assumente rum, ut ab hoc viro horum *virorum*, ab hac platano harum *platanorum*, ab hoc templo horum *templorum*.«

bus] Non solum Monacensis (C) et Darmstattensis, sed Cassiodorus etiam (p. 550) hanc syllabam habent. Male Grotius *ibus* edidit.

DE GENERIBUS VERBORUM.

309 Decursis nominum regulis aequum est consequentia dicere canonesque verborum. Genera verborum sunt quinque, activum, passivum, neutrum, commune, et deponens. Activum est, quod in O exit et agendi significationem habet, ut lego, scribo, canto, et cetera hujusmodi. Passivum in R, et patientis significationem monstrat, ut legor, scribor. Neutrum in O, et neque agentis neque patientis plenam significationem habet, ut sudo, dormio; nescias enim agat quis an patiatur. Commune et deponens in R exit, sed hoc interest, quod in communi duae sunt significationes, agentis et patientis; quum enim dicimus osculor, nescis utrum potius osculor te an osculor a te; in deponenti autem aut agentis effectus est, ut luctor, aut patientis, ut morior. Est etiam impersonale, ut sudatur, curritur; quod ideo sic vocatur, quod quum omnes personas contineat, nullam habet certam.

DE MODIS VERBORUM.

310 Verborum autem modi sunt quinque; sed alii sex, alii septem, alii octo, alii novem, pauci decem esse dixerunt. Qui vero quinque dicunt,

nescias] Ita Reichenauensis codex pro *nescio* in editis.

communi] Confer Augustinum (Op. 1. p. 179) et Bedam (Op. 1. p. 20); sed prae omnibus Gellium (15, 13) »de verbis inopinatis, quae utroqueversum dicuntur, et a grammaticis *communia* vocantur.«

modi] Priscianus quoque quinque modos facit eosdem quos noster; Cledonius (p. 189 Putsch.) sex, non tamen *promissivo*, quem modum esse negat, sed *impersonali* adjecto; Charisius (p. 142) septem; Servius (ad Donatum p. 1787) octo, sed ut *gerundivum* adjiciat, non *percunctativum*; Maximus denique Victorinus (p. 1948) *hortativo* addito novem vel cum *percunctativo* decem numerat. Optime autem cum nostro comparabis Diomedem (p. 328), qui postquam eadem quae noster verbi genera explicavit, modos quoque subjungit, »quos« inquit »quinque esse omnes fere grammatici consentiunt. Nam qui sex voluerunt, vario judicio alii *promissivum*, quidam *impersonalem* conjungunt; qui septem, utrumque prioribus adjiciunt; qui amplius, *percunctativum* assumunt; qui novem, *conjunctivum* a *subjunctivo* separant; qui decem, etiam *adhortativum* ascribunt.« Unde simul patet, nostro quoque infra restituendum fore *subjunctivum* pro *subjectivum*, si libri scripti addicerent.

hos ajunt: indicativum, imperativum, optativum, conjunctivum, infinitivum, quem et perpetuum dicimus. Qui sex memorant, addunt promissivum; qui septem, impersonalem; qui octo, percunctativum; qui novem, subjectivum, et a conjunctivo eum separant; qui decem, hortativum adscribunt; sed hos superflue adjectos ratio non admittit.

DE CONJUGATIONIBUS.

Conjugationes autem, quas Graeci *ὀυζυγίας* appellant, tres esse non 311
dubium est, quae in verbis activis neutralibusve in secunda persona tempore praesenti monstrantur. Nam quoties finalis syllaba in as exit, prima est; in es, secunda; in is, tertia: ut cantas, vides, audis, si producta sit haec tertia; nam si correpta sit, curris. Harum omnium conjugationum verba in prima positione ante ultimam literam tres tantum vocales recipiunt E, I, V, ut sedeo, lanio, irruo; consonantes autem omnes, exceptis F, K et Q, ut libo, vaco, cado, lego, traho, impello, amo, cano, scalpo, curro, lasso, peto, vexo. His accedunt I et V loco consonantium positae, ut ajo, adjuvo; sed nec F excludunt, quum dicamus triumfo, quanquam a Graecis veniat et per P et H potius scribatur. Praeterea ab eo quod dicimus faris et fatur primam verbi personam volunt for. De Q litera dubitatur; nam dicimus eliquo et aequo, et in hujusmodi verbis V litera nec vocalis locum, ut est irruo, nec consonantis, ut est adjuvo, valeat obtinere.

DE FORMIS.

Harum omnium conjugationum in declinando formae sunt triginta sex, 312

perpetuum] Sic verbi causa Charisius.

correpta] Tertiam productam conjugationem eandem esse, quam nos quartam appellamus, supra (§. 285) vidimus. Veteres enim omnem conjugationem, cujus secunda persona praesentis singularis literis IS terminatur, ut *curris*, *audis*, tertiam dixerunt, quae si corripitur, etiam nobis tertia audit, si vero producitur, nobis quarta est. Faciliorem utramque tertiam distinguendi notam ex imperativi forma jam attulerat Augustinus (gr. Op. I. p. 179 Bas.) hisce verbis: »Tertia correpta est, quae imperativum modum in E correptam mittit, ut *scribe*, *tolle*. Tertia producta ex eodem imperativo modo colligitur. Quum enim imperativus modus exit in I literam, tertia conjugatio producta est, ut *audi*, *nutri*« (conf. §. 321).

exceptis defectivis et impersonalibus et inchoativis. Primae conjugationis verba, quae vel O litera nulla alia praecedente vocali terminantur, vel praeeunte vocali qualibet, formas habent quatuor. Secundae conjugationis verba formas habent sex. Tertiae conjugationis correptae verba formas habent viginti. Sic quaecunque verba indicativo modo tempore praesenti persona prima io literis terminantur, formas habent sex; quae uo, formas habent duas; quae nulla praecedente vocali O litera terminantur, formas habent duodecim. Tertiae conjugationis productae verba, quae indicativo modo tempore praesenti prima persona io literis terminantur, formas habent quinque. Quaecunque autem verba cujuscunque conjugationis indicativi modi tempore praesenti persona prima, vel nulla praecedente vocali vel qualibet alia praecedente, O litera terminantur, eorum declinatio hoc numero formarum continetur, de quibus singulis dicam.

DE PRIMA CONJUGATIONE.

313 Primae conjugationis verba indicativo modo tempore praesenti persona prima aut O litera nulla alia praecedente vocali terminantur, ut amo, canto; aut eo, ut commeo, calceo; aut io, ut lanio, satio; aut uo, ut aestuo, continuo. Primae conjugationis verba imperativo modo tempore praesenti ad secundam personam A litera producta terminantur, ut amo ama, canto canta. Infinitivo modo ad imperativum modum re syllaba manente productione terminantur, ut ama amare, canta cantare. Item prima conjugatione, quae indicativo modo tempore praeterito specie absoluta, adjecta ad imperativum modum vi syllaba manente productione terminantur, ut commeo commea commeavi, lanio lania laniavi, satio satia satiavi, eodem modo eodem tempore specie inchoativa adjecta ad imperativum modum bam syllaba terminantur, ut commea commeabam, lania laniabam, aestua aestuabam. Item prima

correptae] In editis erat *correpta*, quod corrigendum esse recte vidit Grotius, correxique ego codicis Reichenauensis auctoritate.

inchoativa] Notabis id quod hodie imperfectum dicimus, id veteribus *inchoativum* dictum; perfectum autem *absolutum*; et plusquamperfectum *exactum*, vel speciem *recordativam*. Gnot.

item prima] Locus non omnino sanus; nihil

conjugatio eodem modo eodem tempore specie recordativa adjectis ad imperativum modum ve et ram syllabis M terminat partes, ut commea commeaveram, lania laniaveram, aestua aestuaveram. Prima conjugatio eodem modo tempore futuro adjecta ad imperativum modum bo syllaba terminatur, ut commea commeabo, lania laniabo, aestua aestuabo. Quae vero indicativo modo tempore 314
praesenti ad primam personam O litera nulla praecedente vocali terminantur, ea indicativo modo tempore praeterito specie absoluta et exacta quatuor modis proferuntur. Et est primus modus, qui similem his regulam habet, quae indicativo modo tempore praesenti prima persona penultimam vocalem habent, ut amo ama amavi amabam amaveram amabo amare. Secundus est, qui O in I convertit, et penultimam in praeterito perfecto, et tertiam ab ultima in plusquamperfecto producit, ut adjuvo adjuvi adjuveram. Tertius, qui similem quidem regulam tenet primi modi, sed detracta A litera disjungit, ut seco secui secabam secabo secare. Facit enim specie absoluta secui et exacta secueram. Quarta est, quae per geminationem syllabae profertur, ut sto sta steti stabam steteram stabo stare. Huic simile do da dedi dabam dederam dabo dare correpta litera A contra regulam in eo quod est dabam dabo dare profertur.

DE SECUNDA CONJUGATIONE.

Secundae conjugationis verba indicativo modo tempore praesenti persona 315
prima eo literis terminantur, ut video vides, moneo mones. Secundae conjugationis verba imperativo modo tempore praesenti ad secundam perso-

tamen varietatis inveni, nisi quod a codicibus Reichenauensi et Darmstattensi abest *item*, in Monacensi (C) autem pro *conjugatio* legitur *conjugatione*.

tenet] Ita Monacensis codex dedit pro Grotiana lectione *habet*, cujus tam crebrae repetitionis taedebat.

secabam] Ita anteriores pro corrupto apud Grotium *secaveram*. Ceterum ut Martianum intelligas, reputandum est, literam V et consonantis et vocalis vim habere, ut ex *avi* ejecta A remaneat *ui*.

dabam] Supplevi hoc e codicibus Darmstattensi et Monacensi (C), ut conforme exemplum esset antecedenti.

ut video] Supplevi *ut* apud Grotium omissum tam ex anterioribus editionibus, quam e codi-

nam E litera producta terminantur, ut video vide, moneo mone. Secundae conjugationis verba infinitivo modo adjecta ad imperativum modum re syllaba manente productione terminantur, ut vide videre, mone monere. Secundae conjugationis verba indicativo modo tempore praeterito specie absoluta et exacta septem modis declinantur. Et est primus, qui formam regulae custodit. Nam forma haec est, quum secundae conjugationis verbum indicativo modo tempore praeterito quidem perfecto adjecta ad imperativum modum vi syllaba manente productione terminatur, ut deleo delevi; plusquamperfecto autem adjectis ad imperativum modum ve et ram syllabis terminantur, ut dele deleveram. Secundus est, quum indicativi modi primae personae, E et O literis terminatae, transeunt in I, ut sedeo sedi, et in exacta, ut sederam. Tertius est, quum E et O in V et I mutantur, ut caleo calui, moneo monui, calueram, monueram. Quartus est, quum E et O in I mutant, et consonantem quae praecedit in S, ut mulgeo mulsi mulseram. Quintus est, quum E et O in I mutant, praecedens vero consonans in X mutatur, ut luceo et lugeo luxi luxeram. Sextus est, qui per duplicationem syllabae profertur, ut spondeo spopondi spoponderam. Septimus est, qui resolvitur in formam passivorum, ut audeo ausus sum, es, est; ausus eram, eras, erat. Secundae conjugationis verba indicativo modo specie inchoativa adjecta ad imperativum modum bam syllaba manente productione terminantur, ut vide videbam, mone monebam. Secundae conjugationis verba indicativo modo tempore futuro adjecta ad imperativum modum bo syllaba manente productione terminantur, ut vide videbo, mone monebo.

DE TERTIA CONJUGATIONE CORREPTA.

316 Tertiae conjugationis correptae verba indicativo modo tempore praesenti persona prima aut O litera nulla alia vocali praecedente terminantur, ut lego

dicibus Reichenauensi et Darmstattensi et Cassiodoro.

luceo et] Supplevi haec verba e Darmstattensi codice.

legis, peto petis; aut I, rapio rapis, facio facis; aut V, ut induo, irruo. Tertiae conjugationis correptae verba, quae indicativo modo tempore praesenti persona prima O litera, nulla alia praecedente vocali, terminantur, eadem imperativo modo tempore praesenti persona secunda E correpta, praecedente consonante primae positionis terminantur, ut lego lege, peto pete; quae V et O, ea imperativo modo V et E retinebunt, ut induo indue, irruo irrue. Tertiae conjugationis correptae verba infinitivi modi adjecta ad imperativum modum re, syllaba manente correptione terminantur, ut lege legere, pete petere. Tertiae conjugationis verba, 317
quae indicativo modo tempore praesenti persona prima io literis terminantur, ea praeteritum perfectum et plusquamperfectum sex modis enunciant. Primus est, qui tertiae conjugationis productae integram regulam sequitur; hic est qui imperativi modi regulam in productionem vertit, et in absoluta specie assumit vi syllabam et in exacta veram, ut cupio cupivi cupiveram. Haec eadem tamen interdum sublata V litera in absoluta specie et geminata I, in exacta vero correpte eadem pronunciatur, ut cupii cupieram. Secundus modus est, qui primae positionis verbo O literam deponit, et praecuntem syllabam, seu mutata vocali seu perseverante, producit, ut facio feci, fugio fugi; in exacta vero specie I deposita et in E mutata ram syllaba assumit, ut feceram, fugeram. Tertius modus est, quum I et O in V et I convertuntur, ut elicio elicui elicueram. Quartus depositis io literis et praecunte consonante per S geminum enunciatur, ut percutio percussi percusseram. Quintus, qui per X, ut aspicio aspexi aspexeram. Sextus, qui per geminationem syllabae enunciatur, ut pario peperi pepereram. Tertiae conjugationis correptae verba, quae indicativo 318
modo tempore praesenti persona prima V et O literis terminantur, ea praeterito et absoluto et exacto duobus modis enunciantur. Et est primus, quum primae positionis verba O in I commutant, ut induo indui indueram; secundus,

aut I] E Darmstattensi codice literam I supplevi, moxque scripsi V pro *uo* in editis; et paulo post addidi *alia* post *nulla*.

hic est] Haec verba in codice Monacensi (C) prorsus omittuntur, estque probabile e literis h. e. (hoc est) male intellectis orta esse.

V et O literis] Ita codex Grotii rectius, quam »*O litera*« in editis aliisque manuscriptis.

319 qui per X pronunciatur, ut instruo instruxi instruxeram. Tertiae correptae verba, quae indicativo modo tempore praesenti persona prima O litera nulla alia vocali praecedente terminantur, ea indicativo modo tempore praeterito specie absoluta et exacta duodecim modis declinantur. Et est primus, qui tertiae conjugationis productae integram formam sequitur, ut supra ostendimus in his verbis, quae tertiae conjugationis correptae indicativo modo tempore praesenti persona prima io literis terminantur; ut enim est cupio cupivi cupiveram, sic peto petivi petiveram. Haec quoque V literam interdum subtrahunt, et I geminant, ut petii petieram. Secundus est, quum O in I convertitur, qui primae positionis verbi O literam in I commutat, et praecuntem syllabam seu mutata vocali seu perseverante producit; deposita etiam consonante, si fuerit media, in quam prima vocalis desinat; ut ago egi egeram, lego legi legeram; eorum autem, quae in consonantem exeunt, exempla sunt haec: frango fregi fregeram, fundo fudi fuderam. Quartus est qui mediam consonantem deponit et praecuntem vocalem corripit, ut findo fidi fideram, scindo scidi scideram. Quintus, O litera deposita, V et I assumit, ut molo molui molueram, colo colui colueram. Sextus, qui deposita O, S et I assumit, ut carpo carpsi carpseram; scribo scripsi scripseram. Septimus, qui O deposita et praecunte consonante per S geminum pronunciatur, ut meto messui messueram. Octavus, qui simili correptione per unum S praecunte vocali producta declinatur, ut trudo trusi truseram. Nonus, qui per X pronunciatur, ut expungo expunxi expunxeram, ungo unxi unxeram. Decimus, qui per geminationem primae syllabae profertur, ut pungo pupugi pupugeram, curro cucurri cucurreram. Undecimus, qui verborum compositorum ultimam syllabam geminat, ut trado tradidi tradideram, reddo reddidi reddideram. Duodecimus, qui in formam passivorum resolvitur, ut fido fisus sum, es, est;

exeunt] Grotius in margine: al. *desinunt*.

messui] Priscianus (8. 11, 59: p. 402 Kr.): »*Meto* etiam quidam *messivi*, quidam *messem feci*. sed usus vetustissimorum *messui* comprobat.«

per X pronunciatur] Mire Monacensis (C) et Darmstattensis *annunciatur*.

fisus eram, eras, erat. Haec omnia tertiae conjugationis correptae verba 320
indicativo modo tempore praeterito specie inchoativa adjecta ad imperativum modum bam syllaba, praecedente consonante primae positionis, vocali E adjecta productione terminantur, ut lege legebam, pete petebam; exceptis his, quae I ante O habuerint in prima positione; ea enim adjecta I litera ad imperativum modum, et adjecta bam syllaba, producta E terminantur, ut rapio rape rapiebam. Tertiae conjugationis correptae verba indicativo modo tempore futuro sublata E litera et adjecta am syllaba terminantur, ut lege legam, pete petam, indue induam; exceptis his, quae I ante O habuerint in prima positione; ea enim E in I convertunt, et assumpta am syllaba faciunt futurum, ut rapio rape rapiam, facio face faciam.

DE PRODUCTA TERTIA.

Tertiae conjugationis productae verba indicativo modo tempore prae- 321
senti persona prima aut eo literis terminantur, ut adeo adis, prodeo prodis; aut io, audio audis, nutrio nutris. Tertiae conjugationis productae verba imperativo modo tempore praesenti in secunda persona I producta terminantur, ut adeo adi, prodeo prodi, audio audi, nutrio nutri. Haec infinitivo modo adjecta ad imperativum modum re syllaba manente productione terminantur, ut adi adire, prodi prodire. Tertiae conjugationis verba, quae indicativo modo tempore praesenti persona prima eo literis terminantur, ea modo indicativo tempore praeterito specie absoluta adjecta ad imperativum modum vi syllaba terminantur, ut adeo adivi; exacta autem verba veram, ut adiveram;

face] Quinctilianus (1, 6, 21; p. 130. 131 Spald.) quidem »insolentiae esse« censet »abolita atque abrogata ut *face* et *dice* et similia retinere«; sed ex optimis scriptoribus Ovidius (e Ponto 2, 2, 64; fast. 5, 690) archaismum illum retinuerat, quare neutiquam culpandus Martianus est.

eo literis] Priscianus (super XII versus Aen. 2): »omnia enim verba in *eo* desinentia secundae sunt conjugationis, exceptis paucis primae — et quartae *queo quis* et *eo is*, et quae ex his componuntur.« Charisius quoque (p. 130 Putsch.) *eo* et quae ex eo composita sunt, ad verba quarti ordinis refert, licet alio loco (p. 251) inter corrupta ponat, pariter ut Diomedes (p. 356).

sed consuetudo saepe brevitatem appetens V literam subtrahit, et absoluta ingeminat I, ut adii, prodii, adieram, prodieram. Inchoativa quoque specie adjecta ad imperativum modum bam syllaba terminantur, ut adibam, prodibam.
322 Quae vero indicativo modo tempore praesenti persona prima io literis terminantur, ea tempore praeterito absoluta specie et exacta forma quinque modis enunciantur. Et est primus modus similis superiori, ut nutrio nutrivi nutriveram, nutrii nutrieram, et audii audieram, ut apud Virgilium: „audieras et fama fuit.“ Specie tantum inchoativa distant. Omnia enim tertiae conjugationis productae verba, quae indicativo modo tempore praesenti persona prima io literis terminantur, ea eodem modo tempore praeterito specie inchoativa E producta manente novissimae syllabae adjiciunt bam, ut audiebam, veniebam, operiebam; quanquam haec veteres sine E litera pronunciabant, ut Virgilius: „Nutribat Tyrrhusque pater, cui regia parent armenta.“ Secundus modus est, quum O amissa praecedens syllaba producitur, ut venio veni veneram. Tertius, quum I et O in V et I mittunt, ut operio operui operueram. Quartus, qui depositis I et O praecedentem consonantem in S convertit, ut sarcio sarsi sarseram. Quintus, qui per X enunciatur, ut vincio
323 vinxi vinxeram. Tertiae conjugationis productae verba, quae indicativo modo tempore praesenti eo literis terminantur, ea tempore futuro eodem modo bo syllaba adjecta ad imperativum modum terminantur, ut adeo adi adibo, prodeo prodi prodibo; quae vero io, adjecta ad imperativum modum am syllaba terminantur, ut audio audi audiam, nutrio nutri nutriam; quamvis Terentius protulerit per bo; inde apparet geminam esse pronuncia-

audii] Pro *audi* in editis, codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C). Virgilii locus est in eclogis (9, 11).

Tyrrhus] Ita Virgilius (Aen. 7, 485); Grotius male *Tyrus*.

mittunt] Apparet *mutant* legendum esse: sed invitis codicibus nihil muto.

ut sarcio] Apud Grotium neglecto *ut* legitur *sartio*. Emendationem hausi e Darmstattensi et Reichenauensi codice.

Terentius] In Adelphis (3, 3, 7). Nescio cur Grotius transposuit verba *jam scibo*; nam qui ante eum Martianum ediderant, veram lectionem servaverant.

tionem. Dixit enim: „Scibo jam ubi siet.“ Indicativo modo tempore prae- 324
senti eorum, quae eo literis terminantur, sunt verba quae a diverso praesenti praeteritum simile habent, ut luceo et lugeo; luxi enim facit. Item cernit et crescit crevi facit. Sunt alia, quae una verbi positione duas conjugationes teneant, ut pando, mando; faciunt enim pandas et pandis, mandas et mandis. Verba casibus junguntur interdum singulis ita: genitivo, ut misereor tui; dativo, ut suadeo tibi; accusativo, ut moneo te; ablativo, ut utor illo: interdum duobus, ut ablativo et accusativo, ut fungor hanc rem et illa re. Haec satis ad exempla analogiae dixisse sufficiat. Quae enim his formis conspecta fuerint non teneri, pro certo anomala judicanda, quae strictim exigueque memorabo, ut contra rationem etiam usum quendam usurpasse detegamus, aut etiam contra regulam defecisse.

DE ANOMALIS.

Quum nominativo singulari reus et deus similia sint, quare plurali hi 325
rei dicuntur, et usus dicit hi dî contra regulam, quum dici tantum dei deberet, praesertim quum genitivus nominativo suo duabus syllabis non debeat longior inveniri, quod hic eveniet, si dicamus deorum? Cur Thoas et Aeas quum similia sint, Thoantis et Aeantis faciant; Aeneas non facit Aeneantis, sed Aeneae? Cur quum hic biceps et triceps dicamus, genitivus duabus contra regulam syllabis crescat, et bicipitis et tricipitis dicamus, non bicipis aut tricipis?

luxi] Idem cum longe pluribus utriusque generis, quae hic memorantur, invenies apud Diomedem (p. 369 Putsch.), omisso tamen *pandare*, quod utique rarissimum est, nec nisi inter technicos, ut apud Vitruvium et Plinium, usurpatum esse videtur.

fungor hanc rem] Quemadmodum a Plauto (Amph. 2, 2, 197) scriptum legitur. Plura ejusmodi exempla Priscianus (17, p. 656) affert, cui addas Ruddimannum (inst. gr. Lat. II, p. 192).

syllabis crescat] Diomedes (p. 278 Putsch.): »Genitivus casus singularis aut totidem syllabis constare debet, quot nominativus ejus — aut una syllaba excedere — aliquando etiam duabus syllabis accrescit, ut *supellex supellectilis, iter itineris, auceps aucipitis, praeceps praecipitis.*« Recte tamen Scioppius (in gramm. philos. p. 65): »Multa in genitivo crescente videntur irregularia, quae non sunt, si antiquam recti seu nominativi positionem consideres. Non quia rectus varius esse potest, debet

Unde venit, ut aliger, frugifer, accipiter habeant omnes casus, Jupiter duos habeat? Quum sanctus, pius, bonus similia sint, cur dicimus sanctior, et pior non dicimus? deinde sanctior sanctissimus, bonior bonissimus non dicamus? Quum dicat Virgilius: fandi atque nefandi; quum a nefando dicatur nefarius, a fando farius non dicitur? Quare sejunctus amissa praepositione dicitur junctus, securus et sedulus eadem perdita non valeant memorari? Quum dicamus singuli viri, singulae mulieres, singula scrinia; quare non dicimus singulus vir, singula mulier, singulum scrinium? Quum venor, piscor, aucupor similia sint, cur venator et piscator dicitur, et aucupator non dicitur, sed auceps? Cur volo non habet imperativum? Cur fare primam verbi personam non habet? Quare soleo praeteritum perfectum non habet? Quum canta et lava similia sint, cur cantavi faciat, et lavavi non faciat? Item corusco et tono; coruscavi facit, tonavi non facit? Quid quod ego unum casum recipit? Quum calceatus, armatus, togatus, penulatus paria videantur, quare calceo et armo dicimus, togo et penulo non admittitur? Nominativus singularis in us exiens in omnibus positivis E productam habet in adverbiis, ut doctus docte, avarus avare, parcus parce; bonus et malus cur corripit

declinatio mutari, ait Servius. Charisius lib. I: Omnia, inquit, in declinatione vocabula non plus una syllaba *crescunt*. Rursus ibidem: *Ancipes* dixerunt veteres cum ratione, ne genitivo *ancipitis* duabus videretur syllabis crescere. Plaut. Rud.: Post altrinsecus est securicula *ancipes*.«

Jupiter] Duos, inquit, casus habet Jupiter, nominativum et vocativum: sunt tamen et qui *Jupitris Jupitri Jupitrem* dicunt. Gnor. — Placuisse hoc Caesellio Vindici Priscianus (6. p. 180 Basil.) tradit, Quinctilianus autem (1, 6, 25; p. 153 Spald.): »quaedam« inquit »nomina casibus carent, quaedam a primis statim positionibus tota mutantur, ut *Jupiter*.« Isidorus item (etym. 1, 7 f. p. 17 Arev.) hoc nomen inter *diptota* refert.

similia sint] Ita rectius in codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (C), quam *sunt* apud Grotium.

Virgilius] Aen. 1, 545:

»*At sperate deos memores fandi atque nefandi.*«

singularis] Attamen Gellius »singulo numo« et »singulo numero«, Plautus »singulum vestigium« dixerunt. Conf. E. I. A. Seyfertum (latein. Sprachlehre §. 1570. 2449).

fare] Vide supra (§. 311). *Fare* secunda persona indicativi esse potest; potest vero etiam imperativi, ut apud Virgilium (Aen. 3, 362): »fare age«, idque verisimilius est, quia inde contraria prorsus ratio cum antecedente *volo* efficitur.

in adverbio E, bene et male? Quum habilis habiliter dicamus, cur facilis faciliter non dicimus? Item quum difficulter dicamus, cur faculter dici non poterit? Quum audax audacter dicatur, cur verax veracter non dicimus, sed veraciter? Cur singulatim dicimus, binatim ternatimque non dicimus? et alia hujusmodi, quae possem innumera memorare, ni ad cetera properarem.

Haec quum Grammatice velut rerum exordium instauratura dixisset, pro- 326
pter superi senatus Jovisque fastidium Minerva talibus intervenit: Ni fallor, octo partes orationis velut incunabula repetitura intimare disponis, adjiciens soloecismorum causas barbarasque formas, tum alia loquendi vitia, quae apud vates inclytos plurimum celebrata, quae nunc tropos, nunc metaplasmos, nunc schemata, figuras, ex eodemque cuncta vitia velut decoris fonte manantia,

bene et male] Causam ita jam docuerat Augustinus (gramm. Op. I. p. 183 Bas.): »Adverbia qualitatis in E literam exeuntia produci debent. Haec tamen dissentiunt, quae aut in comparativo aut in superlativo gradu vacillant, ut *bene, male,* aut quae ab appellatione non transeunt, ut *impune, saepe.*« Vide ipsum nostrum supra (§. 284).

faciliter] Augustinus (gramm. Op. I. p. 183 Bas.): »Quae nomina qualitatis aut quantitatis casu dativo singulari — in I literam terminantur, in *ter* syllabam mittunt, ut *agili, nobili, audaci, difficili; agiliter, nobiliter, audaciter, difficiliter.* Sed ex his quaedam per syncopen euphoniae causa dicimus, ut *audacter, difficulter, sapienter, constanter.*« Ceterum Vitruvius (2, 1. p. 43 f. Bip.) *faciliter* scripsit, improbat tamen Quinctilianus (1, 6, 17; p. 148 Spald.): »Qui *audaciter* potius quam *audacter* scribunt diligentiae perversitate, his permittamus et *faciliter* dicere.« *Faculter* etiam dictum esse pro adverbio *facile* Festus testatur (p. 141 Dac.), ut *facul* pro adjectivo.

soloecismorum] Barbarismus in singulis verbis, soloecismus in conjunctis. Vide Auctorem ad Herennium (4, 12) et Sarisberiensem (metalog. 1, 18. p. 771). Quinctilianus (1, 5, 35; p. 114 sequ. 1, 6, 45; p. 171) »in soloecismis vitia *sermonis* esse, non *singulorum verborum*« contendit; neque Plutarchus (quaest. sympos. 8, 9, 2) hanc distinctionem neglexit.

metaplasmos] Isidorus (etym. 1, 35, 1; p. 55 Arev.): »*Metaplasmus* Graeca lingua, Latine *transformatio* dicitur, qui fit in uno verbo propter metri necessitatem et licentiam poëtarum.« Quinctilianus (1, 8, 14; p. 202 Spald.): »Poëtis, quia plerumque metro servire coguntur, adeo ignoscitur, ut vitia ipsa *aliis* in carmine *appellationibus* nominentur: *metaplasmos* enim et *schematismos* et *schemata* vocamus.«

schemata] Quinctilianus (1, 5, 32; p. 125 Spald.): »Schemata frequentiora quidem apud poëtas, sed oratoribus quoque permissa: — sed hoc quoque, quod schema vocatur, si ab aliquo per imprudentiam factum erit, soloecismi vitio non carebit.« Pariter Isidorus (etym. 1, 31, 3; p. 53 Arev.),

quae attestentur aut nescientis errorem, aut affectatam doctioribus venustatem. Quae si ab scholaribus inchoamentis in senatum coelitum ducis, decursae peritiae gratiam deflorabis. Nam si rhythmicum quid metricumque, sicut inter cirratos audes, assumseris, profecto Musices impetu, cujus praevertis officium, discerperis. Formam igitur praedictae praeceptionis absolveris, si praecipuis memoratis jam te ab inchoamentorum vulgarium vilitatibus vindicaris. His germanae verbis cum sponso Delius annuebant, et Grammaticen ad virginis transire obsequia compulerunt. At tunc aliam feminarum pari sponsalium munere conferendam Clarius intromisit.

»Soloecismus«, inquit, »apud poëtas schema dicitur, quoties necessitate metri factus invenitur; quum autem non invenitur necessitas, permanet soloecismi culpa.«

vitia] Obloquitur Cassiodorus, qui: »schemata«, inquit, »a quodam artigrapho, nomine Sacerdote, collecta sunt numero nonaginta et octo; ita tamen, ut quae a Donato *inter vitia* posita sunt, in ipso numero collecta claudantur: quod et mihi quoque durum videtur *vitia dicere*, quae *auctorum* exemplis, et maxime *legis divinae* auctoritate firmantur.« Melius tamen Seneca (epist. 114; p. 648 Lips.): »Hoc magis mirari potes, quod non tantum vitiosa, sed et vitia laudantur. Nam illud semper factum est: nullum sine venia placuit ingenium. Da mihi quemcunque vis magni nominis virum; dicam quid illi aetas sua ignoverit, quid in illo sciens dissimulaverit. Multos dabo, quibus vitia non nocuerint; quosdam, quibus profuerint. Dabo, inquam, maximae famae, et inter mirandos propositos, quos si quis corrigit, delet.«

attestentur] Pro *attestantur* recepi e Monacensi (C) et Darmstattensi codicibus; paulo post etiam *doctioribus* pro *doctoribus* e variante lectione apud Grotium ad marginem rejecta.

deflorabis] Ita codices Monacensis (C), Reichenauensis, Darmstattensis, et margo Grotiana; vulgo *deformabis*.

cirratos] Cirrati grammatici. Persius:

»*Ten'* cirratorum *centum dictata fuisse*
Pro nihilo pendas? — — Gnor.

Immo pueri nobiles grammaticorum discipuli, »matutini *cirrata* caterva magistri«, ut Martialis (9, 30) ait; neque aliter in Persii loco (1, 29) ubi confer Casaubonum. Correxi etiam e codicibus meis pravam scribendi rationem *Cirrhatos* in editis.

Musices] »Citra musicam grammaticam perfectam esse non posse« Quinctilianus (1, 4, 4; p. 57 Spald.) ait, »quum ei de metris rhythmisque dicendum sit«; quarum de nexu confer eundem alio loco (1, 10, 17; p. 219) et Plutarchum (de musica p. 1131).

discerperis] Sic Grotius ex MS. suo emendavit vulgatam lectionem *discerpseris*, quae cum *impetu* omnino non convenit; facilis error erat librariorum, qui *discerperis* futurum passivi esse non viderent.

MARTIANI

MINEI FELICIS

CAPELLAE,

AFRI CARTHAGINIENSIS,

DE

DIALECTICA

LIBER IV.

Haec quoque contortis stringens effamina nodis, 327
Qua sine nil sequitur, nilque repugnat item,
In coetum superum veniens primordia fandi
Advehit et scolicum praestruit axioma:

Qua sine] Hoc est: »sine qua, videlicet dialectica, nulla sit consequentia, nullaque in argumentis controversia.« Per haec enim duo argumenta *a sequentibus* et *a repugnantibus* totam dialecticam vult intelligi. Vulc.

advehit] In editis legebatur *advenit* sine sensu, quod correxi e codicibus Monacensibus (C et F).

scolicum axioma] Alii *excolicum*: neutrum placet. Legendum puto *σκολιὸν ἀξίωμα*, h. e. *obliquam* sive *contrariam* propositionem. Vulc. — *Scolion*, obliquum, vel *scholicum*, scholare, scholasticum. Gnot. — Integram servavi codicum plerorumque lectionem, praesertim quum utraque Grotii explicatio habeat quo se commendet; praefero tamen *scholicum*, quod vocabulum apud Gellium quoque (4, 1) legitur. Sed nihili est *excolicum*, cui in codice Monacensis (F) mira haec addita glossa est: »*Excolici* dicuntur quasi *extra colentes*, id est *extra mundum*.« Miseros profecto discipulos, quibus ita a magistris Martianus in scholis explicaretur!

axioma] Accentum secutus Ω corripuit, quod et supra in *trigonus* fecit, ut et Ausonius: »Trigonorum linea currit«; et Prudentius in *idolum* et similibus aliis. Gnot. — Cicero (Tusc. 1, 7) *ἀξίωμα* Latine vertit *pronunciatum*; sed aliis in locis tum *effatum*, tum *enunciationem*, id quod Menagius (ad Diog. Laert. p. 292) jam observavit. Uberius Apulejus (dogm. Plat. p. 264 Oudend.): »*propositio*, ut ait in Theaeteto Plato, duabus paucissimis orationis partibus constans, nomine et verbo: ut »*Ap-*

Ambiguis memorans vocem consistere verbis,
Nil normale putans, ni fuat associum.
Sed licet ipse modos demum bis quinque profatus
Pallens afflictim verset Aristoteles;
Stoica circueant ludantque sophismata sensus,
Perdita non unquam cornua fronte ferant;

pulejus disserit«, quod aut verum aut falsum est: et ideo propositio est.« Seneca (ep. 117; p. 656 Lips.): »alii *effatum* vocant, alii *enunciatum*, alii *edictum*.« Sed confer et Gellium (16, 8).

verbis] Grotius quidem ediderat *versus*; ad marginem autem notaverat, alios exhibere *verbis*; in notis denique: »lege, inquit, *versis* cum manuscripto.« Quum tamen nullus praeterea codex *versis* habeat, vix dubito quin per typothetae lapsum haec lectio nata sit, eque ipsius, ut arbitror, Grotii mente dedi *verbis*.

associum] Praeter nostrum Cassiodorus etiam (variar. 5, 47) hac voce usus est: »Salamandra subtile ac parvum animal, lubricis lumbricis *associum*.« Nostri sensus esse videtur, quod ait Aristoteles (de interpr. 4), nullam vocem per se neque affirmare, neque negare, nisi oratione aliqua jungatur.

bis quinque] *Τὰς κατηγορίας* innuit. Gnot. — Confer locos inferiores (§. 340. 355. 361. 382).

pallens] De pallore philosophorum vide doctos ad Aristophanem (Nub. 415) et Persium (3, 85). Adde superiorem locum (§. 37). *Afflictim* nostro peculiaris vox esse videtur, ut modo *effamina*; Gesnerus (in thes. s. v.) explicat *vehementer*.

circueant] Circumveniant. Vulc. — Nimirum dolose, ut infra (§. 423):

»*Quis falsa captos* circuit *deceptio*.«

Anteriores editiones habebant *circumeant*; Grotius *circuerant*; nostram lectionem praebuit codex Darmstattensis.

sophismata] Seneca (epist. 111; p. 642 Lips.): »Quid vocentur Latine *sophismata* quaesisti a me. Multi tentaverunt illis nomen imponere, nullum haesit: videlicet quia res ipsa non recipiebatur a nobis nec in usu erat, nomini quoque repugnatum est. Aptissimum tamen videtur mihi, quo Cicero usus est: cavillationes vocat, quibus quisque se tradidit, quaestiunculas quidem vafras nectit.« De sophismatis stoicorum locus primarius est apud Lucianum (vit. auct. 21 — 25; T. III. p. 103 sequ.), ubi confer Solanum, et quos praeterea laudat Wyttenbachius (ad Plut. de san. tuenda p. 853).

perdita] *Nec unquam* error est metricus. Alludit Capella ad sophisma illud cornutum: »Quod nunquam perdidisti habes; cornua nunquam perdidisti; habes ergo cornua.« Meminit A. Gellius. Gnot. — Non uno tantum, sed tribus Gellius locis (16, 2. 18, 2. 18, 15) inspiciendus est; praetereaque Diogenes Laertius (7, 44; p. 392 Meib.), qui modo *κερατίδα*, modo *κεράτινον* appellat, et Lucianus (dial. mort. 1; T. II, p. 130 Bip. et Hermot. 81; T. IV, p. 109). Unde Seneca (epist. 45): »Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit et captiosae disputationes, quae acumen irritum exercent. Nectimus nodos, et ambiguam significationem verbis illigamus, deinde dissolvimus. — Ceterum qui interrogatur, an *cornua habeat*, non

Chrysippus cumulet proprium consumat acervum,
Carneadesque parem vim gerat helleboro;

est tam stultus, ut *frontem* suam tentet; nec rursus tam ineptus aut hebes, ut non habere se nesciat, quod tu illi subtilissima collectione persuaseris.« Consulendus quoque Angelus Politianus (misc. 1, 54 in Grut. lamp. T. 1. p. 87). Ceterum pro *nec* scripsi *non* e codice Monacensi (F).

Chrysippus] Teste Diogene Laërtio (7, 181; p. 478 Meib.) philosophus in dialectica insignis, ut plerique dicerent, si apud deos usus esset dialecticae, non futuram aliam quam Chrysippeam. Adde Valerium Maximum (8, 7 ext. 10 et 11). Seneca etiam (epist. 104; p. 627 Lips.) »Vive, inquit, cum *Chrysippo*, cum Posidonio. Hi tibi tradent divinorum humanorumque notitiam: hi jubebunt in opere esse, nec tantum *scite loqui* et in oblectationem audientium verba jactare; sed animum indurare« cet. Plura dabit Menagius (ad Laert. 7, 179; p. 338), et qui de vita et doctrina Chrysippi eruditam dissertationem scripsit, Baguet (in annal. acad. Lovan. 1821), quibus adde Petersenum (philosophiae Chrysippeae fundamenta, Altonae 1827. 8).

acervum] Acervum vocat Soritem. Persius:

»*Inventus Chrysippe tui finitor* acervi.«

Et supra libro II:

»*Soritas cumuli accessibus* aggerans.«

Sumitur autem plerumque sorites in partem pejorem pro sophismate: sic infra:

»*Pellax soritas cumque sensim congeris.*«

Bene ergo Gloss. vetus: *ὠρίτης, cavillatio:* nec male praestantissimi juris nostri sacerdotes Ulpianus et Julianus dixere »cavillationis, quam Graeci Soritem vocant, eam esse naturam, ut ad evidenter falsa per brevissimas mutationes disputatio perducatur.« Quem locum nollem sollicitassent viri doctissimi, qui vel *σόφισμα* vel *σοφιστικὴν* vel *γοητείαν* malunt. Cicero: »Captiosissimum genus interrogationis, quod minime in philosophia probari solet, quum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. Soritas has vocant, qui *acervum* efficiunt uno addito grano: vitiosum sane et captiosum genus.« Quin et alibi Cicero, ut et patres Christiani, Soriten cum Pseudomeno conjungit. Gnor. — Confer quae supra (§. 122) observavi. Persii locum (sat. 6 f.) optime interpretatus est Beroaldus (in Gruteri lamp. I. p. 317) et ex eo Casaubonus. Plura Soritarum exempla dabunt Plutarchus (in Anton. p. 928), Cicero (in academ. 2, 29 Davis.), Seneca (ep. 45. p. 458; 48. p. 464 Lips.), Gellius (18, 13), alii. Ulpianus (l. 177 de V. S.) et Julianus (l. 65 de R. I.), quos Grotius minus accurate citat, iisdem prorsus utuntur verbis. Ceterum pro *cumulet* vide ne tenuissima mutatione reponendum sit *cumulo et.*

Carneadesque] Erat hic academicus (Cic. Tusc. 4, 3. Gell. 17, 14) et novae quidem Academiae (Cic. de orat. 3, 18. Lucian. Macrob. 20. p. 126 Bip.) conditor. Academicorum optimus censebatur (Strabo 17. p. 838 Casaub. Cic. de orat. 2, 38 f.), valde laboriosus (Val. Max. 8, 7, 5; p. 734. Diog. Laert. 4, 62; p. 263 Meib.), ad disputandum in utramque partem semper paratus (Cic. de orat. 3, 21. Quinctil. 12, 1, 35. p. 504 Spald.), cujus facundia violenta et rapida (Cic. de orat. 3, 28. Macrob. Saturn. 1, 5) tanta erat, ut videretur senatores Romanos non tam pellexisse quam coëgisse in suam sententiam (Aelian. var. 3, 17). Plura dabit Roulez (in annal. acad. Gandav. 1824).

helleboro] Carneadem et Chrysippum helleboro se purgasse, quo acutiores et subtiliores mentes eorum redderentur, referunt Gellius, Petronius alii-

Nullus apex tot prole virûm par accidit unquam,
Nec tibi tam felix sortis honos cecidit;
Inter templa deûm fas est, Dialectica, fari,
Et Jove conspecto jura docentis agis.

328 Quae igitur introgressa est Delio convocante, pallidior paululum femina, sed acri admodum visu et vibrantibus continua mobilitate luminibus, cui crines tortuosi decentique inflexione crispati et nexiles videbantur, qui tamen deducti per quosdam consequentes gradus ita formam totius capitis circulabant, ut nihil deesse cerneres, nihil superfluum detineres. Cui quidem pallium Athenarumque vestitus, sed gestamen in manibus fuerat inopinum ac prorsus gymnasiis omnibus inexpertum. In laeva quippe serpens gyris immanibus involutus, in dextera formulae quaedam florentibus discolora venustate ceris sollerter effigiatae latentis hami nexu interius tenebantur; sed quoniam ejus laeva sub pallio occulebat insidias viperinas, cunctis dextera praebebatur. Denique ex illis formulis siquis aliquam percepisset, mox apprehensus hamo ad latentis anguis virosos circulos trahebatur, qui tamen mox emergens primo spinosorum dentium acumine venenato assiduis hominem morsibus affligebat, dehinc ambitu multiplici circumactum ad conditiones propositas coartabat; si autem quamlibet formulam nullus vellet assumere, quibusdam obviis in-

que quam plurimi. Gnot. — Gellii (17, 15) haec verba sunt: »Carneades academicus scripturus adversus stoici Zenonis libros superiora corporis *helleboro* candido purgavit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia usque animi redundaret et instantiam vigoremque mentis labefactaret.« Adde Plinium (25, 5, 21) et Valerium Maximum (8, 7, 5; p. 735 Torr.), quem Martiano ante oculos fuisse puto, quia non cum Zenone, sed cum ipso Chrysippo disputaturum illud fecisse Carneadem refert; hunc enim acnum habere videntur nostri verba: Carneadem hellebori ope Chrysippo parem fuisse.

apex] Hoc est *fastigium*, indeque *honor* vel *dignatio*; nimirum ut in senatu divino fari ei liceret. Pro *fortis* e Reichenauensi et Darmstattensi lego *sortis*, quod mirum in marginem a Grotio relegatum fuisse; itemque *jura* pro *jure* e Reichenauensi et Grotiano.

involutus] Ut noster »gyris involutum«, ita Saxo Grammaticus (2. p. 20 Steph.) »gyris implicitum« serpentem dixit, pariterque (p. 63) nostrum

terrogatiunculis occupabat, aut latenter in eos anguem serpere stimulabat, donec nexilis complexio circumventos ad interrogantis arbitrium strangularet. Ipsa 329
autem femina contractioris videbatur corporis habitusque furvi; verum dumalibus hirta setis nescio quid vulgo inexplanabile loquebatur. Nam universalem dedicativam particulari abdicativae obliquam, licet ambas posse vertier asserebat, univocis aequivoca connectendo, at solam se discernere verum

secutus de serpentis »spinosorum dentium acumine« loquitur.

interrogatiunculis] Pariter Quinctilianus (7, 3, 14; p. 94 Spald.) »valere in sermone« ait »dialecticam, ut constrictum vinculis suis eum, qui responsurus sit, vel tacere, vel etiam invitum id quod sit contra fateri cogat.« Item Seneca (epist. 48. p. 468 Lips.): »Quid enim« inquit »aliud agitis, quum eum, quem *interrogatis*, scientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidisse videatur«, et alio loco (ep. 82): »totum genus istud exturbandum judico, quo circumscribi se, qui *interrogatur*, existimat, et ad confessionem perductus aliud respondet, aliud putat.« Cicero quoque (acad. 4, 16) et Gellius (16, 2) »captiosissimum id genus *interrogationis*« appellant. Unde factum est, ut ἐρωτᾶν et συνερωτᾶν de omni argumentationis et ratiocinationis genere usurparentur (conf. C. Fr. Hermannum ad Lucian. de hist. scr. p. 120).

strangularet] Iterum hanc figuram Saxo (v. Steph. p. 107 ad Sax. p. 68) a nostro mutuatus scripsit: »cavillationum *nexibus implicatos* fallaciarum laqueis *strangulabat*.«

habitusque furvi] Id est *nigri*, ut obscuritas artis significetur. Vulc.

dumalibus] Id est veprinis spinis. Vulc. — Sic Cicero (acad. 4, 35) »*dumeta* stoicorum« dicit, et Augustinus (contra academ. 22 f.) simili figura usus: »inter opinionum fallacium *dumeta* frondescit.«

setis] Ita Ovidius (met. 13, 850):

— — »hirtaeque *decent in corpore* setae.«

Infra noster (§. 704):

»*Hanc ego crediderim* sentis *spinescere membris*
Neque hirta *crura vellere*.«

Unde Heinsius (ad Ovid. T. 2. p. 946 Burm.) hoc etiam loco legi vult *sentis*.

dedicativam] Appulejus (dogm. Platon. p. 266 Oud.): »Dedicativae (propositiones) sunt, quod *dedicant* aliquid de quopiam; ut: *virtus bonum est*.« Abdicativae contrarium, vide infra (§. 396. 401). Aristoteli (interpr. 6. et analyt. post. 1, 2) dedicativa dicitur κατάφασις et abdicativa ἀπόφασις.

obliquam] Id est *adversantem*, vel *obliquam*, id est ex transverso oppositam, ut liquet ex tabula conversionum infra posita. Gnor.

licet] Pro eo complures codices habent *sed*; moxque Monacenses (C et F), Reichenauensis, et Darmstattensis *ac* pro *at*. De univocis et aequivocis vide infra (§. 353 sequ.).

discernere] Stoici enim, ut Ciceronis verbis (acad. 2, 28) utar, dialecticam dicebant inventam esse veri et falsi quasi disceptatricem et judicem; ex Posidonii nimirum definitione, qui statuebat διαλεκτικὴν εἶναι ἐπιστήμην ἀληθῶν καὶ ψευδῶν καὶ οὐδετέρων (Diog. Laert. 7, 42 et 62. Sext. Emp. adv. Eth. 11, 187; p. 724 Fabr.).

330 quid falsumve sit, velut quadam divinantis fiducia loquebatur. Haec se educatam dicebat Aegyptiorum rupe, atque in Parmenidis exinde gymnasium atque Atticam demeasse, illicque versipellis studii calumniante proposito
331 etiam Socratis sibi Platonisque amplitudinem mancipasse. Hanc igitur fraudulenta semper argumentatione versutam ac de circumventis pluribus gloriantem quum Cyllenius ceryceo geminus anguis assurgens allambere feminam crebris linguarum micatibus attentaret, tuncque etiam Tritonia Gorgo cognoscentis quoniam gaudio sibilaret, nimirum, inquit Bromius, qui facetior

Aegyptiorum] Omnes enim artes reliquis hominibus ab Aegyptiis traditas esse, veteres sibi persuaserant (Herod. 2, 109. Diodor. 1, 69. Philon. Mos. 1. p. 606). Sed quam rupem dicat nescio; quas in Aegypto admodum raras esse constat.

Parmenidis] Eleatae (Diogen. Laert. 9, 21; p. 560 Meib.), qui dialecticae primus auctor fuit (Sext. Emp. advers. logic. 7, 6; p. 371 Fabr.), cujusque nomine dialogus a Platone insignitus est.

versipellis] Sophistarum cavillationem significat inque primis Protagorae, qui, ut Senecae (epist. 88) verbis utar, »ait de omni re *in utramque partem* disputari posse *ex aequo*, et de hac ipsa, an omnis res in utramque partem disputabilis sit«, idemque Gellio teste (5, 3) »pollicebatur se id docere quanam verborum industria causa *infirmior* ficeret fortior.« Adde Diogenem Laërtium (9, 51 sequ.) et L. F. Herbstium (in Petersenii stud. philol. hist. Hamb. 1832, p. 129 sequ.).

Socratis] De Socratis dialectica locus primarius est apud Xenophontem (mem. Socr. 4, 5, 12. 4, 6, 1); de Platonica testimonia congessit C. Fr. Hermannus (ad Lucian. de hist. scr. p. 208).

Cyllenius] Legendum Cyllenii ceryceo, h. e. caduceo. Nam *κηρύκειον* Mercurii caduceus est. Vulc. — Emendatione non opus erat, si Vulcanius *Cyllenium* scil. *anguem* adjective accepisset. Ceterum pariter Jamblichus apud Stobaeum (serm. 79. p. 469 Gesn.) »*Mercurium* ait *dialecticae symbolum* manibus gestare, nempe *dracones* se inter se adspicientes.«

micatibus] Id est *morsibus*. Vulc. — Immo *micans lingua* est quae se crebro ultro citroque movet. De verbo ipso vide supra (§. 1 not.). Martiano autem exemplo fuisse videntur Silii (6, 222) hi versus:

— — »*trifido vibrata per auras*
Lingua micat *motu atque assultans aethera* lambit.«

Nostrumque rursus imitatus est Saxo Grammaticus (2. p. 20 Steph.) scribens de serpente exspirante: »Crebris linguam *micatibus* ducens vitam pariter ac virus efflavit.«

Tritonia] Reposui hoc adjectivum (§. 7. 725. 738) pro *Tritonida* apud Grotium.

cognoscentis] Lege *cognoscens*. Gorgo est Gorgon. Sic Valerius:

»*Non tristis ab aethere Gorgo.*«

Gnor. — Quid sibi voluerit Grotius, non intelligo. Nam Graece quoque *ἡ Γοργώ* scribitur (Paus. 5, 12, 2); neque *cognoscens*, quod in nullo legitur codice, necessarium est. Locum sic capio: »quoniam Gorgo Tritonia gaudio cognoscentis sibilaret«, ut Gorgo sive aegis Minervae, quam Silius quoque

est deorum eamque penitus nesciebat, haec aut ex arenis Libyae anhelantis adducitur, quod et capillitium implexum docet et amicitia venenorum, aut fidendum pharmacopolam esse Marsicae nationis. Ita namque agnitione viperea et blanda anguium adulatione diligitur; quod ni est, ex illius hami fraude colligitur, quod circulatrix pellacissima et metarum Marsicarum incola com-

(9, 443) »sibila horrificis torquere serpentibus« ait, quasi cognatum sibi draconem in Dialecticae manu libenter cognoverit; unde nec *prae gaudio* e codice Monacensi (F) recipiendum duxi, neque cum Heinsio (ad Ovid. art. amandi 2; T. II, p. 605 Burm.) *quodam* pro *quoniam* invitis codicibus reponere volui, licet haec conjectura multum habeat, quo se commendet.

nimirum] Locum hunc sic sano: »nimirum (inquit Bromius, qui facetior est deorum, eamque penitus nesciebat) haec aut« cet. *Nesciebat* est *non cognoscebat*. Gnot. — Heinsius reponendum suasit *perspiciebat*, absurde: profecto enim ignota Baccho Dialectica erat.

haec aut] Ita Monacensis (C) et Reichenauensis, pro »haec *autem*« in editis.

Libyae] An eo alludit, quod Libya serpentibus venenisque scateat, unde proverbium: ἀεὶ φέρει τι Λιβύη κακόν? An Psyllos attingit, qui ut et Marsi praesentaneum erant serpentinis morsibus remedium? Gloss. Isidori: »Marsus incantator serpentum.« Arnobius: »Adversus ictus noxios, et venenatos colubrarum morsus remedia saepe conquirimus, et protegimus laminis, Psyllis, Marsis vendentibus.« Emendat Auratus: »labiis Psyllis, Marsisve dentibus«, quod non improbo. Meminit bis ter Plinius, sed et Gellius lib. 16, cap. 11: »Gens in Italia Marsorum orta esse fertur a Circes filio Marso, propterea Marsis hominibus, quorum duntaxat familiae cum externis cognationibus (m. nationibus) nondum etiam permistae corruptaeque sunt, vi quadam genitali datum ut serpentum virulentorum domitores sint, et incantationibus herbarumque succis faciant medelarum miracula. Hac eadem vi praeditos esse videmus, qui Psylli vocantur.« Meminit utriusque gentis Solinus. Marsorum Auctor de medicamine faciei:

»*Nec mediae Marsis finduntur cantibus angues.*«

Psyllorum Cinna:

»*Somniculosam ut Poenus aspidem Psyllus.*«

Gnot. — Confer palaeographiam meam criticam (III, §. 157), ubi in loco Arnobii (2. p. 65. 66), a Grotio laudato, criticorum correctionem refutavi.

pharmacopolam] Ita legendum esse pro *forma copulam* in editis olim jam conjecerat Salmasius (ad Solin. 52. p. 1050 ed. 1629) similesque aliorum scriptorum locos attulerat. Quem secuti alii auctorem tamen hujus conjecturae reticuerunt. Vulgatam quidem lectionem antiquissimam esse glossa (cod. Monac. F) testatur verba illa explicans »per *formam* cognata«, nempe Marsicae nationi; sed mihi suffecit Reichenauensis codicis lectio »*farmacopulam*«, ut hanc vocem in textum reciperem.

pellacissima] Ut significet seductricem subtilissimam. Vulc. — Sic »*pellacis* Ulixi invidiam« dixit Virgilius (Aen. 2, 90).

metarum] Heinsius (l. l.) audacter, ut assolet, substituit *petrarum*; ego *metam* pro *limite* accipio, ut »metae Marsicae« pro finibus Marsorum dictae sint; nisi ipsos montes ejus regionis *metas* dici propter figuram posse censueris.

comprobatur] Lege *comprobatur*. Sic infra: »mera

332 probatur. Quo dicto quum complures deorum, quantum decuerat, arriderent, Pallas aliquanto concussior jocum emergentis inhibuit, memorans hanc admodum sobriam, quod quibusdam divis penitus denegatum, etiam inter germanas, quae probandae sunt acriores, a nullo posse, quum asserta protulerit, derideri; illa autem, quae in argumentum virosae assertionis acrimoniaeque detulerat,
333 tradere eam jubet, ac se ad insinuandae sollertiae habitum comparare. Tunc lubrici anguis circulatos orbes et hiatus quum Grammatice, quae insinuatione peracta prope adstabat, accipere formidaret, ipsi divae, quae etiam Medusaeos crines edomuit, cum figuris illicibus et hamatis illis formulis committuntur. Ita crinali decore mera Cecropis atque Attica comprobatur, maximeque quod eam palliatorum populus et Grajae juventutis electio sequebatur, prudentiam feminae ingeniumque mirata. Jupiter autem judicandis implendisque virtutibus posteram Romuleis viribus Grajam aestimans levitatem, quidquid nosset illa,

Cecropis atque Attica comprobatur.« Gnot. — Ediderat enim *comprobat*, quod codicum Monacensium (C. F) auctoritate correxi.

quantum decuerat] Nimius enim risus gravitatem ingenuorum hominum, nedum deorum, decere non videbatur; qua in re Plato (republ. 3, p. 388 Steph.) acriter reprehendit Homerum, qui (Il. 1, 599) dixerat:

»Ἄβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσι.«

Adde eundem (de legibus 5, p. 732) et Aristotelem (ethic. Nicom. 4, 8, 10).

concussior] Ferocior. Vulc. — *Commotior* potius, quemadmodum Virgilius illo verbo (Aen. 5, 700 et 869. 11, 451) de animo commoto utitur.

sobriam] Id est »*honestam* esse.« Vulc. — Martiani sensum minime cepit vir doctus; si verba quae sequuntur legisset, *sobrium* primitivo sensu accipiendum esse intellexisset; pariter enim hic Pallas pungit Bacchum atque infra (§. 424) Dialectica ipsa. Quod reliquum, *est* post *denegatum* apud Grotium delevi, secundum codices Monacenses (C. F), Reichenauensem, et Darmstattensem.

acriores] Lege *acriorem*. Gnot. — Causam non perspicio, nec quidquam muto, licet Monacensis (C) habeat *geminas* pro *germanas*; omnes enim artes sororio vinculo inter se continentur (§. 581. 706. 725).

virosae] Ita in codice Monacensi (C). Quo sensu acceperint Grotius ceterique interpretes, quod in editis legitur, *verosae*, haud assequor. *Virosus* autem a *virus* est (Virg. georg. 1, 58. Sidon. epist. 5, 7. f. p. 137 Sirm. Nemesian. cyneg. 223).

prope] Alibi (§. 214. 663. 705. 729) noster *propter*, quemadmodum et Darmstattensis codex et margo Grotiana hoc loco habet. Sed servavi lectionem vulgatam.

ipsi divae] Palladem significat, cujus auxilio Perseus saxificam Medusam interfecit. Vulc.

posteram] Inferiorem. Vulc. — Quemadmodum

Latiali promere praecepit facultate. Ac mox Dialectica, quanquam parum 334
digne Latine loqui posse crederetur, tamen promptiore fiducia, restrictisque
quadam obtutus vibratione luminibus etiam ante verba formidabilis, sic exorsa:
Ni Varronis mei inter Latiales glorias celebrati mihi eruditio industriaque sup- 335
peteret, possem femina Doricae nationis apud Romulcae vocis examina aut

alibi superum pro superiori reperias. Sensus est: Jupiter existimans Graecanicam levitatem Romana gravitate longe inferiorem non modo implendis, sed et judicandis virtutibus scientiisque, jussit quidquid nosset Latina lingua expromere. Gnor.

viribus] E codicibus iterum Monacensibus (C. F) hoc recepi, indigne a Grotio in marginem rejectum, pro *virtutibus*, quod vixdum antecesserat.

Latiali] Quantopere sudaverit ipse Cicero, ut Graecorum de philosophia verba Latine redderet, apud eum (divin. 2, 2) legere licet. Seneca (epist. 58; p. 481 Lips.) »quanta«, scribit, »verborum nobis paupertas, imo egestas sit, nunquam magis, quam hodierno die, intellexi.« Pariter Plinius Secundus (epist. 4, 18, 1) »inopiam, vel potius, ut Lucretius ait, egestatem patrii sermonis« accusat, et (ep. 6, 20, 4) »nec me praeterit«, inquit, »usum et esse et haberi optimum dicendi magistrum.« Lucretii locus (1, 137) hic est:

»*Nec me animi fallit, Grajorum obscura reperta*
Difficile illustrare Latinis versibus esse,
Multa novis verbis praesertim quum sit agendum,
Propter egestatem linguae et rerum novitatem.«

Manilius quoque minus Latine a se scripta hisce versibus (3, 40) excusat:

»*Et si qua externa referentur nomina lingua*
Hoc operis, non vatis, erit: non omnia flecti
Possunt, et propria melius sub voce notantur.«

Hinc etiam est, quod noster infra (§. 339 f.) Dialecticam diis dicere fugit: »debetis quippe insolentiam perferre sermonis, qui Grajam dissertare Latialiter compulistis.«

praecepit] Sic codices Monacenses (C. F) et Darmstattensis recte pro *cepit* in editis.

restrictisque] Varians ad marginem lectio apud Grotium *restinctisque*, solemni confusione, de qua vide quos laudat Giese (ad Cic. de div. 1, 29; p. 107).

Varronis] Nescio quid in mentem venerit haec scribenti Martiano. An oblitus tum erat Ciceronis, Appuleji, Augustini, et sexcentorum aliorum dialecticorum? Barth. (advers. p. 1608). — Sed Cicero ipse (acad. 1, 3 et 5) confitetur, Varronem primum fuisse, cui debeamus, ut Graeca Latine legi possint. Idemque Augustinus (civ. dei 6, 2) repetit, nec minus Appulejus (apol. p. 496 Oud.) Varronem laudat. Recte igitur noster hunc quasi Latine loquendi auctorem laudibus extollit. Pariter Cassiodorus (de artib. 5; p. 536 Gar.), post Aristotelem e Graecis, Varronem ait e Latinis dialecticam et rhetoricam in novem disciplinarum libris tradidisse.

Doricae nationis] Pro *Graecae* per synecdochen, ut »Dorica castra« apud Virgilium (Aen. 2, 27); nemo enim eorum, qui dialecticam olim tractaverant, vere Doricae stirpis erat.

examina] Vulcanius *agmina* significare vult, inepte; sensus enim clarus: »si mea Romane loquendi ratio examinetur.« Scite nimirum Macrobius (Saturn. 1 pr.): »sub alio ortos coelo linguae Latinae venam non adjuvare« confitetur.

admodum rudis aut satis barbara reperiri. Quippe post Platonis aureum flumen atque Aristotelicam facultatem Marci Terentii prima me in Latinam vocem pellexit industria, ac fandi possibilitatem per scholas Ausonias compa-
336 ravit. His igitur praeceptis parere colluctans nec Grajos deseram ordine disserendi, nec Laurentis assertionis effamina remorabor. Ac prius illud compertum volo, mihi Romanos togatamque gentem vocabulum nondum novare potuisse, ac Dialecticen, sicut Athenis sum solita, nuncupari, meique prorsus
337 juris esse, quidquid artes ceterae proloquuntur. Nam neque ipsam, quam

Platonis] »Quis dubitet Platonem esse praecipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica?« Quinctilianus (10, 1, 81. p. 66).

Marci] Ita pro sigla M. quae in editis est, perscriptum hoc nomen legitur in codicibus Monacensibus (C. F) et Darmstattensi. Ipsius laudes lege apud Valerium Maximum (8, 7, 3).

prima] Ita et Lucretius (3, 336) se primum fuisse gloriatur, qui »natura rerum ratioque quum reperta fuerit, posset in patrias vertere voces.«

his] Grotius ad marginem posuit *hinc*, quod etiam codex Darmstattensis praebet; Monacensis (C) *hujus*, ut ad Varronem referatur, sed neutro opus.

nec Laurentis] Nec Latine loqui recusabo. Pariter Silius (1, 110. 10, 678. 17, 62) voce *Laurens* pro *Romanus* utitur. Quod autem Dialectica tum Graecis, tum Romanis verbis se usuram ait, Ciceronem habebat auctorem, qui (divin. 2, 4) »quamvis sorites Latine *acervali* dici possit, tamen« ait »nihil opus esse, quum, ut ipsa philosophia et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus sit.«

nondum novare] Cicero ipse pluribus tantum verbis dicere poterat »artem hanc disserendi et vera ac falsa dijudicandi« (orat. 2, 38); neque quod Quinctilianus (12, 2, 13; p. 620 Spald.) proposuit »disputatricem«, ejusmodi erat, ut invalescere usu posset.

ceterae artes] Sic jam Plato (republ. 7, p. 534 Steph.) dialecticam veluti *culmen* sive fastigium (*θριγκὸν*) appellat, quippe quae reliquas doctrinas superet absolvatque; Cicero autem (Tusc. 5, 25) eandem ait »per omnes partes sapientiae manare et fundi; quae rem definiat, genera dispertiat, sequentia adjungat, perfecta concludat, vera et falsa dijudicet.« Idem alio loco (Fin. 2, 6) »unam dialecticam« ait »continere omnem et perspiciendi, quid in quaque re sit, scientiam, et judicandi, quale quidque sit, et ratione et via disputandi«, adeoque (Brut. 41, 153) eam appellat artem »quae doceat rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre deinde distinguere; artem denique *omnium maximam*, quasi lucem ad ea, quae confuse ab aliis aut respondeantur aut agantur.« Adde Jamblichi haec (ap. Stob. serm. 79 p. 469 f. Gesn.): »*οὐκ ἔστιν οὐδὲν μόριον φιλοσοφίας ἄνευ τοῦ κατὰ διαλεκτικὴν λόγου παραγιγνόμενον*« et Augustinum (de ord. 2, 13. Op. I. p. 342), qui dialecticam vocat »disciplinam disciplinarum, quae doceat docere et discere, in qua se ipsa ratio demonstret atque aperiat, quae sit, quid velit, quid valeat.« Neque Rhetorica apud nostrum (§. 475)

aures vestrae probavere, Grammaticam, neque alteram opimi oris praecluem facultate, vel illam formarum diversa radio ac pulvere liniantem, sine meis posse rationibus explicari quis dubitet? Quippe in ditione mea jureque con- 338
sistunt sex normae, quis constant ceterae disciplinae. Nam prima est de loquendo; secunda de eloquendo; tertia de proloquendo; quarta de proloquiorum summa; quinta de judicando, quae pertinet ad judicationem poëtarum et carminum; sexta quae dicenda rhetoribus commodata est. In prima autem 339
parte quaeritur, quid sit genus, quid forma, quid differentia, quid accidens,

negat Dialecticam sibi subsidio esse; atque Geometria quaedam sibi cum ea communia esse fatetur (§. 716).

praecluem] Lege »opimi oris praecluem facultate« cum Meursio meo. Rhetoricam innuit. Gnot. — Omnino ita corrigendum erat, quod editi habebant »opimioris irae cluem«, cuique Vulcanius ridiculam hanc explicationem adscripserat: »Rhetoricam intelligit, utpote quae semper in contentione causarum versatur, ideoque ei hasta appingitur, quod in disceptatione verborum perpetuo creditur *irasci*.« Licet enim Grotius non dixerit an in codice aliquo haec lectio exstaret, mihi tamen ut eam probarem sufficit, quod in Monacensibus (C. F) legi *praecluem*, quae vox nostro praeterea admodum familiaris est (§. 3. 24. 429. 566 f. 807. 906); tunc enim *opimioris* dividendum tantum erat, ut apud Gellium (17, 10) »*opima* facundia« legitur.

radio ac pulvere] Geometriam significari patet; verba praeivit Cicero, qui (Tusc. 5, 25): »humilem hominculum«, inquit, »a *pulvere et radio* excitabo«; Archimedem nimirum, quem apud Livium quoque (25, 31) legimus »formas in pulvere descripsisse.« Unde infra (§. 725) noster:

»*Postquam conticuit prudens permensio terrae,*
Innuba sollertes curam quae instigat in artes
Sic abacum *perstare jubet, sic tegmine glauco*
Pandere pulvereum *formare ductibus aequor*«;

eodem sensu, quo Appulejus (in apol. p. 426 Oudend.) Aemilianum rusticum appellat, »quia *abaco* et *pulvisculo* sese non dedisset.« Adde Persii (1, 131) »*abaco* numeros et secto in *pulvere* metas.« Radium astronomis tribuit Virgilius (Aen. 6, 850) versibus:

»— — *coelique meatus*
Describent radio *et surgentia sidera dicent*«;

sed et geometris alio loco (ecl. 3, 41):

»*Descripsit* radio *totum qui gentibus orbem.*«

Formarum diversa idem esse quod *formas diversas* monere vix opus erit. Pro *liniantem* melius *lineantem* scripsissem, sed invitis codicibus nihil muto.

quis dubitet] Absunt a Darmstattensi codice; male.

sex normae] Seneca (epist. 89; p. 372 Lips.) in duas partes dialecticam dividit: »in verba et significationes, id est in *res*, quae dicuntur, et *vocabula*, quibus dicuntur«, quae ipsa stoicorum doctrina est apud Diogenem Laertium (7, 42; p. 390 sequ. Meib.): »*τὴν διαλεκτικὴν διαιρεῖσθαι εἴς τε τὸν περὶ τῶν σημαινομένων καὶ τῆς φωνῆς τόπον.*« Noster Aristotelicam potius sequitur rationem.

prima] Continet quae vulgo *praedicabilia* et *praedicamenta* appellantur, quaeque vel apud Por-

quid vero proprium, quid definitio, quid totum, quid pars, qui in dividendo modus, qui in partiendo, quid sit aequivocum, quid univocum, quid, ut ita dicam, plurivocum. Debetis quippe insolentiam perferre sermonis, qui
340 Grajam dissertare Latialiter compulistis. Quae ergo rebus verba sua sint, quae aliena, et quot modis aliena sint, quid sit substantia, quid qualitas, quid quantitas, quid relativum, quid loci, quid temporis, quid situs, quid habitus, quid facere, quid pati, quae sibi opposita, et quot modis sibi opponantur,
341 haec in prima nostri parte censentur. In secunda vero, quam de eloquendo diximus, quaeritur, quid sit nomen, quid verbum, quid ex his junctum, quae ex his subjectiva pars sententiae sit, quae declarativa, qui subjectivae modus sit, qui declarativae, quatenus nomen accipiatur, quatenus verbum,
342 quatenus sit perfecta sententia, ut possit esse proloquium. Excipit hanc pars tertia de proloquendo. In ea quaeritur, quantum ad propositum hodiernae sufficiat brevitatis, quae sint differentiae proloquiorum in quantitate, quae in qualitate, quid universale sit, quid particulare, quid indefinitum, quae sint ajentia, quae negantia, quam vim habeant singula, et quemadmodum

phyrium in Isagoge de quinque vocibus, vel apud Aristotelem in Categoriis leguntur.

definitio] Semper fere in Grotiana editione (§. 349. 350. 354. 355. 356. 361. 365. 378. 414. 465. 475. 710) scribitur *diffinitio*; hoc autem loco et paulo inferius (§. 345) legitur *definitio*. Eodem redire putat Dausquius (p. 106): »*definitio*«, inquit, »antiquius: nec male *diffinitio* finium aut rerum *finitarum* disseparatio. Inconsulte repudiatur a Manutio.« Sed alii distinguunt, ut Varro (ap. Widem. de propr. serm. p. 68): »*Definitio* a *diffinitione* differt, quia *definire* est quasi finem dare; *diffinire* vero hoc est ab illo finiendo ac partiendo distinguere.« Adde quae ad Vellejum Paterculum (1, 10, 2. p. 74 Gron.) observarunt viri docti.

quid pati] In editis legebatur: »quid pati, quid proloquia et quot modis.« Quibus e codicibus Monacensi (C), Darmstattensi, et Grotiano meliorem substitui lectionem, quae infra (§. 385) confirmatur.

eloquendo] Haec apud Aristotelem in libro *περὶ ἑρμήνειας* traduntur, quem vulgo perperam nuncupant *de interpretatione*.

proloquiorum] *Proloquia* sunt qui Aristoteli (de interpr. 5) *ἀποφαντικοὶ λόγοι*, serioribus dialecticis *ἀξιώματα*, quae M. Varronem alias *profata* alias *proloquia* appellasse testatur Gellius (16, 8). *Ἀξίωμα* enim eodem teste est *λεκτὸν αὐτοτελὲς ἀποφαντὸν ὅδον ἐφ' ἑαυτῷ*, quod Latine sic reddidit Varro: »Proloquium est sententia, in qua nihil desideratur.«

et quemadmodum] Omissam particulam *et* supplevi e codice Monacensi (F).

inter se affecta sint. Hinc progreditur ad quartam partem, quam esse diximus 343
de proloquiorum summa. In ea quaeritur, quid sit sumptum, quid illatio, quid syllogismus, quid symperasma; quid praedicativus syllogismus, quid conditionalis, et quid intersit; quot formae sint praedicativi generis, et quae sint; utrum certum ordinem teneant, et si tenent, quae sit ejusdem ordinis ratio; quot modos habeant singulae et utrum hi modi certum ordinem teneant, et si ita est, quae sit ejusdem ordinis ratio; deinde conditionalis syllogismi quot primi modi ac necessarii sint, qui etiam istorum ordo sit, quid inter se differant. Haec sunt quae praesenti arbitror cognitioni asserendisque sufficere. Quid ergo genus sit, exordia repetens, quo universa discurram, primitus intimabo.

DE GENERE.

Genus est multarum formarum per unum nomen complexio, ut animal: 344
formae ejus, ut homo, seu equus, et cetera. Sed nonnunquam aliquae formae ita generi subjiciuntur, ut etiam ipsae aliis sub se positis genus esse possint,

de proloquiorum summa] Quae pro hisce verbis in editis legebantur »proloquiorum summam« ea correxi tam e codicibus Monacensibus (C. F), Grotiano, Reichenauensi et Darmstattensi, quam e Martiano ipso (§. 338). Est autem doctrina de syllogismis, quam Aristoteles in Analyticorum libris tradidit.

utrum] Lego: »utrum certum ordinem teneant, et si tenent, quae sit ejusdem ordinis ratio«; neque repugnat MS. Irruperunt autem hae voces »*hujusmodi*« ex eo quod infra dicit »et utrum hi modi certum« ob similitudinem vocum vicinarum. Gnor. — Habebant enim editi *utrum hujusmodi* moxque *quid sit ejusdem*, quod correxi e codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (F), unde et paulo post *modos* reposui pro *modis*.

sufficere] Quintam sextamque partem brevitatis causa omisit, quum praesertim in Rhetorica atque Musica melius tractentur.

genus est] Triplicem esse vocis *genus* sensum Porphyrius (isag. c. 2) docet; philosophicum vero eundem quem noster exposuit. Idem fere apud Cassiodorum (in dial. p. 537 Gar.) legitur. Ciceronis (orat. 42) haec definitio est: »genus est id, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes duas aut plures complectitur partes.«

formae ejus] Sic scripsi e codicibus Reichenauensi et Darmstattensi, pro *forma*, quia plures nominantur. Sunt autem quae Graecis εἴδη vel ἰδέαι, quas Latine plerumque *species* appellari ait Cicero (topic. 7), ipse tamen *formas* dicere mavult, ne in mutandis casibus *specierum* et *speciebus* dici necesse sit. Utriusque vocabuli eandem vim esse Quinctilianus quoque (5, 10, 62; p. 265 Spald.)

ut hominum genus, quod animali forma est, Barbaris et Romanis genus; et usque eo genus esse potest, donec ejus formas dividens ad individuum aliquod venias. Ut si homines dividas in masculos et feminas, item masculos in pueros, adolescentes, et senes, item pueros in infantes et loquentes; item puerum si velis dividere in Catamitum aut alium quempiam certae personae puerum, non est genus, quod jam ad individuum pervenit. Uti autem eo genere debemus, quod est praesenti negotio proximum, ut si de homine quaeratur, ejus genus animal debemus assumere, quod ei proximum est. Nam si substantiam dixerimus, quantum ad rationem pertinet, verum est, quantum ad necessitatem, superfluum.

DE FORMIS.

343 Formas easdem dicimus, quas et species. Formae ergo sunt, quae subditae generi tenent definitionem ejus et nomen, ut homo, equus, leo quoniam formae sunt animalis, potest et homo et equus et leo animal dici, et corpus anima participans [nomen], quae definitio generis esse dignoscitur.

testatur, et Augustinus (p. 199) *species* a quibusdam *formas* dici ait; quapropter et noster utroque promiscue utitur et *forma* (§. 339. 345. 347. 352. 354. 361. 474. 477. 486) et *specie* (§. 345. 398. 477. 486).

Barbaris] Ita Plato (politic. p. 262 et Phileb. p. 16 Steph.) in Barbaros et Graecos humanum genus plerumque dividi ait.

donec] Unde Porphyrius (c. 2) individua nomine τῶν εἰδικωτάτων designavit. Ceterum pro Girotiano *formulas* ex anterioribus editionibus, codicibusque Darmstattensi et Reichenauensi reposui *formas*.

Catamitum] Intellige *Ganymedem*, ut in Festo est, non autem puerum meritorium, nam *individuum*, ut vocant, designat. Gnor. — Ganymedem esse vel soli hi Plauti (in Men. 1, 2, 33) versus comprobant:

»*Dic mihi nunquam vidisti tabulam pictam in pariete*
Ubi aquila Catamitum *raperet, aut ubi Venus Adoneum?*«

Postmodo tamen invaluit, ut pueri meritorii, qui corpore quaestum facerent, hoc nomine appellarentur; confer Servium (ad Virg. ecl. 8, 30).

participans nomen] Ait species communicare, et de nomine generis, et de essentia seu definitione: deinde subjungit exemplum in homine, equo, leone. Prout itaque verba praecedentia innuunt, legendum hic: »potest et homo, et equus, et leo, animal dici, quod nomen, et corpus *anima* (nisi *animae* malis, σῶμα ψυχῆς μετέχον) participans, quae definitio generis esse cognoscitur.« Gnor. — Communem omnium lectionem non mutavi, nisi quod e codice Monacensi (C) scripsi *dignoscitur* pro *cognoscitur*, et vocem *nomen* uncis inclusi, quo facto

DE DIFFERENTIA.

Differentia est sufficiens ad id, quod susceperis, discretio, ut si quae- 346
ratur, quid inter hominem intersit et equum, sufficit ut dicamus, quod homo bipes est, equus quadrupes. Animadvertere autem debemus, quod quia multae sunt in rebus singulis differentiae, unamquamque rem dissimiliter nos posse dividere, quotiens in ea poterimus alias atque alias differentias invenire. Nam si animal voluerimus dividere, possumus in sexus, quod alia sunt masculina, alia feminina; possumus in aetates, quod alia sunt ortiva, alia juventutis, alia senilia; possumus in quantitates, quod alia sunt parva, alia magna, alia media; possumus in varietatem motus, quod alia sunt gradientia, alia serpentia, alia natantia, alia volantia; possumus in habitaculorum diversitates, quod alia sunt aquatilia, alia terrena, alia aëria, alia, ut nonnulli dicunt, ignea; possumus in linguae sonum, quod alia sunt loquentia, alia gementia, alia latrantia, alia ululantia. Sciamus tamen et singulas perfectas esse divisiones, et omnes in singulis inveniri. Nam masculina animalia possunt et ab ortu recentia, et parva, et gradientia, et terrestria, et bipedalia, et loquentia esse. Ergo

omnia recte procedent. Plura si cupies, apud Porphyrium in Isagoge (c. 2) omnia dilucide exposita invenies, unde Isidorus quoque (etym. 2,25) hausit. Unum addo Senecam (epist. 111): »singula animalia singulas debent habere substantias; ista omnia unum animum habent. Itaque singula esse possunt, multa esse non possunt. Ego et animal sum et homo, non tamen duos esse dices« ect.

quod quia] Anacoluthon est, quia sequitur infinitivus *posse* pro verbo finito, ut verisimile sit haec Martianum e Graeco scriptore expressisse, apud quos haec constructio non rara est (confer Foertschii observ. crit. in Lysiae orationes p. 78). Pariter etiam paulo infra (§. 348) offendimus Graecam constructionem, attractionem videlicet, in verbis »*unde* quaestio est« pro »ab eo *de quo* quaestio est.«

masculina] Delevi codicis Monacensis (F) auctoritate quod apud Grotium sequitur *et* ante *alia*.

juventutis] An »juvenilia«? Gnor. — Cur?

ignea] Sicut salamandra, quam ferunt innocuam in ignibus vivere. Est genus serpentis. Gloss. (cod. Mon. F) — Confer Hermetem (in Stob. ecl. 1, 52, 41; p. 997 Heer.). De salamandra alio loco (palaeogr. crit. III. §. 525) addita ejus effigie egi. Ceterum longe alia animalia ad igneum elementum refert Plato (Epinom. p. 981 sequ.).

bipedalia] MS. *bipedia*. Ex hoc vocabulo videtur mihi aliquid deesse post vocem »ignea«, utpote tale quid: Possumus in pedum multitudinem, quod

quamvis uti licet omnibus, ea tamen debes, quae est apta suscepto negotio. Nam si tibi sit de hominum laude dicendum, in rationabilia et stolida dividere oportebit; ut eo facile possit intelligi, inter omnia animalia rerum natura quanti homines habuerit, quibus solis ad se cognoscendum ratiocinari permisit.

DE ACCIDENTE.

347 Accidens est, quod non nisi eidem formae, sed non semper evenit, ut rhetorica non nisi homini accidit, sed ei potest et non accidere, ut quamvis sit aliquis homo, non sit tamen orator.

DE PROPRIO.

348 Proprium est, quod et eidem formae, et ita semper accidit, ut unamquamque rem ab omnium communione discriminet, ut in homine risus. Nam nec ridere quisquam nisi homo potest, nec homo, quum voluerit, quantum in ejus natura est, ridere non potest. Et differentia proprio eo distat, quod differentia unamquamque rem ab eo tantum distinguit, unde quaestio est:

alia sunt sine pedibus, alia bipedia, alia quadrupedia, alia sepedia, alia (ut de Empusa quidam fabulantur) unipedia. Gnor. — Nihil muto, siquidem omnia intelliguntur. Ne *bipedia* quidem repono. Martianus enim semper *bipedale* aliis etiam locis (§. 363. 372) scripsit.

potest et non] Inserui *et* e codicibus Monacensibus (C et F), Reichenauensi, et Darmstattensi.

in homine risus] Quinctilianus (5, 10, 58): »proprium« inquit »est quod aut soli accidit, ut *homini sermo, risus*, aut quod utique accidit, sed non soli.« Risum homini peculiarem esse omnino contendunt et Graeci et Latini. Julius Pollux (6, 200) ad vocem γελαστικός observat: »οὕτω γὰρ ὁρίζονται τὸν ἄνθρωπον, ὅτι μόνος ἐξ ἁπάντων τῶν ζώων γελᾷ«: Porphyrius quoque (isag. 1, 4 et 6) »homini proprium esse γελαστικόν« dixit; quamquam Lucianus (vit. auct. 26) inter peripateticorum argutias refert, ὡς ἄνθρωπος μέν ἐστι γελαστικόν, ὄνος δὲ οὐ γελαστικόν, οὐδὲ τεκταινόμενον, οὐδὲ πλωϊζόμενον. Boëthius (dial. 1. ad Porph. in op. Bas. p. 7. 9. 16. 35) Latine reddidit *risibile*, quem in eo reprehensum a criticis Scaliger (de caus. L. L. p. 251) defendit, neque Cassiodorus (dialect. p. 541 Gar.) ea voce uti metuit; quid quod jam Appulejus (dogm. Plat. 3. p. 272) *cachinnabile* animal hominem nuncupavit? Neque aliud verbis illis dialectici voluere, quam *aptum* hominem ad ridendum esse, sive *risus capacem*, ut et Boëthius alio loco (p. 3) pro *risibili* dixit, imitatus nempe Augustinum (in categ. c. 7. op. I. p. 200).

proprium vero ab omnibus. Nam quum hominem a leone per violentiam volentes discernere dixerimus, quod leo ferus est, homo autem mitis, id solum videmur discernere, quod ad susceptum negotium pertinet. Dicendo enim: leo ferus est, homo mitis, nec hominum ab aliis mitibus animalibus, nec leonem a ceteris bestiis sejunximus; dum vero hominem risibile animal dixerimus, eo a ceterorum animantium generalitate discreverimus.

DE DEFINITIONE.

Definitio est, quum involuta uniuscujusque rei notitia aperte ac breviter 349
explicatur. In hac tria vitanda sunt: ne quid falsum, ne quid plus, ne quid minus significetur. Falsum est hoc modo: homo est animal immortale aut irrationale. Quamvis enim homo esse animal verum sit, falsum tamen est, immortalem aut irrationalem esse. Plus est hoc modo: homo est animal mortale. Et hoc enim, quamvis breviter dictum sit, plus tamen est, quod ad omnia animalia pertinet. Minus significatur hoc modo: homo est animal grammaticum. Quamvis enim non sit nisi homo animal grammaticum, non tamen omnis homo grammaticus. Definitio plena est hoc modo: homo est animal rationale mortale. Addendo enim mortale separavimus a diis; addendo rationale separavimus a feris.

violentiam] Ita cum editis Grotius: sed ad marginem adscripta lectio praebet *differentiam*, quam et codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (F) habent. Quoniam autem supplendum videtur *leonis*, lectionem, quae in editis erat, praetuli.

definitio] Auctor ad Herennium (4, 25): »Definitio est quae rei alicujus proprias amplectitur potestates *breviter* et *absolute*.« Cicero (de orat. 1, 42): »Est enim definitio earum rerum, quae sunt ejus rei propriae, quam definire volumus, *brevis* et *circumscripta* quaedam explicatio.« Idem alio loco (2, 20) »verborum« inquit »definitiones, in quibus neque *abesse* quidquam decet neque *redundare*.«

et hoc] Sic Monacensis (F). In editis male *ex hoc*.

grammaticum] Haec finitio ideo falsa est, quia *genere* et *proprietate* constat, non *genere* et *differentia*; quod postulat Porphyrius (isagog. 3, 7): *οἵ τε ὅροι ἀποδίδονται ἐκ γένους ὄντες καὶ τῶν τοιούτων διαφορῶν*. Grammatica enim facultas licet propria sit homini, tamen non est *εἰδοποιὸς διαφορά*, ut apud eundem est, *ὥςπερ ἄνθρωπος ἵππου εἰδοποιῷ διαφορᾷ διενήνοχε τῇ τοῦ λογικοῦ ποιότητι*.

mortale] Mortale ait addendum, ut a diis separetur. Nam dii animalia Platonicis. Eodem modo Porphyrius *περὶ κατηγορημάτων*: *ἡ δὲ τοῦ θνητοῦ καὶ ἀθανάτου διαφορὰ καὶ ἡ τοῦ*

DE TOTO.

330 Totum est, quod duabus pluribusve in se partibus positis non semper nomen, definitionem nunquam accommodat. Et hoc non nisi in individuis invenitur, ut si hominem designemus et ejus partes singula membra faciamus, intelligimus id ipsum totum esse, quia certum hominem constituimus, et definitionem et nomen ipsius totius non posse in partes cadere. Non enim aut brachium solum, aut caput, hominem dicere poterimus, aut ipsius definitionem singula membra recipiunt. Sed animadvertendum est, quod aliquando omne pro toto dicere possumus, sed alio quodam intellectu. Nam totum etiam in singulis, et omne in multis agnoscitur. Nam quum dicimus homo Cicero, quia unus est in eo, totus intelligitur; homo autem, quia imperitus et artifex, et vir et mulier esse potest, omne melius accipimus.

DE PARTE.

331 Partes sunt, quae in toto esse intelliguntur, et ex quibus totum constat.

QUI IN DIVIDENDO MODUS.

332 Dividere usque eo debemus, donec ad individuum veniatur; et hoc fit, quum per differentias ad paucitatem genera redigimus, et eis ita formas subjicimus, ut et ipsae singulae aliis sub se positis etiam genera esse possint.

λογικοῦ τε καὶ ἀλόγου διαιρετικαί. Et post: *ἀλλ' αἱ μὲν τοῦ λογικοῦ καὶ θνητοῦ διαφοραὶ ὀνοστατικαὶ γίνονται τοῦ ἀνθρώπου.* Gnor. — Plura dabit Spaldingius (ad Quinct. 2, 16, 12; p. 369 sequ.). Ipse Quinctilianus (5, 10, 56): »*Homo est animal*«, inquit, »non est satis; id enim genus est; *mortale*, etiamsi est species, cum aliis tamen communis finitio; *rationale*, nihil supererit ad demonstrandum id quod velis.« Adde eundem alio loco (7, 3, 15), unde apparet solemnem hanc dialectiorum definitionem fuisse, quam affert et Sextus Empiricus (adv. Log. 7, 269).

nunquam] *Tamen*, quod in editis praecedit, delevi auctoritate codicis Monacensis (F).

omne] Subtilius Aristoteles (metaph. 4, 26): *ὅλων μὲν μὴ ποιεῖ ἡ θέσις διαφοράν, πᾶν λέγεται· ὅλων δὲ ποιεῖ, ὅλον.*

partes] De toto et partibus confer Aristotelem (metaph. 6, 10).

Ut animal si breviter primo dividere voluerimus, per differentias possumus, quod alia sunt gradientia, alia serpentia, alia natantia, alia volantia; hinc item, hoc est, de singulis formis possumus genera facere, ut si dicamus, animalia gradientia genus esse, et ei formas subjiciamus, quod alia sunt humana, alia ferina; et ex his possunt esse aliae formae, per quas, si necesse fuerit, ad individuum poterit perveniri. Sed hoc non in omni assertione facere oportet, sed in subtili quadam disputatione. Tunc autem in oratione hoc modo possumus dividere, quum id exigit obscuritas causae; quod si causa non sit obscura, divisionis quidem ratio inesse et tractari debet, sed multum apparere non debet.

QUI IN PARTIENDO MODUS.

Partiendi differentiae non frequenter occurrunt, atque ita sine his infinita 353
potest esse partitio, si usque ad individuum voluerimus pervenire. Nam si certum hominem pro toto dicamus, et ejus partes breviter colligere voluerimus, differentiae non suppetunt partium, et certarum partium nominibus uti cogemur, ut dicamus caput et pedes et reliqua, quae si complecti breviter voluerimus, quoniam differentiae desunt, non possumus singula colligere, quia multa sunt, et aut impossibile erit, aut longum.

hoc est] Sic rescripsi pro *id est* e codicibus Monacensibus (C et F), Reichenauensi, et Darmstattensi, sicut et paulo post *subjiciamus* pro *subjicimus* in editis. Grotius verba »id est de singulis formis« glossema esse censuerat et quidem ineptum; sed ipse potius Martianus perspicuitatis gratia addidisse videtur; inepti nihil video.

non in omni] Non semper divisionem adhibendam esse Curius Fortunatianus (p. 57 Pith.) monet, »nam ut non omne nomen omnibus literis scribatur, ita non omnibus locis omnem materiam dividendam esse, quod ipsum fieri etiam in ceteris statibus scire debeamus, quum accusator id quod negemus quaerat a quo sit admissum, quod a Graecis appellatum *ἀνάκρισις*.«

quae si] Ita codices Monacenses (C. F), Darmstattensis, et Reichenauensis. Male Grotius cum aliis libris editis: »quae *sic*.« Paulo ante codices habent *ceterarum* pro *certarum*, quod tamen reponere nolui, quia *caput* et *pedes* Martianus significare videtur. Quanquam possit ferri, si ad *reliquorum* mentionem referatur.

QUID INTERSIT INTER DIVISIONEM ET PARTITIONEM.

354 Interest autem inter divisionem et partitionem, quod in divisione per formas currimus, in partitione per partes. Formae autem sunt, quae generi subjiciuntur, et ejus definitionem tenere possunt et nomen; partes sunt quae in toto sunt, et definitionem nunquam, nomen interdum totius recipere possunt. Possumus tamen unam eandemque rem et pro genere et pro toto accipere, sed alia quadam vi; ut est homo, quem si in adolescentem, senem, et puerum dividere voluerimus, genus est, et formae ejus; quem si in caput et pedes et manus partiri voluerimus, totum est et partes ejus; quia adolescens, senex, et puer, quas formas esse diximus, et nomen hominis recipiunt et definitionem, ut et senex dicatur homo animal rationale mortale, et puer, et adolescens; caput vero et pedes, quas partes esse diximus, neque definitionem hominis, neque nomen accipere possunt, quia nec caput potest dici homo animal risibile, nec pedes, nec manus.

QUID SIT AEQUIVOCUM.

355 Aequivocum est, quando multarum rerum unum est nomen, sed non eadem definitio, ut leo. Nam quantum ad nomen pertinet, verus et pictus et coelestis leo dicitur; quantum ad definitionem, aliter verus definitur, aliter pictus, et aliter coelestis.

interest] Hanc differentiam post Ciceronem (top. 7) docuerat Quinctilianus (5, 10, 63; pag. 264 Spald.).

et pro genere] Verba transposui secundum codices Monacenses (C. F) et Darmstattensem. In editis *totum* priori loco positum erat.

esse diximus] Sic codices Monacenses (C. F), Darmstattensis et Reichenauensis pro *dicimus* apud Grotium.

aequivocum] Ex Aristotele (categ. 1) ubi Graece ὁμώνυμον. Eundem sequuntur Augustinus (op. I. p. 196), Fronto (II. p. 474 Maj.), Boëthius (op. p. 5. 6. 115), Quinctilianus (8, 2, 13; p. 205 Spald.), Cassiodorus (op. p. 538 Gar.), Isidorus (etym. 2, 26, 2; p. 104 Arev.) cet. Romanorum oratores Aristotelis categorias, quae nunc sequuntur, probe novisse, atque in usum suum vertisse testis est Cicero (de orat. 2, 36 et orat. 32).

coelestis leo] Signum in Zodiaco, in quo Sol mense Augusto moratur. Glossa (cod. Monac. F).

QUID SIT UNIVOCUM.

Univocum est, quando duarum aut plurium rerum unum nomen est 356
et definitio, ut vestis. Nam et birrus et tunica nomen vestis habent et definitionem possunt accipere. Ergo hoc univocum in generis serie intelligitur, quod et nomen et definitionem dat formis suis.

QUID PLURIVOCUM.

Plurivocum est, quando multis nominibus una res dicitur, ut gladius; 357
nam et ensis et mucro idem significant.

QUAE REBUS VERBA SUA SINT.

Rebus verba sua sunt, quae naturalia atque etiam propria dicimus, 358
ut lapis, lignum, et cetera.

QUAE ALIENA.

Aliena sunt, quae ratione aliqua mutuantur, vel propter necessitatem, 359

vestis] Idem exemplum apud Isidorum (etym. 2, 26, 3; p. 104 Arev.) legitur. Cassiodorus autem (p. 538 Gar.) Aristotelem secutus hoc substituit: »animal, quippe quod tam homo, quam bos.« Boëthio (p. 5 f. et 115) »univoca sunt, quae sub eodem nomine et sub eadem substantia continentur.« Graece *συνώνυμα* appellantur, nimirum *birrus* et *tunica*, quae pari generis nomine *vestes* dici possunt, non genera ipsa, quod Martianus putasse videtur, qui *vestem* univocum appellavit.

birrus] Isidorus idem ponit exemplum. Multa de birro studiose collegit Meursius noster in critico Arnobiano, cui addi possit Zonarae locus, qui ait *βηρὸν* vestem esse sericam, unde et *ὁλοβηραὶ* vestes in codice. In Glossis quae Isidoro attribuuntur legitur »amphibalum, birrum villosum.« Utitur hac voce Vopiscus qui ait: »Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti.« Gnom. — Inprimis vide Pithoeum (advers. I, 16 in Grut. lamp. T. II. p. 765), qui multa de voce illa congessit.

plurivocum] Haec sunt quae nos plerumque synonyma appellamus; Boëthius (p. 115) *multivoca* dicit. Ceterum subtilius nostro Quinctilianus in iisdem exemplis (10, 1, 11; p. 10 Spalding.): »sunt autem alia hujus naturae, ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit, ut *ensis* et *gladius*; alia, quae etiamsi propria rerum aliquarum sint nomina, *τροπικῶς* quasi tamen ad eundem intellectum feruntur, ut *ferrum* et *mucro*.«

mutuantur] Sic scripsi e codice Grotii, adstipulante secunda manu in Darmstattensi, pro *mu-*

vel propter decorem. Propter necessitatem, ut dicimus vites gemmare, et laetas segetes. Hic enim quoniam proprium deficit, alieno usi sumus. Neque enim aut vites aliud quam gemmare, aut segetes aliud quam laetas possumus dicere. Propter decorem autem dicimus fluctuare segetes. Possumus enim aliud, ut moveri, dicere; sed quoniam ornatum non est, alieno utimur.

QUOT MODIS SUNT ALIENA.

360 Aliena verba tribus modis fiunt, aut per similitudinem, aut per contrarium, aut per differentiam. Per similitudinem, ut sunt, quae in grammaticae tropis numerantur, ut hoc ipsum quod dixi fluctuare segetes. Ex hoc genere sunt etiam illa, quae ex toto partem, aut ex parte totum significant, in hunc modum, ut decenter verborum habeant propinquitatem. Haec enim similitudinis genere placuit includi. Per contrarium verba dicuntur, quando contra quam dicimus accipiuntur; ut Parcas dicimus Fata,

tantur in editis, licet huic quoque lectioni aliquid subesse concedam. Quae enim *aliena* Martianus appellat, nihil aliud sunt quam τρόποι in Rhetorica, qui Cicerone teste (Brut. 17) verborum *mutationes* dici Latine poterant; sed praestat altera, quae propius ad *alieni* significationem accedit. Pariter Quinctilianus (8, 6, 5): »copiam quoque sermonis auget permittendo *mutuari* quae non habet«, atque ipse Cicero (orat. 24): »simplex probatur in *propriis* usitatisque verbis, quod aut optime soniat aut rem maxime explanat; in *alienis* aut translatum et sumtum aliunde ut *mutuo*, aut factum ab ipso et novum«; modo teneas nostro loco *mutuantur* non deponens sed passivum esse, ut activo *mutuasset* Valerius Maximus utitur (3, 4, 2).

propter necessitatem] Fere iisdem exemplis usus Cicero (de orat. 3, 38) »necessitatem ait metaphoras genuisse, inopia coactam et angustiis; post autem delectationem jucunditatemque celebrasse; institutas esse verbum translationes inopiae causa, frequentatas delectationis. Nam *geminare vites*, *luxuriem esse in herbis*, *laetas segetes* etiam rusticos dicere.« Adde Quinctilianum (8, 6, 6), qui tribus de causis nomina transferri ait: »aut quia *necesse* sit, aut quia *significantius*, aut quia *decentius*«, sed *gemmam* in vitibus et *sitire segetes* et ipse rusticos *necessitate* dicere confirmat, unde apparet male fecisse Grotium qui verba »propter necessitatem« ante »ut dicimus« iterare neglexerit; meliora nos docuerunt codices Monacensis (F), Darmstattensis, et Reichenauensis. Darmstattensis etiam infra praebuit »propter *decorem*«, ubi Grotius, secus ac supra, *decorum* scripserat.

ut moveri] E Grotiano codice inserui *ut*, quod aberat ab editis.

contra quam] In editis: contra *quod*, sed meliorem e codicibus Monacensibus (C. F) et Darmstattensi substitui lectionem.

quum non parcant, et lucum, quum non luceat. Hoc grammatici *κατ' ἀντίφρασιν* vocant. Per differentiam aliena verba sunt, quum sine ulla ratione ex aliis assumuntur, ut si hominem neque corpore durum neque ingenio stolidum lapidem dicamus; sed his uti non convenit. Stultum est enim aut nihil significantia verba aut nimis aliena proferre. Propriis autem et similibus et contrariis uti fas est.

QUID SIT SUBSTANTIA.

Antequam de hac dicam, quaedam docenda sunt. Omne quidquid 361
dicimus, aut subjectum est, aut de subjecto, aut in subjecto est. Subjectum est prima substantia, quod ipsum nulli accidit alii inseparabiliter, ei tamen alia accidunt, ut Cicero est, non nomen, sed quod eo nomine significatur. De subjecto est, quod de ipso subjecto dicitur, et dat ei et definitionem suam et nomen, ut homo. Nam et homo Cicero est, et animal rationale mortale. Ita et nomen et definitio, quae est de subjecto, eidem subjecto accessit; ideoque hoc, quod de subjecto dicitur, in generibus vel in formis

Parcas] Nota etymologia ex Servio (ad Aeneid. 1, 22): »et dictae sunt *Parcae κατ' ἀντίφρασιν*, quod nulli *parcant*, sicut *lucus* a non *lucendo*, *bellum* a nulla re *bella*.« Eandem sapere videtur inscriptio vetus (misc. Lips. nov. 3, p. 37): »crudeles *Parcae*, quae nemini *parcunt*« cet. Adde Isidorum (1, 36, 24; p. 63 Arev.), Hieronymum (epist. ad Onas.) inque primis veteres mythographos (p. 35. 78. 187 Bode): »Tria etiam *Fata*, quae per antiphrasin, quod nulli *parcant*, Parcas appellamus, eidem Plutoni destinamus.« De *Fatorum* nomine, quo Parcae interdum apud Romanos significantur, confer Spanhemium (de usu et praest. num. II, p. 639), Oudendorpium (ad Lucan. 7, 676), et Burmannum (ad Anthol. Lat. II, p. 30 et 261).

lucum] Hanc etymologiam, quae in proverbium abiit, jam Quinctilianus novit (1, 6, 34): »quia umbra opacus parum luceat.«

substantia] Jam ad categorias transit, de quibus praeter ipsum summum auctorem Aristotelem confer Latine loquentes Quinctilianum (3, 6, 23; p. 490 sequ. Spalding.), Isidorum (2, 26; p. 104 sequ. Arev.), Cassiodorum, Boëthium cet.

de hac] Hinc apparet inscriptiones in codicibus Anglicis perperam omissas (vide ad §. 230) revera ab ipsius Martiani manu profectas esse, quia verba in ipso contextu ad illas referuntur.

aut subjectum] Aristoteli (categ. 2) haec tria sunt *ὑποκείμενον, καθ' ὑποκειμένου, ἐν ὑποκειμένῳ*.

invenitur. In subjecto est, quod neque nomen neque definitionem dat subjecto, sed in ipso subjecto ita esse intelligitur, ut sine eo esse non possit, ut rhetorica. Nam nec nomen ejus potest subjectum recipere, nec definitionem. Neque enim aut rhetorica Cicero, aut bene dicendi scientia Cicero; sed in
362 eo esse intelliguntur, quum id ipse vocari non possit. Aliud est de subjecto, aliud in subjecto. Et in subjecto est, ut disciplina. Nam eadem rhetoricae de subjecto est, Ciceroni in subjecto. Prima ergo substantia subjectum est, secunda, quae de ipsa prima dicitur, ut sit Cicero prima substantia, homo et animal secunda; jam in subjecto omnes consequentes praedicationes esse
365 intelliguntur, itaque de singulis videamus. Quid qualitas? qualitas est, secundum quam dicimus quale est, ut candor. Et ex hoc intelligi licet, et qualitatem in subjecto esse, quum candor necessario in aliquo sit, sine quo esse non possit; utique ipsum aliquid, in quo est, subjectum est. Quid quantitas? quantitas est, secundum quam dicimus quantum est, ut bipedale. Etiam ista in subjecto intelligi necesse est. Quid relativum? relativum est, quod ad aliquid vocant, ut pater, frater. Et haec utique ita in subjecto sunt; nam necesse est, ut haec omnia ad aliquid sint, et si nonnulla sunt, de quibus dicantur, illa quae dicuntur, in anima videbuntur. Quid loci? id est quod dicimus Romae; Roma substantia est, ipsi Romae hoc accidit. Quid temporis? ut heri, nuper, vesperi. Quorum motu tempus intelligitur, substantiae sunt, ut Sol, cujus cursu tempus intelligimus, et quae aliquam

neque nomen] Accuratius Aristoteles (categ. 5, 4): *τῶν δὲ ἐν ὑποκειμένῳ ὄντων ἐπὶ μὲν τῶν πλείστων οὔτε τοὔνομα οὔτε ὁ λόγος κατηγορεῖται τοῦ ὑποκειμένου, ἐπ' ἐνίων καὶ τοὔνομα μὲν οὐδὲν κωλύει κατηγορεῖσθαί ποτε τοῦ ὑποκειμένου, τὸν δὲ λόγον ἀδύνατον.*

omnes consequentes] Marius Victorinus (p. 160 rhet. Pith.): »Secundum Aristotelem decem categoriae sunt, id est decem res, in quibus omnia, quae in mundo sunt, continentur. Harum rerum una substantia est, *reliquae novem qualitates*, id est, quae substantiae accidunt.«

si nonnulla] In editis omissum erat *si*, quod e codice Monacensi (F) restitui, vocemque *inanima* divisi: intelligo enim »in mente« id est *abstracta* videbuntur; *concreta* enim, sive primae substantiae, *relativa* esse non possunt; *abstracta* posse ipse Aristoteles (categ. 5, 21) concedit; quae si *in subjecto* sunt, *relativa* erunt, si *de subjecto*, secundae substantiae.

intelligentiam morae in nobis faciunt. Quid situs? utputa jacet, sedet. Quid habitus? ut calceatus, armatus; substantia est homo, et haec illi accidunt. Quid facere? ut secare, urere. Quid pati? ut secari, uri.

QUID SUBSTANTIA PRIMA.

Substantia est, quae nec in subjecto est inseparabiliter, neque de ullo 364
subjecto praedicatur. Inseparabiliter autem ob hoc definitioni adjectum est, quod omnis prima substantia, quamvis in loco aliquo sit, tamen ab eo separari et migrare potest, ut Cicero ita in curia esse intelligitur, ut inde possit aliquo discedere; et pars primae substantiae, quamvis in toto sit, non tamen inseparabiliter; nam sive re ipsa sive cogitatione separari a corpore nostro brachium potest. At vero rhetorica ita est in animo Ciceronis, ut etiam si aliquo casu esse destiterit, non tamen intelligatur migrare; quoniam nec quum esse coeperit, intelligitur advenisse.

QUID SECUNDA SUBSTANTIA.

Secunda substantia est, quae de prima, ut dictum est, praedicatur, 365
ut homo de Cicerone, et animal de homine et Cicerone. Et quidquid genus

morae] Ita codices Monacenses (C. F) et Reichenauensis. Editi *morulae*, quo diminutivo non nisi Augustinus serioresque scriptores utuntur.

substantia est] Nimirum prima, id quod ex inscriptione repetendum. Et haec quidem noster ex Aristotelis sententia, cui *individuae* substantiae primae sunt, *genera* et *formae* secundae; aliter omnino Appulejus (dogm. Plat. p. 193 Oud.): »Et primae quidem substantiae vel essentiae primum deum esse, et mentem, formasque rerum, et animam; secundae substantiae omnia, quae inde formantur, quaeque giguuntur, et quae ab substantiae superioris exemplo originem ducunt.«

ob hoc] Sic scripsi e codicibus Monacensibus (C. F) pro *ad hoc* in editis.

pars primae substantiae] Aristoteles (categ. 3, 14): *μὴ ταραττέτω δὲ ἡμᾶς τὰ μέρη τῶν οὐσιῶν ὡς ἐν ὑποκειμένοις ὄντα τοῖς ὅλοις, μή ποτε ἀναγκαβθῶμεν οὐκ οὐσίας αὐτὰ φάβκειν εἶναι· οὐ γὰρ οὕτω τὰ ἐν ὑποκειμένῳ ἐλέγετο ὡς τὰ μέρη ὑπάρχοντα ἔν τινι.*

animal de homine] Nam animal *genus* est, homo *forma* sive *species*; »quemadmodum autem, Aristoteles (categ. 3, 7) inquit, primae substantiae ad reliqua omnia se habent, ita quoque species generi subjicitur; genera enim de speciebus praedicantur.«

est primae substantiae, secunda substantia esse intelligitur. Ita ergo substantiis omnibus commune est non esse in subjecto; primo vero nec de subjecto est substantia, nec intendi nec remitti potest, id est, recipere magis et minus. Siquidem nemo homine alio magis homo est, et nec ipse unus homo magis eras erit homo, quam hodie fuit, et in diversis, non magis equus equus est, quam homo homo. Hoc autem observandum est in substantiis inter consortes suas, id est, ut primam primae compares, secundam secundae. Nam si secundam primae compares, magis substantia est prima quam secunda. Prima enim rem magis declarat; secunda vero habet quandam communionum ambiguitatem. Nam quum dico Cicero, jam quiddam individuum certumque significo; quum dico homo, quoniam cuncti sumus huic appellationi subditi, incertum est quem significem. Ita ergo fit, ut magis sit substantia prima quam secunda,
566 quia rem certius ostendit. Magis ergo et minus substantia non recipit inter consortes suas. Item substantia contrarium nihil habet. Nam nihil homini aut equo contrarium; sed si quis dixerit, Clodium Ciceroni fuisse contrarium, intelligit non ipsas substantias fuisse sibi contrarias, sed qualitates, quae in ipsis erant, ut malitiam bonitati, aut vitium virtuti, aut injustitiam justitiae. Videtur autem substantiae proprium, quod una eademque capax est contrariorum quadam sui permutatione, ut lapis, quum idem sit, potest nunc albus esse nunc niger, idem tamen lapis esse non desinit; et Cicero primo stultus, postea sapiens, idem tamen Cicero esse non desinit.

magis et minus] Hoc quoque ex Aristotele, qui (categ. 5, 8): *τὸ εἶδος τοῦ γένους μᾶλλον οὐσία*, inquit, *αὐτῶν δὲ τῶν εἰδῶν οὐδὲν μᾶλλον ἕτερον ἑτέρου οὐσία ἐστί*: et paulo infra (5, 20): *δοκεῖ δὲ ἡ οὐσία μὴ ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον· λέγω δὲ οὐχ ὅτι οὐσίας οὐκ ἔστι μᾶλλον καὶ ἧττον οὐσία — τοῦτο μὲν γὰρ εἴρηται ὅτι ἔστιν — ἀλλ' ὅτι ἑκάστη οὐσία τοῦθ' ὅπερ ἐστὶν οὐ λέγεται μᾶλλον καὶ ἧττον κ. τ. λ.*

sibi contrarias] Inserui *sibi* e codice Monacensi (F). De re ipsa vide Aristotelem (5, 18).

quadam sui] Forte »sine quadam sui permutatione«, ut hoc dicat quod auctor libri *περὶ κατηγοριῶν*: *μάλιστα δὲ ἴδιον τῆς οὐσίας δοκεῖ εἶναι τὸ ταὐτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ ὂν τῶν ἐναντίων εἶναι δεκτικόν*. Si *ταὐτὸ*, hoc est *idem*, ergo sine quadam sui permutatione. Gnot. — Causam correctionis non video; satis enim servavit Aristotelis sententiam in verbis »una eademque«;

DE QUALITATE.

Qualitatem esse diximus, secundum quam dicimur quales. Qualitatum 367
forma una est, in qua dispositio quaedam et habitus mentis esse intelligitur, ut in omnibus perceptis artibus, sapientia, grammatica, rhetorica, ceterisque quae ita haerent animo ut difficile amitti possint. Sed in his aliqua perfecta sunt, aliqua imperfecta; ut si quis grammaticae arti operam dederit, in plerisque tamen fallatur, nondum potest dici habitus, sed tantum dicitur dispositio. Ita non omnis dispositio habitus, omnis autem habitus dispositio esse intelligitur. Secunda species est earum qualitatum, quas recte passibiles dixerimus, 368
ut dulce atque amarum, calidum vel frigidum; non quod ex his eaedem substantiae aliquid patiantur, sed quod sensus nostros aliquid pati cogant. Cogit enim aliquid pati, ut tangentem calor, et dulcedo gustantem. Item quae nobis ex aliqua passione naturae inoleverint, secundum quas pallidus quisque vel ruber dicitur, non tamen ita, ut quis aliqua repentina causa vel pallet vel rubet. Nam ipsae passiones rectius non qualitates appellantur; siquidem secundum has non dicimur quales. Non enim sequitur, ut qui pallet sit pallidus, aut qui amat sit amator, aut qui est ebrius ebriosus. Illae igitur passiones sunt, et non qualitates. Tertia species est earum qualitatum, quae 369

neque omnis mutationis expertem substantiam esse ipse Aristoteles testatur verbis (3, 22): *τὰ μὲν γὰρ ἐπὶ τῶν οὐσιῶν αὐτὰ μεταβάλλοντα τῶν ἐναντίων δεκτικά ἐστι*, et: *ὥστε τῳ γε τρόπῳ ἴδιον ἂν εἴη τῆς οὐσίας τὸ κατὰ τὴν αὐτῆς μεταβολὴν δεκτικὴν τῶν ἐναντίων εἶναι.*

dicimur] MS. »*dicimur quales.*« Et ita vulgus dialecticorum. Gnor. — Sed anteriores etiam editiones hanc habebant lectionem; cur igitur edidit »*dicimus quale est*«? Cassiodorus (p. 538 Gar.) etiam: »Qualitas est, secundum quam (aliqui) *quales dicimur*, ut bonus, malus.« Ubi *aliqui* glossema esse videtur.

dispositio] Haec quoque ad verbum ex Aristotele (categ. 6, 3 sequ.) hausit, qui et alio loco (metaph. 4, 19. 20) distinguit *διάθεσιν* et *ἕξιν*, quarum illa *dispositio*, haec *habitus* Latine dicitur; »differt autem, inquit, habitus a dispositione eo, quod diuturnior est et firmior«; quapropter etiam in sequentibus e codice Monacensi (F) scripsi *tantum* pro *tamen*, quod in editis erat.

passibiles] Seriores aevi vox, qua Prudentius (apoth. 6) et inprimis Afri, ut Tertullianus (adv. Prax. 29) et Arnobius (7. p. 214) utuntur. Graece sunt *παθητικαὶ*, quas Aristoteles tertio loco posuit (categ. 6, 8 — 13).

non ex eo quod jam quisque est, sed ex eo, quod esse potest, intelliguntur, ut dicimus fragile lignum, non quod jam fractum sit, sed quod frangi possit. Nam et palaestricum corpus duobus modis dicimus, et id quod palaestra compositum est, et id quod natura ita formatum ut huic arti accommodatum sit, quamvis ea non sit imbutum. Illud tamen a palaestra recte dicitur palaestricum, quod ipsius artis habet effectum; non autem invenitur ipsius qualitatis nomen unde sit denominatum et derivatum palaestricum illud, quod nondum est, sed esse potest. Quare cognoscendum est, dici quasdam substantias ex qualitatibus, quarum nomina non inveniuntur. Nam ut bonum dicimus a bonitate, non ita optimum ab optimitate. Ita ergo palaestricum, quod intelligimus ex eo, quod percipere possit palaestram, non habet certum qualitatis nomen, ex quo dictum videtur, constat tamen a qua-
370 litate esse dictum. Quarta species earum qualitatum, secundum quas formas figurasque intelligimus, ut quadrum, rotundum, pulchrum, deforme, et similia. Recipit qualitas magis et minus, nec tamen omnis. Nihil enim quadrum magis altero quadro quadrum est. Magis autem aliquid candido candidum dici potest. Et quaestio est in plerisque, utrumne magis justus altero dici possit. Plerique autem subtiliter videntur attendisse, qui qualitates ipsas non dicunt recipere magis et minus, sed ea, quae ab his denominantur, ut justitia sit ipsa una quaedam perfecta notio, ut non dici possit magis haec justitia, quam illa est; dici tamen potest, magis hic justus quam ille est: item dici non potest, magis haec sanitas quam illa est, dici tamen potest, magis sanus hic quam ille est. Ex quo fit, ut substantia non recipiat magis et minus,

esse potest] Non sine fructu conferas Marium Victorinum (p. 254 rhet. Pith.): »Ergo natura accidens res est, quae aptiorem hominem ad unumquodque facit. Itaque non *orator* natura est, sed *oratorius*, id est qui orator *esse possit*. Verum has qualitates vel diligentia comparat facitque *perfectas*, et *habitus* nominantur; aut in has casu quodam ac repentino motu frequenter incidimus et *affectio* dicitur« cet. Rem ipsam, sicut et sequentia omnia, ex Aristotele fere ad verbum expressam esse semel monuisse sufficiat.

perfecta notio] Et hac ratione jurisconsulti definiunt justitiam perpetuam et constantem voluntatem jus suum cuique tribuendi. Gnor.

qualitates quidem per ipsas substantias possint recipere. Item contrarium qualitas habet, nec tamen omnis. Nam sanitati quum sit imbecillitas contraria, nihil est quadro rotundove contrarium. Videndum est autem, quoniam quidquid contrarium qualitati est, qualitas sit necesse est. Dulcedo autem qualitas, qualitas igitur amaritudo, et similia.

DE QUANTITATE.

Quantitas bipartita est, quod alia discreta est, alia continua. Discreta, 371
ut numeri et orationes; continua, ut lineae ac tempus. Item alia quantitatis divisio est, quod alia situm quendam partium habet, alia non habet. Nam linea situ quodam intelligitur, siquidem dici potest quae pars ejus quo loco sit, dextramque ac sinistram videtur habere; at vero numerus aut oratio aut tempus nihil horum habent, quamvis ordinem habere possint, ut sit in his aliquid primum et secundum et ultimum et medium, nihil tamen, quod in loco intelligatur, habent. Quantitas omnis caret contrario; quid enim 372
bipedali tripedalive contrarium? Et si quis dixerit contraria esse majus et minus, quae videntur esse verba quantitatis, sciat non esse definitam quantitatem. Itaque si dicat aliquid majus esse, videtur esse ei contrarium quod minus est; si certum quaesivero, quo majus est? et responderit quod tripedali, apparet nihil esse contrarium. Ipsa autem, quae sibi dicuntur majora et minora, relative dici manifestum est. Quodlibet enim minori comparatum majus est, idemque majori comparatum minus est. Si igitur majus et minus contraria sunt, cogimur confiteri, quod valde absurdum est, posse alicui rei uno tempore simul evenire contraria. Rursus aliud absurdum cogimur intelligere, unam eandemque rem sibimet esse contrariam. Siquidem res una

majus et minus] Lege *majus*; et contra infra lego: »Quantitas non recipit *magis* et minus«, non *majus*, *μᾶλλον καὶ ἧττον*. Grot. — Editi enim librique manuscripti *magis* habent; sed quum manifestum sit Martianum hic Aristotelem expressisse, apud quem est *μέγα καὶ μικρὸν* (categ. 4, 11 sequ.) morem gessi Grotio, praesertim quum statim identidem *majus* sequatur, pro quo et ipso alios corrupte *magis* exhibere idem in margine notavit.

diversis quantitatibus comparata potest eodem tempore major et minor esse.
373 Quantitas non recipit majus et minus. Non enim quinque magis quinque sunt, quam duo duo, aut item duo magis aliis duobus duo sunt, aut magis cras duo erunt, quam hodie sunt. Est autem proprium quantitatis, quod secundum hanc dicimus par et impar, ut qualitatis proprium est, quod secundum hanc dicimus simile atque dissimile, quamvis in diversis rebus utrumque liceat abusive usurpari.

QUID RELATIVUM.

374 Relativum est, quod hoc ipsum, quod dicitur, alicujus est, vel ad aliquid quolibet modo referri potest, ut filius non sine patre vel matre, et
375 servus non sine domino potest intelligi, neque sine his illi vicissim. Dicuntur autem relativa tribus modis: aut alicujus, ut filius; aut alicui, ut vicinus; aut ad aliquid, ut duplum, quoniam duplum ad aliquid simplum est. Omnia relativa his, ad quae referuntur, vice mutua respondent. Nam quemadmodum filius patris filius est, sic pater filii alicujus pater est. Et respondent ita, ut aliqua iisdem casibus respondeant, aliqua casus mutent. Nam quod de filio dixi, idem de servo dicere possumus, quoniam servus domini servus est, et dominus servi dominus. Haec ita sibi respondent, ut eosdem casus in conversione custodiant. Ita quoque duplum ad aliquod simplum duplum, et simplum ad aliquod duplum simplum est; ita major minore aliquo major est, et minor majore aliquo minor est. Manifestum est ergo ista casus in conversione servare. At vero scientia quum sit relativa (alicujus enim rei scibilis scientia est) in conversione ad id quod refertur casum mutat. Nam quod dicimus: scientia scibilis rei est, non possumus dicere: scibilis res scientiae est, sed scibilis

in diversis rebus] Supplevi *in* omissum in editis e codicibus Monacensibus (C. F) et Darmstattensi.

alicujus est] Haec quoque ex Aristotele (categ. 5); sed prior jam Plato relationis vim accurate intellexit (Parmen. p. 133; sympos. p. 199; republ. 4, p. 438).

duplum] Auxi haec e codice Monacensi (F); nam in editis tantum erat: »ita quoque duplum ad simplum est.«

res scientia scibilis est; item sensus alicujus rei sensibilis sensus est, contra sensibilis res sensu sensibilis est. Haec ergo non ut quae supradicta sunt servatis eisdem casibus, sed mutatis convertuntur. Quaedam relativa his, ad quae referun- 376
tur, et in tempore concordant, eaque simul esse incipiunt, simul desinunt; ut servus esse non potest, nisi quum esse coeperit dominus, et quum dominus esse desierit, servus esse desinit; et item dominus, quum servum non habuerit, dominus dici non potest. At vero noscibilis res prior est natura quam notio; nam si noscibilia tollas, notio non erit; at vero si notionem tollas, potest aliquid esse noscibile, quamvis desit ille qui novit. Relativa possunt habere 377
contraria, sed non omnia. Namque inscientiae scientia contraria, inimicitiae amicitia; at vero duplo nihil contrarium, neque majori vel minori, quia quisquis ista contraria putaverit, cogitur confiteri unam eandemque rem uno atque eodem tempore posse sibi esse contrariam; siquidem major minori comparatus major est, idemque majori comparatus minor est uno atque eodem tempore, quod contrariis evenire nullo modo potest. Nam quo tempore homo stultus, non eodem tempore sapiens esse potest, neque quo tempore albus est, eodem tempore niger esse potest; quod quia evenire non posse in majore et minore ostendimus, fateamur necesse est majus et minus non esse contrarium. Ita duplum simplo non esse contrarium, quoniam hoc idem duplum potest esse ad aliquid simplum. Non igitur omnia relativa possunt habere contrarium. Item majus et minus quaedam recipiunt, quaedam non. Nam magis hic amicus illo est, hoc magis duplum illo duplo esse non potest propterea, quia si duplum est, ita duplum est, ut plus aliquid minusve si fuerit non sit duplum. Quaeritur, utrum aliqua substantia dici possit relative. Sed 378

idemque majori] Sic scripsi e codicibus Reichenauensi et Darmstattensi pro Grotiano *itemque*. De re ipsa vide superiorem locum (§. 372).

majus et minus] Hoc quoque loco ut supra (§. 373) exspectasses *magis*, sed religio fuit quidquam mutare, quia Martianus ipse sibi constare videtur. Ceterum de iis quae *magis et minus* recipiunt, Plato jam egit (in Philebo p. 24), cui adde Plutarchum (de procr. anim. p. 1014), Sextum Empiricum (adv. mathem. 10, 271), Porphyrium (isag. 3, 11), et vitam Pythagorae (apud Photium in biblioth. n. 249, p. 712).

de prima substantia, dici non posse relative, nulla quaestio est. Non enim Cicero alicujus dici potest, aut ad aliquid referri; item equus, nam quis equus, ut Rhoebus, non alicujus est hoc ipso, quod Rhoebus est, sed quod jumentum est, alicujus jumentum est. Non ergo prima substantia relative dici potest, neque pars ejus quaelibet, quae sine dubio ipsa prima substantia est; nam quemadmodum Cicero prima substantia est, ita manus ejus. Manus vero non ejus, sed specialiter manus, ita ut secunda substantia sit, relative dici non potest. Non enim sua conversione respondent, ut si dicamus, manus Ciceronis, non Cicero manu Cicero est, neque ipsa manus ob hoc manus, quia Ciceronis est, sed quia ita affecta est, manus dicitur, non quod alicujus sit. Non ergo, ut diximus, prima substantia neque partes ejus relative dici possunt; quaeritur ergo de partibus secundae substantiae. Nam de ipsa substantia nulla quaestio est. Non enim homo alicujus homo, sed manus specialiter alicujus hominis manus est; et ut mutua conversione respondeat, alicujus manuati manus est, ut possimus ita convertere, quia et manuatum aliquid manu manuatum est. Item ungula non primae substantiae ungula, sed alicujus

nam quis] Sic scripsi e codice Monacensi (F) pro *jam quis*, quod ferri non poterat, nisi signo interrogationis post *equus* posito, quod et Grotius voluisse videtur; sed luce clarius est, *quis* indefinite accipiendum esse, ut apud Aristotelem (categ. 5, 21): *ὁ γάρ τις ἄνθρωπος οὐ λέγεταί τινός τις ἄνθρωπος*. *Rhoebus* autem, ut recte monuit Grotius, Mezentii equus est apud Virgilium (Aen. 10, 861).

jumentum] Operae erit contulisse Aristotelem: *οὐδὲ ὁ βοῦς τινὸς βοῦς, οὐδὲ τὸ ξύλον τινὸς ξύλον, ἀλλά τινος κτῆμα λέγεται.*

manus vero] Exponunt glossae: »Manus non est secundum relationem ad Ciceronem, sed quod talis sit, ut a pede aliisque differat.« Et hoc est quod infra dicit: »sed (manus), quia ita affecta est, manus dicitur, non quod alicujus sit.« Gnor.

specialiter] Id est *εἰδικῶς*, quod nos dicimus *in abstracto*, ut opponatur *individuae*. In sequentibus Grotius, puncto post *manus* posito, edidit: »secundae etiam substantiae relative dici non possunt«; nec tamen ipse sibi satisfecit, quippe qui hanc notam addiderit: »Haec voces transferendae et praeponendae infra illis vocibus: *quaeritur ergo*. Aliter tamen MS.« Nos e codicibus Monacensibus (C. F), quibus etiam Reichenauensis a secunda manu adstipulatur, omnes difficultates removisse nobis videmur.

mutua] Sic jam ipse Grotius in notis scribendum monuit pro *mutata*, addixeruntque codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis uterque.

manuati] Alio sensu Laberium »manuatus est« dixisse pro »furatus est« Gellius (16, 7) refert.

ungulati ungula, quia et ungulatum aliquid ungula ungulatum, ut mutuam possit habere conversionem, quod relativis esse diximus proprium. Si ergo maneat illa relativorum definitio, ut relativum sit quidquid alicujus dici potest, difficile resistimus dici partes secundarum substantiarum relative; si vero illa definitio est mutata, ita ut relativa sint ea, quae ad aliquid referuntur, excepto eo quod in aliquo sunt, nulla incidit in hanc definitionem substantia: quemadmodum servitus, excepto eo quod in eodem servo est, id est in aliquo homine, refertur ad dominum; at vero penna ita pennati alicujus penna est, ut excepto eo, quod in aliquo pennato est, ad nihil referri possit. Sane admonendi sumus, ne 379
nos pudeat verba nova facere pro necessitate conversionis. Nam si mutua conversio non respondeat, non relative enunciamus; hoc modo: quum dico pennam, volens eam ostendere relativam, non me pudeat pennatum aliquid propter conversionem dicere; est enim pennatum ita usitatum, ut aures non offendat. Si de pede agatur, non pudeat simili derivatione fingere notum conversioni verbum. Item scire oportet eum, qui relativum aliquod ad quid referatur ignorat, nec omnino utrum ad aliquid referri possit id quod dicit scire posse; hoc modo: quum dicis hoc duplum esse, aut nosti simplum ejus, id est, ad quod duplum sit; aut si illud ignoras, nec omnino utrum duplum sit scire potes.

QUID FACERE ET PATI.

Facere et pati possunt habere contrarium, ut calefacere, refrigerare; 380

si ergo] In his Martianus ipso Aristotele accuratior est, apud quem haec tantum legimus (categ. 5, 22): *εἰ μὲν οὖν ἱκανῶς ὁ τῶν πρός τι ὁρισμὸς ἀποδέδοται, ἢ τῶν πάνυ χαλεπῶν ἢ τῶν ἀδυνάτων ἐστὶ τὸ δεῖξαι, ὅτι οὐδεμία οὐσία τῶν πρός τι λέγεται· εἰ δὲ μὴ ἱκανῶς, ἀλλ' ἐστὶ τὰ πρός τι οἷς τὸ εἶναι ταὐτόν ἐστι τῷ πρός τι πὼς ἔχειν, ἴσως ἂν ῥηθείη τι πρὸς ταῦτα.*

verba nova] Hoc quoque ex Aristotele (5, 10): *ἐνίοτε δὲ καὶ ὀνοματοποιεῖν ἴσως ἀναγκαῖον, ἐὰν μὴ κείμενον ᾖ ὄνομα, πρὸς ὃ οἰκείως ἂν ἀποδοθείη κ. τ. λ.* Confer et superiorem notam (ad §. 359).

esse aut] Haec ex Monacensi (F) desumsi pro simplici *est* in editis; pariterque paulo supra *aliquod* pro *aliquid*.

facere et pati] Confer Aristotelem (cat. 7).

et calefieri, refrigerari. Habent etiam magis et minus, ut magis et minus urere; magis et minus uri.

QUID SITUS.

381 Situs omnis denominative dicitur, ut sedere a sessione, stare ab statione. Et quamvis nonnunquam nomina deficiant, ex quibus situs denominatur, ratio tamen non deficit.

DE TRIBUS, QUAE RESTANT, ID EST, QUANDO, UBI, ET HABERE.

382 De illis tribus, quae restant, supradicta exempla sufficiunt. Quando enim dicimus, ut heri, cras; ubi, ut Romae, Athenis; habitum, ut calceatum, armatum. Quid horum recipiat magis et minus, quum in sermone inciderit, facile apparet.

383 Istae sunt decem praedicationes, ex quibus aliquid necessario singulatim enunciamus. Nam quidquid omnino dixerimus quod aliquid significet, nondum tamen intelligi possit, an verum, an falsum sit, unum est de his decem, exceptis duntaxat illis verborum quodammodo articulis; sunt enim pleraque a grammaticis in orationis partibus enunciata, quae omnino per se nihil valent aut aliquid significant plenum, nisi quum fuerint verbis adjuncta, ut conjunctiones, et praepositiones, et quidquid tale illi docent.

DE OPPOSITIS.

384 Restat ut de oppositis dicamus. Sunt autem opposita, quae sibi veluti

articulis] In promtu foret conjectura *particulis*, sed addita vox *quodammodo* significat figurate Martianum loqui, neque inepta est metaphora, quum particularum ope singula orationis membra inter se committantur et cohaereant. Ceterum confer Appulejum (de dogm. Plat. l. 3 init.): »Adverbia autem et pronomina et participia et conjunctiones et id genus alia, quae grammatici numerant, non magis partes orationis esse, quam navium aplustria et hominum pilos, aut certe in universa compage orationis vice clavorum et picis et glutinis deputanda.«

ex adverso videntur obsistere, ut contraria; nec tamen omnia, quae opponuntur sibi, contraria sunt, sed omnia contraria opposita sunt. Opponuntur autem sibi ita, ut aut relative opponantur, ut magnum parvo, et dimidium duplo; aut ut contraria, ut stultitia sapientiae; aut ut habitus orbationi, ut cernentia caecitati; aut ut ajentia negationi, ut Cicero disputat, Cicero non disputat. Haec autem inter se nonnihil differunt. Nam relativum relativo ita opponitur, ut hoc ipsum, quod opponitur, ejus sit, cui opponitur, aut ad id quocunque modo referatur; nam dimidium opponitur duplo, et ejusdem dupli dimidium est, ita ergo illi opponitur, ut ejus sit, cui opponitur; et parvum opponitur magno, ut ejus sit, ita ut ipsum parvum ad hoc magnum, cui opponitur, parvum sit. Contraria vero ita sibi opponuntur, ut non eorum sint quibus op- 385
ponuntur, sed ad ea quocunque modo referantur; siquidem stultitiae sapientia ita contraria est, ut non ejusdem sapientiae stultitia sit, sed ut ad illam sit stultitia. Sciendum est tamen quaedam contraria medium habere, quaedam non habere. Namque sunt alia, quae ita ut in ea re, in qua esse possunt, alterutra vice necessario insint, et medio careant, ut sanitas et imbecillitas. Haec duo contraria natura insunt corporibus animalium, atque ita vice alterutra necessario insunt, ut diximus, ut in quo animalis corpore sanitas non est, necessario imbecillitas sit; et in quo imbecillitas non est, necessario sanitas sit. At vero candidum et nigrum quum sint contraria et naturaliter in corporibus inveniantur, propterea medio non carent, quia non est necesse corpus aliquod candidum esse aut nigrum; potest enim ita deesse candidum, ut non insit nigrum, atque hoc modo ex alia parte, ergo color aliquis medius inveniri potest, ut luteus, vel viridis. Habitus et orbatio ita sibi opponuntur, ut in 386

aut ut contraria] Ita cum Grotio codex Darmstattensis, quum in anterioribus editionibus *ut* desideretur. De re ipsa vide Aristotelem in Postpraedicamentis (categ. 8), quibus tota illa oppositorum et contrariorum distributio nititur, eundemque alio loco (metaphys. 4, 9 et 10).

ajentia] Eodem vocabulo pro nominativo singulari utitur infra (§. 391). Cicero, qui duo tantum oppositorum genera novit (de invent. 1, 27), id quod ab aliqua re per oppositionem negationis separetur, ut *sapere — non sapere*, uno vocabulo *disparatum* appellat; sed accuratius ad eum Victo-

ea re, cui evenire possunt, alterum eorum necessario insit; ex illo duntaxat tempore, quo ea natura esse permittit. Ut dentatum eum dicimus, qui dentes habet; edentulum vero non illum dicimus, qui dentes non habet, sed cui natura inest, ut habeat, ex illo tempore, quo natura permittit, ut habeat. Nam neque lapidem recte dicimus edentulum, qui nunquam dentes habet; neque infantem, qui quamvis aliquando habere possit, nondum tamen illo tempore, ut habeat, natura permittit. Hoc ergo tertium genus oppositorum differt a primo relativorum eo, quod cernentia ita opponitur caecitati, ut ejusdem caecitatis non sit, aut ad eam quodammodo referatur. A secundo genere, id est contrariorum, illud differt ab his duntaxat contrariis, quae habent medium, quod cernentia et caecitas intelliguntur erga oculos, ut alterum eorum necessario insit. Ergo hoc differunt ab his contrariis quae habent medium, quia illorum alterum non necessario inest substantiae, horum autem [medium] necessario. Ab his vero contrariis, quae medio carent, haec ipsa opposita differunt, quod illa rei, cui natura insunt, omni tempore alterutra vice accidant necesse est, ut corpori animalis sanitas et imbecillitas; nam alterum eorum semper est in corpore animalis: haec autem possunt aliquo tempore ei rei, cui natura inesse possunt, utraque deesse aliquando, ut infans, dum nondum tempus est, quo dentes habere possit, neque dentatus neque edentulus dicitur;

rinus (p. 156 Pith.) monet ab Aristotele duas sub *disparato* species poni, *privantia* et *negantia*, quae noster quoque illum secutus recte distinxit.

cui opponitur] Haec verba a Grotio per incuriam omissa ex anterioribus editionibus supplevi. De relativis vide supra (§. 374).

ut habeat] Lege cum MS.: »ut habeat et ex illo.« Confer cum lib. categoriarum. Gnot. — Particulae inserendae causam non video. Aristoteles simpliciter (8, 9): *ἑτερῆσθαι δὲ τότε λέγομεν ἕκαστον τῶν τῆς ἕξεως δεκτικῶν, ὅταν ἐν ᾧ πέφυκεν ὑπάρχειν ἢ ὅτε πέφυκεν ἔχειν, μηδαμῶς ὑπάρχῃ· νωδόν τε γὰρ λέγομεν οὐ τὸ μὴ ἔχον ὀδόντας, καὶ τυφλὸν οὐ τὸ μὴ ἔχον ὄψιν, ἀλλὰ τὸ μὴ ἔχον ὅτε πέφυκεν ἔχειν κ. τ. λ.*

cernentia] Hoc ejusdem generis est ac supra *ajentia* atque apud Sarisberiensem (metalog. 4, 34; p. 926) *carentia*. Sed jam Cicero (top. 14) confini audacia dixerat »conjunctionum *negantiam*.«

medium necessario] Priorem vocem, quam alieno loco irrepsisse manifestum est, uncinis circumclusi: tollere invitis codicibus non ausus sum.

nam alterum] *Nam* e codice Monacensi (C) inserui.

et oculi alicujus animantis nondum adveniente tempore, quo videre possent, neque caeci neque videntes dicuntur, et tamen aliquid medium non habent. Igitur oppositorum, quae medio carent, duae species sunt, id est eorum quae alterutra vice accidunt rei, in qua esse possunt, nullo medio intercedente, ut sanitas et imbecillitas; et eorum, quae simul deesse possunt substantiae, in qua non simul esse possunt, et tamen, quum simul desunt, nihil medium intercedit, ut cernentia et caecitas, vel habitus et orbitas. Quartum genus oppositorum 387
est ajentia et negantia, ut Cicero disputat, Cicero non disputat. Haec a superioribus differunt, quod illa singulatim dici possunt, haec non nisi connexe dicuntur. A relativis hoc differunt, quod illa etiam relative dicuntur; haec autem non relative; non enim disputans ad non disputantem refertur. A contrariis hoc differunt, quod illa, si connexe dicantur, tamdiu aut vera aut falsa sunt, quamdiu est illud, in quo inesse possunt; quum autem hoc esse destiterit, neque vera neque falsa sunt; ut aut stultus est ille aut sapiens est; ille quamdiu vivit, horum alterum verum est; quum ipse esse destiterit, utraque falsa sunt, quia, qui non est, neque stultus neque sapiens esse potest. At vero Cicero disputat et Cicero non disputat ita sibi opponuntur, ut et dum vivit Cicero alterum eorum necessario sit, et ipso mortuo falsum est quidem quod disputat, verum tamen est quod non disputat. Hoc modo discernuntur haec bene ab habitu atque orbatione; nam qui non est, neque caecus est neque videns. Nec sane moveare, quod videmur jam de proloquiis aliquid dixisse, de quibus postea dicendum est; hoc namque factum est occasione oppositorum.

oppositorum] Sic Grotius nescio unde pro *contrariorum*, quod in antecedentibus editionibus erat; recte procul dubio, quum earum specierum altera tantum ad *contraria* pertineat.

aut stultus] E codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi reposui *aut — aut*, quum vulgo per simplicem copulam *et* sententiae jungerentur.

alterum eorum] Lege »alterum verum.« Gnor. — In editis nimirum post *alterum* legitur *vero*, quod tamen quum a codicibus Monacensibus (C. F) et Darmstattensi absit, prorsus omisi; pariter ut mox ante »non disputat« vocem *Cicero* ex auctoritate Darmstattensis delevi, quam nimio perspicuitatis studio librarii addidisse videntur.

DE ELOQUENDO.

388 Nomen est quod aliquam rem significat, et per casus flecti potest; verbum est quod aliquid significat, et per tempora flecti potest; ut Cicero nomen, disputat verbum. Haec ab invicem separata, non nihil quidem significant, verum tamen vel falsum dici non possunt; quum autem fuerint conjuncta, jam possunt et affirmari et negari, ut Cicero disputat, jam dici potest, Cicero non disputat. Esse autem debet nominativus casus nominis, et tertia verbi persona. Prima persona significat aliquid, quod jam negari vel affirmari possit, et in hominem tantum cadit. In ea autem intelligitur nomen, etiam si non dicatur; ut disputo totum plenum est, etiam si non dicas ego. Item secunda persona et ipsa jam veritati aut falsitati obnoxia est; sed etiam ipsa in hominem cadit, et ei nec recte dicimus disputas, qui nec audire nec intelligere quod dicitur potest; ergo et hoc quum dicatur sine nomine, tamen ibi nomen intelligitur. Aliter figurate utimur sive prima sive secunda persona, ut aut loquentem eum inducas, qui loqui non potest, aut ad eum
389 convertamus orationem, qui neque audire neque intelligere potest. Tertia vero persona non hominis tantum est, sed aliarum etiam rerum, et simul ac dicta fuerit non continuo intelligitur, nisi forte de deo dicatur aliquid, quod de eo solo possit intelligi; ut quum dicimus pluit, jam potest esse verum

de eloquendo] Jam ad Aristotelis librum *περὶ ἑρμηνείας* se convertit. Quas praeterea huic parti titulos Grotius praemisit, quia ab anterioribus editionibus absunt, rescidi.

nomen est] Hanc definitionis formam hausi e Monacensi (F), cui et Darmstattensis adstipulatur, nisi quod pro *aliquam* male *quam* legit. Vulgo *quamlibet* scribebatur, praetereaque ad finem miserum glossema addebatur: »vel est quod tam corpus quam rem significat.«

inducas] Melius erat *inducamus*, facillimeque fieri poterat, ut vera haec lectio praetervisa lineola superducta obliteraretur; sed in codicibus nihil subsidii est.

de deo] Sic scripsi secundum codices Leidenses ab Oudendorpio (ad Appulej. met. p. 511) laudatos; vulgo *de eo* et infra *quod pluat*, ubi quod ex iisdem dedi *qui*, Darmstattensis quoque et Monacensis (F) confirmant, nisi quod hic male *ejus* exhibet pro *est*. Jovis vel omnino dei nomen suppleri ad verba pluendi, tonandi, et similia, nota res est (confer Schaeferum ad Lamb. Bosium de ellips. p. 167). Praeterea *possit* scripsi pro *potest* e Monacensi (C).

aut falsum, quum non addamus nomen, quia notum est, qui pluat. Quum vero dicimus disputat, quum aliquid jam significet, non tamen verum aut falsum dici potest, si nomen non addatur; et quamvis de homine hoc tantum possit intelligi, quia non de uno dici potest, necessario subdendum est nomen. Et resistit quum dicimus, tertia verbi persona est; exigit enim nomen non hominis tantum, sed cujuslibet, quod resistere potest. Prima igitur et secunda persona et de homine tantum possunt intelligi, et solae dictae possunt aut verae aut falsae dici, quia cum his etiam nomina intelliguntur; tertia vero et non omnis sola dici potest, et non de solo homine intelligitur. Quod ergo fuerit ex nominativo casu nominis et tertia verbi persona conjunctum, proloquium 390
dicitur, ita ut jam necessario aut verum sit aut falsum aut dubium. Namque: homo animal est, omnes judicamus verum esse, et: omne animal homo est, omnes judicamus falsum. Ille disputat, quamvis necessario aut disputet aut non disputet, nobis tamen dubium est alterum; nihil horum intelligimus necessarium esse, sed quid horum sit nescimus. Ubi vero illa verba sunt, quae impersonalia dicuntur, non ex nominativo casu impletur sententia, sed alios casus recipit, ut disputatur quum dicitur, plena sententia est, si ablativum adjungas, hoc est a Cicerone; et poenitet quum dicitur, plena sententia est, si accusativum adjungas, id est Ciceronem; et sunt
multa alia. Illud tamen constat, personalia verba non implere sententiam, 391
nisi cum nominativo casu et tertia verbi persona. Sunt etiam sententiae,

verae aut falsae] Darmstattensis *vere aut false;* non male, nec tamen ut recipi necesse sit.

jam necessario] Sic codices Reichenauensis et Darmstattensis; editi *etiam.* Ceterum *proloquium* est quod Graece ἀξίωμα, de quo vide nos supra (§. 327) et Appulejum loco citato: »Una inter has ad propositum potissima, quae *pronunciabilis* appellatur, sola ex omnibus veritati aut falsitati obnoxia, quam vocat Sergius *effatum*, Varro *proloquium*, Cicero *enunciatum*, Graeci *protasin*, tum *axioma;* ego verbum e verbo tum *protensionem*, tum *rogamentum;* familiarius tamen dicetur *propositio.*« Unde Cassiodorus (de dialect. p. 540 Gar.): »*Propositio* est oratio verum falsumve significans. Haec *enunciatio* et *proloquium* nuncupatur«; et Arnobius (5. p. 157) de quodam Jovis enunciato: »imperfecta adhuc vox est, neque plena *proloquii* circumscriptave sententia.« Gellius autem (5, 12) »*proloquium* disjunctivum« appellat, de quo noster infra (§. 414).

quae quamvis constent ex nomine et verbo, affirmari tamen aut negari non possunt; quae non proloquia, sed eloquia dici nonnullis placuit, ut est modus imperativus. Quum dicimus: Ajax curre, jam plena sententia est; nam nec solum intelligi sed etiam fieri potest quod dicis; negari tamen non potest: non enim hoc negat, qui dixerit: noli currere. Hoc enim non est adversum ei, quod dictum est, curre, ut hoc sit verum, illud falsum, ut possit nasci quaestio. Nam de ajentia et negatione quaestio sine dubio nascitur, ut: ille currit, ille non currit, quaestio est, utrum currat an non curre; autem et non curre non facit quaestionem utrum currat. Nulla quidem quaestio hic potest intelligi, utrum currere debeat an non. Hoc enim ex ajentia et negatione natum est, ut currere debet, et currere non debet. Hoc facit et optativus modus; quum enim plena sit sententia, quum dicimus: utinam scribam, et utinam non scribam, non potest hinc nasci quaestio, utrum scribam an
392 non; sed pleraque talia sunt, haec ad exemplum sufficiant. Quod ergo fuerit junctum ex nomine et verbo, si plenum nomen et plenum verbum sit, necessario facit sententiam, sed non necessario facit proloquium. Si enim est, quod jam est, affirmari et negari potest; et supra diximus, multa dici plena sententia, quae tamen affirmari et negari non possint. Plenum igitur proloquium est: omnis homo animal est; et quamvis natura illud exigat, ut primo nomen et postea verbum dicatur, ut dictum est, non desinit verum esse proloquium etiam si dicas: animal est omnis homo. Quidquid accesserit huic sententiae, cui parti accedat, diligenter videndum est.

QUID SIT DECLARATIVE ET QUID SUBJECTIVE.

393 Nam sunt proloquii partes duae: quae in nomine una, subjectiva dicitur; quae in verbo altera, declarativa; subjicitur enim quid sit, et declaratur quid

negari tamen] Sic codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis alter (F); vulgo ordo inversus.

affirmari] Quae vulgo sequebantur *non possint*, codicis Monacensis (F) auctoritate delevi.

subjectiva] Vocabula haec usurpat et Appulejus

de illo possit intelligi. Quum ergo dicimus: Cicero disputat, si accedat huic sententiae in Tusculano, declarative accessit; si accedat Romanus, subjective; item si accedat prudenter et copiose, declarative; item si dicitur cum Catone, declarative accessit. Quidquid igitur nominativo casui accedit, subjective accedit; quidquid declarative accedit, variis casibus et modis accedit. Nam subjective non possunt alii casus accedere; declarative non nisi varii excepto nominativo. Illud tamen sciendum est, posse fieri ut verbum sit in sub- 394
jectiva, nomen in declarativa: sed ita verbum in subjectiva, ut aliquod pronomen secum vice nominis teneat; ita etiam nomen est in declarativa, ut teneat secum aliquod verbum, ex quo ejus vicem impleat. Velut si dicamus: qui disputat Cicero est, qui disputat, subjectiva est, Cicero est, declarativa; sed illam subjectivam pronomen facit, hanc declarativam verbum. In hac 395
igitur parte dicimus, quemadmodum juncta sunt, nec tamen possunt plenam facere sententiam; et si faciunt, quemadmodum veritati et falsitati non sint obnoxiae sententiae, quamvis sint plenae; et quemadmodum ad id perveniatur, ut jam non solum plena sententia sit, sed etiam necessario vera aut falsa.

QUID SIT PROLOQUIUM.

Tertia pars sequitur, in qua dicendum jam est de ipsis proloquiis, ad 396
quorum intellectum in superiori parte pervenimus. Proloquia igitur differentias habent binas, in quantitate et qualitate. Quantitatis differentia est, quod alia sunt universalia, alia particularia, alia indefinita. Universale est, ut omnis homo animal est. Particulare, ut quidam homo ambulat. Indefinitum, ut homo ambulat. Quod igitur indefinite dicimus, necessario particulariter accipimus, non necessario universaliter; et quoniam id potissimum enumerandum,

περὶ ἑρμηνείας. Gnot. — Nimirum in libro laudato, qui est de Platonis habitudine et doctrina tertius, et fere totus ad Aristotelicas potius rationes compositus est quam ad Platonicas, quare ad eclecticismum referendus videtur.

necessario particulariter] Idem tradit divinus Aristoteles: sed et Appulejus ait, de indefinito loquens: »sed tamen pro particulari semper valet, quia tutius est id ex incerto accipere quod minus.« Gnot. — Alio praeterea loco Appulejus (II. p. 280 Oud.) pariter propositionem ait indefinitam pro particulari accipi.

quod securum habet intellectum, indefinitum pro particulari accipitur. Erunt ergo duae differentiae in quantitate, quod aliud est universale proloquium, aliud particulare. In qualitate item duae, quarum altera dedicativa, altera abdicativa. Dedicativum est, ut omnis voluptas bonum; abdicativum, omnis voluptas non bonum.

QUOMODO CONVERTANTUR.

397 Universale igitur dedicativum non necessario sequitur conversio. Non enim, si omnis homo animal est, omne animal homo est. Universale autem abdicativum necessario sequitur conversio. Si enim omnis voluptas bonum non est, omne bonum non est voluptas; et si omnis homo non est animal mutum, omne animal mutum non est homo. Particulare autem dedicativum habet necessario conversionem. Nam si quidam homo animal est, quoddam animal homo est. Particulare vero abdicativum non habet necessariam conversionem. Non enim, si quoddam animal non est rationale, quoddam rationale non est animal. Universalis ergo dedicativa et particularis abdicativa non necessario recurrunt; universalis autem abdicativa et particularis dedicativa necessario convertuntur, ita tamen ut facta conversione in declarativa particula negatio maneat; nam utique conversio ita fit, ut quae particula fuit declarativa, eadem subjectiva sit. Ergo quum dico: omnis voluptas bonum non est, omnis voluptas subjectiva, bonum non est declarativa; si convertam: omne bonum voluptas non est, facta est quidem subjectiva quae fuit declarativa, negatio tamen hanc particulam tenet, quae facta est declarativa. Et

indefinitum pro] Annotatio haec textu ejicienda. Gnot. — Leniorem medelam inveni in codice Monacensi (F), unde *et* ante *quoniam* inserui.

dedicativum] *Dedicativam* Latini philosophi *κατάφασιν*, quae secundum Aristotelem est *ἀπόφανσίς τινος κατὰ τινὸς*, nominarunt, et *abdicativam ἀπόφασιν*, quae est *ἀπόφανσίς τινος ἀπὸ τινὸς*. Sic et Appulejus et Cassiodorus. Isidorus (ut et nostri) *affirmationem negationemque* dicit. Alii *confessivam* et *abnutivam*. Gnot.

conversio] MS. ubique *conversatio*. Gnot. — Meliores codices utique *conversio*.

declarativa] Perperam editum erat *dedicativa*, quem errorem eo magis miror non animadversum

si velim sic dicere: nulla voluptas bonum est, convertendum est sic: nullum bonum voluptas est. Sed propter duo proloquia, quae diximus non neces- 398
sario converti, debemus intelligere omnia quae proloquiis attribuuntur, per quae recte aut non recte proponi possunt, ut verum aut falsum possint ostendere. Haec autem quinque sunt jam superius demonstrata, genus, species, differentia, accidens, proprium. Ex his duo faciunt illa proloquia recurrere, alia tria nullo modo. Namque, ut omnis homo animal est rationale mortale, ita omne animal rationale mortale homo est; et quemadmodum omnis homo risibilis est, ita omne risibile homo est. Rursum in particulari abdicativa videndum est, quid sit proprium non esse: ut enim proprium est hominis, esse risibile, ita proprium est, risibile non esse praeter hominem. Ergo si particulare abdicativum proponamus sic: quiddam risibile non est praeter hominem, recurrit sine dubio, quiddam praeter hominem non esse risibile; item: quiddam inanimum, irrationale, immortale, non est homo; quidam homo non est inanimum, irrationale, immortale. Item sunt aliae con- 399
versiones, quae faciunt easdem proloquiorum particulas indefinitas, etiam negatione scilicet de loco migrante. Nam particulae indefinitae fiunt hoc modo: homo, non homo; animal, non animal; et ideo indefinitum est, quia negas tantum hoc esse, non dicis quid sit. Quum ergo dico: omnis homo animal est, si velim recte convertere, adhibeo negationes, ut fiant particulae indefinitae. Si enim verum est, omnis homo est animal, et verum est, omne non animal non homo. Hac conversione usus est in rhetoricis Cicero: „deinde

esse a Grotio, quod ex iis, quae sequuntur, manifestus fit. Lectionem nostram firmant codices Monacenses (C. F) et Darmstattensis.

duo faciunt] Male in editis »duo *sunt quae* faciunt«, quod nemo non perspiciet. Lectio nostra codicis est Darmstattensis. Duo autem illa sunt *differentia* et *proprium*, quum *genus*, *species*, et *accidens* conversionem non suscipiant.

indefinitas] Lege cum MS. »indefinitas, etiam negatione de loco migrante.« Nam quum in aliis conversionibus termini locum mutent, negatio non mutet, hic et termini convertuntur, et ipsa negatio migrat. Gnot. — Pariter in Monacensi (F), Reichenauensi, et Darmstattensi recte legitur *etiam* pro *esse*, quod erat in editis. De re ipsa accuratius egit Aristoteles (analyt. prior. 1, 40).

Cicero] Corrupit Grotius Ciceronis (de invent. 1, 10) locum omissa voce »*constitutionis*«, quam

si constitutio et ipsa et pars constitutionis ejus quaelibet intentionis depulsio est, quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio est nec pars con-
400 stitutionis.“ Item particularis abdicativa potest hoc modo converti; si enim quoddam animal homo non est, quoddam non homo animal est; et in hac conversione observandum est, quod ubi non est negatio quum directo proponimus, ibi fit dum convertimus. Hanc vicissim conversionem recipiunt duo proloquia, quae illam primam non necessario recipiebant. Solum universale abdicativum non illam aliam recipit. Vocetur ergo docendi causa illa prima conversio, haec secunda. Haec autem proloquia quemadmodum inter se affecta
401 sint, hoc modo manifestius apparebit. Quatuor lineis quadrata formula exprimatur. In primo angulo superioris lineae scribatur universalis dedicativa, et in alio ejusdem angulo universalis abdicativa; item infra ad primum angulum inferioris lineae particularis dedicativa, ad angulum reliquum parti-

anteriores tamen editiones, recte e fonte ipso dabant.

quod ubi non] Aberat ab editis *quod*, et inserui e codicibus Darmstattensi et Monacensi (C). Ex eodem Monacensi etiam paulo infra reposui verba »*non necessario*« pro edito »*non*«, sicut in margine jam Grotius adscripserat.

illam aliam] *Illam* inserui e codicibus Monacensibus (C. F), Darmstattensi, et Reichenauensi.

docendi] Meliorem anteriorum editionum lectionem restitui pro Grotiana *dicendi*, licet ita etiam codices Monacenses (C. F) et Darmstattensis habeant.

quatuor lineis] Similis tabula exstat apud Appulejum (dogm. Platon. III. p. 269 Oud.), sed simplicior; atque haud scio an ne Martianus quidem adeo plenam perscripserit, qualem in editionibus ejus videmus. Certe quae uncis inclusi, absunt a codicibus Monacensibus (C. F) et Reichenauensi, immo a Darmstattensi tota tabula prorsus abest. Sensim potius ex iis quae sequuntur aucta esse videtur a magistris Martianum exponentibus; unde fit, ut neque apud Boëthium (Oper. p. 345) omnia pariter legamus. Ceterum haud abs re fuerit Appuleji verba contulisse: »sunt igitur in superiore linea universalis dedicativa et abdicativa, dicanturque hae inter se *incongruae*; item in inferiori linea sub utraque particulares subnotentur, dicanturque hae inter se *suppares*. Deinde ducantur obliquae lineae angulares, altera pertinens ab universali dedicativa ad particularem abdicativam, altera a particulari dedicativa ad universalem abdicativam, quae inter se et quantitate et qualitate contrariae *alterutrae* nominentur, quod jam necesse est alterutram veram esse; quae dicitur perfecta pugna et integra. At inter suppares et incongruas pugna dividua est; quod *incongruae* nunquam quidem fiant simul verae, interdum tamen simul mentiuntur; *suppares* autem mutata vice nunquam quidem simul mentiuntur, interdum tamen fiunt simul verae.«

cularis abdicativa; deinde ducantur angulares lineae ab universali dedicativa ad particularem abdicativam, et ab universali abdicativa ad particularem dedicativam:



Duae igitur superiores simul confirmari non possunt, simul negari possunt. 402
Nam non potest simul verum esse, omnis voluptas bonum est, et omnis voluptas non est bonum. Possunt autem simul esse, non omnis voluptas bonum est, non omnis voluptas non est bonum. Duae vero inferiores vicissim simul negari non possunt, simul confirmari possunt. Nam non utique potest non quaedam voluptas bonum esse, et non quaedam voluptas non

non utique potest] Expunxi verba, quae in editis sequuntur, »simul negari« codicum Reichenauensis et Darmstattensis auctoritate. Sensus enim est illa duo simul non esse non posse.

bonum esse. At vero potest et quaedam voluptas bonum esse, et quaedam voluptas bonum non esse. Angulares autem neque simul affirmari neque simul negari possunt. Nam si verum est, omnis voluptas bonum est, falsum est, quaedam voluptas non est bonum. Item si falsum est, omnis voluptas non est bonum, verum est, quaedam voluptas est bonum. Hoc item contingit, si particularem vicissim nomines. Nam si verum est, quaedam voluptas non est bonum, falsum est, omnis voluptas bonum est. Item si verum est, quaedam volu-
403 ptas bonum est, falsum est, omnis voluptas non est bonum. Item universalis dedicativa confirmata particularem suam necessario confirmat, negata non necessario eam negat. Nam si verum est, omnis voluptas bonum est, necessario verum est, quaedam voluptas bonum est. At vero si superiorem negemus, hoc modo: non omnis voluptas est bonum, potest fieri, ut quaedam voluptas bonum sit. Particularis item dedicativa confirmata non necessario universalem suam confirmat, negata necessario illam negat. Nam si verum est, quaedam voluptas bonum est, non sequitur, ut omnis etiam voluptas bonum sit. Si vero quaedam voluptas bonum non est, falsum est, omnis voluptas bonum est. In duabus reliquis hoc observabis.

QUID SIT SUMTUM, ET QUID ILLATIO.

404 Plenam sententiam quum proposuerimus, aliquid ea volentes efficere, et quum concessa fuerit, sumtum dicitur. Huic etiam uni sententiae alia certa ratione debet innecti, et utique propter id, quod inferre volumus, concedenda;
405 et haec quum concessa fuerit, sumtum dicitur. Ex duobus sumtis ratione sibimet nexis conficitur illatio. Quae illatio sumtum propterea dici non

negemus] E Darmstattensi et Reichenauensi codicibus pro *negem* in editis.

duabus reliquis] Hic aliquid omissum esse apparet; nisi plura, certe *etiam* vel *idem*; sed in codicibus nihil video.

sumtum] Quod Graeci λῆμμα dicunt, Cicero (de divin. 2, 53) *sumtionem*, Appulejus (dogm. Plat. 3, p. 271 Oud.) *acceptionem*; accuratius tamen distinguitur inter *propositionem* i. e. terminum *majorem*, et *assumtionem* i. e. *minorem*, ut apud Ciceronem (de invent. 1, 37) et Isidorum (etym. 2, 9, 2); ipsumque adeo nostrum infra (§. 422).

illatio] Ita et Appulejus, Cassiodorus (p. 333

potest, quia non exspectas, ut hoc etiam tibi adversarius concedat, sed eo invito sequitur, si modo ratione servata fuerit illatum. Et ut hoc planum fiat exemplo, putemus quaestionem esse: utrum voluptas utilis sit. Si proponamus ita: omnis voluptas bonum est, plena quidem sententia est, et sumtum efficitur, si hoc adversarius concedat; quo concesso, adjungenda est alia sententia: omne autem bonum utile est; si etiam hoc concesserit, efficitur sumtum, ex quibus duobus sumtis etiam invito eo sequitur, omnis igitur voluptas utilis est.

QUID SIT SYLLOGISMUS.

Hoc totum, quod constat ex duobus sumtis et illatione, ratiocinatio a 406
nobis, a Graecis *συλλογισμὸς* appellatur. Est ergo ratiocinatio ex duobus pluribusve concessis ad id quod non conceditur necessaria perventio. Possunt ergo plura esse sumta, sed minus a duobus esse non possunt. Etenim est integra ratiocinatio, si ad illud, quod volumus ostendere, utilem esse voluptatem, tribus etiam sumtis pervenire velimus, ut: omnis voluptas secundum naturam est; omne quod secundum naturam est, bonum est; omne bonum utile est; omnis igitur voluptas utilis est. Ex hoc apparet plura etiam licere addere, si oportuerit. Nonnunquam etiam concludimus inferentes non quidem id quod con- 407
ficitur, sed quod ex ipso, quod inferre debemus, necessario conficitur, hoc modo: omnis virtus bonum est, omne bonum utile est, omnis igitur virtus non nocet. Inferendum erat, omnis igitur virtus utilis est, et ex eo necessario sequitur non nocere; quod enim utile est, nunquam nocet. Hoc a Graecis *συμπέρασμα*

Gar.), alii; Ciceroni (top. 13) nobisque est *conclusio*, vel etiam (de inv. 1, 37) *complexio*.

ratiocinatio] Cicero, qui voce *syllogismus* non utitur, *ratiocinationis* duas profert definitiones. »Esse enim« ait (de invent. 2, 5) »diligentem et consideratam faciendi aliquid aut non faciendi excogitationem«; sed praestat (1, 34): »ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet.«

minus a duobus] Lege *minus duobus*. Gnot. — Omnino sic intelligendum; mutare autem contra codicum auctoritatem minime ausim.

συμπέρασμα] Recentior haec vocabuli vis, qua

dicitur, a nobis dici potest confinis conclusio. Ratiocinatio igitur sive propriam et suam sive confinem habens conclusionem, dividitur in duo genera, in praedicativum et conditionalem syllogismum.

QUID SIT PRAEDICATIVUS SYLLOGISMUS.

408 Praedicativus est, in quo sumta ita sibi nexa sunt, ut aliquo extrinsecus addito suppleantur, ut hoc, quod supra dictum est, omnis voluptas bonum est, omne bonum utile est. Videmus itaque non totum, quod supra positum est, dictum, sed unam inde partem sumtam declarativam, quae secundo proloquio facta est subjectiva; quod proloquium secundum, ut impleret sententiam, aliquid petivit extrinsecus, id est, utile est. Hujus illatio conficitur ex eo quod accessit extrinsecus et ex eo quod non est repetitum, id est, omnis igitur voluptas utilis est. Hujus generis tres formae sunt. Prima est, in qua declarativa particula superioris sumti sequentis efficitur subjectiva aut subjectiva superioris declarativa sequentis. Declarativa superioris fit subjectiva sequentis, ut in superiori proposito exemplo. Subjectiva superioris fit declarativa sequentis, si hoc modo velis convertere: omne bonum utile est, omnis voluptas bonum est, omnis igitur voluptas utilis est. Secunda forma est, in qua declarativa

a *syllogismo* distinguitur; apud Aristotelem enim nonnisi ipsam *conclusionem* sive *illationem* significat.

et conditionalem syllogismum] Sic codices Monacenses (C. F): in editis legitur tantum *conditionale*, ut *genus* supplendum foret, cui lectioni clariorem praefero illam.

sibi nexa] Ita codices Monacensis (C) et Reichenauensis; non *innexa*, ut in editis.

videmus] Nonne miremur Grotium, qui ediderit »videmus *utique* non totum quod supra positum est *non* dictum«, quum anteriores editiones veram, quam nos revocavimus, jam haberent lectionem?

tres formae] Pariter Appulejus (dogm. Plat. p. 271 Oud.): »Tres igitur formulae fiunt, quarum *prima* dicatur, quum illa communis particula in altera *subjecta*, in altera *declarans* est; qui ordo non tantum enumeratione sed conclusionum dignitate contentus est. Quippe ultima est formula *tertia*, quia nihil in ea nisi *particulare* concluditur; hac superior est *secunda*, quae habet conclusiones *universales*, sed *abdicativas* tantum; et ideo sic *prima* pollet, quia in *omne* genus illationum concluditur.« Itidem Isidorus (etym. 2, 28, 2): »Formulae *categoricorum*, id est *praedicativorum* syllogismorum sunt tres; primae formulae modi sunt novem« et sic porro prorsus ut apud nostrum. Alii quippe quatuor formas fecerunt.

superioris sumti eadem est etiam declarativa sequentis, ut: omnis virtus bonum est, et omnis voluptas non est bonum, omnis igitur voluptas non est virtus. Tertia forma est, in qua subjectiva superioris sumti eadem est etiam subjectiva sequentis, ut: quoddam bonum voluptas est, omne bonum utile est, quoddam igitur utile est voluptas. In prima forma et universaliter 409
et particulariter, et dedicative et abdicative concludi potest; in secunda forma universaliter nisi per contrarium concludi non potest; in tertia forma particulariter tantum concluditur. Quapropter non frustra hic ordo est servatus. Nam merito prima dicitur, in qua omni modo concludi potest; secunda autem recte, in qua potest concludi universaliter, quamvis per contrarium; tertia item recte, quia in quantitate minor est, in qua nisi particulariter concludi non potest. Nunc dicendum est, singulae formae quot modos recipiant. Nam 410
recipiunt intra se certum numerum; extra quos modos quidquid conclusum fuerit, non est temere concedendum. Recipit autem prima novem modos, secunda quatuor, tertia sex.

PRIMUS MODUS.

Primae formae primus modus est, in quo conficitur ex duobus uni- 411
versalibus dedicativis universale dedicativum directum, ut est: omne justum honestum, omne honestum bonum, omne igitur justum bonum. Si reflexim inferas: omne igitur bonum justum, non sequitur, sed particulariter potest

per contrarium] Abdicative. Gaor. — Mox post *tertia* pro *autem* scripsi *item* e codicibus Reichenauensi et Darmstattensi.

primae formae] In hisce figuris modisque syllogismorum eorundemque exemplis mirum quam conveniant Capella, Appulejus et Cassiodorus, etiam sicubi ab Aristotele deviant: nam in prima figura omnes ex majore (ut vocant) minorem faciunt, et contra, quem modum recentiores »Galeni quartam figuram« nominant. Gaor. — Inscriptio hujus capitis et duae quae sequuntur apud Grotium, angustiores sunt quam quae iis continentur; sed quum antiquae esse videantur, mutare nolui.

directum] Vereor ne legendum sit *directim*, ut est apud Appulejum (3, p. 272): »*directim* autem dico inferri, quum eadem particula subjecta est tam in conjugatione quam in ipsa illatione, itemque declarans eadem quum est utrobique; *reflexim* vero, quum hoc fit vice versa«; sed codices nihil variare videntur.

inferri: quoddam igitur bonum justum, et efficitur quintus modus. Secundus modus est, in quo conficitur ex universali dedicativo et universali abdicativo universale abdicativum directum, ut est: omne justum honestum, nullum honestum turpe, nullum igitur justum turpe. Si reflectas: nullum igitur turpe justum, efficitur sextus modus. Diximus enim supra, universale abdicativum posse converti. Tertius modus est, in quo conficitur ex particulari dedicativo et universali dedicativo particulare dedicativum directum, ut est: quoddam justum honestum, omne honestum utile, quoddam igitur justum utile. At si reflectas, efficitur septimus modus: quoddam igitur utile justum; quoniam supra dictum est, particulare dedicativum posse converti. Quartus modus est, in quo conficitur ex particulari dedicativo et universali abdicativo particulare abdicativum directum, ut est: quoddam justum honestum, nullum honestum turpe, quoddam igitur justum non est turpe; reflecti non potest, diximus enim supra, particulare abdicativum non posse converti. Octavus modus est, in quo conficitur ex universali abdicativo, et universali dedicativo particulare abdicativum reflexim, ut est: nullum turpe honestum, omne honestum justum, quoddam igitur justum non est turpe. Nonus modus est, in quo conficitur ex universali abdicativo et particulari dedicativo particulare abdicativum reflexim, ut est: nullum turpe honestum, quoddam honestum justum, quoddam igitur justum non est turpe.

DE SECUNDAE FORMAE PRIMO MODO.

412 Secundae formae primus modus est, in quo conficitur ex universali dedicativo et universali abdicativo universale abdicativum directum, ut est: omne justum honestum, nullum turpe honestum, nullum igitur justum turpe. Hic reflexione si utaris, alius modus non efficitur, quoniam de utrisque subjectivis fit illatio. Secundus modus est, in quo conficitur ex universali abdicativo et universali dedicativo universale abdicativum directum, ut est: nullum

octavus] Qui hic abesse videntur modi quintus, sextus et septimus, modo expositi sunt ad primum, secundum et tertium. Atque ita etiam apud Appulejum (p. 274. 275).

turpe honestum, omne justum honestum, nullum igitur turpe justum. Tertius modus est, in quo conficitur ex particulari dedicativo et universali abdicativo particulare abdicativum directum, ut est: quoddam justum honestum, nullum turpe honestum, quoddam igitur justum non est turpe. Quartus modus est, in quo conficitur ex particulari abdicativo et universali dedicativo particulare abdicativum directum, ut est: quoddam justum non est turpe, omne malum turpe, quoddam igitur justum non est malum.

DE PRIMO MODO TERTIAE FORMAE.

Tertiae formae primus modus est, in quo conficitur ex duobus universa- 413
libus dedicativis particulare dedicativum directum, ut est: omne justum honestum, omne justum bonum, quoddam igitur honestum bonum. Secundus modus est, in quo conficitur ex particulari dedicativo et universali dedicativo particulare dedicativum directum, ut est: quoddam justum honestum, omne justum bonum, quoddam igitur honestum bonum. Tertius modus est, in quo conficitur ex universali dedicativo et particulari dedicativo particulare dedicativum item directum, ut est: omne honestum justum, quoddam honestum bonum, quoddam igitur justum bonum. Quartus modus est, in quo conficitur ex universali dedicativo et universali abdicativo particulare abdicativum directum, ut est: omne justum honestum, nullum justum malum, quoddam igitur honestum non est malum. Quintus modus est, in quo conficitur ex particulari dedicativo et universali abdicativo particulare abdicativum directum, ut est: quoddam justum honestum, nullum justum malum, quoddam igitur honestum non est malum. Sextus modus est, in quo conficitur ex universali dedicativo et particulari abdicativo particulare abdicativum directum, ut est: omne justum honestum, quoddam justum non est malum, quoddam igitur honestum non est malum. Omnes igitur modi certum ordinem tenent, ejusdemque ordinis ratio est, quae in ipsis formis demonstrata est.

item directum] Omissum apud Grotium *item* restitui ex ante cum editis.

QUID SIT CONDITIONALIS SYLLOGISMUS.

414 Conditionalis syllogismus est, cujus propositio et plenum argumentum et plenum id de quo quaestio est continet, ita ut assumto argumento jam certum inferri possit de quo quaestio erat, ad hunc modum: Ponamus quaestionem esse, utrum sit utilis rhetorica, et volentes utilem probare, argumentum ab hujus definitione capiamus, quod est bene dicendi scientia. Ex hujus argumento et illa quaestione conditionalis syllogismus ponitur sic: si rhetorica est bene dicendi scientia, utilis est. Assumimus argumentum ita: est autem rhetorica bene dicendi scientia. Haec duo qui concesserit, etiam invitus concedat necesse est, utilem esse rhetoricam; quod erat dubium antequam propositio et assumtio concederetur. Nihil tamen in assumtione accessit extrinsecus, quod est proprium praedicativi syllogismi. Hic primus modus a dialecticis appellatur, qui est ab antecedentibus, propterea quoniam argumentum quemadmodum positum est, ita et assumtum; hoc tantummodo differens, quod cum conditione positum est, et sine conditione assumtum.
415 Secundus modus est, qui appellatur a consequentibus, in quo ipsum argumentum quaestionem sequitur, non quaestio argumentum, hoc modo: si est rhetorica utilis, est bene dicendi scientia. Assumitur argumentum a contrario, id est per negationem sic: non est autem bene dicendi scientia; non est utilis
416 igitur. Tertius modus est, qui appellatur a repugnantibus, in quo demonstratur, non posse simul hoc esse et illud non esse, in quo quum fuerit assumtum unum, aliud necessario tollitur; ut quum fuerit assumtum esse, non esse tollatur, hoc modo: non est bene dicendi scientia rhetorica et non est utilis; est autem bene dicendi scientia, utilis est igitur; confectum est utilem esse, sublato eo quod non esse utile positum erat. Hi tres modi ex

ab antecedentibus] De tribus argumentandi modis, qui in syllogismo conditionali hic sese excipiunt, ab antecedentibus, contrariis, repugnantibus, in rhetorica (§. 490 sequ.) agitur (conf. not. ad §. 557 et Spalding. ad Quinctilianum 5, 8, 5; p. 215).

ut quum fuerit] Editi *id est*, quod correxi e codicibus Monacensibus (C. F).

uno argumento possunt confici, et unam rem omnes probare possunt. Nec interest in propositione, quam partem primo ponas, utrum argumenti, utrum quaestionis, dummodo conditionis ratio conservetur. Quum dixeris: si rhetorica est bene dicendi scientia, utilis est; potest et sic poni: utilis est rhetorica, si bene dicendi scientia est. Hoc etiam in duobus aliis experiri licet. Quartus 417
modus est, qui per disjunctionem efficitur, ita ut uno assumto aliud necessario negatum sit, hoc modo: aut sanus est aut imbecillis, sanus est autem, non est igitur imbecillis. Quintus modus est, qui etiam per disjunctionem 418
efficitur, ita ut uno negato aliud necessario sit, hoc modo: aut sanus est aut imbecillis, non est autem sanus, igitur imbecillis est. Additi sunt alii duo 419
modi, qui per argumentum istorum duorum fieri possunt, non tamen per disjunctionem, sed per negationem. Est ergo sextus modus, in quo demonstratur non posse simul et hoc esse et illud. Assumitur per unius confirmationem, concluditur per alterius infirmationem, hoc modo: non est sanus et imbecillis, sanus est autem, non igitur imbecillis. Septimus modus proponitur
sic, et in eo assumitur ut in quinto, atque ita concluditur. Ad rem facilius in- 420
telligendam his quaedam formae junguntur, ita ut rebus ipsis non dictis ratiocinandi vis intelligatur. Est primi modi forma haec: si primum, secundum; primum autem, secundum igitur. Secundi haec: si non primum, nec secundum; secundum autem, et primum igitur. Tertii haec: non et primum et non secundum; primum autem, igitur et secundum. Quarti haec: aut primum aut secundum; primum autem, non igitur secundum. Quinti haec: aut primum aut secundum;

per disjunctionem] Alii syllogismos hypotheticos et disjunctivos inter se distinguunt, ut Marius Victorinus ad Ciceronis rhetoricam (ap. Pith. p. 175), qui docet, quum in propositione sit »si est«, appellari argumentum *κατὰ συνημμένον*; quum vero in illa sit »aut est«, appellari *κατὰ διεζευγμένον*.

junguntur] Melior haec est Reichenauensis et Monacensium (C. F) lectio, quam *conjunguntur* in editis. Ceterum Aristoteles literis utitur in his formis, ut apud Appulejum (dogm. Plat. 3, p. 279 Oud.) legimus: »omne C B; omne B A; omne igitur C A«; stoicos autem idem testatur pro literis numeros usurpare, quod idem Ciceronem (top. 4) fecisse videmus: »si primum, secundum« cet.

nec secundum] Ita melius Reichenauensis codex, quam *non secundum* in editis.

non autem primum, igitur secundum. Sexti haec: non et primum et secundum; primum autem, non igitur secundum. Septimi haec: non et primum
421 et secundum; non primum autem, igitur secundum. Sciendum tamen est, ex uno argumento posse fieri tres superiores modos et ex uno argumento alios quatuor. Hujus autem ordinis ratio est, ut primus modus sit, qui appellatur ab antecedentibus, quia utique quod antecedit prius est; secundus a consequentibus eadem ratione, ut ipso nomine suo primum se debere sequi etiam in ordine videatur ostendere. Restat qui sit tertius in eodem argumento a repugnantibus; non enim possumus ad disjunctionem transsilire, quae jam non potest ex eodem argumento fieri. Erit ergo quartus modus quasi ad aliud argumentum primus. Et ibi utique antecedere debet, in quo per confirmationem assumitur; prior enim est confirmatio negatione. Quintus debet esse idem per disjunctionem, sed post eum propterea, quia in eo per confirmationem, in hoc autem per negationem assumitur. Hoc in
422 duobus reliquis licet intelligi. Miscentur autem sibi multis modis syllogismi, ut in una ratiocinatione et praedicativi generis et conditionalis formas agnoscas; hoc modo: Si quaestio sit, utrum utilis sit ipsa dialectica, proponendum est: si bene disputare utile est, utilis est bene disputandi scientia; at bene disputare utile est, utilis est igitur dialectica. Sane videndum est in praedicativo syllogismo, quod de propositione sibi assumtionem vindicet; nam extrinsecus aliquid jam accipere manifestum est. In eo autem, quod sibi, ut diximus, de propositione vindicat, attendendum est utrum recte vindicet propter servatas memoratasque formas. Efficitur enim, ut quod in propositione ad declarativam partem pertinere videbatur, in assumtione ostendatur ad subjectivam pertinere; et item si aliter assumas, hoc ipsum pertinebit ad declarativam; hoc modo: Notum est in prima forma ita assumi, ut aut declarativa propositionis subjectiva sit assumtionis, aut subjectiva propositionis eadem et declarativa

qui sit tertius] Restitui quod incuria Grotius omiserat *sit*, pariterque mox *possumus* scripsi pro *possemus*, infraque expunxi *sed* ante »per disjunctionem« intrusum, cujus nec causa ulla apparebat neque origo vel in editionibus vel in codicibus indagari poterat.

sit assumtionis, ut si proposueris sic: omnis ars frequenti exercitatione meditanda est, dictio autem exercitatio est rhetoricae, rhetorica igitur frequenti dictione meditanda est; in propositione exercitatio ad declarativam partem pertinere videbatur, in assumtione ipsa exercitatio ita ad declarativam pertinet. Quomodo ergo forma servata est? scilicet quia relictum est aliquid in declarativa propositionis, quod non venerit in declarativam assumtionis, unde possit fieri conclusio, hoc est, meditanda est. Nam si vellem sic assumere: rhetorica autem ars est, totum servaretur ad conclusionem: rhetorica igitur frequenti exercitatione meditanda est. Ex hoc apparet multa esse communia, quae possint vel subjective vel declarative adjungi, prout se habuerit assumtio.

Talibus insistente Dialectica, et ad quaedam non minus inextricabilia 425
quam caliginosa properante, Pallas nutu Majugenae festinantis intervenit:

Perita fandi, jam progressum comprime,
Ne implexa tortos stringat intimatio
Et multinodos perpeti amfractus diu
Hymen recuset; editum est compendio
Quidquid decenter docta disputatio

dictio] Marius Victorinus (rhetor. Pith. p. 171) »in dialogis« ait »*sermonem* esse, non dictionem: *dictionem* autem esse oratoris in civilibus causis.«

in declarativam] Sic corrigendum e Darmstattensi erat quod editi habent »in declarativa.« Ceterum hic quoque nonnulla excidisse videri poterant, nisi interrogationis signum interposuissem.

servaretur] Ita omnino legendum e codice Monacensi (C) pro *servabitur* in editis; pariterque mox ex altero Monacensi (F) *possint* pro *possunt*.

implexa] Hoc pro Grotiano *inflexa* in codice optimae notae legi observat Oudendorpius (ad Caesarem p. 107).

tortos] Lege *tortus*. Gnor. — Quid voluerit juvenis doctus non capio. Equidem refero *tortos* ad substantivum *amfractus*. Construendum igitur videtur: »Progressum comprime, ne implexa intimatio stringat amfractus tortos, et Hymen recuset perpeti amfractus multinodos; i. e. ne ad contortiora procedas, quae impatientiam Hymenis moveant.«

perpeti] Lege *perpeti*. Gnor. — In editis enim erat *perpetui*. Grotii sententiam confirmavit Oudendorpius auctoritate vetustissimi codicis Leidensis, de quo modo dixi.

decenter] Barthius (advers. p. 1579) e suo codice *docenter* jubet reponere: sed adverbium hoc inauditum ex uno tantum codice contra vulgarem reliquorum lectionem Martiano obtrudere eo magis nefas putamus, quod paulo post etiam Dialecticae frons *decens* appellatur.

Multo adstruendum contulit volumine.
Sat est profundae frons decens scientiae,
Quae abstrusa promit, nil morosum disserens
Praetervolando, nilque ignotum deserens.
Nam quae supersunt fraude multa consita,
Quis falsa captos circuit deceptio,
Dum ambage ficta praestruis sophismata,
Captentulisve ludis illigantibus,
Pellax soritas quumque sensim congeris,
Formasve mendas, comprobat quas veritas;
Nefas tonantis garriat sub auribus
Facinusque dirum; quippe summi coelites
Odere turpis omne falsum feminae.
Nam si revolvas, quid cavilla saevius?

frons] Grotius in margine apposuit variantem lectionem *fons*, quae et in codice Reichenauensi exstat multumque habet quo se commendet; praetuli tamen vulgatam, cujus hic sensus esse videtur: sufficere *frontem*, id est *anteriorem partem* scientiae, elementa ejus, quae statim in limine tradantur; penitus intrare totamque ab omni parte cognoscere deos nolle.

captentulisve] Elenchos sophisticos innuit. Gloss. Isidor.: [»captentula, captio«; et alibi: »muscipula, captentula.« At amico meo Joanni Meursio videbatur legendum *captensulisve*, item *captensula*, ut enim a *θχάπτω scaptensula* teste Festo, ita a *capto captensula*. Lucretius:

»*Qualis expires scaptensula subter odores.*«

Gnot. — In vocabulo raro ac prope unico codicum sola auctoritas esse potest.

pellax] Hoc restitui ex anterioribus editionibus pro Grotiano *pellex*. Totum locum sic explico: »dum praestruis ambage ficta sophismata fraude multa consita, quibus falsa deceptio circuit captos — quumque pellax congeris sensim soritas vel mendas formas, quas veritas comprobat.« *Mendare* novo exemplo dictum est pro *corrumpere*, ab eo quod est *mendum*; Martiani enim sententia haec est, Dialecticam, dum sophistarum more cavilletur, eas formas, quae veritati consentaneae sint, adulterare et detorquere.

garriat] Malim *garriant*. Et tollenda est distinctio ex versu praecedenti. Gnot. — Brevitate obscurus ipse interpres est: quid enim voluerit nemo divinabit. Subjectum verbi *garriat* est *nefas facinusque dirum*.

cavilla] Sophistica. Vulc. — Idem est quod *cavillatio*. Accepit noster a Plauto (Aulul. *4*, *4*, *11*). *Revolvas* scil. *animo* est idem quod *consideres* sive *recorderis*.

Dudum locuta circulatrix indecens
Fies profecto decipula, si adstruxeris.
Facessat ergo versilis profunditas,
Reliquumque tempus liqueris sororibus.

His auditis Dialectica cunctabunda paululum, tamen divae praeceptis paritura 424
respondit:

Venerandos mihi fatus reverendosque secuta
Referam jussa pedem, atque ilicet exorsa silebunt.
Licet unam decuit jussae permittere culpam,
Ut honoris pretio cederet inferre relatus,
Populum Cecropidarum bene quo palliatarum
Bromius conciperet contumias nosse dolere,

fies profecto] Distinguo: »circulatrix indecens fies profecto decipula si astruxeris.« Exorabula judicantium, et decipula adversantium, et artificia dicentium. Gnot. — Voce *decipula* praeter nostrum utuntur et Appulejus (in flor. p. 87 f. Oud.) et Apollinaris Sidonius (ep. 8, 10; p. 232 Sirm.).

versilis] Ita etiam Saxo Grammaticus »*versili* quadam mutatione transponi« scripsit; et:

— — — »*nunc laxo poplite tendor*

Versilis, *inque novos* converti *cerea vultus*.« Stephan. (ad Sax. p. 55).

respondit] Obscurissimum carmen ipsoque metro ionico a minore contortum atque impeditum sic intelligo: »Secuta fatus reverendos mihi et venerandos referam jussa pedem, quaeque exorsa eram dicere mittam. Quanquam unam veniam dare decuit jussae, ut Pallas honoris gratia permitteret regerere ea quae Bacchus supra (§. 331) contumeliose in me conjecit, quo intelligeret populum Cecropidarum bene nosse dolere contumelias, magisque quam crediderat viperam noscere posset, et quam dudum inertem habuerit, Marsica praestigiatrix fieret« cet. Singula tamen verba praestare minime velim.

Cecropidarum] Cecropidarum dixit feminine aut communiter. Juven.: »Fortissima Tyndaridarum.« Vide infra in notis ad Musicam, ubi de Tritonida dicam. Ceterum magnus error in hoc versu: nam tertiam syllabam in *palliatarum* corripuit. Ceterum »bene palliatas« artes dixit Graeca phrasi *εὐχνημῖδες ἀχαιοὶ*. Gnot. — *Bene* ad *nosse* potius referendum erit. De pallio, Graecae doctrinae insigni, vide superiorem notam (ad §. 213).

contumias] Contumelias et derisiones. Vulc. — *Contumias κατὰ δυγχοπὴν* pro *contumelias*. Nisi sit certumias *κερτομίας*, ut latumia *λατομία*. Vulgatam lectionem tuetur Gloss. Isidori, in qua invenio: »catumia (l. contumia) contumelia«, et alibi: »contumia, derisio.« Gnot.

nosse dolere] Lege »nosse *dolere*.« Sensus totus hic est: Hoc tamen unum velim mihi Minervam permittere, ut concedat, me pro honore meo aliqua referre, quo Bacchus (qui videlicet Dialecticam irriserit) discat nos artes etiam tangi et angi istis contumeliis, et sentiat magis viperinam, quam

Mage quam crediderat viperearn noscere posset,
Et iners Marsica dudum fieret praestigiatrix,
Neque me conspiceret somnificam vel temulentam
Loca passim blaterantem Jovialibus sub oris.
Tamen uni famulandum est tibi, virgo; reticemus.

Haec dicens velut repressa conticuit, compluresque eam divorum, qui inter initia deriserant, horruerunt.

dixerat. Grot. — *Dolere* pro *dolore*, quod in editis erat, ex Darmstattensi codice reposui.

loca] Malim *joca*. Eundem errorem in Floridorum libro 3 animadvertit Stewechius. Grot. — Vide Appulejum (op. II. p. 63 Oud. ibique not.). Attamen communis omnium librorum tam editorum quam manuscriptorum lectio *loca* tuetur, quod si revera a Martiano profectum est, metri necessitate dictum est pro *locos*. Neque enim *loca* sed *loci* appellantur philosophorum et oratorum argumenta.

sub oris] Ita Grotii codex omnino melius, quam editum »*suborsis*.«

MARTIANI
MINEI FELICIS
CAPELLAE,
AFRI CARTHAGINIENSIS,
DE
RHETORICA
LIBER V.

Interea sonuere tubae, raucusque per aethram
Cantus, et ignoto coelum clangore remugit;
Turbati expavere dei, vulgusque minorum
Coelicolûm trepidat, causarum et nescia corda
Haerent, et veteris renovantur crimina Phlegrae.

Vulgusque] De istis diis minoribus vide quae supra (§. 45. 167. 237). Inferioribus quoque locis (§. 810. 906) eorum fit mentio.

haerent et] Dii minores tubarum audientes sonitum raucosque cantus, res quid sibi velit, nescientes, vano timore afficiuntur. Omnia plana praeter hunc versum. Minime enim renovata sunt crimina Phlegrae, sed vanum fuisse metum mox videbant coelites. Si illud *renovantur* exponi posset: in memoriam deorum redeunt crimina Phlegrae; nihil mutandum esset. Quod quum negandum sit; mecum *scribe*:

»Horrent, ne *veteris* renoventur *crimina Phlegrae*.«

Auxiliantur in epilogo hujus libri V verba: »pigebit arma horruisse caelites.« Susius (in Gurlitti anim. partic. 4, p. 9). — Speciosa conjectura, at neutiquam vera. *Renovari* enim memoriae significationem habere posse abunde probant loci Ciceronis (orat. 2, 48): »animos equitum ad Caepionis odium *renovabam* atque *revocabam*«, et Auctoris ad Herennium (2, 30): »enumeratio est, qua colligimus — quibus de rebus verba fecerimus, ut *renovetur* oratio.« Praeterea *haerent* ad *nescia corda* tam egregie quadrat, ut mutandi causa nulla appareat.

Phlegrae] Gigantes significat, quos fama erat e Phlegraeis campis coelum adortos esse; unde Lucanus (9, 656):

Tunc Amnes Faunique, Pales, Ephialta, Napaeae
Respectant proceres, nulloque assurgere motu
Cernunt attoniti, vicibusque alterna profantes
Mirantur placidam per pectora sacra quietem.
Tunc primum posita Sylvanus forte cupresso
Percitus ac trepidus dextram tendebat inermem;
Deliacos poscens arcus, atque Herculis arma,
Portuni trifidam suspirans flagitat hastam,
Gradivi framcam non ausus poscere, falcem

— — »*coeloque timente*

Olim Phlegraeos *stantes serpente* Gigantes«, nosterque infra (§. 655) Phlegram »Gigantum proceliorumque immanium temeritate famosam« appellat. Plura dabit Heynius ad Apollodorum (1, 6, 1; p. 69 sequ.).

Ephialta] Cave cum Gigante cognomine confundas, quem inter alios nuncupat Apollinaris Sidonius (carm. 6, 25; p. 529 Sirm.); noster enim est qui alio nomine Latine *Incubus*, Graecis ἐφιάλτης, quem Strabo (1, p. 19 Casaub.) cum Gorgone, Lamia, Larvis, aliisque ejusmodi monstris pestiferis componit, Servius autem (ad Aen. 7, 776) cum Pane, qui et Inuus, Faunus, Fatuus dicatur, eundem esse refert.

Napaeae] Nympharum genus, quod nomen duxit a νάπεθι, *saltibus*, saepiusque apud poëtas Latinos commemoratur. Calpurnius (ecl. 9, 20):

»*Quae colitis silvas Dryades, quaeque antra Napaeae,*
Et quae marmoreo pede Najades uda secantes« cet.

Redeunt et infra (§. 903).

cupresso] Virgilium (georg. 1, 20) respexit:

»*Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum.*«

percitus] *Perterritus.* De hujus vocis usu plura congessit Oudendorpius (ad Appulej. I. p. 352). *Belli inertes* Naevius quoque (apud Macrobium 6, 5) silvicolas homines appellavit.

Deliacos poscens] Ita in libri Norimbergensis margine multo melius, quam quod in editis legitur »bellaque composcens.« Deliaci enim arcus sunt Apollinis et Dianae. Eandem lectionem jam Oudendorpius (ad Appul. I, p. 352) commendaverat, ejusque vestigia etiam Darmstattensis codex exhibet in corrupto »*Dellaque* composcens.«

Portuni] Pro Neptuno seu elemento aquae. Barth. (adv. p. 1666). — Tridentis mentio neminem dubitare patitur. Similiter Valerius Flaccus (Argon. 1, 641):

— — — »*quum subito* trifida *Neptunus in* hasta
Caeruleum fundo caput extulit.«

Plura vide supra (ad §. 4).

Gradivi] Hos versus nos ita distinximus. Antea legebatur

»*Gradivi frameam non ausus poscere falcem,*
Saturni bello« cet. Juvenalis:

»*Et Martis frameam et Cirrhaei spicula vatis.*«

Gnor.

falcem] Conferendus cum hoc versu alius inferiori loco (§. 566):

Saturni bello suetus disquirit agresti,
Diffidensque sui respectat tela tonantis.

Sed dum talibus perturbatur multa terrestrium plebs deorum, ecce quae- 426
dam sublimissimi corporis ac fiduciae grandioris, vultus etiam decore luculenta femina insignis ingreditur, cui galeatus vertex ac regali caput majestate sertatum, arma in manibus, quibus se vel communire solita vel adversarios vulnerare, fulminea quadam coruscatione renitebant. Subarmalis autem vestis illi peplo quodam circa humeros involuto Latialiter tegebatur, quod omnium

»*Sylvane falcem quum petis Saturniam.*« Saturni gestamen falcem agnoscunt Festus (p. 484 Dac.) et Arnobius (6, p. 209), unde *falciferum* hic (3. p. 118) appellat. Rationem illius Macrobius (Sat. 1, 7 et 8) et Fulgentius (myth. 1, 2; p. 35) vel in messe ponunt, vel in eo, quod tempus omnia metat, exsecet, incidat.

sublimissimi] Sic ex antiquioribus editionibus rescripsi pro *subtilissimi*, quod edidit Grotius, licet ita etiam Reichenauensis codex habeat; subtilitas enim Dialecticae, Rhetoricae sublimitas atque excelsitas magis convenire videtur.

arma in manibus] Haud raro cum *armis* comparatur vis oratoria, ut a Petronio (5, p. 23 Burm.):

— — — »*et ingentis quatiat Demosthenis* arma«;

et a Propertio (3, 20, 27; p. 682 Burm.):

»*Persequar aut studium linguae, Demosthenis*
arma.«

subarmalis] Ὑπωμὶς, cui contraria ἐπωμὶς, de qua supra. Guot. — Subarmale vestimentum subter brachium reductum et humerum tegens. Bartii. (ad Stat. Theb. 4, 19; p. 880). — »Subarmalem subuculam« dixit et Saxo Grammaticus (7, p. 139 Steph.).

Latialiter tegebatur] *Latialiter* est laciniis sub armo seu brachio circa humerum convoluta et subducta veste antiquo Latino ritu, qualem et Gabinum, vel certe non dissimilem, alibi descripsimus. Bartii. (ad Stat. Theb. 4, 19; p. 880). — Romanorum vestitum in animo habuit, qui togam sex ulnarum longitudine exserto dextro brachio supra laevum humerum rejicere consueverant. — Porro ut alius erat cinctus Gabinus, ita hunc habitum Latiarem licet cum Capella nominare. Graecos quoque notandum est palliis seu peplis ita sub humeris redeuntibus usos. Moschus in divina cecloga, quae Europa inscribitur:

»*Κολπώθη δ'ὤμοισι πέπλος βαθὺς Εὐρωπείης.*«

Bartii. (advers. p. 1551).

figurarum lumine] Ludit in verbis, quae quum ceterarum rerum tum etiam orationis ornamenta significant. De *figuris* et verborum et sententiarum, quae Graecis σχήματα sunt, pluribus infra (§. 523 sequ. 531 sequ.) agetur, quae vox apud posteriores solemnis facta est, licet Cicero (Brut. 17; de opt. gen. or. 5; orat. 54) *formas* dicare maluerit. *Lumina* vero easdem saepissime nuncupat, ut ipso illo quem modo laudavimus loco (orat. 54): »ea quae dicuntur orationis quasi *formae* et *lumina*, quae ut dixi Graeci vocant σχήματα«: eodemque in libello (orat. 25): »illam autem concinnitatem, quae verborum collocationem *illuminat* his *luminicus*, quae Graeci quasi aliquos gestus orationis

figurarum lumine variatum, cunctorum schemata praeferebat; pectus autem
427 exquisitissimis gemmarum coloribus balteatum. Haec quum in progressu arma concusserat, vel ut fulgureae nubis fragore colliso bombis dissultantibus fracta diceres crepitare tonitrua; denique creditum quod instar Jovis eadem posset etiam fulmina jaculari. Nam velut potens rerum omnium regina et impellere

σχήματα appellant«, multisque aliis in locis (orat. 39. 68; Brut. 37. 70; de orat. 2, 27; partit. 6 cet.). *Stellis* quoque comparat (orat. 27) »translata verba atque immutata«, quae orationem illustrent; quem eundem sensum *gemmarum* illarum esse censeo, quibus noster Rhetoricae balteum distinxit; stellae quippe et gemmae haud raro eadem vi metaphorica usurpantur. Martialis (5, 11, 5):

»*Multas in digitis, plures in carmine* gemmas
Invenies« — — —

Colores etiam orationis pro ornamentis dixit Gellius (14, 4): »vultum ejus severis atque venerandis *verborum coloribus* depinxit«: qui tamen probe distinguendi sunt a *colore*, de quo infra (§. 471).

balteatum] Grotius ediderat *baleatum*, nota tamen addita: »lege *baltheatum*, aut ut alii codices *subbaltheatum*. Glossa Isidori: baltheat, cingit.« — Equidem meliorem Reichenauensis et Monacensis (C) codicum lectionem secutus *balteatum* sine aspiratione reposui.

fulmina] Periclem ante oculos nostro fuisse manifestum est, qui *Olympius* ab orationis vehementia appellabatur. Confer Plutarchum (in vita ejus p. 156) et Quinctilianum (2, 16, 19): »ut non loqui et orare, sed quod Pericli contigit *fulgurare* et *tonare* videaris«, ubi plura Spaldingius (p. 373). Sed Demosthenis quoque Cicero (orat. 70) »vibrare *fulmina*« dixit, ipsique Ciceroni »verborum *fulmina*« tribuerat Paetus, quod ille in jocum vertit (ad divers. 9, 21).

potens] *Impotens* esse videtur ad invidiam potens, περιβδενὴς, ut et Donatus docet. Sic Livius »*impotentem* decem virorum potestatem« dixit: et Capella infra »in invidiam, si eos *impotentes* esse monstremus.« Quinctil. decl. 13: »Credo equidem judices plerosque mirari, quod homo tenuis, etiam antequam quod perdidi habebam pauper, ausus sum judicio lacessere divitem, utique vicinum, eumque notae *impotentiae*« etc. Gloss. Isidori: »*impotens*, interdum potens, pro potentia clarus, vel plus quam potens.« Petronius:

»*Ne curet alto regiam trucem vultu*
Cliensque coenas ne inpotentiam *captet*«

l. *Cliensve*, aut:

»*Cliensve coenas* impotentium *captet*.«

Nam in V. C. est:

»*Cliensque coenas* impotentium *ne captet*«;

repugnante versu. Horatius »aquilonem *impotentem*« dixit. Simili modo Ulpianus l. 1 de officio proconsulis: »si quis ita impotenter se gerit, ut omnes metuant adversus eum advocationem suscipere.« Citatur digestis de off. proc. et leg. l. 9 nequidquam §. 5 advocatos. Gnot. — Tota haec annotatio quantumvis docta superflua est, postquam e codicibus Darmstattensi et Monacensi (C) *potens* rescripsi. Sed quod mirere, Grotius ipse hoc ediderat, nihilo tamen secius in nota semper *impotens* ante oculos habuit! Profecto inde a tertio libro negligentior deprehenditur interpres, id quod non semel animadverti. Barthius quoque vasta eruditione ipsa confusus modo *potens* (adv. p. 304), modo *impotens* nostro in loco legit. In codice Reichenauensi

quo vellet et unde vellet deducere, et in lacrymas flectere, et in rabiem concitare, et in alios etiam vultus sensusque convertere tam urbes quam exercitus procliantes et quaecunque poterat agmina populorum. Haec etiam Senatum, rostra, judicia domuisse in gente Romulea, Athenis vero curiam, gymnasia, theatraque pro arbitrio reflexisse, ac totam funditus Graeciam miscuisse ferebatur. Hac vero loquente, qui vultus vocisque sonus, quantaque 428

scriptum quidem erat *in potens*, sed a secunda manu in expunctum.

regina] Praeivit Euripides, qui (in Hecuba 816)

»πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην«

dixit, quemque respexit et Quinctilianus (1, 12, 18; p. 249): »qui vero imaginem ipsam eloquentiae divina quadam mente conceperit, quique illam, ut ait non ignobilis tragicus, *reginam rerum* orationem ponet ante oculos« cet. Sed et Cicero (orat. 2, 44) eundem ut videtur secutus »omnium rerum *reginam* orationem« appellat.

quo vellet] Id ipsum erat, quod in suis aequalibus Cicero desideravit (Brut. 95 f.): »nemo qui ad iracundiam magnopere judicem, nemo qui ad fletum posset adducere; nemo qui animum ejus, *quod unum est oratoris maxime proprium*, quocunque res postularet, *impelleret*« (conf. et de orat. 3, 14). Est vero haec vis oratoria, quam δεινότητα Graeci nuncupant, quamque praecipuam in Demosthene fuisse omnes consentiunt. Vide Voemelium (ad Demosth. de pace p. 238), Hermannum (ad Lucian. de hist. conscr. p. 263), et A. G. Beckerum (in interpretatione libelli Dionysii Halicarnassensis περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος Guelferb. 1829).

Athenis] Athenas Justinus (5, 9, 9; p. 172 Gronov.) »eloquentiae patriam« dicit. Vellejus Paterculus (1, 18): »Una urbs Attica pluribus annis eloquentiae, quam universa Graecia operibus floruit; adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes.« Cicero ipse (Brut. 13) de eloquentiae arte: »hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum«; et alio loco (de orat. 14): »Athenis«, inquit, »summa dicendi vis et inventa est et perfecta.«

theatraque] Ibi enim conciones populi haberi solebant. Justinus (22, 2, 10) de Agathocle: »populum in *theatrum* ad concionem vocari jubet«; Tacitus (hist. 2, 80): »Antiochiensium *theatrum*, ubi illis consultare mos est.« Athenis initio quidem Pnyx comitiis habendis destinata erat, nec nisi per certas occasiones in theatrum conveniebant (Demosth. adv. Mid. 3), sed paulatim invaluit, ut ibi quoque praeter magistratuum electiones reliqua omnia in theatro tractarentur (Poll. onom. 8, 132).

miscuisse] Hoc ex ipso illo de Pericle dicto apud Aristophanem sumtum esse videtur (Acharn. 530):

»Ἠστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα«,

quod et Cicero respexit (orat. 9): »qui si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poëta fulgere, tonare, *permiscere Graeciam* dictus esset« et Plinius Secundus (epist. 1, 20, 19): »non enim amputata oratio et abscissa, sed lata et magnifica et excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac *miscet*.«

excellentia celsitudoque sermonis, audire operae pretium etiam superis fuit: tantae inventionis ingenium, tam facundae ubertatis eloquium, tam capacis memoriae recordationisque thesaurum, qualis disponendi ordo, quam pronunciandi congruens modulatio, qui gestus in motu, quae profunditas in conceptu; denique exilis in modicis, in mediocribus facilis, in elatione flammatrix; reddebatque cunctos in ambiguis dociles, in persuasione cedentes, in collisione discordes, in laudibus arrogantes; at vero quum quid commotum publici nominis attestatione clamaverat, fluctuare, permisceri, ardere omnia videbantur.
429 Hanc igitur feminam auratae vocis, et quasdam diadematum gemmas regnorumque fundentem, ingens illustrium virorum sequebatur agmen; inter quos proximi eidem duo diverso habitu nationeque praenitentes, quorum unus erat pallio circumactus, alterque trabeatus. Diversus utrisque oris sonus, licet alius etiam Athenis se diceret Graja didicisse, ac promtus gymnasiorum studiis et reluctantibus semper Academiae altercationibus haberetur; ambo tamen novi

inventionis] Jam sequuntur singulae artis oratoriae partes oratorisque virtutes postmodo latius exponendae, nunc brevi sub conspectu adumbratae.

in modicis] Lege »exilis in *immodicis*.« Vonck. (spec. cr. p. 85). — Ineptissima profecto correctio! Tria dicendi genera respicit Martianus, quae Graecis ἰσχνὸν, μέσον, ἁδρὸν, Latinis *tenue*, *medium*, *sublime*, lippis illa atque tonsoribus nota, de quibus sufficiet laudasse Auctorem ad Herennium (4, 8), Ciceronem (orat. 6), Gellium (7, 14). Unum addo Ciceronis locum, qui nostro apprime convenit (Brut. 29): »is erit igitur eloquens, qui poterit *parva* summisse, *modica* temperate, *magna* graviter dicere«; nisi quod noster *modica* dixit quae Cicero *parva*, *mediocria* quae ille *modica*.

auratae vocis] Simili modo Joannes episcopus Constantinopolitanus ob eximiam eloquentiae laudem Chrysostomi nomen inter aequales meruit, et prius etiam Dio Prusaensis orator, cujus adhuc exstant orationes.

duo diverso] Demosthenem significat et Ciceronem, quos non Plutarchus modo in vitis parallelis, verum etiam Quinctilianus (10, 1, 105), Longinus (de subl. 12) aliique multi inter se comparaverunt, nostraque aetate Jenischius (Parallele der beiden grössten Redner des Alterthums, Berl. 1801).

circumactus] Pari modo Saxo grammaticus (p. 34 Steph.): »variis ferarum pellibus *circumactus*« pro *circumdatus*.

trabeatus] Expectasses *togatus*, quod plerumque palliato opponitur (vide ad §. 225), sed exquisitius *trabeatum* dicit Ciceronem, vel quia *equestri* loco natus erat (Pers. sat. 5, 29. Val. Max. 2, 2, 9) vel quia *augur* fuerat; nam horum quoque trabeam fuisse testatur Servius (ad Aen. 7, 188 et 612).

novi] De Cicerone Sallustius (Catil. 23 f.): »Ea res inprimis studia hominum accendit ad con-

protectique paupertatis sinu, et quum alterum Quirinalis eques, alium fabrilis procrearet industria, ita praeclues linguae excellentia floruerunt, ut post curiarum facta immeritasque mortes virtute astra conscenderent, immortalitate gloriae secula superarent. De uno tamen, quem Athenarum populus ac palliata 430

sulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si cum quamvis egregius *homo novus* adeptus foret«; et ipse orator (de lege agr. II, 1): »me perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum primum *hominem novum* consulem fecistis.« Confer Middletonium (the life of Cicero I, p. 3). Sed de Demosthene idem fraudi fuit nostro, quod Juvenali (10, 129), cujus locum jam Grotius cum nostro comparavit:

»*Dis ille adversis genitus fatoque sinistro,*
Quem pater ardentis massae fuligine lippus
A carbone et forcipibus gladiosque parante
Incude et luteo Vulcano ad rhetora misit«

et Apollinari Sidonio, qui (carm. 2, 186) de Demosthene:

— — »*sine fine locutus*
Fabro progenitus, spreto cui patre polita
Eloquiis plus lingua fuit« — —

pariterque Valerio Maximo, qui (3, 4, ext. 2): »quam matrem Euripides, inquit, aut quem patrem Demosthenes habuerit, ipsorum seculo ignotum fuit; alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditasse, omnium paene doctorum literae loquuntur«; nimirum quod patrem ejus legissent μαχαιροποιὸν fuisse (Plutarch. in vita p. 847. Lucian. rhetor. praec. 10, T. VII, p. 229 Bipont.), quod vero ita potius intelligendum erat, ergastulum illum habuisse, ubi servi fabri gladios procuderent. Ipse enim honestissimo loco natus erat, τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν, ut ex Theopompo Plutarchus tradit, neque acerrimus oratoris adversarius et obtrectator Aeschines negare audet (adv. Ctesiph. 54), tantasque divitias habuit, ut filio rem familiarem quatuordecim talentorum relinqueret (Demosth. adv. Aphob. p. 814 Reisk.), quae postea demum tutorum ejus fraude aliquantum imminuta est.

protectique] De Cicerone sermo et Demosthene. Quomodo autem: »*protecti* paupertatis sinu« dici possunt? Hoc nihili, scribe »*profecti* e paupertatis sinu.« Respexit ad eorum originem obscuram, quod et sequentia suadent. Susius (in Gurlitti anim. part. 4. p. 9). — Recordatus non esse videtur vir doctus illius »procul a Jove, procul a fulmine«, neque egregii hac de re Horatii carminis; quibus omnino vulgarem lectionem tuemur, donec codex reperiatur, qui cum Susio concinat.

floruerunt] Grotius ediderat *floruerant;* in notis autem observat: »*Flornerit*, lege cum MS. *floruerunt.*« Ignorabat scilicet quod ediderat. Sed *floruerunt* etiam in codicibus Reichenauensi et Darmstattensi legitur.

curiarum facta] Lege »*duriora fata.* Voncx. (sp. crit. p. 149) — Licet apud Grotium varians lectio *fata* margini adscripta sit, in Monacensi autem (C) pro *curiarum* legatur *curarum*, utrumque denique *curarum fata* in Darmstattensi exstet, vulgatam tamen lectionem servavi, siquidem *curiarum facta* hypallage est pro *facta in curiis.* Ita supra Rhetorica pro arbitrio reflexam *curiam* esse dixerat.

astra] De Cicerone Manilius (1, 792):

— — — — »*et censu Tullius oris*
Emeritus coelum.«

Magnorum virorum animas post mortem inter astra

agmina sequebantur, haec fama convenerat, quod acerrimus idem et procellis indignantis Oceani fremituque violentior; denique de illo versus hujusmodi
431 ferebatur: *Δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο.* Alter vero, quem consularis purpura et conjurationis extinctae laurea redimebat, mox ingressus curiam superùm et in Jovis gratulatus est se venisse conspectum; laetior clamare igitur coepit: o nos beatos, o rempublicam fortunatam, o praeclaram laudem
432 consulatus mei. Post hos tamen in diversis agminibus oratores emeriti, ac

deosque immortales recipi constans nostri sententia est (§. 95. 125).

acerrimus] Idem et Plutarchus sentit (in vita ejus p. 850): *οἱ μὲν οὖν γεγραμμένοι τῶν λόγων ὅτι τὸ αὐθτηρὸν πολὺ καὶ πικρὸν ἔχουθι, τί ἂν λέγοι τις*; et Homerico versu utitur et ipse (Iliad. 20, 467):

»*Οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν οὐδ' ἀγανόφρων,*
ἀλλ' ἔντονος καὶ βίαιος περὶ τὰς ἀμύνας.«

δεινὸς] Hic versus a codice Monacensi (C) omnino abest. In alio codice Grotius in margine hanc lectionem exstare testatur

»*Δεινὸς ἀνὴρ τὰ κακὰ καὶ ἐναντία εὐτιβόλησεν.*«

Verum lege apud Homerum (Il. 11, 654).

laurea] Ante oculos habuisse videtur Plinii verba (hist. nat. 7, 30) quibus Ciceronem alloquitur: »salve primus omnium parens patriae appellate, primus *in toga triumphum* linguaeque *lauream* merite«, nisi eundem cum Plinio respexit Ciceronis ipsius versum (de offic. 1, 22; adde Philipp. 2, 8; in Pison. 29):

»*Cedant arma* togae, *concedat* laurea *linguae*«;

de quo etiam Plutarchus (vit. Cic. p. 887), et Quinctilianus (11, 1, 24), neque invenuste Salejus Bassus seu quisquis alius auctor est Panegyrici in Pisonem, qui sub Lucani nomine venit (35):

»*Sic etiam magno jam tunc* Cicerone *vigente*
Laurea *facundis cesserunt arma* togatis.«

clamare] Adde ex MS. *laetior*. Gnor. — Idem in Monacensi (C) et Darmstattensi legitur, neque reponere equidem dubitavi; sed quod in iisdem omissum est *igitur* tollere nolui, donec etiam *est* a codice aliquo abesse comperiam.

o nos] Manifestum est rideri Ciceronis jactantiam suique ostentationem, quae jam antiquitus multis offensioni fuit, ut Dioni Cassio (38, 12) et Senecae (de brevit. vit. 5, p. 492). Quid quod ipse »a Jove se in deorum concilium advocatum« jactaverat, teste Quinctiliano (11, 1, 24), qui simul et versum Ciceronis affert ex carmine heroico *de consulatu suo*, quem noster quoque in sequentibus respexit:

»*O fortunatam natam me consule Romam*«

saepius illum et a Quinctiliano (9, 4, 41) et ab aliis veterum (Juvenal. 13, 122. Anthолog. Burm. T. I, p. 348) usurpatum.

oratores] De Graecis oratoribus, quos hic noster commemorat, Aeschine, Isocrate, Lysia, longi esse nolumus, quum omnes et scriptis ipsorum, quae ad nostram aetatem pervenerunt, et veterum judiciis, ut Ciceronis, Dionysii Halicarnassensis, Quinctiliani, Plutarchi, Photii, satis sint cogniti; laudasse sufficiat doctum Westermanni librum (Geschichte der griechischen Beredsamkeit, Lips. 1833,

prae se ferentes insignium culmen meritaque linguarun: Aeschinem, Isocratem, Lysiamque conspiceres; tum in togatis agminibus Sosantios, Gracchos, Regulum, Plinium, Frontonemque. Verum ante cunctos atque ipsam ducem omnium 433
feminam senex quidam signum ac praeviam virgam gestans lictoris Romulei praecedebat usu, atque in ejusdem virgae culmine corax oris aurati venientis

p. 73 sequ. et 113). Sed inter Romanos quod primum legitur *Sosantiorum* nomen, prorsus inauditum est et manifesto corruptum, cujus in locum vide ne substituendum sit »*Crassos, Antonios*«; hi certe ante Ciceronis tempora eloquentiae Latinae longe principes fuere, satis superque noti vel ex Ciceronis libri de oratore, ubi colloquentium partes primarias sustinent, quibus adde quae erudite Ellendtius congessit (in succincta eloquentiae Romanae usque ad Caesares historia, praemissa editioni Bruti, Regimont. 1825, p. 62—77). Ibidem (p. 37—46) testimonia veterum de *Gracchis*, Tiberio nimirum et Cajo fratribus invenies, quorum inprimis junior summis eloquentiae laudibus ab omnibus celebratur (Cic. Brut. 33; de orat. 3, 56; Vell. Paterc. 2, 9; p. 164 Burm. Plin. Epist. 1, 20, 4. Gell. 10, 3 cet.); fragmenta collegit Henricus Meyerus (oratorum Rom. fragmenta, Turici 1832, p. 116—128). Qui sequitur, *Regulum* cave cum vetere illo confundas, qui bello Carthaginiensi nobilitatus est; est Domitiani Augusti aequalis, homo improbus, cujus tamen facundiam et Martialis (5, 28, 6. 6, 64, 11) praedicat neque Plinius inimicus ejus (epist. 1, 5. 2, 20. 4, 2) negare audet (6, 2). *Plinii* minoris eloquentiae studium ipsa quae exstant scripta ejus testantur, neque antiquitas vilipendit. Confer Martialem (10, 19), Apollinarem Sidonium (epist. 1, 1), inque primis Macrobium (Saturn. 5, 1): »quatuor sunt, inquit Eusebius, genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo *Sallustius* regnat; siccum, quod *Frontoni* adscribitur; pingue et floridum, in quo *Plinius Secundus* quondam, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.« *Frontonem* Grotius suspicari tantum poterat esse »Antonini praeceptorem, cui ob excellentem eloquentiam statua erecta« fuerit (Jul. Capitol. Antonin. philos. 2); nunc notior nobis factus est, postquam epistolas ejus orationumque fragmenta recens reperta identidem Angelus Majus evulgavit; unde licet nostratium hominum judiciis minus commendatus sit (vide Rothii librum: über M. Corn. Fronto und das Zeitalter der Antonine, München 1817, et Niebuhrii opuscula p. 326), illud tamen intelligitur, aequalibus suis maxime eum probatum fuisse; si quidem M. Aurelius Caesar (epist. 2, 6) ita ad eum scribit: »vale decus eloquentiae Romanae, amicorum gloria, *μέγα πρᾶγμα*, homo jucundissime, consul amplissime, magister dulcissime«; neque discrepat Ausonii judicium de eo (grat. act. 33; p. 536 Delph.).

insignium] Pari modo Saxo Grammaticus, qui nostrum semper fere ad verbum imitatur (p. 10 ed. Steph.): »insignium culmen meritaque virtutum« dixit.

corax] Alludit ad primos rhetores Tisiam ejusque discipulum Coracem, de quo idem narratur, quod de Euathlo et Protagora, ajuntque illi acclamatum:

»*Ηκουῦ κόρακος κακὸν ᾠόν.*«

Meminit Cicero, Fabius aliique. Gnor. — Graeco vocabulo pro Latino *corvus* usus est consulto, ut simul significaret hominem eum, qui primus om-

434 feminae auspicio praevolabat. Ille autem qui gestabat virgulam, Tisias dictus, cunctisque vetustior atque elatior videbatur; nam et suos minores ceteros, illam ipsam ducem respectans snperpositum corvum commune pignus filiamque
435 memorabat. Quo argumento commoti quamplures deorum eam quidem nobilissimam feminam, sed aut Apollinis credidere cognatam, si Graja est, aut, si Romulea de gente, Corvini. Cui aenigmati illud adjectum, quod intrepida et fiduciae promtioris tam Palladis quam ipsius Cyllenii deosculata pectus cujusdam propinquae familiaritatis indicia patefecit. Denique nonnulli superûm quum in trepidatione buccinae praecinentis et admiratione amicitiae superorum incerti diutius divinatorem Phoebum cuperent sciscitari, nondum

niam in Sicilia eloquentiae artem et praecepta condidisse fertur, Coracem Syracusanum Tisiae magistrum; qui quum plerumque simul commemorentur, confer omnino Ciceronem (Brut. 12; de orat. 1, 20), Quinctilianum (2, 17, 7; p. 377. 3, 1, 8; p. 421), Sextum Empiricum (adv. mathem. 2, 96; p. 306 Fabr.), et inter recentiores Spengelium (art. script. p. 23 sequ.) et Westermannum (loco citato p. 35—38).

illam ipsam] In editis erat *ipsam illa*, pro quo jam Grotius *illam* scribendum e MS. vidit; quod equidem transpositis verbis scripsi, codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi nititur. Vellem autem *et illam* codices exhibuissent, ut structura orationis melius constaret; sensus enim clarus est, non solum juniores illos oratores, verum etiam ipsam illorum ducem Rhetoricam commune Coracis et Tisiae *pignus*, id est *filiam* dici; siquidem *pignora* jam saepius pro *liberis* dici animadvertimus (§. 25. 32. 91. 180).

feminam] MS. vocem *primam* non habet; sed pro ea *sed*. Lege: »eam quidem nobilissimam feminam primum, sed aut« etc. Gnot.— Obscura haec annotatio est, quam non intellexi nisi inspectis anterioribus editionibus, in quibus Grotianum *sed* post vocabulum *primam* nentiquam legitur, collatoque codice Darmstattensi, a quo vox *primam* item abest. Hac igitur deleta verba nunc intelliguntur: »credidere hanc feminam nobilissimam aut Apollinis cognatam — aut Corvini gentilem« nimirum non Messalae illius, de quo supra (§. 245), sed veteris Valerii, qui a corvo victoriae adjutore *Corvi* cognomen invenerat (Liv. 7, 26. Val. Max. 8, 15, 5. Gell. 9, 11. Aur. Victor de vir. illustr. 29). Apollini autem corvum sacrum, quidquid obloquatur Cornutus (32, p. 221 Gal.), testatur Ovidius (met. 5, 329), qui vel mutatum in corvi figuram deum auctor est; unde et »Delphicus ales« appellatur a Petronio (de bello civili 177), quippe qui auguriis capiendis maxime idoneus haberetur (Cic. div. 1, 39. Horat. od. 3, 27, 11).

Cyllenii] Mercurii cum eloquentia cognationem unus Horatii versus (od. 1, 10, 1) satis aperit:

»*Mercuri* facunde *nepos Atlantis.*«

diutius] Lege *ocius*. Voxck. (spec. crit. p. 83)— Nihil mutandum: etenim ob causas praedictas *diu* incerti erant dii minores. Sed pro »in *trepidationem* et *admirationem*« apud Grotium ex anterioribus

Jove maximo disquirente, tumultuarie quae esset inquirunt. Ac tunc illa 436
respectans superos universos, aliquanto commotior sic coepit: Patrem maximum Jovem ceterosque coelites, quos in causis pluribus saepe sum deprecata, atque ipsum conventum superae consessionis attestor, nihil magis mihi inconsentaneum atque indecens aestimari, quam ut quae semper in foro judiciisque quampluribus accusaverim multos, aliosque defenderim, et viribus gloriam delectationis annixa mihi de discriminum fatis promeriti eventus praeconia comparaverim, nunc apud vos, superi, quis placere immortalitatis instar ac pretium videbatur, invita compellor scholarium juvenilium monitus et exilia decantatae artis praecepta memorare. Neque enim hoc nobis adscribit inopia, quum redundantes turmae suppetant consequentium; nam absque his, qui perturbantes pectora sensusque cunctorum cognoscentum quoque perfregere subsellia, etiam alios habeam qui minutias praeceptorum et artis intimae commenta perscripserint; inter utrumque vero columen sectatorum praeniteat Tullius meus, qui non solum in foro, senatu, rostrisque grandiloquae facultatis majestate tonuerit, verum etiam ipsius artis praecepta commentus libros quamplures seculorum usibus consecrarit. Quod quum ita sit, emeritae granditatis 437
pudor et celebrati quantum puto nominis gloria haec inchoamentorum primordia detrectaret excurrere, ni et hoc ad immortalitatis praemium proficeret, quod jubetis, ac fiducia perennitatis accendat exsequi vel primora, tamen Jove

editionibus rescripsi »in *trepidatione* et *admiratione*«, uti in Darmstattensi quoque est codice.

ac tunc] Ita anteriores editiones codicesque Darmstattensis et Reichenauensis; male Grotius *at*.

deprecata] Famosissimum illud Demosthenis exordium in oratione pro corona spectare videtur: *πρῶτον μὲν τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις κ. τ. λ.*

consessionis] Ita codices Monacensis (C), Reichenauensis, et Darmstattensis; editi *confessionis*, quod temere Grotius in nota repetiit.

fatis] Darmstattensis codex *factis*, quo tamen non magis indigemus quam altera lectione a Grotio in margine notata *promeritis* pro *promeriti*.

columen] Sic scripsi e codicibus Darmstattensi, Reichenauensi, aliisque apud Oudendorpium (ad Appul. II, p. 74) pro *culmen*, quod in Grotii aliorumque editionibus exstabat.

accendat] Hanc lectionem praebuerunt codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis (C) pro Grotiana *accedat*. Praeterea distinctionem mutavi, puncto post *imperante* posito, ne opus esset

cum superis imperante. Accingar igitur haec aridiora percurrere, minus quidem, quam publicitus soleo, placitura; quamquam si Pallados aures atque Arcadicam rationem benevolae majestatis participarit assensio, ne nunc quidem
438 apud vos, maximi coelites, displicebo. Quippe sum ipsa Rhetorica, quam alii artem, virtutem alii dixere, alii disciplinam. Artem vero idcirco, quia doceor; licet Plato huic vocabulo refragetur. Virtutem autem dicunt, qui mihi bene dicendi scientiam inesse compererunt. Qui edisci vero dicendi intimam rationem et percipi posse non nesciunt, fidenter me asserunt disciplinam.

Vonckii conjectura *jugiter* pro *igitur* (spec. crit. p. 83). *Primora* autem servavi ut elegantius, neglecta lectione *primordia*, quam Grotius in margine posuit.

assensio] Refinxi locum ad codicis Darmstattensis auctoritatem, cujus tamen lectionem jam Grotius conjectura assecutus erat, licet in ipso textu vel antecedentium editionum scripturam negligentia depravaverit; ediderat enim *Arcadiam ratione* et *assensionem*, quum anteriores certe *rationem* et *assensione* haberent. *Arcadicam* autem *rationem* Mercurium esse, qui ipse λόγος et Ἑρμῆς λόγιος appellabatur, monere vix opus est.

quam alii] Utrum ars sit an non rhetorica a multis quaesitum esse et e Cicerone (de orat. 1, 19. 2, 7) et e Quinctiliano (2, 15) constat, qui (p. 342 Spald.): »quidam, inquit, rhetoricen *vim* tantum, quidam *scientiam*, sed non *virtutem*, quidam *usum*, quidam *artem* quidem, sed a *scientia* et *virtute* dijunctam, quidam etiam *pravitatem* quandam artis, id est κακοτεχνίαν nominaverunt«; subtilius sane quam noster, apud quem non satis apparet, quid inter *artem* et *disciplinam* intersit, nisi hanc ἐπιστήμην Graecorum, id est *scientiam*, illam τέχνην esse voluit. Haec enim posteriori aetate inter se distincta esse, apparet e Sexto Empirico (adv. Mathem. 2, 6): ἄλλως μὲν Ξενοκράτους τὴν ἐπιστήμην λαμβάνοντος καὶ ἀρχαϊκῷ νόμῳ ἀντὶ τῆς τέχνης, ἄλλως δὲ τῶν Στωϊκῶν ἐν δόφῳ μόνῳ φυομένην. Ceterum ante »disciplinam« e codice Monacensi (C) pro Grotiano *alteri* scripsi *alii*.

Plato] Nimirum in Gorgia (p. 463 Steph.), ubi haec legimus: »τέχνην δὲ αὐτὴν οὔ φημι εἶναι ἀλλ' ἐμπειρίαν, ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα — ἐγὼ δὲ τέχνην οὐ καλῶ, ὃ ἂν ᾖ ἄλογον πρᾶγμα«, quem deinde locum certatim expresserunt Quinctilianus (2, 15, 23), Appulejus (dogm. Plat. p. 231 Oudend.), alii; confer et Astium (ad Plat. Phaedr. p. 350).

virtutem] Sic Crassus apud Ciceronem (de orat. 3, 14): »est enim eloquentia una quaedam de summis *virtutibus*; quamquam sunt omnes virtutes aequales et pares, sed tamen est species alia magis alia formosa et illustris; sicut haec *vis*, quae scientiam complexa rerum sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos qui audiunt quocunque incubuerit possit impellere.«

bene dicendi] Vulgata haec est per veterum scholas definitio, quae apud Quinctilianum complu-ribus locis exstat (2, 15, 34. 5, 10, 54. 7, 3, 12). Hermagorae deberi videtur Spaldingio (T. I, p. 361), sed et Xenocratis fuisse et Stoicorum monet ibidem (conf. Sext. Emp. adv. Math. 2, 6; p. 280 Fabr.).

DE OFFICIO ET FINE RHETORICAE.

Officium vero meum est dicere apposite ad persuadendum; finis per- 439
suadere id quod est propositum dictione. Quae quidem verba mei Ciceronis attestor, cujus etiam exemplis me per omnes insinuo praeceptionis ductus consequenter usuram.

UBI ET UNDE.

Materies autem duplex est mihi: ubi et unde fiat oratio. Ubi, quum ipsius membra aggredior quaestionis; unde, quum res inventae verbaque 440
sociantur.

QUAESTIO RHETORICAE AUT FINITA AUT INFINITA.

Quaestio autem ipsa aut finita est, aut infinita. Finita est, quum na- 441
scitur de certo facto demonstratque personam, ut in Rosciana quaeritur Ci-

officium] Cicero (de invent. 1, 5): »*officium* autem ejus facultatis videtur esse, dicere *apposite* ad persuadendum; *finis*, persuadere dictione. Inter *officium* autem et *finem* hoc interest, quod in *officio*, quid fieri; in *fine*, quid officio conveniat, consideratur«; atque iisdem fere verbis alio loco (de orat. 1, 31) »oratoris *officium* esse« ait »dicere ad persuadendum *accommodate*« (adde Quinctil. 2, 15, 2; p. 345 Spalding.). Eodem redit Aristotelis definitio (rhetor. 1, 2): »ἐστὶ δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν.«

persuadere] Sic jam Grotius e MS. legi jussit pro *persuadendi* in editis, addicuntque codices Monacensis (C) et Darmstattensis.

materies] Fronto (II, p. 481 Maji): »*materies*«, inquit, »animi est, *materia* arboris; et *materies* qualitas ingenii, *materia* fabris apta«; sed hanc differentiam minime servari ipsius Ciceronis docent verba (de invent. 1, 5): »*materiam* artis eam dicimus, in qua omnis ars, et ea facultas, quae conficitur ex arte, versatur.«

ubi et unde] Marius Victorinus (ad Cic. de invent. p. 99 Pith.): »verum quod ait *eam dicimus* ostendit artis omnem materiam in duobus esse, id est in eo *ubi* facit aliquid et in eo *unde* facit. Utputa fabri materia est in eo *ubi* facit, id est ferrum quod tundit; est item fabri materia in eo *unde* facit, id est malleus quo tundit — sic et materia rhetoricae artis potest in eo esse *ubi* facit, id est in deliberatione, demonstratione, judiciali; potest et in eo esse *unde* facit, id est in argumentis, quaestionibus, et in reliquis materiae necessariis.« Ceterum in sequentibus ante *quum ipsius* sustuli *ut*, quod in editis erat, codicis Monacensis (C) auctoritate.

quaestio] Inserui *autem* e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi. Distinctio ipsa ab Hermagora

ceronis, utrum interfecerit patrem Roscius; infinita est, quae generaliter quaerit utrum sit aliquid appetendum, ut an philosophandum sit in Hortensio disputatur. In superiore autem crebro assidueque colluctor, atque eam Graecis placuit *ὑπόθεσιν* nominari. Infinita vero universitatis adstruendae sibi fiduciam vindicante, tunc potius versor, quum otium ac disputationes aggredior: licet plerumque etiam pars ipsa, quae thesis dicitur, in causis mihi

repetenda est, quem Cicero (de invent. 1, 6) testatur »oratoris materiam in *causam* et *quaestionem* divisisse, et *causam* quidem dicere rem quae habeat in se controversiam in dicendo positam cum personarum *certarum* interpositione — *quaestionem* autem eam appellare, quae certarum personarum interpositione careat«; sed ipse postmodo dicere maluit (de orat. 2, 10) »duo prima *genera quaestionum* esse, in quibus eloquentia versaretur, unum *infinitum*, alterum *certum*; et *infinitum* quidem, in quo aliquid *generatim* quaereretur, hoc modo: expetendane esset eloquentia? expetendi honores? *certum autem*, in quo quid in *personis*, et in *constituta* re et *definita* quaereretur«; eademque Quinctiliani est ratio (3, 5, 5; p. 465), qui: »convenit, inquit, *quaestiones* esse aut *infinitas* aut *finitas*. Infinitae sunt quae remotis personis et temporibus et locis ceterisque similibus in utramque partem tractantur, quod Graeci *θέσιν* dicunt, Cicero *propositum*; finitae autem sunt ex complexu rerum, personarum, temporum, ceterorumque; hae *ὑποθέσεις* a Graecis dicuntur, *causae* a nostris.« Adde Augustinum (princ. rhet. p. 291 Pith.): »Duo sunt primi et quasi generales civilium quaestionum modi, quorum alter thesis alter *hypothesis* vocatur a Graecis; nos priori nomen si Graecum (lege *Latinum*) dare non possumus, ne posteriori quidem, quamquam videamur dedisse; quippe *controversiam* dicimus, quod nomen tam in thesin quam in hypothesin potest cadere« cet.

in Hortensio] Cicero (de divin. 2, 1): »cohortati sumus, quam maxime potuimus, ad philosophiae studium eo libro qui est inscriptus Hortensius.« Fragmentorum numerum haud exiguum invenies apud Orellium (T. V, P. II, p. 479 sequ.).

otium] *Σχολήν*. Est autem *σχολὴ* disputatio, quae per otium exercetur. Cicero paradoxis: »quod vix in gymnasiis et in otio stoici probant.« Gaor. — Paulo ante restitui e codicibus Monacensi (C), Reichenauensi, et Darmstattensi »*tunc*« pro Grotiano »*tum*«; mallem autem invenissem codicem, qui praeterea *in infinita* praeberet, certe ablativus absolutus *infinita—vindicante* ante *versor* dici non potest quantum me male habeat.

thesis] Confirmat hoc testimonio suo Cicero (orat. 14): »orator, non ille vulgaris, sed hic excellens, a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam; latius enim de genere quam de parte disceptare licet, ut quod in universo sit probatum, id in parte sit probari necesse«; haec ipsa enim quaestio »a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traducta« eodem teste appellatur *θέσις*. Adde eundem alio loco (ibid. 35): »sunt maxime luminosae et quasi actuosae partes duae, quarum alteram in universi generis quaestione pono, quam ut supra dixi Graeci appellant *θέσιν*«, et Quinctilianum (2, 4, 24): »*Theses* autem, quae sumuntur ex rerum comparatione, mire sunt ad exercitationem dicendi speciosae atque uberes, quae vel ad suadendi

elatius anhelanti amentatas hastas crebro et pila plurimum valentia ministrarit. An aliud in Scauriana succurrit, quum interposita disputatione tractatur, ex quibus causis mors eveniat repentina? ac pro Milone similiter, an mundus prudentia gubernetur? Denique e meis sectatoribus quidam acri admodum ac subtilissima ratione commoti nullam esse attestantur hypothesim, quaestionem cuncta quae in defensione pro reis contraque eos in accusationibus retractantur, quia ad generales quaestiones poterunt applicari.

QUAE SUNT PARTES OFFICII RHETORICAE.

Jam vero partes officii mei quinque esse non dubium est; nam est in- 442
ventio, dispositio, elocutio, memoria, pronunciatio. Judicatio enim, quae a

officium vel etiam ad judiciorum disceptationem juvant plurimum«, ubi vide Spaldingium (p. 280).

anhelanti] Pronunciandi contentionem significat, ut apud Persium (1, 14):

»*Grande aliquid quod pulmo animae praelargus anhelet.*«

amentatas] Ciceronem hic quoque imitatur, qui duobus locis (de orat. 1, 57 et Brut. 78) oratori etiam *amentatas hastas* tribuerat.

Scauriana] Monacensis (C) *Scaurina*, neque aliter jam Patricius (ad Cic. orat. fragm. III, 2; p. 1005 Graev.) apud nostrum legisse videtur, sed praetuli vulgatam, quam pariter et Pompejus Grammaticus tuetur (comm. art. Donati p. 108) et aliarum formarum analogia, quas sollerter congessit Spaldingius (de oratione Marcelliana in Wolfii mus. antiqu. stud. I, p. 4 sequ.). Ceterum nunc demum reperta magna illius orationis parte apparet, quomodo ibi haec disputatio tractari potuerit, nimirum ubi de Arinis Sardi uxore agebatur, quam Scauri libidine ad mortem compulsam esse arguebant (II, 2; p. 260 Orell.).

prudentia] In illa enim oratione (30 sequ.) insignis de *providentia* locus est. Ea autem voce pro *prudentia* et hac pro illa Cicero ipse quam saepissime utitur (acad. 1, 8; de leg. 1, 23; N. D. 2, 28 et 72).

cuncta quae] Lege »*cunctaque quae*«: error ex repetita voce, ut saepe. Gron. — Melius mihi locum sanasse videor, particula *quia* e codice Monacensi (C) restituta, indeque interpunctione etiam mutata.

quinque] Tot etiam Cicero (invent. 1, 7; de orat. 1, 31) partes rhetoricae statuit, quas a Graecis ἔργα τοῦ ῥήτορος vocari Curius Fortunatianus (Pithoei rhetor. p. 58) tradit. Sulpicius Victor (ap. Pith. p. 242) tria tantum officia oratoris enumerat »intellectionem, inventionem, dispositionem.« Plura dabit Quinctilianus (3, 3).

judicatio] Quinctilianus (3, 3, 5): »His adjecerunt quidam sextam partem, ita ut inventioni *judicium* subnecterent, quia primum esset *invenire*, deinde *judicare*. Ego porro ne invenisse quidem credo eum qui non judicavit. Et Cicero quidem in rhetoricis *judicium* subjecit *inventioni*, mihi autem adeo tribus primis partibus videtur esse permixtum (nam neque *dispositio* sine eo neque *elocutio* fuerit),

nonnullis dicitur pars, partibus cunctis adscribitur idcircoque ipsa pars non poterit rite censeri; licet quid dicendum quidve silendum sit dispensatio judicationis examinet. Inventio est quaestionum argumentorumque sagax investigatrixque comprehensio; dispositio est, quae ordinem rebus attribuit; elocutio, quae arripit verba vel propria vel translata, quaeque nova facit veteraque componit; memoria firma rerum verborumque custodia est; pronunciatio vocis, motus, gestusque pro rerum verborumque dignitate moderatio. Sed ex his inventionem certum est esse potissimam, cujus opus est causae quaestiones excutere et argumenta probatu idonea reperire.

DE QUAESTIONIBUS PRINCIPALIBUS ET INCIDENTIBUS.

443 Quaestionum vero duplex species est. Aliae sunt enim principales, aliae incidentes. Principales sunt status, ex quibus nascitur causa, quas Tullius constitutiones appellat; incidentes vero, quae dum tractatur causa nascuntur,

ut *pronunciationem* quoque vel plurimum ex eo mutuari putem«; quo de loco confer quae disputavit Schützius (in opuscul. p. 251 sequ.).

inventio] Cicero (inv. 1, 7) *inventionem* appellat »excogitationem rerum verarum aut verisimilium, quae causam probabilem reddant«; quem plerique sequuntur. Nostram definitionem Pithoeus (rhetor. p. 536) Isidoro quoque tribuit, sed in ipso illius opere nulla ejus vestigia exstant. Unde noster hauserit, prorsus ignoro, praesertim propter insuetum vocabulum *investigatrix*, quod Graecam originem sapere videtur, ut apud Ciceronem (invent. 1, 1. 2. 4) *dominatrix*, *imitatrix*, *moderatrix*, apud Quinctilianum (2, 13, 21) *inventrix*, *judicatrix*, *enunciatrix*.

verborumque] Ita melius in codice Monacensi (C) quam in editis *et verborum*. Quodsi Ciceronem (de orat. 1, 5; orat. 17), Auctorem ad Herennium (3, 11 et 15), et Quinctilianum (11, 3; pag. 329 Spald.) consulueris, videbis haec a nostro presse exscripta esse.

esse potissimam] Pariter Ciceroni (de inv. 1, 39): »inventio prima et maxima est pars rhetoricae.«

quaestionum] Curius Fortunatianus (p. 66 Pith.) octo quaestionum species ponit: »generalem, specialem; principalem, incidentem; voluntariam, necessariam; accidentem, erraticam.« Vocabulo *principalis* in simili causa utitur Cicero (de fato 1): »causarum aliae sunt perfectae et *principales*, aliae *adjuvantes* et proximae.« Paulo aliter Quinctilianus (3, 6, 7): »aliae (quaestiones) sunt *propriae* causarum, de quibus ferenda sententia est, aliae *adductae* extrinsecus, aliquid tamen ad summam causae conferentes, velut auxilia quaedam.«

constitutiones] Cicero (de invent. 1, 8): »eam *quaestionem*, ex qua *causa* nascitur, *constitutionem* appellamus.« Quinctilianus (3, 6, 2): »quod nos *statum*, id quidam *constitutionem* vocant, alii *quae-*

dum argumenta vel scripta refutando in plures causa deducitur quaestiones; ut sit principalis, utrum Clodium jure occiderit Milo; incidens, uter utri insidias compararit.

DE STATIBUS, et UNDE NASCANTUR.

Principales igitur status sunt numero tres: an sit, quid sit, quale sit. 444
An sit, conjectura est, ut: an patrem Roscius occiderit. Quid sit, finis, ut: an majestatem minuerit Cornelius. Quale sit, qualitas, ut: an Saturninus jure

stionem, alii id quod *ex quaestione* appareat; Theodorus *generale caput*, id est *κεφάλαιον γενικώτατον*, ad quod referantur omnia.«

numero tres] Prorsus cum nostro consentit Julius Severianus (p. 307 Pith.), modo verba ejus cum Capperonerio (ant. rhet. lat. p. 339) sic legas: »*status* tres sunt: ubi quod a te factum objicitur negas, *conjectura* est; ubi quid a te factum fateris et negas eam vim nominis habere quam adversarius criminatur, *finis* est; at si neque de facto neque de nomine ambigitur, sed si jure factum contendis, *qualitas nominatur*.« Praecivit Cicero in iis quae provectiore aetate scripsit, ut de oratore (1, 31): »quidquid in controversiam veniat, in eo quaeri solere aut *factumne sit*, aut si est factum *quale* sit, aut etiam *quo nomine* vocetur, aut, quod nonnulli addunt, *rectene factum* videatur«; et alio loco (orat. 14): »quidquid est quod in controversia aut in contentione versetur, in eo aut *sitne* aut *quid* sit aut *quale* sit quaeritur; sitne, signis; quid sit, definitionibus; quale sit, recti pravique partibus«; et omnium explicatissime (partit. orator. 29): »in omnibus igitur causis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum; nam aut ita constituendum est, ut id quod objicitur factum neges, aut illud quod factum fateare neges eam vim habere atque id esse quod adversarius criminetur; aut si neque de facto neque de facti appellatione ambigi potest, id quod arguare neges tale esse quale ille dicat, et rectum esse quod feceris concedendumve defendas. Ita primus ille *status* et quasi conflictio cum adversario *conjectura* quadam, secundus autem *definitione* atque *descriptione*, aut *informatione* verbi, tertius *aequi* et *veri* et *recti* et *humani* ad ignoscendum disputatione tractandus est« cet. Alii ut Cassiodorus (p. 337), Sulpicius Victor (p. 250), Isidorus (2, 5, 2) primum distinguunt status causarum duos, *rationalem* et *legalem*, in *rationali* vero genere *conjecturam*, *finem*, *qualitatem*, *translationem*; at hi cum ipso Cicerone juvene (de invent. 1, 8 sequ.) Hermagoram sequuntur, unde cur Martianus discesserit, statim exponetur. De reliquis reliquorum sententiis, quarum vix numerus iniri potest, eruditissime disputat Quinctilianus (3, 6, 29 sequ.), quem, qui plura de statibus scire cupierit, omnino adeat.

Roscius] Trium generum tria exempla a Ciceronis orationibus repetuntur; quarum exstant duae pro S. Roscio Amerino et pro C. Rabirio perduellionis reo, tertia pro C. Cornelio intercidit nec nisi fragmenta ejus cum Asconii Pediani argumentis scholiisque supersunt.

majestatem] Auctor ad Herennium (2, 12):

necatus sit. Sed ne forsan moveat, quod praetereo quartum statum, quem Hermagoras invenit, subtilior ratio est eum non statum, sed partem dicere
445 qualitatis, quod in ejus expositione monstrabo. Nunc dicendum est quomodo status inveniantur in causa. Inveniuntur igitur per intentionem et depulsionem. Intentio est objectio ejus facti quod in judicium venit; depulsio est quaedam resistens intentioni negatio; ut si dicatur, occidisti patrem — non occidi. Ex his duabus inter se concurrentibus vocibus nascitur quaestio, quae dicitur status, quod ibi quasi ad pugnandum actionum acies ordinata consistat. Sed facile est videre, quid objecto crimini respondeatur; illud facile non est, quid debeat intendi, utrum factum, ut: hominem occidisti; an nomen facti, ut:

»Majestatem is minuit qui amplitudinem civitatis detrimento afficit.« Adde Ciceronem (de invent. 2, 17; de orat. 2, 25. 49; partit. 30), Quinctilianum (7, 3, 36), et Tacitum (annal. 1, 72).

Saturninus] Eodem exemplo utitur Quinctilianus (5, 11, 6). Eum enim occidisse arguebatur C. Rabirius (Sueton. Caes. 12. Dio Cass. 37, 26).

quartum statum] Nimirum *translationis* (§. 453), quem vel Cicero (de invent. 1, 11) tribus reliquis subjunxit, Quinctilianus autem (3, 4, 13) et ipse ad *qualitatem* transferre videtur (confer eundem et 3, 6, 68).

Hermagoras] Meminerunt ejus et Strabo (13, p. 621 Casaub.): »Ἑρμαγόρας ὁ τὰς ῥητορικὰς τέχνας συγγράψας«, et Quinctilianus passim; sed ut duo ejusdem nominis homines distinguendi sint, quorum alter (3, 1, 16) antiquior Cicerone, alter (3, 1, 18) non multo ante Quinctilianum. Hermagorae disciplinam inprimis exponit Aurelius Augustinus (p. 293 sequ. Pith.).

per intentionem] Cicero (de invent. 1, 8): »constitutio est prima conflictio causarum ex *depulsione intentionis* profecta hoc modo: *fecisti* — *non* feci, aut: *jure feci*.« Auctor ad Herennium (1, 17): »ex *intentione* et *infitiatione* judicatio constituitur hoc modo: *intentio*: occidisti Ajacem; *infitiatio*: non occidi; *judicatio*: occideritne.« Alteram *κατάφασιν*, alteram *ἀπόφασιν* Graece dici monet Augustinus (p. 294) quem confer. Ceterum recte Quinctilianus (3, 9, 1) *intentionem* et *depulsionem* ad *judicialis* generis officia restrinxit.

depulsio est] Verbum a Grotio omissum e codice Monacensi (C) addidi.

ad pugnandum] Cicero (topic. 25): »refutatio autem accusationis, in qua depulsio criminis, quae Graece *στάσις* dicitur, Latine appelletur *status*; in quo primum *insistit* quasi ad *repugnandum* congressa defensio.« Isidorus (orig. 2, 5; 1): »*status* apud rhetores ea res dicitur in qua causa *consistit*, id est *constitutio*. Graeci autem *statum* a *contentione στάσιν* dicunt; Latini autem non solum a *pugna* per quam expugnarent propositionem adversarii, sed quod in eo pars utraque *consistit*.« Στάσις enim Graece vel *stationem* significare potest vel *discordiam*; unde et Quinctilianus (3, 6, 4) dubitanter: »quae appellatio dicitur ducta *vel* ex eo quod ibi sit primus causae *congressus*, *vel* quod in hoc causa *consistat*.«

homicidium fecisti; et licet videatur idem esse, tamen in superiori objectione si negabitur, conjectura erit, quum dixerit: non occidi; in hoc ubi rei nomen intenditur, potest et finis videri, ut si dicat: non feci homicidium, an quum quicunque homo, an quum innocens occiditur. Quod si non factum objicias sed criminis nomen, negatione diversae partis non erit manifestum qui status exsistat. Nescias enim quid negat, qui ita neget: non feci homicidium; utrum quia nullum hominem jugularit, an quia tyranni interfectio homicidium non vocetur. Est igitur intendendum illud quod factum est, ut, si id negaverit adversarius, habeas conjecturam; si eo concesso nomen criminis excluserit, intelligas finem. Quod si concesso facto factique vocabulo licuisse 446
sibi vel oportuisse facere dixerit, qualitas in causa versatur; quae aut de re, aut de actione congreditur. De re, ut: Miloni facere licuisset? de actione: an servo vel addicto tribunos liceat appellare? an habere ignominioso liceat con-

conjectura erit] Sic codices Reichenauensis et Darmstattensis pro Grotiana lectione *conjecturae*. Supra quoque quod Grotius excudi vel jusserat vel passus erat *liceat* pro *licet*, ex anterioribus editionibus correxi; mox tamen quod sequitur apud Grotium *nescias* corrigere nolui, licet in anterioribus *nescies* exstiterit.

tyranni interfectio] Celeberrimum hoc in rhetorum scholis argumentum, quod ex Luciani tyrannicida et ex Latinorum declamationibus, quae exstant, apparet. Adde vel Ciceronem (de invent. 2, 49). Plura dabunt Meursius (Them. Attic. 2, 15) et Petitus (leg. Att. p. 313—316).

licuisse] Cicero (pro Cornelio Balbo 3): »si denique aliquid, quod non contra ac *liceret* factum diceretur, sed contra atque *oporteret*, tamen esset omnis ejusmodi reprehensio a vobis, judices, repudianda. Nunc vero quid dicitur? quid ait accusator? fecisse Pompejum quod ei facere non *licuerit*? quod gravius est, quam si id factum ab eo diceret, quod non *oportuisset*. Est enim aliquid, quod non *oporteat*, etiam si *licet*: quidquid vero non *licet*, certe non *oportet*.«

addicto] Quinctilianus in declamatione III: »in *addicto*, ac *paene servo* et *vix libero*.« Grot. Confer Gellium (20, 1 extr.): »nisi dissolverent, ad praetorem vocabantur et ab eo, quibus erant judicati, *addicebantur*, nervo quoque aut compedibus vinciebantur.« Exempla etiam apud Ciceronem (de orat. 2, 63; pro Flacco 20). Differentiam *addicti* et *servi* perspicue exposuit Quinctilianus (7, 3, 27) unde hoc quoque videmus, saepius declamandi argumentum ab hujus conditionis ambiguitate desumtum esse (confer et decl. 311); materiam vetustissima Romanorum historia praebere poterat.

an habere] Hoc quoque scholasticum argumentum fuisse videtur, ansa fortasse ab Aeschinis oratione in Timarchum repetita. Apud Marium Victorinum (p. 228 Pith.) inter alias leges, quibus ejusmodi controversiae nitebantur, et haec est: »impudicus ne

cionem. Quae species qualitatis translatio nominatur. Item cavere debemus, ne intendamus auditoris officium, ut sola status qualitas fiat. Nam qui causam cognoscit, propositum habet efficere aliquid, id est aut damnare aliquem aut absolvere.

DE GENERIBUS AUDITORUM ET CAUSARUM.

447 Auditoris autem sunt tria genera: unum ejus qui secundum aequitatem aliquid statuit, et is est perpense judex; aliud ejus, qui honestate vel utilitate incerta dubius alienae sententiae persuasionem inexplicabilis deliberator expectat;

concionetur.« Similis exstat apud M. Senecam (controv. V. 33): »fur concione prohibeatur.« *Ignominiosus* autem hic est qui Graecis ἄτιμος.

quae species] MS. »quae status qualitatis translatio nominatur.« Forte »qui status qualitatis translatio nominatur.« Gnor. — Omnino non intellexit Martianum, qui modo (§. 444) *translationem* statum esse negaverat et inter qualitatis *species* retulerat! Nostrum prorsus confirmat Aquila Romanus (p. 155 Ruhnken.).

translatio] Cicero (de invent. 1, 8): »omnis res ... aut facti aut nominis aut generis aut *actionis* continet quaestionem .... at quum causa ex eo pendet, quod non aut is *agere* videtur quem oportet, aut non cum eo quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, qua poena oportet, *translativa* dicitur constitutio; quia *translationis* et commutationis actio indigere videtur.« Eandem pluribus exposuit alio loco (invent. 2, 19), quem nuper egregie ut assolet illustravit Platnerus (progr. de partib. libror. Cic. rhetor. quae ad jus spect. Marb. 1829. cap. 2), vir, qui juris scientiam cum insigni utriusque linguae peritia ita cumulat, ut Crasso illi apud Ciceronem non tantum comparari, sed etiam aequiperari merito possit. »Actionis controversiam« Quinctilianus quoque appellat (5, 13, 8 coll. 7, 5, 1). Graeco vocabulo est μετάληψις sive μετάβασις, quam certatim illustrant Curius Fortunatianus (p. 51 Pith.), Sulpicius Victor (p. 262), Augustinus (p. 294); eadem vero in jure Attico παραγραφή, quae Latinis alias *praescriptio*; unde Quinctilianus (3, 6, 72): »annon *praescriptiones*, etiam in quibus maxime videtur manifesta *translatio*, easdem omnes species habent« cet. ubi vid. Spaldingius (p. 527). Adde Marium Victorinum (p. 207 Pith.): »*Translationem* non intelligamus formam esse status legalis; *praescriptionem* vero eandem appellari posse et eandem *exceptionem*, sed ab oratoribus«, ubi oratores rhetoribus sive technicis opponuntur. De *praescriptione* sive παραγραφῇ vide eundem Platnerum (Process und Klagen bei den Attikern I, p. 138—160).

ut sola] Hoc restitui ex anterioribus editionibus pro Grotiano *et sola*. Pariter infra restitui *efficere aliquid* pro *aliud*, codicibus quoque Darmstattensi et Reichenauensi addicentibus. Sic Cicero (partit. 3), quem locum sequentibus quoque adhibere possis: »aut auscultator est modo qui audit aut disceptator, id est rei sententiaeque moderator; ita ut aut delectetur aut statuat *aliquid*. Statuit autem

tertium genus ejus est qui facti honestatem vel turpitudinem libera aestimatione perpendit; hunc aestimatorem convenit nominari. Haec igitur sunt tria causarum genera, quae hypothesi continentur, id est judiciale, deliberativum, et demonstrativum. Sed quum omnes praedictarum rerum auditores 448
dubitatio sui deducat officii, quaerendum discrimen est et proprietas singulorum. Nam et judex, cujus officium est damnare reum vel absolvere, possessionem dare vel auferre, priusquam cognoverit causam, dubitat quo modo utatur officio; et qui deliberat, ambigua mentis opinione differtur; et laudationis arbiter, an rite quis laudetur, aestimanti contemplatione dispensat. Sed quum in diversum haec distrahantur officia, tum illud maxime discrimen attenditur, quemadmodum temporibus variantur. Nam deliberatio futuri tantum temporis continet quaestionem, ut si deliberet Cato, an se debeat, ne victorem adspiciat Caesarem, trucidare. At vero judiciale genus tam praeteriti quam futuri nonnunquam temporis invenitur; sed in praeterito tantum de facto conjectura, ex futuro qualitas frequenter innascitur, ut suo loco promtius asseretur. Lau-

de praeteritis, ut judex, aut de futuris, ut senatus. Sic tria sunt genera, judicii, deliberationis, exornationis, quae quia in laudationes maxime confertur, proprium habet jam ex eo nomen.«

tria causarum genera] Primus horum auctor, ut videtur, Aristoteles fuit (rhetor. 1, 3 et 4), secuti sunt Cicero et plurimi alii; quae qui defendunt, inquit Quinctilianus (3, 4, 6), »tria faciunt genera *auditorum*: unum quod ad *delectationem* conveniat, alterum quod *consilium* accipiat, tertium quod de *causis* judicet.« Ceterum non video cur Grotius feminino genere scripserit *judicialis, deliberativa, demonstrativa;* equidem ex anterioribus neutrum reposui, ut est apud Ciceronem (de invent. 1, 5).

officii] Lege cum MS. *officio.* Gnot.— Eandem lectionem praebet quidem Darmstattensis codex: sed vulgata unice praestat; dubitant enim de officio suo, non ut ab eo discedant, sed ut nesciant, quomodo exsequantur.

tum illud] In editis legebatur *tunc — attendimus — varientur*, quae Monacensis codicis (C) auctoritate correxi.

deliberatio] Eadem noster infra (§. 466), unde simul videmus *deliberativum* genus antiquis rhetoribus (Cur. Fortun. p. 41. Mar. Victorin. in Cic. p. 147. Alcuin. p. 370 Pith.) etiam *consilii* nomine appellatum esse. Sic Juvenalis (1, 15):

— — »*et nos*
Consilium *dedimus Sullae, privatus ut altum*
Dormiret« — —

inprimis autem huc pertinent »grandia morituri Catonis verba« apud Persium (3, 45), quae recte Koenigius explicat »orationem Catonis verbis sublimibus elaboratam, in qua deliberabat Cato, utrum mortem sibi consciscceret an servitutem pateretur.«

dativum etiam genus in praeteritis factis omne consistit, sed a judiciali genere fine discernitur. Nam aliud est absolvere innocentem aequitatis imperio, aliud laudibus prosequi gloriosum insignium contemplatione meritorum. Accedit quod in judiciali genere ambigit cognitor in rebus alienis; in deliberativo vero quisque tam de suis quam etiam de rebus externis; in laudativo aestimator auscultat vera congruaque quae memorentur, licet novella etiam id contulerint
449 blandimenta, ut suae praedicationis fiat arbiter qui laudatur. Ergo oportet attentius intueri, ne ea quae auditoris officium habuerit intendamus, ut si Verri quod damnandus sit edicatur; ille quippe se damnandum non esse respondet, et utrum damnandus sit, sola qualitas apparebit. Igitur a facti objectione nascitur intentio, ut si eidem dicas: Siciliam spoliasti, responsuro: non feci, conjectura componitur. Stultum quippe est id, quod in arbitrio manet judicis, aut certe facti nomen, non ipsum crimen intendere. Cavendum aeque, ne, quum lex ulla vel scriptura in causa tractatur, intentio sumatur ex lege, ut si dicas: lex te murum vetabat ascendere peregrinum; sed illud potius dicendum: murum ascendisti, ut, si negaverit, non sit pugna de lege, sed de facto, cui accedit lex; si confessus ex facto, tunc contra legem fecisse videatur. Ceterum si negato facto fuerit lex vel quaevis scriptura recitata, superflua videbitur contentio, quando non juris sed veritatis altercatio con-
450 tineat quaestionem; hoc vitio plerique falsi sunt. Sed et praeter illos treis, quos status asserui, alios quatuor vel quinque de scripti qualitate manantes esse dixerunt, qui licet suas in divisione causae partes obtineant, tamen nunquam principali loco nascuntur; quia nisi fuerit quod probetur, nemo ad probandum

novella blandimenta] Panegyricos intelligas, qui imperatoribus non modo absentibus verum etiam praesentibus dicebantur.

certe facti] Grotius in margine *certi;* sed altius mendum insidere videtur; vide ne legendum sit: »non ipsum crimen aut certe facti nomen intendere.« Spoliasse Siciliam Verrem accusator intendere potest, quia in facto positum est; damnandum esse, non potest, quia hoc ad judicis officium pertinet.

lex te murum] Exemplum hoc noster e Cicerone (de orat. 2, 24) et Quinctiliano (7, 6, 6; p. 142 Spald.) repetiit.

de scripti] Hi sunt quos alios *legales* appellare supra (ad §. 444) monui, quorum quinque species faciunt easdem quas noster infra (§. 462), ubi plura de iis monebuntur.

recitat legem vel aliquam scripti formam. Id autem, quod probatur, status est, qui ex primo conflictu semper exsistit; ceterae quaestiones controversiae vel incidentes sunt perhibendae.

QUOMODO STATUS FACILE INVENIATUR.

Sic igitur inveniendi status facilis erit ratio, quum neque nomen admissi 451
neque auditoris officium neque legem aut scriptum aliquod intentionis loco poterit objici. Itaque talis est intentio: hominem occidisti; depulsio: non occidi; quaestio ex his oritur: an occiderit? in quo statu erit conjectura. Sed quum intentioni jus facti opposuerit reus, fit qualitas, ut a Milone non factum negatur, sed de facti jure contentio est; occidisse enim se fatebatur Clodium, sed jure fecisse. Huic depulsioni subjicitur ratio, quae non una simplexve sit. Nam potest unum atque idem factum propter varias causas videri probabile, ut hoc idem, quod insidiatorem occiderit Milo, una ratio fuit; alia, quod hostem reipublicae et tyrannidis affectatione succensum se interemisse memorabat. In quibus assertis fit quidem qualitas, sed diversae species ejus erumpunt; nam prima relativa, altera comparativa qualitas fulget. Quod si

conflictu] Ciceronis haec verba sunt (invent. 1, 8), quae tamen Quinctilianus (3, 6, 4) reprehendit.

admissi] Nimirum facti, pro *commissi*. Non Justinus solum (13, 2; p. 394 Gron.) »*admittere* facinus« scripsit; sed Ciceronianum (de fin. 1, 1) etiam est: »quod semel *admissum* coërceri.«

non occiderit] Optime Augustinus (p. 294. 295 Pith.): »E duobus, dicto et responso, vel *intentione* et *negatione* media nascitur quaestio hoc modo: intentio est *occidisti;* negatio *non occidi*; quaestio *an occiderit?*«

conjectura] Si de veritate facti quaeritur, *conjecturis* utitur orator (Cic. de invent. 1, 8). Uberius hac de re Sulpicius Victor (in Pith. rhetor. p. 250), cujus verba operae pretium erit hic subjungere: »*Conjecturae* status ex negatione, per quem factumne sit quaeritur; *conjectura* appellata, quia conjiciendo et argumentando ad veritatem necesse est pervenire. Hoc ejus est proprium, quod quae ponuntur in causa non ipsa sunt crimina, sed criminum signa. Ut si reus sit dives adolescens, affectatae tyrannidis, quod arcem praetereiens fleat. Non enim quod illam transeat, vel quod fleat, crimen est; sed haec signa sunt, quare tyrannidem affectare videatur. Dividitur conjectura perfecta locis his: probationum expetitione, facultate, voluntate, a summo ad imum, aliquando jure absoluto, derivatione, veri simili probatione.«

occiderit Milo] Ita Monacensis (C), non *occiderat*, ut in editis.

intentioni non jus facti, sed negatio nominis opponatur, quamvis negatio depulsionis vice dicatur, tamen non faciet conjecturam, quia non factum, sed nomen facti destruitur; ut in hoc: adulterii actio sit; quum repudiata uxore stupratorem qui repudiaverat maritus invenit, accusat adulterii; reus contradicit, nec factum negat, sed adulterii nomen excludit, et quaeritur quid sit
152 adulterium, quod est definitivae controversiae. Igitur conjectura ipsius facti negatio est; finis non admissi sed nominis, idcircoque etiam depulsio ingesti criminis, quia quum facto aliud nomen imponitur, imminens objecto crimini periculum denegatur; ut in hoc objectu: pocula templi e sacerdotis domo furatus es, sacrilegium fecisti; repellit: pocula quidem abstuli, sed quia de domo, non de templo, furtum, non sacrilegium nuncupandum. In quo etiam facti alta quaedam videtur esse negatio, non enim hoc ad deorum injuriam spectat admissum, sed ad dispendium sacerdotis, quum de domo pocula subtrahantur. Hic utraque factum definitione tractandum, id est, et

nominis] Sequitur apud Grotium: »ut adulterium non feci«; ad quae observat: »Haec quatuor voces in meo codice desunt, etiam in Lugdunensi et Basileensi, et sane verisimile est non esse hic genuina.« Neque in anterioribus editionibus leguntur, quare omisi.

definitivae controversiae] Cicero (de inv. 2, 17): »Quum est nominis controversia, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio *definitiva* dicitur.« (Add. Quinctil. 7, 3, 11; p. 92 Spald.).

objecto crimini] Codex quidem Monacensis (C) »objectio criminis«; sed perperam, quia *periculum* sequitur, quod in omni criminatione summum est. Exemplum, quod additur, de sacrilegio adhibuit et Cicero (de invent. 1, 9): »si quis sacrum ex privato surripuerit, utrum fur an sacrilegus sit judicandus.« Paulo aliter Quinctilianus (3, 10, 39): »privatam pecuniam sustulisti, sed quia de templo, non furtum sed sacrilegium est« (adde 3, 6, 38 et 40. 4, 2, 8 et 68. 7, 3, 9 et 21).

alta] Hanc lectionem jam Grotius ad marginem posuit, legiturque in Reichenaucnsi, Darmstattensi, et aliis libris scriptis ab Oudendorpio (ad Appul. I. p. 245) laudatis, pro *alia* in editis. Intellige *reconditam*, ut apud Virgilium (Aen. 1, 209):

— — »*premere* altum *corde dolorem*«;

et »*altissima* eruditio« apud Plinium Secundum (epist. 4, 30, 1).

utraque] *Utraque* dixit adverbiali forma: ut enim *utrinque*, quum hinc et illinc respondit, et *utrobique*, quum hic et illic; sic *utraque* quum hac et illac. Gron. — Equidem hoc adjectivum ad nomen *definitione* refero. De facto enim *utraque definitione*, »quid sit sacrilegium, et quid furtum« tractandum esse dicit. Cicero ad idem exemplum observat: »necesse erit *definire utrumque*, quid sit fur, quid sacrilegus«, itaque nec illa lectione opus erit, quam in margine posuit Grotius: »in utroque.«

quid sit sacrilegium, et quid furtum. Nunc de qualitate dicendum, cujus 453
multiplex natura divisionem partium primo desiderat, ut ea decursa singularum proprietas explicetur. Qualitas igitur aut de re, aut de actione est. De re, quum ejus facti, quod in judicium venit, ratio causave tractatur, vel quum quid fieri oporteat disceptatur, ut an jure Clodium Milo jugulaverit, vel an domus Tullio restituenda fuerit. De actione autem, quum quaeritur, an admittenda sit actio et judicium faciendum; quae pars quoniam juris aequitate perpenditur, recte eam in species qualitatis subtilius aggregamus, aliam autem, quam Hermagoras quasi constitutionem novam a qualitate distinguere et translationem vel praescriptionem vocare maluerat. Sed haec posterius. Qualitas ut futuri temporis aestimata, ita et praeteriti: praeteriti juridicialis, 454
futuri negotialis. Qualitas in utroque juris assertio est; in juridiciali naturae, in negotiali legis aut consuetudinis asserta versantur. Juridicialis autem dividitur in absolutam et assumtivam. Absoluta est, quae factum ipsum sui natura et jure defendit; assumtiva, quae quum in facto ipso nihil probabile reperiat, confugit ad ipsam causam, eamque justam, ut facere deberet, allegat: ut quum Milo non potest dicere hominem licuisse jugulari, causam

nunc de qualitate] Vulgo praemittebatur inscriptio: »Qualitas est quum qualis sit quaeritur«, Grotio tamen recte notante: »Titulus hic ex Dialectica huc translatus, sed perperam«; quapropter quum a codice quoque Darmstattensi eam abesse vidissem, omittendam censui.

Hermagoras] De eo supra jam actum est (ad §. 444). *Translationis* eum inventorem et Cicero appellat (de invent. 1, 11) et Quinctilianus (3, 6, 60), quanquam semina ejus quaedam citra nomen ipsum apud Aristotelem reperiantur (confer Spald. p. 520). Adde et Curium Fortunatianum (p. 45 Pith.): »rationales status secundum *Hermagoram* quatuor, conjectura, finis, qualitas, et translatio; sed *translationem* tantundem accipimus legalem, quoniam nulla *translatio* id est *praescriptio* sine lege potest esse.«

a qualitate] Correxi locum in editis corruptum e codice Monacensi (C), tam *a qualitate* pro *aut qualitatem*, quam *praescriptionem* pro *perscriptionem* scribendo. De *praescriptione* supra jam egi (ad §. 446).

juridicialis] Restitui vocem *praeteriti*, quam Grotius iterare neglexerat, e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi. Praeterea monendum, paulo ante pro *posterius* Grotium margini adscripsisse *posterior*, quod tamen non placet.

dividitur] Haec distributio apud Auctorem ad Herennium (1, 15) et Ciceronem (de invent. 1, 11. 2, 23 et 24) fere iisdem verbis exstat; quae quum

occidendi adstruxit insidias Clodianas. Illic assumtivae nomen accepit: quia quum absolute factum tueri non possit, confugit ad causas. Haec igitur assumtiva partes habet quatuor: relationem, remotionem, comparationem, concessionem.
455 Relatio est, quum de facto confesso culpam in eum qui pertulit refert, ut in Clodium Milo, Orestes in matrem, Horatius in sororem, qui idcirco a se
456 perhibuit jugulatam, quia ejus provocatus injuria in facinus sit coactus. Remotio est, quum objectum crimen in alterum vel in aliud ab eo qui percellitur removetur. In alium, ut Tiberius Gracchus in Mancinum, qui auctor faciendi foederis fuit, quod tam senatus quam populus improbarat. Item in alia causa: legatus nisi intra triginta dies profectus fuerit, capite plectatur. Quaestor sumtum legato non dedit, tempus emensum est. Accusatus contradicit et crimen objectum removet in quaestorem. In aliud autem removet, si morbo tardatus in infortunium suum causam removeat tarditatis. Remo-

in omnium manibus versentur, exscribere ipsa necessarium non fuit.

assumtivae] Grotius edidit *assumptive* sicut anteriores, correxit tamen in notis, adstipulante nunc codice Reichenauensi. Sed praeterea vide ne *illinc* pro *illic* legendum sit.

relatio] Auctori ad Herennium (1, 15) est *translatio;* noster cum Cicerone facit, quocum et Orestis (de invent. 1, 15) et Horatii (ibidem 2, 26) exemplum commune habet. Utroque et Quinctilianus saepissime utitur (3, 6, 76. 3, 11, 4. 4, 2, 7. 5, 11, 12 et 18) pariter ac Milonis, praesertim quum ipse Cicero (pro Mil. 3) hujus causam cum illa Horatii (apud Livium 1, 26) comparaverit.

qui percellitur] Rem, ὁ διωκόμενος. Gnor. — *Percellere* idem est quod *in capitis discrimen adducere*, ut saepe apud Tacitum (ann. 4, 31. 14, 57; hist. 2, 54. 3, 36). Eandem ob causam et paulo supra (§. 455) scribendum esse videri possit *qui perculit*, modo ibi de *accusatore* sermo esset; sed quum vel Clodius vel Clytaemnestra vel Horatia *percellere* interfectores suos amplius non potuerint, cautius duxi servare *pertulit*, quia *perferre* etiam de patiendo dici potest.

foederis] Numantini, de quo et Cicero (Brut. 27). Plura dabit Plutarchus (in vita Tib. Gracchi), Vellejus (2, 1, 3), Appianus (Hispan. 83), alii. Celebratum rhetoribus argumentum fuisse probat Quinctilianus (3, 8, 3. 7, 4, 12).

alterius vitio] Delevi auctoritate codicum Darmstattensis et Monacensis (C) illud *quid*, quod sequitur apud Grotium, siquidem *factum* praecedit.

legatus] Huic quoque exemplo ansam dedit Cicero (de invent. 2, 29): »causae remotionis hoc nobis exemplo sit: Rhodii quosdam legarunt Athenas. Legatis quaestores sumtum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur.« Sed propius ad nostrum accedit Curius Fortunatianus (p. 47 Pith.). Ceterum lectionem vul-

vetur vero aut ipsum factum, si ad alterius pertinuisse dicitur potestatem; aut causa, si alterius vitio quid accidisse dicatur. Comparatio est, quam compen- 457
sationem novi a posterioribus perhiberi, non quum crimini beneficium alterius temporis subrogatur, sed quum factum jure defenditur, ut ex eo aliquid commodi sequeretur. Nam si meritum alterius temporis velut in compensationis gratiam memoratur, ad deprecativam potius admovendum est qualitatem, quae veniali specie continetur; haec vero rite se fecisse contendit, ut Verris illa responsio: magno, inquit, decumas vendidi; quod factum compensat utilitate beneficii. In hac quippe parte facti confessio est, sed immanitatem objectionis excludit allegatio promerendi; at in illa criminis factique una confessio est, sed aut ab animo separatur, aut purgatione cessante ad humani- 458
tatis miseranda respirat. Verum hac qualitas venialis in bina asserta discernitur, in purgationem et deprecationem. Nam purgatio est, quum confesso facinore animum voluntatemque purgamus; cujus modos tres esse non dubium est, imprudentiam, casum, necessitatem. Imprudentia est, quum a voto scientiaque nostra aliquid dimovemus, ut: quidam in venando jaculum intorsit

gatam mutavi e codice Monacensi (C) scribendo *fuerit* et *plectatur* pro *erit* et *puniatur* in editis.

compensationem] Sic Marius Victorinus (p. 117 Pith.): »Primo debet dicere *feci sed profui*, et probare plus se profuisse quam obfuisse; quae est qualitas *compensativa*, quam ideo Cicero *comparationem* vocat, quod comparetur id quod in crimen vocatur ad id quod se reus profuisse dicat.« Adde eundem (p. 212) et Sulpicium Victorem (p. 267. 268). Noster Ciceronem (de invent. 1, 11. 2, 24) sequitur, qui: »*comparatio* est, inquit, quum aliquod factum, quod per se ipsum non sit probandum, ex eo cujus id causa factum est defenditur.« Graece *ἀντίσταβιν* dici auctor est Quinctilianus (7, 4, 12).

veniali specie] Ita fuit in MS. Gnor. — Legebatur enim in editis *venialis*. Est autem quam supra cum Cicerone (de invent. 2, 31) dixit *concessionem*, cujusque partes mox (§. 458) latius enarrat. »Venialem statum« dixit et Servius (ad Aen. 4, 325). De re ipsa vide Platnerum (in libello laudato p. 29 sequ.).

Verris] Repetiit ex Cicerone (act. Verrin. II, 3, 16).

ab animo] Animus hic voluntatem significat, ut apud Quinctilianum (7, 4, 15): »non nunquam *male fecisse* nos sed *bono animo* dicimus.«

tres esse] Ita praeter Ciceronem vetus etiam scholiastes ad orationem pro Ligario (edit. Graev. III. 2; p. 161): »status venialis per casum, per imprudentiam, et per necessitatem: omni igitur parte consistit.« Ceterum codicis Monacensis (C) auctoritate delevi *id*, quod post *dubium* erat apud Grotium.

ut quidam] Restitui *ut* ex codicibus Monacen-

in beluam, et hominem delitescentem retibus interemit; quae pars error dicitur, atque ei subduntur ignoratio, vinolentia, oblivio, fatuitas, dementia, ceteraque, quae errorem admittentis excusant. Casus vero culpam eventus exonerat, ut: qui cum victimis ad diem sacrum non occurrerit fluminis incrementis. Scelus autem necessitate commisit, qui praecepto ducis insontem hominem jugulavit. Inter quos modos hoc interest, quod imprudentia fallit, casus prohibet, necessitas cogit. Deprecatio autem nihil causationis associat,
459 sed in exorandi humilitatem precesque suspirat. Ceteras quaestiones, quas status dicunt incidentes, advertant, qui talium didicerunt, sic ut interius demonstrationem formet primae vocis ingestio. Plerumque enim secunda vim intentionis incutiet, ut in hoc: Viro forti praemium, quod volet; qui fortiter fecit, petit praemium nuptias uxoris alienae. In quo qui petit praemium, quia nullum putat e diverso, nihil intendit, sed maritus contradictor intendit, licet secundo loco videatur assurgere; cui per depulsionem vir fortis obstabit

sibus et Darmstattensi, quod Grotius omiserat, licet in antecedentibus editionibus exstaret.

subduntur] Confer omnino Ciceronem (topic. 16): »Ea quae fiunt partim sunt ignorata partim voluntaria; ignorata quae fortuna effecta sunt, voluntaria quae consilio. Nam jacere telum voluntatis est, ferire quem nolueris fortunae. Cadunt etiam in ignorationem atque in imprudentiam *perturbationes* animi, quae quanquam sunt voluntariae, tamen habent tantos motus, ut ea quae voluntaria sunt aut necessaria interdum aut certe ignorata videantur.« Ejusmodi purgationem continent illa Terentii (adelph. 3, 4, 25):

»*Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia.*«

Adde Demosthenem (adv. Mid. 11): τρεῖς εἶχέ προφάσεις, μέθην, ἔρωτα, ἄγνοιαν, διὰ τὸ νυκτὸς καὶ σκότους γεγονέναι· et Senecam (exc. controv. 7, 8): »nox, vinum, error, quid irasceris puella? jam non negat.«

qui cum] E Lacedaemoniorum lege hoc exemplum in medium protulerat Cicero (inv. 2, 31 et 42).

deprecatio] Ea Ciceroni (invent. 2, 34) est »in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur«; Quinctiliano (5, 13, 5; p. 536 Spald.) »quae est sine ulla specie defensionis.« Confer eundem inferiori loco (7, 4, 17 et 18 p. 118) et Cassiodorum (Op. p. 534 Gar.).

talium] Perobscurum hoc est nisi ellipsin hic statueris vocis *rationem*, aut similis. De incidentibus vide supra (§. 445); sed totus locus tantis tenebris involutus est, ut ne de lectione quidem statuere audeam, siquidem pro *ingestio* Darmstattensis codex habet *insertio*; id tantum apparet Martianum sibi velle, in quaestionibus incidentibus saepe partes mutari ita, ut qui primus intenderit, mox depellendi negotium nanciscatur, intendat autem is, cujus proprie secunda vox fuisset.

viro forti] Vide Senecae, Quinctiliani, Calpur-

tanquam petitionem praemii quod poposcerat accusanti, praemium justum esse contendens, tanquam si factum aliquod jure tueretur. Item quaestiones legales, 460
quas tanquam status causis incidere memoravi, principalium quaestionum intentione vel depulsione non eadem regula percensentur, quippe quae in secunda conflictatione prorumpunt. Nam prima qualitati tribuitur; igitur illa intentionis ac depulsionis regula in qualitatis praedicta parte turbatur.

DE EXAMINATIONE, ID EST, JUDICIALI GENERE.

Nunc *τὸ κρινόμενον*, quod Graeci dicunt, consequenter assumam. Nam 461
quum intentio et depulsio statum constitutionemque signaret, si conjectura fuerit, judicationi praebebit pariter rationem, neque enim est quod possit ponderari judicio nisi ipsa negatio; in qualitate vero vel fine alio loco quam status apparet, necesse est confessa depulsio facti habeat rationem, quam item accusator infirmet, et velut secundaria quaestio procreatur per rationem impugnationemque rationis. Hic illud judicabile posse versari, idque esse quod

niique controversias, in quibus saepe hanc legem invenies: erat enim in declamationibus scholasticis usitatissima. Alicubi non de uno, sed duobus praemiis fit mentio. Gnot.

accusanti] Sic Monacensis (C). Grotius *accusati* edidit, veriorem lectionem in marginem conjecit. Construendum: »cui (marito) tanquam accusanti petitionem praemii vir fortis obstabit per depulsionem (accusationis) contendens praemium justum esse.«

τὸ κρινόμενον] Latine *judicationem* vertunt Auctor ad Herennium (1, 16) et Quinctilianus (3, 11, 1. 5, 14, 28. 6, 5, 1 et 3.); Trebatius autem jurisconsultus (Quinctil. 3, 11, 18) et Cicero (topic. 25) appellant »qua de re agitur«; alioque loco Cicero (orat. 36) »in quo quasi certamen est controversiae.« Similiter Hermagoras *κρινόμενον* appellaverat id de quo contenditur (Augustin. p. 295 Pith.). Curius Fortunatianus (p. 39 Pith.) »id de quo judicandum est.«

judicio] Codex Monacensis *judicatio*. Sed judicatio non ponderatur, negatio ponderatur judicio, in statu nimirum conjecturali; in reliquis enim ratio accedit.

procreatur] Anteriores editiones habebant »per *confirmationem* impugnationemque rationis« melius certe quam Grotius edidit *per infirmationem;* sed veram lectionem ex Darmstattensi codice restituisse mihi videor *rationem;* inde enim quaestio procreatur, quod ab altera parte ratio proponitur, ab altera impugnatur. Ceterum impeditissimum locum esse non nego, quem ita intelligendum censeo: »negatio in qualitate, vel fine, alio quam status loco apparet: necesse est (ut) confessa depulsio facti (vel potius depulsio facti confessi, quod reus ipse non neget, sed alio convertere conetur) habeat ra-

aestimator justi ratione perpendat, posse in quavis causa et omnes status exsistere, et multae rationes, infirmationesque numerosae, perindeque judicationum semina copiosa; quum unum videlicet factum multiplici ratione defenditur, ut Tullius pro Milone, quod insidiatorem et quod hostem publicae quietis occiderit. In his igitur ille status potius apparebit, quem orator pro utilitate defensionis sumserit. Illa etiam ratio ex oratoris plerumque adstructione colligitur, tuncque velut rationales alii status emergent, ac sic ad pro-
462 bationes scriptura profertur. Hinc judicatio legalis orietur, cujus species sunt quinque. Una est, quum scripto aliquid plurave ambigua continentur, quae a Graecis *ἀμφιβολία* memoratur, ut ex communione nominis res plerumque confunditur, ut est istud: Quidam taurum legavit, quo nomine servum habuerat admodum pretiosum. Verum illi heres taurum, hoc est bovem dedit, quia fecit nomen amphibolum quaestionem. Item ex nominum distinctione per syllabam, ut qui habuerit propinquos duos, unum Lesium nomine, aliumque Milesium, heredemque constituens sic locutus est: heres esto mi lesi; qua distinctionis ambage certamen exortum, dum heres esto mi distinguit qui Lesius dicebatur, alius vero continua nominis jugitate Milesium

tionem, quam item (vicissim) accusator infirmet, et (inde) velut secundaria quaestio procreatur« cet.

velut rationales] Sic codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis (C); Grotius male »velut *rationes*«, ut paulo ante *autem* pro *etiam*, quod restitui ex anterioribus editionibus codicibusque dictis.

quinque] Hae sunt quas *de scripto* controversias Cicero appellat, quarum prima est *ex ambiguo* (de invent. 2, 40 et 41), altera *ex scripto et sententia* (42—48), tertia e *contrariis legibus* (49), quarta *ex ratiocinatione* (50), quinta *ex definitione* (51).

ἀμφιβολία] Grotius quidem *ἀμφιβολογία*, quod per syncopen explicandum foret pro *ἀμφιβολολογία*: ego vero codices secutus sum Reichenauensem et Monacensem (C), qui cum Cicerone (ad div. 7, 32), Auctore ad Herennium (2, 11), Quinctiliano (7, 10, 5; p. 164 Spald.), et Isidoro (etym. 1, 34, 13; p. 54 Arev.) faciunt.

distinguit] Inde apparet tum, quum testamentum illud scriptum fuerit, omnia continua serie notata, neque verba inter se divisa, neque nomina propria initialibus literis distincta fuisse. Exempla similia multa exstant in jure Romano (ut in titulo de rebus dubiis, et in l. 30 de testam. tutela); sed quod noster de Lesio aut Milesio herede attulit, a Curio Fortunatiano (p. 52 Pith.) mutuatus esse videtur. Alia vide apud Quinctilianum (7, 9, 3; p. 155 sequ.).

dicit heredem. Sunt item modi, quos dialectica comprehendit adstructio. Item 463
species scriptionalis est quaestionis, quae ex verbis et sententia scriptionis emergit, ut in hoc: Peregrinus murum ne adscendat. Quidam obsessa civitate conscendit, hostemque dejecit. Arguitur. Hic reus legis sententia, verbis nititur accusator. Tertium quaestionis est genus, quum contrariae leges 464
utrinquesecus colliduntur, ut in illo: Mas templum Cereris ne ingrediatur. Item, qui parentibus opem non tulerit, puniatur. In templo Cereris vapulanti matri ingressus opem filius tulit. Accusatur. Facit hic conflictum diversitas legum, quarum interpretatio colliditur, ut cui potius auscultandum fuisset appareat. Quarta de scripto quaestio est, quae dicitur syllogismus, 465
quum ex eo quod scriptum est aliud quoque quod non scriptum est argumentatione colligimus; ut in hoc: Exsulem intra fines deprehensum liceat occidere. Quidam inventum exsulem verberavit. Accusatur. A defensore colligitur, quod minus permisso sit fieri debuisse. Huic insunt modi quatuor, a simili, a consequenti, a majore ad minus, a contrario. A simili ita, ut quia patris interfector culleo insuitur, haec poena manere debeat matricidam.

peregrinus] Idem argumentum exstat apud Quinctilianum (4, 4, 4; p. 152 et 7, 6, 6; p. 142 Spald.), Curium Fortunatianum (p. 42 et 52), et Sulpicium Victorem (p. 253 Pith.).

mas] De Cereris templi introitu maribus interdicto vide Livium (31, 4), Ciceronem (in Verr. 4, 45 et 5, 72), Lactantium (2, 4), ac Macrobium (in Saturnal. 1, 24). Sed exemplum noster mutuatus est a Curio Fortunatiano (p. 45 Pith.) vel Sulpicio Victore (p. 274). Aliud de legum conflictu vide apud Ciceronem (de inv. 2, 49).

liceat occidere] Non cuivis jure Romano; sed praesidi provinciae (l. 26 C. de poen.), apud Athenienses autem archontibus (Pollux 8, 80). Exemplum, quod noster affert, iterum a Curio Fortunatiano (p. 53 Pith.) petitum est. Simile est apud Quinctilianum (declam. 305): »duos pauperes dives inimicos suos imprudentis caedis quinquennii exsilio damnatos intra fines deprehensos dimicare inter se datis gladiis coëgit. Commortui sunt. Accusatur injusti supplicii.«

fieri debuisse] Lege: »fieri *licuisse*. Nam *decuisse* scriptum fuisse vix est ut credam. Gnot. — Corrigere ex ingenio non ausim, quum hic sensus esse possit, eum qui quod minus permisso sit fecerit, officium non violasse.

culleo] De hac lege vide Auctorem ad Herennium (1, 13), Quinctilianum (7, 8, 6; p. 153 Spald.), Ciceronem (de invent. 2, 15 et 50), et Suetonium (in Aug. 33). Verba Modestini (in l. 9 D. de lege Pompon. de parric.) haec sunt: »Poena parricidii more majorum haec instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, et si-

A consequenti sic: Tyrannicidae praemium. Qui suasit tyranno deponere dominatum, praemium petit. Colligit par esse meritum, quia reddidit libertatem. A majore ad minus; supra dixi enim, si exsulem permittitur jugulare, licet etiam verberare. A contrario: si vir fortis meretur praemium, desertor
466 dignus est poena. Finitiva superest quaestio de scripti ambiguitate demanans, quum aliquod verbum in lege vel testamento dubium est et definitione claresci, ut: Nocte cum telo deprehensum liceat occidere; quendam cum fuste nocte deprehensum magistratus occidit; reus est caedis. Lege se quidem tuetur, sed telum quid sit inquiritur. Quod quaestionis genus hoc a principalibus differt statibus, quia non de facto, unde orta causatio est, sed de scripti tantum definitione disquiritur. Discutitur igitur, ab his legalibus status principales esse discretos, et hos incidentes dici; illos autem, a quibus causa nascitur, vel constitutiones vel status certius appellari.

DE GENERE DELIBERATIVO.

467 Jam nunc decursis constitutionibus controversias deliberativi et demonstrativi generis videamus. Nam et causarum tria genera esse dubium non est, et in omni causa statum debere versari, licet in deliberativo quidam

mia; deinde in mare profundum culleus jactetur« cet. Confer recentiorem quoque legem (eod. de his qui parentes cet.) et Valerium Maximum (1, 15).

magistratus] An praefectus vigilum? Gnor. — Certe si de urbe Roma sub imperatoribus cogitemus; si de liberae reipublicae temporibus, unus e triumviris nocturnis (Plaut. Amphitr. 1, 1, 5); sed quum haec declamationum argumenta pleraque in Graecia inventa esse videantur, praestat de thesmotheta Atheniensium accipere, quos curam nocturnae securitatis habuisse e Demosthene (adv. Mid. 11) notum est.

telum] Jure nostro etiam fustis telum est. Inst. de publ. judiciis §. Item lex Cornelia de sicariis: et sic Paulus respondit ff. ad l. Juliam de vi publica l. Hi qui aedes §. Telorum. Gnor. — Neque in institutionibus (§. 5 de public. judic.), neque in altera, quam laudat, lege (ad l. Jul. de vi publ. 11 §. 1 cum qua conf. l. 9) *fustis* inter tela refertur. Legem potius e digestis (54 §. 2 de furtis) in medium proferre debebat, qua »*teli* appellatione et *fustis* venit.«

deliberativo] Confer Ciceronem (invent. 2, 51 sequ.), Auctorem ad Herennium (3, 2), et Quinctianum (3, 4, 7 et 15; p. 454 et 461. 3, 8, 1; p. 561 Spald.).

quidam] Sic e Grotii codice legendum pro *quandam* in editis.

qualitatem negotialem consistere, quod de futuro deliberat, existimarint; tamen ita qualitas plerumque censenda est, ut alii quoque status huic generi posse accidere non negentur. Nunc status in talibus ita reperiri posse firmamus, ut non ex intentionis depulsione, quemadmodum in conflictibus monstratum est, regulam teneamus. Quid enim, aut quis intendet, vel ordine soluto persuasor dissuasorve confligent, quum alterum deligere in adstructionibus non vetemur? Sed tamen accusatoris partes dissuasor videtur arripere; qui enim inhonestum vel inutile illud quod dissuadet ostendit, pro certo ipsum videtur accusare negotium; persuasor vero partes arripit defensoris, et negotii tractatum qualibet objectione contrarietatis absolvit. Ex quo et dissuasor intendere, et persuasor depellere memorandi. Ac sic conflictione partium facta status poterit apparere, ut in alia causa: Crebro ad muros exercitu fugiente deliberat imperator utrum diruat muros. Muros exscindi quum dicit, nonne videtur si fecerit accusare? Deinde graviter et seditiose id exercitum perpessurum; in quo conjectura fiet de commotionis eventu. Ac mox si dicat victoriam non vocandam, si praesidium civitatis exscinditur; finis accessit. Definiendum quippe qualis status moenium victoriam faciat celebrari. Tunc si dissuasor addat, sine consilio senatus id fieri non debere, praescriptio etiam videtur accedere. Certum est igitur et intentionem dissuasori jure signari, et in deliberativis cunctos status promtius apparere. Sciendum tamen, ne dissuasor velut sen-

soluto] Lege *solito*. Gnot. — Quidni *soluto*? Namque tam antecedentia, quam subsequentia vulgarem defendunt lectionem. Profecto »si quis *alterum* ordinem deligere non vetetur«, quae sunt verba Martiani, ordo *solutus* est, neutiquam *solitus*! Hinc correxi etiam paulo post e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi verba: »ex quo *persuasor* intendere et *dissuasor* depellere memorandi.« Rectius enim nunc leges, *soluto* nimirum ordine, *persuasorem depellere* (recusare) et *dissuasorem intendere* (accusatorem agere). Intentionem enim noster (§. 474) rationem, depulsionem autem infirmationem rationis appellat. Conferre etiam licet Marium Victorinum (p. 212 Pith.).

crebro] Curio Fortunatiano (ap. Pith. p. 47) hoc quoque exemplum deberi videtur, licet ibi non ad deliberativum sed ad judiciale genus relatum sit: »miles ex acie ad muros confugiebat; imperator muros diruit, victoriam reportavit; reus est laesae reipublicae.«

in deliberativis] Sic codex Darmstattensis melius certe quam *deliberativi* in edilis.

tentiam dicens prohibeat tanquam judex, quum ejus officium hoc sit, ne faciat persuadere, inhonestae rei vel inutilis ratione monstrata.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

468 Jam nunc in demonstrativo quemadmodum status emergat, non est facile memoratu idcirco, quia non statim laudem vituperatio consectatur, ut, quisquis laudabilis non est, vituperabilis habeatur, vel contra, qui vituperatione caruerit, laudibus fastigetur, ut si laudandus ex eo quis dicatur, quia homicidium non commisit. Est ergo medium nomen, quod privationem placuit memorari, propterea quia, qui laude privatur, non confestim vituperationi permittitur, vel contra. Hic tamen status demonstrativi generis apparet, quum laudatorem vituperatoremque constituens et vituperatori accusatoris intentionem, laudatori defensoris partes adjunxeris; aut illud subtilius conformatur, ut auditor inter laudem et vituperationem libratus velut adversanti loco ponatur.

ne faciat persuadere] Ait dissuasoris officium esse persuadere, ne alter hoc faciat, probans rem esse inhonestam, ac si inutilem ostenderet. Neque vero nolim *vel inutilis* legi, cum videam in MS. ita exaratum fuisse. Gnot. — Adstipulatur codex Monacensis (C), unde *vel inutilis* reposui pro *velut inutilis*, quod in editis erat.

fastigetur] Silius:

— — — »*mediamque per alvum*
Sensim fastigans *compressa cacumina nectit.*«

Sic supra:

»*Ut* fastigetur *longa brevisque fuat.*«

Alii auctores *fastigiare* dicunt. Gnot. — Mox recte Grotius pro *laudabilis*, quod in anterioribus erat, edidit *laudandus*, concinuntque nunc codices Monacensis (C) et Darmstattensis.

quia qui] Lege »quia qui.« Error est ex repetitione literarum licet interjecta litera: similis error in illo Proculi fragmento, quod citatur D. de officio praesidis, quod ita sonat: »sed licet is, qui provinciae praecst, omnium Romae magistratuum vice et officio fungi debeat, non tamen spectandum est, quid Romae factum est, quam quid fieri debeat« l. non tamen tam. Sed nec illae negligendae censurae eo in loco eleganter κατ' ὑφὲν dici *Romae magistratuum* pro *magistratuum Romanorum*, τῶν ἐν Ῥωμῇ ἀρχόντων ἢ πρυτανευόντων. Et hoc quidem obiter. Gnot. — In editis enim *qui* omissum erat. De privatione vide supra (§. 386).

hic tamen] In editis »sic tamen«; ad quae Grotius: »In meo MS. *aliter* fuit, refert autem doctissimus juvenis F. Tiliobroga in MS. quo ille usus est, qui ubique paene cum meo concordat, fuisse *hic*.« Gnot. — In Darmstattensi quoque legitur *hic*, quod recepi. Mox pro *constituens* necessario legendum *constitueris*, nisi *et* tollere malueris; sed neutrum in codice vidi.

Non enim antequam laudandum quendam, laudabilem demonstraris; nam illi talis intentio est, ut laudabilem nondum credat; adversum quam intentionem laudatori certamen est vel vituperatori, licet in superiori adstructione quidam conflictus evidens approbetur; ut quum alius quempiam laudat et alter accusat, ut Catonem Tullius laudans et duobus voluminibus Caesar accusans. Ex quo colligitur omnium causarum genera statibus percensenda.

Hoc reperto, naturam causae discutiet, quae aut simplici aut duplici quae- 469
stione aut multiplici continetur. Simplex est, quum unum quid in tota actione disquiritur, ut: Clodium Milone jure necaverit? Illud vero quod per judicationem posteriore loco disquiritur, uter utri insidias compararit, non est singulare, sed junctum ex duplici conjectura, quam Graeci *ἀντικατηγορίαν* nominant; sed incidens quaestio genus causae facere non potest. Duplex tum ex rebus fit, ut pro Caelio de auro et veneno; tum collatione, ut pro Roscio, filiusne patrem an inimici jugulaverint? Multiplex vero ex pluribus quaestionibus causa consistit, ut repetundarum omnes Verrinae; et pro Scauro de Bostaris nece, de Arinis uxore, et decimis tribus exquiritur. Dehinc ductus causae 470

nam illi] Ita Grotii codex pro *non illi* in editis. Quae antecedunt, sic accipias: »Non enim *laudabilem* quemquam demonstraris, antequam *laudandum* eundem scil. ostenderis.«

Catonem] Vide Ciceronem (ad Att. 12. 40. 41 et 13, 44; top. 25) et Gellium (13, 19).

hoc reperto] Cicero (de invent. 1, 12): »constitutione causae reperta placet considerare, utrum causa sit simplex an conjuncta« cet.

uter utri] Lege *ut uter utri*. Ex repetitis literis erratum. Gnot. — Ego vero nullum hic esse erratum censeo, et omnino superfluam correctionem. Quodsi hoc loco corrigere volebat Grotius, cur non supra (§. 443 f.) etiam, ubi Martianus: »incidens (quaestio) *uter utri* insidias compararit«?

ἀντικατηγορίαν] Meminit Fabius. Huic non absimile id, quod *ἀντέγκλημα* vocant, idque quod nostri jurisperiti *reconventionem*, Graeci *ἀντιγραφὴν* nominant. Gnot. — Plures apud Quinctilianum sunt loci conferendi (3, 10, 4; p. 612, et 3, 11, 6; p. 615. 7, 2, 9 et 18—26; p. 62—68 Spald.), ubi haec inter alia docet: »Interdum substituitur mutua accusatio, quam Graeci *ἀντικατηγορίαν* vocant, nostrorum quidam *concertativam*.« Ceterum *et* ante *quam* delevi codicum Monacensis (C) et Darmstattensis auctoritate.

de auro] Vide Ciceronis orationem pro Caelio (21 sequ.). Mox *collationem* dicit, quam Cicero (de invent. 1, 12) *comparationem*: »in qua per contentionem, utrum potius aut quid potissimum sit, quaeritur« cet. De oratione pro Scauro vide supra (§. 441) et nostro de loco inprimis Niebuhrium (ad fragm. oration. pro Fontejo et C. Rabirio p. 55).

ductus] Est quam Graeci *ἀγωγὴν* nuncupant,

adspiciendus est. Ductus autem est agendi per totam causam tenor sub aliqua figura servatus. Sunt autem ductus quinque: simplex, subtilis, figuratus, obliquus, mixtus. Simplex, quum non aliud est in agentis consilio, aliud in verbis, ut si bene meritum laudes ac noxium accuses. Subtilis, quum aliud vult animus, aliud agit oratio, ut: Quidam abdicat filium, quod amicos non habeat; hic non vere abdicat, sed ut amicos habeat, terret. Figuratus est, quum aperte quid dicere prohibet verecundia propter obscoena, et significatione alia atque integumentis vestita monstratur. Obliquus est, quum metus impedit aliquid dicere libere, et per quosdam fundi cuniculos objicienda monstramus; ut in hoc: Tyrannus, qui sub abolitione tyrannidem posuerat, fortiter fecit; petit praemii nomine armorum arcisque custodiam; magistratus contradicunt. Mixtus autem ex utroque componitur, quum et pudor et metus impedit libertatem, ut: Tyrannus qui duos filios habuit, quorum uni uxor in qua infamis fuit, cujus maritus se suspendit, cogit alterum filium eandem ducere;

id est constans quaedam dicendi atque scribendi ratio, quae per omnem materiam unum idemque consilium atque propositum servet. Ceterum neque apud Ciceronem neque apud Quinctilianum hac significatione legitur; primarius locus est Curii Fortunatiani (p. 41 Pith.): »quum cognoverimus materiem consistere, quid primo quaeramus? ductum. Quid est ductus? quomodo tota causa agenda sit« et sic porro, iisdem quibus apud nostrum generibus propositis. Mox *adspiciendus* dedi e codice Darmstattensi pro *inspiciendus*, quod in editis erat.

fundi cuniculos] Lege *fandi*. Gnor. — In editis legebatur *faciendi*; codices vero Grotianus, Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C) *fundi* habent, quod recepi, quia conjecturae Grotianae propius est, quam unice veram habeo, licet codicum auctoritate destitutus in ordinem recipere non audeam.

abolitione] Id est sub conditione impunitatis et oblivionis. Simile argumentum et Seneca tractat (exc. controv. 5, 8): Tyrannus sub abolitione dominationem deposuit, ut si quis objecisset tyrannidem, capite puniretur. Petit magistratum; competitor contradicit«; et Quinctilianus (declam. 267): »Qui tyrannidem deposuerat sub pacto abolitionis, juxta arcem flens deprehensus est; affectatae tyrannidis reus est.«

infamis] Lege »uxor in qua infamis fuit.« Ita enim Latini loquuntur pro »cum qua rem habuisse dicebatur, eoque nomine male audiebat.« Sic et Fortunatianus: »infamis quidam fuit in nurum.« Gnor. — Omnino Latina illa dictio est. Sic et Quinctilianus (9, 2, 79; p. 429 Spald.): »pater infamem in matrem filium occidit.« Codices etiam Darmstattensis et Reichenauensis habent *in qua*, unde quod in editis erat *iniqua* correxi. Prorsus autem simile thema exstat apud Senecam (exc. controv. 8, 3): »Duorum juvenum pater alteri uxorem

contradicit. Hic non est incestum libere, nec tyrannidem potest objicere. Hi 471
sunt ductus artificiose tractandi et per totam orationem subtiliter diffundendi;
qui a colore hoc separantur, quod color in una tantum parte, ductus in tota
causa servatur. Ductus reperitur ex causativo litis, hoc est ex re quae con- 472
troversiam facit, quae aut praeteriti temporis est, ut an Ajacem Ulysses oc-
ciderit, quae ductum simplicem tenet; aut si praesentis vel futuri temporis
fuerit, omnes ductus admittit. Ergo ductus de consilio nascitur; consilium
ex causativo litis exoritur; causativum litis est, quod faciat dubitationem, ut
in illo tyranni causativum litis est, quod tyrannus custodiam et arcis postulat
et armorum. Hunc ductum servatum testatur prima Philippica, qua mira
subtilitate dominatum Antonii latenter insimulat, ut omnia dicens nil aspere
dixisse videatur.

DE ARGUMENTIS.

His omnibus conquisitis argumenta videnda sunt, quibus ad quaestionis 473
ambiguum fides valeat adhiberi. Fides autem tribus fit modis: conciliando,

dedit; quo peregre profecto *infamari* coepit socer *in nurum*. Maritus reversus se suspendit. Imperat alteri filio pater ut eandem ducat; nolentem abdicat«; nisi quod noster tyrannidem adjunxit.

potest objicere] Aut *potest* glossema est, aut legendum: *hic non ei incestum;* sed prius malo, ut sit phrasis Graecanica »est objicere.« Gnor. — Codices nihil mutant.

colore] Confirmat hoc Quinctilianus (12, 10, 71; p. 673 Spald.): »non unus color prooemii, narrationis, argumentorum, egressionis, perorationis servabitur.« Ceterum de ipso colore videatur Cicero (de orat. 3, 25 et 52).

ex causativo] Subtilius Curius Fortunatianus (p. 41): »Ductum unde invenimus? ex consilio. Consilium unde invenimus? ex tempore. Ipsum tempus quomodo invenimus? ex causativo litis.«

Ajacem] Eodem exemplo post Ciceronem (invent. 1, 8, coll. Auct. ad Herenn. 2, 19) Quinctilianus (4, 2, 13; p. 66, et 5, 10, 41; p. 251 Spald.) usus erat.

fides] Cicero (partit. 9. 12. 13): »Quae ad faciendam *fidem* pertinent — in confirmationem et reprehensionem dividuntur. Nam in confirmando nostra *probare* volumus: in reprehendendo redarguere contraria.« Et alio loco (top. 2) *argumentum* definit »rationem, quae rei dubiae faciat *fidem*.« Adde Quinctilianum (5, 10; p. 226 Spald.), qui postquam in universum de *argumentis* dixit, quo nomine, inquit, »complectimur omnis, quae Graeci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vo-

docendo, permovendo; illa prior ethica, sequens apodictica, tertia pathetica nominatur. Conciliatione licet in tota causa uti conveniat, tamen in principiis uberius insistendum; et in commovendo maxime vigere debet epilogus; docere autem prae ceteris debet ipsa narratio, quamvis diluendis quaestionibus objiciendisque criminibus non dissimilis operetur adstructio. Nunc de argumentis
474 incipiam. Argumentum est ratio, quae rei dubiae fidem facit. Res dubia est intentio et depulsio, vel ratio et infirmatio rationis. Quum enim objeceris: occidisti, ut doceas argumentationem et firmationem, vis, maxime quum negatur etiam ipsum non occidi, exigit argumentum; licet ad faciendam fidem etiam illa, quae inartificialia nominantur, debeant adhiberi, ut tabulae, testimonia, quaestiones, quae post discutienda servabo. Nunc argumenta tractentur, quae aut in negotio, de quo agitur, posita sunt, aut illud attingunt.

cant« ita pergit (p. 233): »Haec omnia generaliter πίστεις appellant: quod etsi propria interpretatione dicere *fidem* possumus, apertius tamen *probationem* interpretabimur.«

tribus fit modis] Hoc ex Aristotele (rhetor. 1, 2) repetitum est: τῶν δὲ διὰ τοῦ λόγου πορι-ζομένων πίστεων τρία εἴδη ἐστίν· αἱ μὲν γάρ εἰσιν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος, αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως, αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι: unde et Cicero (orat. 2, 27): »ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut *probemus* vera esse ea quae defendimus, ut *conciliemus* nobis eos qui audiunt, ut *animos* eorum ad quemcunque causa postulabit *motum* vocemus.«

in principiis] Cicero (de invent. 1, 15): »*Principium* est oratio perspicue et protinus efficiens auditorem benevolum aut docilem aut attentum.« Plura vide infra (§. 502. 546).

epilogus] Multus est hac de re Quinctilianus (6, 2; p. 484 sequ.), quem vide, sed et nostrum infra (§. 504. 565).

quum enim] Lege: »quum enim objeceris *occidisti* ut doceas argumentatione, et firmatione maxime cum negatur etiam ipsum: ut *non occidi* exigitur argumentum. Gnor. — Locum non intellexit Grotius, quia librum edens intruserat verba »*firmatione vis.*« Intellexisset melius, si anteriores inspexisset editiones. Sed optimam lectionem e Darmstattensi codice hausi.

post discutienda] Vide infra (§. 560).

aut in negotio] Cicero (de orat. 2, 39): »Quid enim est in quo haereat, qui viderit omne, quod sumatur in oratione aut ad probandum aut ad refellendum, aut *ex sua sumi vi et natura*, aut *assumi foris?* Ex sua vi, quum aut res quae sit *tota* quaeritur, aut *pars* ejus, aut *vocabulum* quod habeat, aut quippiam, rem illam quod attingat; extrinsecus autem, quum illa quae sunt foris neque inhaerent in rei natura colliguntur.« Adde Topica quum ejusdem (cap. 2) tum Aristotelis, unde om-

In ipso tum totum, tum pars ejus, tum nota, quam Graeci ἐτυμολογίαν dicunt. Attingunt vero negotium, quae ad id relativorum ratione dicuntur; et sunt numero tredecim: a conjugato, a genere, a forma vel specie, a simili, a differenti, a contrario, a conjunctis, ab antecedentibus, a consequentibus, a repugnantibus, a causis, ab effectis, a comparatione, cujus sunt partes tres, majora, minora, paria. Apparet in omnibus relativam inesse rationem; nam conjugatum alterum alteri nominatur, et genus et species ad se relata fiunt; ipsum etiam simile alicujus assimile est, et omnes loci argumentorum non ex se sed ex alio nomen accipiunt.

DE DEFINITIONE.

Igitur totum, quod dubium discutitur, definiri primitus oportebit, et 475
sic argumenta tractare hoc modo: Sit res dubia, utrum utilis eloquentia videatur. Eloquentia totum est. In toto igitur definiendum est sic: eloquentia est bene dicendi scientia, bene dicere autem utile est, utilis igitur eloquentia.

nis haec disciplina fundamentum accepit, licet in singulis discrepet.

nota] Cicero (top. 8): »Multa etiam ex *notatione* sumuntur. Ea est autem quum ex vi nominis argumentum elicitur; quam Graeci ἐτυμολογίαν vocant, id est verbum ex verbo *veriloquium;* nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes genus hoc *notationem* appellamus, quia sunt verba rerum *notae.* Itaque hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod Latine est *nota*« (adde de fin. 5, 25). Eadem fere iterat Quinctilianus (1, 6, 28) additque »esse qui vim potius intuiti *originationem* vocent.«

tredecim] Totidem numerat Cicero (top. 3); sed alio loco (partit. 2) aliquanto confusius: »quae infixa sunt rebus ipsis« inquit »ut definitio, ut contrarium, ut ea quae sunt quasi conjuncta aut ea quae sunt quasi pugnantia inter se, ut carum rerum de quibus agitur causae aut causarum eventus, ut distributiones, ut genera partium generumve partes, ut primordia rerum et quasi praecurrentia, in quibus inest aliquid argumenti, ut rerum contentiones, quid majus, quid par, quid minus sit, in quibus aut naturae rerum aut facultates comparantur.«

loci] Cicero (top. 2): »Quum pervestigare argumentum aliquod volumus, *locos* nosse debemus; sic enim appellatae ab Aristotele sunt haec quasi *sedes,* e quibus argumenta proponuntur«; et alio loco (orat. 35): »traditi sunt e quibus ea (argumenta) ducantur duplices *loci,* uni e rebus ipsis, alteri assumti.«

quod dubium] Lege *quo dubium.* Gnor. — Causam non video; sensus est: »quod, quia dubium est, vel tanquam dubium discutitur.«

Cui loco tractando subsidio est Dialectica, quam nuper audistis, per quam cognitum puto, quid sit genus, quid species, vel differentia, proprium, accidens, ceteraque, quae ejus praecepta tenuerunt; tamen ut potero, haec breviter strictimque percurram.

DE GENERE.

476 Genus est igitur ad multas species differentiasque notio pertinens, ut animal, quod refertur ad hominem, pecudem, avem, piscem, ceteraque, quae non tantum numero sed etiam specie disparantur; quod alia aërea, alia aquatilia terrenaque, alia rationabilia, alia rationis expertia, quae sub uno nomine collecta quum fuerint, nomine generis appellantur.

DE SPECIE.

477 Species est, quae a genere pendens alia continet numero tantummodo discreta, ut homo continet et Demosthenem et Ciceronem, quibus una species est, sed numero distant.

DE DIFFERENTIA.

478 Differentia vero est sufficiens quaestioni discretio; ut si quaeratur, inter hominem leonemque quid intersit, respondeatur quod homo mitis, leo ferus sit; quod quidem nec hominem a mitibus ceteris, nec leonem a feris aliis distinguit animalibus.

DE PROPRIO.

479 Proprium est, quod rem aliquam ab omnium communione discernit, ut risus. Hoc enim non est homini commune cum ceteris.

quid sit genus] De his quidem supra affatim dictum est (§. 344); sed quia hic de rhetorico usu dicitur, confer et Quinctilianum (5, 10, 54 sequ.).

ab omnium] Incpte vulgo *ab hominum*, solemni confusione, cujus in locum substitui, quod Grotius jam scribendum intellexerat, e codicibus Reichenauensi et Darmstattensi. De re vide supra (§. 348) et confer Quinctilianum (7, 3, 27 sequ.).

DE ACCIDENTE.

Accidens est, quod in aliquo positum nec pars ejus est nec separari ab 480
eodem potest, ut per se possit exsistere, ut color in corpore, in animo disciplina.

ARGUMENTUM A PARTE.

A parte vero argumentum non ad totum probandum ducitur, sed ad 481
aliam partem quae continet quaestionem. Non enim probata pars totum probat, utpote si oculus videt, non ideo totum corpus videt, quum refutetur totum videre corpus; sed dialecticus iste tractatus est. Nunc quemadmodum argumentum a parte ad partem sumatur, ostendam: si pedes, si brachia tueri debemus, utique oculos diligentius asservare. Cujus argumenti loco incurrere aliquando et alius potest, qui a minore ad majus ducitur; nec tamen ideo principalis argumenti ratio perturbatur, quia geminari aliquantum argumenta natura permittit. Hoc saepe contingere et in figuris solet, de quibus postea nobis erit dicendum. Fit nonnunquam et in hoc modo a partibus argumentum, 482
quum inducta partitione et propositis partibus pluribus, ceteris refutatis, aliquam concludimus partem, in qua sit quaestio constituta, ut si dicas: equum hunc, quem habes, aut emisti aut dono accepisti aut natus est domi aut furatus es; non autem emisti, nec dono tibi datus est neque natus est domi; furatus es igitur.

tractatus] Scripsi e Reichenauensi et Darmstattensi, quod Grotio jam visum erat, pro *tractus* in editis. Pariter Marius Victorinus (p. 172 Pith.): »nunc de ratiocinatione *tractatus* est.«

alius] Secutus sum codices Reichenauensem, Darmstattensem, et Monacensem (C), licet facile concedam locum dubium atque corruptum esse. Antiquae editiones habent: »et *aliud* potest, *quia* a minore ad *magis dicitur*«; Grotius: »et *aliud* potest, *qui* a *majore* ad *minus ducitur*«, sed in notis observavit: »Lege: et *alius* potest, qui a *minore* cet.« Viderint alii.

aliquantum argumenta] Sic editiones ante Grotium, qui unde *argumenti* ediderit nescio, hoc scio temere factum esse, quod vel MS. lectio probat, quam ipse affert, *aliquanta*.

equum] Exemplum a Cicerone (invent. I, 49) propositum sed reprehensum. Melius est quod de

A NOTA VEL ETYMOLOGIA.

483 A nota vel etymologia, ut Graeci dicunt, sumimus argumentum sic: si consul est, qui consulit rei publicae, quid aliud Tullius fecit, quum affecit supplicio conjuratos? Quo in loco originem vocabuli tantum oportet attendere.

DE NEGOTIO.

484 Ab his vero, quae negotium videntur attingere, argumenta ducuntur hoc modo. Primum a conjugatis, quo uno nomine proposito principali per ejus derivationem casu aut tempore commutato aliquid approbamus, ut: si pietas virtus est, quod pie factum est, laudari oportet. Constat enim laudabilem esse virtutem. Qui locus a superiore hoc differt, quia aliud est unde nomen impositum fuerit perscrutari, aliud per cognationem verbi ab alio deflexi argumenti vim sumere.

A GENERE AD SPECIEM.

485 A genere autem, quum quod in toto valet ad speciem quoque dedu-

servo habet Quinctilianus (5, 10, 67). Ceterum hanc solam argumentandi rationem e partibus Cicero statuisse videtur (top. 2).

consul] Levi mutatione fictum ex eo quod e Carbone affert ipse Cicero (de orat. 2, 39): »si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius?« Eandem originationem proponunt Varro (de L. L. 4, 14), Quinctilianus (1, 6, 32), Florus (1, 9), Festus, alii. Ceterum recte Quinctilianus (7, 3, 25) rarum etymologiae usum in argumentando esse monet.

negotium] Notandum est, quo sensu acceperint rhetores hanc vocem. Nempe *occisio* ipsis etiam negotium est (Cic. de invent. 1, 26). Unde Marius Victorinus in Ciceronis rhetoricam (p. 148 Pith.): »omne itaque factum, de quo quaestio est, *negotium* appellatur. Utpote *occidit* negotium est; in ipsius autem negotii gestione haec sunt, illo tempore occidit, in illo loco occidit, fuit occasio ut occideret, et reliqua.«

a conjugatis] Probe distinguendus est hic locus ab eo qui est *a conjunctis;* quippe omnium maxime finitimus notationi, quod recte Cicero (top. 9) monuit; siquidem, ut ejusdem verbis utar (top. 5), »*conjugata* dicuntur, quae sunt ex verbis generis ejusdem; ejusdem autem generis verba sunt, quae orta ab uno varie commutantur, ut *sapiens sapienter sapientia.*« Graece ὀνζυγίαν dici idem ait; Aristoteles tamen (top. 2, 10. 4, 4) σύστοιχα nuncupare maluit.

citur, ut: si varium et mutabile quiddam est femina, Dido etiam varia mutabilisque videatur, possitque ex amore in odium commutari. Hac ratione illud Ciceronis adstruitur: „Nam quum omnium provinciarum sociorumque rationem diligenter habere debeatis, tum praecipue Siciliae o judices.“ Hunc locum ille a toto videtur imitari; sed interest illud, quod in illo a definitione, hic ab ipsa ratione, qua genus est, argumenta ducuntur; et quod in genere totum est, quod totum divisione perit, genus manet etiam partibus distributum.

A SPECIE VEL A FORMA.

A specie vel a forma ducitur argumentum, ut fidem generali faciat 486
quaestioni, ut Cicero in Philippicis: Est quaedam actio lex. Actum enim genus est, quod a specie, id est lege lata a Caesare comprobatum est. Quod item confirmat a similibus: „Quaere acta Gracchi, leges Semproniae proferentur; quaere Syllae, Corneliae.“

A SIMILI.

A simili per se: „Ut Helena Trojanis, sic civibus belli semen tu fuisti.“ 487

varium] Virgilii locum respicit (Aen. 4, 569), ut deinceps Ciceronis (Verr. 2, 1).

qua genus] MS. *quae*. Gnot. — Perperam; sensus enim hic est, in loco qui sit *a toto* argumenta duci ab ea notione quae in generis nomine contineatur; in eo vero qui sit *a genere*, id ipsum spectari quod genus sit, ut quae de genere dicantur, ad species quoque pertineant; totum enim partiendo perire, generis vim etiam per formas manare.

a specie] MS. semper *ab* specie: sic et infra *ab* scripto. Sic in principio Arnobii pro *a* litibus MS. *ab* litibus habet, ut refert Meursius noster ex excerptis exemplaris regii a magno Scaligero datis. Gnot.

genus est] Ita codices Darmstattensis et Monacensis (C), non »genus est *legis*«, quemadmodum in editis. Paulo ante etiam vox *Philippicis* in iisdem codicibus perscripta est, breviata in editis. Locus est Philipp. 1, 7.

ut Helena] Correxi locum e codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (C); vulgo enim editum erat *civilibus bellis*. Ceterum ne haec quidem ipsa Ciceronis verba sunt; ille enim (Philipp. 2, 22 f.): »ut Helena Trojanis, sic iste huic reipublicae causa belli, causa pestis atque exitii fuit.« Breviavit locum et Marius Victorinus (p. 156 Pith.): »ut Helena Trojanis, sic tu, Antoni, hujus belli semen fuisti.«

Item: „Ut saepe homines aegri morbo gravi, quum aestu febrique jactantur“ etc. Huic dissimilitudo contraria est, quae a Cicerone differentia nominatur, quae res inter se diversas, non adversas, ostendit; cujus Cicero ponit exemplum in Verrem: „Sed tu idem fecisse eris existimandus, si eodem consilio fecisti.“ Hoc et in personis ostenditur, et in rebus, et in temporibus, et in locis, et in aliis, quae nunc memorare longissimum est.

A CONTRARIO.

488 A contrario, ut vita et mors, ex quibus Terentius sic: „Nam si illum objurges, vitae qui auxilium tulit, quid facies illi, qui dederit damnum aut malum?“ Cicero tertio Philippicarum contra Antonium e contrario argumentatur dicens: „Si ille consul fustuarium meruerit, legiones quid, quae consulem reliquerunt?“

A CONJUNCTIS.

489 A conjunctis autem fides petitur, quum, quae singula infirma sunt, ea

jactantur] Sequuntur apud Ciceronem (in Catil. 1, 13) »si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur: sic hic morbus, qui est in republica, relevatus istius poena vehementius vivis reliquis ingravescet.«

a Cicerone] Nimirum in topicis (c. 11) et de inventione (1, 44).

diversas] Sic non Grotianus tantum, sed Monacensis etiam codex (C) et Reichenauensis habent pro *divisas* in editis; unde paulo inferius etiam *existimandus* pro *aestimandus* reposui, ut apud ipsum Ciceronem (in Verr. 3, 92) legitur; reliqua ex solo Cicerone corrigere nolui.

in temporibus] Scripsi e codice Monacensi (C) pro *in tempore*; alia res esset, si reliqua quoque singulari numero dicta essent, ut apud Ciceronem (de invent. 1, 44).

nam si illum] MS. hunc locum Terentii sic citat: »*Nam* ut *illum objurges*« cet. Non absurde. Gnot. — Sed apud Terentium (Andr. 1, 1, 115) prorsus eadem leguntur, quae hic Martianus scripsit. Vitae et mortis exemplo Cicero quoque utitur (de invent. 1, 28).

fustuarium] Ξυλοκοπίαν. Gnot. — Miror Grotium non vidisse haec Martiani cum Ciceronis verbis (in Phil. 3, 6) non congruere. Statuendum igitur, verba illa ab eo in suum usum conversa, aut prorsus omissa fuisse. Sunt enim codices, a quibus prorsus absunt.

conjunctis] Ciceroni (topic. 4 et 11) *adjuncta* dicuntur.

conjuncta vim veritatis assumunt, ut: „Quid si accedat, ut tenuis antea fueris? quid si, ut avarus? quid si, ut audax? quid si, ut ejus qui occisus est inimicus?“ singula haec, quia non sufficiunt, idcirco congregata ponuntur, ut ex multis junctis res aliqua confirmetur.

AB ANTECEDENTIBUS.

Ab antecedentibus, sicut Cicero: „Quum ille non dubitaverit aperire 490
quid cogitaverit, vos potestis dubitare quid fecerit?“ Praecessit enim praedictio, ubi est argumentum; secutum est factum, unde est quaestio.

A CONSEQUENTIBUS.

A consequentibus vero conversim, ut quaestio in antecedentibus sit, 491
argumentum in sequentibus, hoc modo, ut, si hoc secutum est, illud praecesserit, ut: si peperit, cum viro concubuit. Exemplum de Verrinis: „Si finem edicto praetoris afferunt Kalendae Januariae, cur non initium quoque nascitur a Kalendis Januariis?“

A REPUGNANTIBUS.

A repugnantibus argumentum sumitur, quum ostenditur duo sibi co- 492
haerere non posse, verbi causa, ut et parasitus quis sit et ridiculus non sit, quae per negationem simul esse non posse praedicantur hoc modo: non et parasitus est Gnatho et ridiculus non est. Ejus loci exemplum est in re magis

ut quid si] Lego cum MS. »ut quid si accedat, ut tenuis antea fueris? quid si ut avarus?« Gnor.— Vulgo enim *si quid*, sed accedunt codices Darmstattensis et Reichenauensis, suntque verba Ciceronis (pro Roscio Amerino 31).

cogitaverit] Reichenauensis codex *cogitaret*. Equidem me legere apud Ciceronem haec verba non memini.

si peperit] Hoc quoque ex Cic. (de inv. 1, 29).

si finem] Eodem exemplo (in Verr. 1, 42) jam usus erat Quinctilianus (5, 10, 76; p. 275 Spald.).

sumitur] Scripsi e codice Monacensi (C) pro *est*, quod in editis erat.

ridiculus] Hoc enim parasitorum officium erat, ut et risum excitarent et se ipsos ridendos praeberent; unde Plautus (capt. 3, 1, 10):

ipsa quam in forma verborum, ut Cicero dicit: „Is igitur non modo a te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi suae te interficere voluisse.“ Et in Cornelia prima repugnare dicit, ut „divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere.“

A CAUSIS.

493 Causarum locus late patet et multa disputatione tractatur; sed nunc formam ejus satis fuerit demonstrare sub hoc exemplo: „Sed quum ob tua decreta, ob judicia, ob imperia dabantur; non est ita quaerendum cujus manu numerarentur, sed cujus injuria cogerentur.“ Sed et Virgilius: „Mene fugis?“

AB EFFECTIS.

494 Ab effectis fit argumentum, quum in causa dubitatio est, ut: Fatum probetur ex eo, quod homines etiam inviti servabantur in vita. Fatum

»*Ilicet* parasiticae *arti maximam in malam crucem,*
Ita juventus jam ridiculos *inopesque a se segregat.*«

Adde eundem in Sticho (1, 3, 17) et de Gnathone Terentium (Eunuch. 2, 1).

in forma] Addidi *in* e codice Monacensi, pariter atque verba »ut Cicero dicit«, quae ab editis aberant; sed quod idem in sequentibus exhibuit *domo sua* eo minus recipere volui, quia vulgata cum ipso Cicerone (pro rege Dejotaro 5) egregie convenit.

divisores] Iidem qui et curiarum magistri, qui candidatorum nomine pecunias viritim inter tribus dividebant. Notat Pedianus in II. Verrinam. Gnor. — Confer omnino egregiam Frid. Henr. Weismanni dissertationem (de divisoribus et sequestribus ambitus apud Romanos instrumentis, Heidelbergae 1831), unde Grotii quoque errorem cognosces. Locum ipsum inter Corneliannae fragmenta retulit Orellius (T. IV, P. 2, p. 451).

satis fuerit] Reliqua Cicero docebit (topic. 15; partit. 26) et Quinctilianus (5, 10, 80 sequ).

sed quum] Locus est Ciceronis (in Verr. 2, 10): »sed quum ob tua decreta, ob edicta, ob imperia, ob judicia pecuniae dabantur, non erat quaerendum, cujus manu numerarentur, sed cujus injuria cogerentur«, unde Martiano quoque *cogerentur* restitui, quod jam in anterioribus editionibus erat et codice Darmstattensi confirmabatur, pro *congereretur*, ut Grotius ediderat.

Virgilius] Didonis verba sunt (Aeneid. 4, 314):

»*Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te,*
Per connubia nostra, per inceptos Hymenaeos«

cet.

enim est causa vel vitae vel mortis; illa vero effecta sunt fati, vivere posse vel mori. Cicero hinc probat: „Auli Hirtii vita populo cara est, quod ei populus plaudit.“ Hoc et Virgilius: „Degeneres animos timor arguit.“ Nam timor est causa, ut degener sit animus, quod timoris effectus est.

A COMPARATIONE MAJORUM.

A comparatione majorum: „Quis dubitet a Siculis petisse pecuniam 495
Verrem, quum a Marco Octavio Ligure postularit?“ Virgilius: „Tu potes unanimes armare in proelia fratres.“ Ex hoc utique probat et alienos posse, quod minus est. Terentius: „Nam qui mentiri aut fallere instituerit patrem aut matrem, tanto magis audebit et ceteros.“

A MINORUM COMPARATIONE.

A minorum comparatione, ut est: „Publius Scipio pontifex maximus 496
Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem statum reipublicae privatus interfecit“; deinde jungit quaestionem, ubi modus est quidam: „Catilinam orbem

Auli Hirtii] In editis erat: »Auli Hircii vitam, quae populo cara est.« Grotius corruptius etiam edidit: »Auli Hircii vitam. Auli Hircii vita populo cara est, quod ei populus« cet. Correxit deinde in notis aliquatenus, ut inquit, e MS. suo. Equidem presso pede codices meos Monacensem (C) et Darmstattensem secutus sum. Ceterum noster non ipsa Ciceronis (Phil. 1, extr.) verba exscripsit, sed libere hoc exemplo usus est.

effectus] Lege *effectum*. Gnor. — Haud male, quum et *effecta* praecedant, et *quod* neutrum postulare videatur; sed tanta cura apud Martianum quaerenda non est, qui ne ipso quidem exemplo suo uti potuerit (Aeneid. 4, 13), ubi quum manifesto degeneratio animi causa sit, quae timore tanquam effectu prodatur, rem ita convertit, ut degeneres animi timorem, non hic illos arguere videatur.

postularit] Sic e codicibus Grotiano et Darmstattensi scripsi pro *postularet*, quum apud ipsum Ciceronem (Verr. 1, 18) legatur »poscere pecuniam non *dubitarit*.«

Virgilius] Servius quoque ad illum locum (Aen. 7, 335) observavit argumentari a majore ad minus.

Terentius] Apud ipsum poëtam (Adelph. 1, 1, 30) est *insuerit* pro *instituerit*, abestque *et* ante *ceteros*; recte utrumque, sed apud nostrum invitis codicibus corrigere nolui.

Publius] Exemplum repetitum est e Cicerone (Catil. 1, 7); illud quod sequitur Terentianum ex Andria (1, 1, 83).

terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus?“ Ex hoc Terentii loco illud: „Hic parvae consuetudinis causa hujus mortem tam fert familiariter.“

A PARIUM COMPARATIONE.

498 A parium comparatione Cicero: „Et si non minus jucundi atque illustres sunt ii dies quibus conservamur, quam illi quibus nascimur“, et in Pisonem: „Nihil interest utrum ipse consul improbis concionibus, perniciosis legibus, rempublicam vexet, an alios vexare patiatur.“

His igitur breviter demonstratis, illa quae non excogitantur ab oratore, sed a causa aut a reis suggeruntur, in tribus, ut diximus, rebus posita sunt: in scriptura, ut tabularum; in auctoritate, ut testium; in necessitate, ut tormentorum.

A SCRIPTO.

499 A scripto argumentum petitur, quum ad dubiae rei probationem vel chirographum vel testamentum transactionis aut tabulae recitantur, ceteraque hujusmodi, quae ita nota sunt, ut exempla de oratione non quaerant.

AB AUCTORITATE ET TESTIMONIO.

500 Ab auctoritate vero, ut: Africanum dixisse jure caesum esse Tiberium Gracchum; aut quum testimonium, quo veritas nudetur, affertur, ut Cnaeum

et si] Locus est e Catilinariis (3, 1); unde et verba »conservamur quam illi quibus«, quae propter homoeoteleuton exciderant, hortante jam Grotio, Martiano restitui.

improbis concionibus] Trajecta tantummodo haec verba, ceterum Ciceronis (in Pis. 5) sunt.

non excogitantur] Infra (§. 561) noster haec argumenta appellat *inartificialia*, ducibus nimirum Aristotele (rhetor. 1, 15) et Cicerone (topic. 4), qui Graeco nomine ἄτεχνα nuncupant.

transactionis] Fallor an exciderunt hic aliqua? Certe si reliqua omnia sana sint, *transactiones* legendum foret; nimis durum enim esset genitivum referre ad *tabulas*.

Africanum] E Cicerone (de orat. 2, 25).

Pompejum de misso frumento celeriter testem nobis orator inducit. Auctoritas igitur aut judicantis aut testis est. Huic parti adjunguntur oracula ceteraque id genus.

A NECESSITATE.

Necessitas vero dat fidem ex tormentis aut somno aut furore aut vi- 501
nolentia, quae vocem alicujus rei extorquet invitis. Quae omnia quum ad conjecturam causa, persona, facto adduntur, ipso testimonio vel confessione vel scripto capiunt fidem vel amittunt. Nam et causa dicentis attenditur et persona tractatur, et ipsius scripturae secum aut cum causa qualitas comparatur.

DE CONCILIATIONE ANIMORUM.

Sequitur, ut ad ea, quae conciliant aut permovent auditores, intentionem 502
suam flectat assertor, quoniam ad fidem faciendam haec quoque pertinere praediximus. Conciliantur igitur animi tum personae tum rei dignitate. Per-

judicantis] Ita anteriores editiones codicesque Darmstattensis et Reichenauensis. Grotius unde *indicantis* hauserit, ignoro.

oracula] Confer Quinctilianum (5, 7, 35 et 36) et Ciceronem (in partit. 2; topic. 20).

necessitas] Cicero (topic. 20): »Facit etiam necessitas fidem, quae quum a corporibus tum ab animis nascitur. Nam et verberibus, tormentis, igni fatigati quae dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere, et quae a perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem et fidem. Cujus generis et illa sunt, ex quibus nonnunquam verum invenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania« cet. De tormentorum auctoritate apud antiquos vide Hudtwalckerum (de arbitris Atheniensium p. 51).

adduntur] In editis legebatur »adducuntur id est«; sed praetuli Darmstattensis codicis lectionem.

ipsius] Sic scripsi e codicibus Grotiano, Darmstattensi, et Monacensi (C) pro *ipsi*; intellige *qualitas*. Sed gravius mendum supra ex eodem Monacensi correxi *et causa* scribendo pro *nec* in editis.

conciliantur] Paulo aliter Cicero (de invent. 1, 16): »Benevolentia quatuor e locis comparatur, ab nostra, ab adversariorum, ab judicum persona, ab ipsa causa«, Aristotelem, ut videtur, secutus (rhetor. 3, 14, 7): *λέγεται δὲ ταῦτα ἔκ τε τοῦ λέγοντος καὶ τοῦ ἀκροατοῦ καὶ τοῦ πράγματος καὶ τοῦ ἐναντίου.* Propius ad nostrum accedit Quinctilianus (4, 1, 6; p. 14 Spalding.): »Benevolentiam aut a *personis* ducimus aut a *causis* accipimus. Sed personarum non est, ut plerique crediderunt, triplex tantum ratio, ex *litigatore* et *ad-*

sonae aut auditoris aut rei vel ipsius oratoris aut adversarii. Auditoris sic: „Qualem te jam antea populo Romano praebuisti, quum huic eidem quaestioni judex praeesses, talem te et nobis et populo Romano hoc tempore impertias.“ Rei vero, ut pro Dejotaro: „Quem ornare antea cuncto cum
503 senatu solebam pro perpetuis ejus in nostram rempublicam meritis.“ Oratoris vero, quum de se non superbe, sed moderate loquitur; quale est istud: „Quum quaestor in Sicilia fuissem, o judices, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus jucundam diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquerem, factum est, uti quum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur.“ Sed haec plenius in exordiorum praeceptis edisseram. Ab adversarii vero persona conciliatio fit, dum illius iniquitate aut arrogantia demonstrata nostra modestia commendatur. Sed haec posterius, et in principiis; quanquam nunc non orationis partes, sed dicendi formas et faciendae fidei species numeramus; quo loco patheticae quoque dictionis attendimus facultatem, cujus vis vel in communibus locis vel in epilogis maxime conti-

versario et *judice;* nam exordium duci nonnunquam etiam ab *actore* causae solet.« Scilicet illo tempore plerumque alius pro litigatore causam agebat, etsi pro una persona haberi possent, unde caute noster »rei *vel* ipsius oratoris« dixit.

populo Romano] In editis: »publicae rei.« Error ex notis P. R. Gnot. — Recte in codicibus Reichenauensi et Darmstattensi siglae majoribus literis P. R. scriptae reperiuntur. Codex Monacensis (C), e quo totum locum correxi, conformis est Ciceronis (pro Roscio 4 f.) ipsius verbis. Vulgo enim praeterea *jam* omissum erat et *et* ante *nobis*, et *impartias* scriptum erat pro *impertias*.

omnibus] Post hanc vocem in editis sequitur *etc.*, in codicibus Monacensi vero, Reichenauensi, et Darmstattensi hae reperiuntur breviatae voces siglis scriptae: »iu. di. g. m. nomm. m. r. f. u. t. c. s. i. u. pa. mul. t. n. nu. et. i. pr. s. f. o. a. r.« e quibus nullo negotio ipsa Ciceronis (div. in Caecil. 1) verba restitui, quae Martiano omnino reddenda erant. Quis erit enim qui sibi persuadeat, exemplum a nostro allatum fuisse, quod nemo intelligeret? praesertim quum nec locum laudaverit et ne auctorem quidem, a quo illud mutuatus esset.

quanquam] Magis ad sensum accommodatum fuisset *quandoquidem*, quod haud scio an e breviata voce forte corruptum fuerit.

patheticae] Adi Ciceronem (in orat. 37) et Quinctilianum (6, 2, 8 et 10; p. 490 sequ. Spald.); et confer superiorem locum (§. 473).

vel in communibus locis] Omissa haec apud Grotium e prioribus inserui editionibus, quibus adstipulantur codices Reichenauensis et Darmstattensis.

netur. Nec mea primordia quidem apud veteres hac animorum permotione caruere, quod tunc demonstrabitur, quum ordiendi praecepta tractabimus. Interim generatim, quibus mentes affectibus incitentur, nulla partium definitione signabo.

DE COMMOTIONE ANIMORUM.

Commoventur igitur auditores aut miseratione aut odio aut invidia aut 504
metu aut spe aut ira ceterisque similibus. Miseratione, quum calamitates alicujus magno dolore tractamus; quum iniquitatem temporis vel periculi magnitudinem memoramus, ut in septima Verrinarum: „Patres hi quos videtis jacebant in limine, matresque miserae pernoctabant ad ostium carceris ab extremo complexu liberum exclusae; quae nihil aliud orabant nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret.“ Ab odio, quum adversarii factum vel viris bonis vel judicibus ostenditur exsecrandum, ut quum judicum corruptio docetur a Verre jactari; item: „Quum in avaritia, scelere, perjurio vos

nec mea primordia] *Nec* supplevi e codice Monacensi (C). Ordiendi praecepta, quorum meminit, infra (§. 545) dabuntur.

caruere] Sic codices Reichenauensis, Darmstattensis, Monacensis (C) et anteriores editiones. Grotius absque sensu *cavere* edidit.

commoventur] Hic prae ceteris conferendus est Aristoteles, qui integro secundo libro rhetoricorum de commotionibus animorum agit.

septima Verrinarum] Illam orationem denotat, quae in nostris editionibus libri *quinti* nomine inscribitur: quo patet, Martiani temporibus Verrinarum nomine primam appellatam fuisse, quae nobis in Caecilium sive divinatio dicitur; secundam, quae actio prima in Verrem; tertiam, quae primus actionis secundae liber, et sic deinceps usque ad librum quintum, qui a nostro oratio appellatur septima.

videtis] Hunc etiam locum in integrum restitui, siquidem in editis *vidi* legitur pro *videtis* addito *etc.* ita ut nemo exemplum hoc intelligere possit, quod e Verrinis (5, 45) sumtum esse Martianus ipse prodidit. Siglas quamvis pluribus locis corruptas e Monacensi (C) hic subjicere non gravabor, quae si aliud nihil hoc saltem probant, Martianum exemplum totum, sicut ipsum edidi, dedisse. Sunt vero siglae hae: »a. i. l. p. m. a. q. m. p. a. n. o. s. c. a. r. a. b. cons. l. l. ex. q. nihil a. o. nihil u. f. s. post s. p. ex l.« Paulum mutatas codices Darmstattensis ac Reichenauensis exhibent.

quum in avaritia] Exemplum hoc et duo quae sequuntur e libris in Verrem (1, 14. f. et 3, 4) repetita sunt.

sui similes esse arbitratur.“ Invidia est, quae quodam livore iuficit auditores; ut est: „Quod ad tuam ipsius amicitiam ceterorumque hominum magnorum atque nobilium faciliorem aditum istius habet nequitia et audacia, quam cujusquam nostrum virtus et integritas.“ Item: „Istum rebus omnibus undique ereptis impune eludentem circumfluere et abundare.“ Potest quidem et illa res auditorum mentes incendere, ut si alicujus exaggeres tyrannicum spiritum,
505 aut potentiam non ferendam. Metum vero excitari vel propriis vel communibus periculis. Propriis, ut: „Hoc est judicium, in quo vos de reo, populus Romanus de vobis judicabit“; communibus autem, ut est: „Videor mihi videre hanc urbem, lucem orbis terrarum, arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem.“ Spe quoque animi perturbantur, quum beneficia aut obsequia promittuntur, ut quum fidem Milonis Pompejo pollicetur, et: „Caelii in omni vita servitium obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis.“ Ira etiam vehementer animos turbat, ut quum exaggerat et exclamat Tullius in curia sedere socios Catilinae: „O dii immortales, ubinam gentium sumus? quae respublica hic habetur? in qua urbe vivimus? hic, hic sunt nostro in numero, patres conscripti.“ Similes alii permiscentur affectus, qui quum ad persuadendum plurimum valeant, extra causam tamen sunt, nec apparere in oratore manifestius debent, ne insidiis judicem capere, non ratione deducere videatur.

potentiam] Insigne hujus artificii exemplum praebet Demosthenis oratio in Midiam, quae tota fere in hoc loco tractando versatur.

hoc est] Ex actione prima in Verrem (16). De metu confer Quinctilianum (4, 1, 20; p. 23. 6, 1, 13; p. 421. 6, 2, 21; p. 503 Spald.).

concidentem] Addit codex Monacensis (C) »si iste liberatus fuerit.« Sed haec apud Ciceronem (in Cat. 4, 6) non leguntur.

quum fidem] Ex oratione pro Milone (26) hoc exemplum sumsit.

obstrictum] Paululum immutavit Ciceronis (pro Caelio f.) verba. Vocem tamen vulgo omissam *vestris* codices Reichenauensis et Darmstattensis habent.

O dii] E notissima in Catilinam oratione (1, 4). Additae sunt in Darmstattensi et Reichenauensi siglae: »s. n. i. num. p. c.«, unde vulgo omissa supplevi.

extra causam] Sunt quae Graece ἐξαγώνια vel ἐξω τοῦ πράγματος ὄντα (confer C. Fr. Hermannum ad Lucian. de hist. scribend. p. 343), quibus Areopagum notum est oratores prorsus abstinere jussisse; nam, ut ait Seneca (de ira 1, 16): »ratio nihil nisi id ipsum de quo agitur spectat.

DE DISPOSITIONE.

His igitur ad fidem faciendam prudenter inventis ordo rerum est so- 506
ciandus, quae pars dispositio vocitatur, qua quid dicendum quove loco, quid penitus omittendum, quomodo etiam et quando et ubi, prudenter inspicimus. Duplex igitur hujus partis est ratio: aut enim naturalis est ordo, aut oratoris artificio comparatur; naturalis, quum post principium narratio, partitio, propositio, argumentatio, conclusio, epilogusque consequitur; artificio oratoris, quum per membra orationis quae dicenda sunt digerimus, et hoc ex causae utilitate, non ex temporis serie coaptamus; ut pro Milone factum, quum quaestiones quasdam ante narrationem, ut praejudicia refutaret, induxit, quod non ex ordine naturae, sed ex causae utilitate mutavit; et pro Cornelio primo

ira vanis et *extra causam* obversantibus commoveatur.« Quanquam interdum extra causam se vagari ipse Cicero confitetur (pro Milone 34; pro Caecina 32).

duplex] Videantur Auctor ad Herennium (3, 9), Cicero (de orat. 2, 76), Quinctilianus (2, 13, 1; p. 329 Spald.) et Sulpicius Victor (p. 246 Pith.).

post principium] De quatuor prioribus partibus infra (§. 556. 553. 557) agit, posteriores duas autem (§. 565) junctas proponit, quum orationis conclusio, epilogus, et peroratio unum idemque sit (v. Quinctilianum 6, 1, 1; p. 443 Spald.).

artificio] Curius Fortunatianus (p. 69 Pith.): »naturalem ordinem sequimur, si nihil nobis oberit in causa; si aliquid occurrerit, necessitate utilitatis ordinem immutabimus naturalem, sequemur artificialem.« Monendum tamen, Auctorem ad Herennium (3, 9) *artificiosum* ordinem appellare, quem noster *naturalem*; siquidem »genera dispositionum duo esse« ait, »unum ab institutione *artis* profectum, alterum ad casum *temporis* accommodatum«, et prius quidem in eo spectari »ut utamur principio, narratione, divisione, confirmatione, confutatione, conclusione«; deinde vero: »est autem« inquit »et alia dispositio, quae, quum ab *ordine artificioso* recedendum est, oratoris judicio *ad tempus* accommodatur«; quanquam in extremo capite: »his commutationibus et translationibus partium saepe uti necesse est, quum ipsa res *artificiosam dispositionem artificiose commutare* cogit.«

non ex temporis] Quinctilianus (7, 1, 2): »Sed meminerimus ipsam dispositionem plerumque utilitate mutari, nec eandem semper primam quaestionem ex utraque parte tractandam« cet.

pro Milone] Cicero (cap. 3): »Sed antequam ad eam orationem venio, quae est propria nostrae quaestionis, videntur ea esse refutanda, quae et in senatu ab inimicis saepe jactata sunt, et in concione ab improbis, et paulo ante ab accusatoribus; ut omni terrore sublato rem plane quae venit in judicium videre positis.«

praejudicia] Adversarii enim Milonis et a senatu judicatum esse jactabant, caedem in qua P. Clodius occisus esset, contra rempublicam esse factam

refutata sunt crimina, quae secuta sunt tribunatum, post ad ipsum tribunatum
507 recursus est factus; quae dispositio artificialis, ut diximus, nominatur. In Verrem autem naturalem temporum ordinem tenuit, ut primum quaesturam, tum legationem, deinde duas ei praeturas objiceret, servata temporum ratione; quam, nisi causae repugnet utilitas, necessario prosequemur. At ubi majora quaeque potissimum et invidiosiora purganda sunt, ab his sumitur refutationis exordium; ut pro Cluentio conjecturae partibus expeditis ad praescriptionem legis accessit, ordine videlicet commutato, ne si Cluentium legis assertione defenderet, fugere causam diffidentia videretur.

DE ELOCUTIONE.

508 Duabus his officii partibus absolutis, elocutionis cura est intimanda; quae quum constet in singulorum animadversione verborum, hoc ab eloquentiae nomine separatur, quod illa totius operis oratorii virtus est, haec pars habetur officii. Cujus Cicero duo quasi fundamenta, duo dicit esse fastigia. Fundamenta

(cap. 5), et Cn. Pompejum rogatione sua et de re et de causa judicasse (c. 6).

ut pro Cluentio] *Ut* inserui e codice Darmstattensi, praetereaque Reichenauensis auctoritate delevi *non*, quod vulgo ante *defenderet* legebatur; quod recte me fecisse intelliget qui ipsam Ciceronis orationem (cap. 52 sequ.) inspexerit, ubi consulto se sit Cluentii causam non lege sed facto ejus defendisse, ut non saluti modo ejus verum etiam existimationi prospiceret, factoque demum purgato ad legis mentionem transit, etsi videretur, si nihil aliud voluisset, nisi ut causam obtineret, lege recitata perorare potuisse.

eloquentiae] Cornelius Fronto (II, pag. 478 Maji): »*eloquentia* perfecta vis orationis, *eloquium* pars supposita commode eloquendi.«

Cicero] Quem potissimum locum Martianus respiciat, ignoro; proxime tamen accedit ille (de orat. 3, 37 f.): »quasi hoc solum quoddam atque *fundamentum* est, verborum usus et copia bonorum; sed quid ipse *aedificet* orator et in quo adjungat artem, id esse a nobis quaerendum et explicandum videtur.« Adde Gerardum Joannis Vossium (institut. orator. 4, 1, 2): »quemadmodum autem aedificia, ita elocutio universa duobus constat, *fundamento* et *exaedificatione* sive *structura*, sub qua, ut inferius dicemus, *compositionem* et *dignitatem* comprehendimus.« *Fundamentum* enim appellat *elegantiam*, quae secundum Auctorem ad Herennium (4, 12) distribuitur in *Latinitatem* atque *explanationem*. Paulo aliter Cicero (de orat. 1, 32): »audieram etiam quae de orationis ipsius ornamentis traderentur; in qua praecipitur primum ut *pure et Latine* loquamur, deinde ut *plane et dilucide*, tum

sunt Latine loqui planeque dicere; quorum unum Grammatice loquente didicistis, quum ejus vobis insinuata est subtilitas. Fastigia vero sunt copiose ornateque dicere, quod non ingenii sed laboris est maximi, exercitatione etiam diuturna, qua non solum uberior sed illustrior quoque facultas acquiritur. Hujus rei 509
duplex ratio est: una, qua in singulis verbis lumen appareat; altera, ut dignitas eloquendi copulationis ipsius decore servetur. In singulis vero aut proprium aut translatum mutuatumque conquiritur. Propria sunt vetusta praecipue; nam tum, quum proceres vel nescirent haec dicendi ornamenta vel appetere non auderent, propriis utebantur; sed quia verborum veterum jam exolevit usus, non sunt audacius usurpanda illa, quae cum aetate mutata sunt.

ut *ornate*, tum ad rerum dignitatem *apte* et quasi *decore*«, quae eadem Quinctiliani est doctrina (8, 1, 1).

exercitatione] Lege »exercitationis etiam diuturnae.« Grot. — Possis tamen vulgatam quoque tueri, si pro ablativis absolutis accipias. Ceterum in anterioribus editionibus est *quia* pro *qua*, et *acquiritur* pro *exquiritur*, quorum posterius Reichenauensi quoque codice adstipulante restitui.

duplex ratio] Quinctilianus (8, 1, 1): »Igitur, quam Graeci φράζειν vocant, Latine dicimus *elocutionem*. Eam spectamus verbis aut *singulis* aut *conjunctis*.« Sed propius etiam ad nostrum Cicero (de orat. 3, 37): »Omnis igitur oratio conficitur ex verbis; quorum primum nobis ratio *simpliciter* videnda est, deinde conjuncte. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex *singulis* verbis est; alius, qui ex *continuatis conjunctisque* constat. Ergo utemur verbis aut iis, quae *propria* sunt et certa quasi vocabula rerum paene una nata cum rebus ipsis, aut iis quae *transferuntur* et quasi alieno in loco collocantur, aut iis quae *novamus* et facimus ipsi« cet.

mutuatumque] Recepi lectionem a Grotio in marginem conjectam, pro vulgata *mutatumque*, ut sibi constaret Martianus, cui supra quoque (§. 359) *mutuantur* reddidi pro *mutantur* in simili argumento, praesertim quum Ciceronem ipsum (orat. 27) *mutata* verba a *translatis* distinguere potius viderem: »*translata* ea dico, quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur; *mutata*, in quibus pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem significet, sumtum ex re aliqua consequenti«; licet ex eodem loco appareat *mutata* aeque ac translata *propriis* opponi.

vetusta] Cicero (Brut. 74): »Solum quidem et quasi fundamentum oratoris vides locutionem emendatam et Latinam; cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiae, sed consuetudinis. — Aetatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiae, sic Latine loquendi« cet.

exolevit] Vide Ciceronem (de orat. 3, 10 f. et 13), Senecam (epist. 58; p. 481. ep. 114; p. 649 Lips.), Quinctilianum (1, 6, 41; p. 168. 2, 5, 21; p. 297 Spald.), Macrobium (in Saturnal. 1, 5); Gellium (11, 7), et quos praeterea laudavit C. Fr. Hermannus (ad Luc. de hist. conscr. p. 269).

Itaque alucinari et cerritum et caperatum similiaque praetereuntes utemur his, quae consuetudo recipiet; nec tamen sordidis, nisi quum rei sententiaeque vis exigit, ut quum Cicero volens crudelitatis invidiam facere ait: „gurgulionibus exsectis reliquerunt", et: „virgis plebem Romanam concidere"; nec in-
510 decore Virgilius vitandae humilitatis aucupio lychnos pro lucernis ait. Quod si res verba propria non habeat, novanda sunt aut alienis utendum. Novantur autem duobus modis verba, aut quadam fictione, aut declinatione praesumta,

alucinari] Rectius sic in codicibus Darmstattensi et Reichenauensi, quam *hallucinari* in editis (Gell. 16, 12), quamvis a veteribus et Cicerone ipso aliquando sic scriptum esse non sit ignotum.

cerritum] Plautinum vocabulum est, quo tamen et Cicero (ad Att. 8, 7) et Horatius (sat. 2, 3, 277) aliquando usi esse videntur, nec ipse noster infra (§. 806) uti recusavit pro *insano*.

caperatum] E Pacuvii Duloreste attulit Varro (L. L. 6, 6) »*caperata fronte* a *caprae* fronte«; mox obsoletum Appulejus postliminio reduxit.

quum Cicero] Nuper demum Angeli Maji merito (in M. T. Ciceronis sex orationum partibus ante nostram aetatem ineditis, Mediolan. 1817) reperta est oratio in qua hoc fragmentum exstat (pro Tullio 10, s. 21): »tantumque odii crudelitatisque habuerunt, ut eos omnes *gurgulionibus insectis relinquerent*, ne si quem semivivum ac spirantem reliquissent, minor his honor haberetur.« Neque tamen lectionem *insectis* Martiano obtrudere volui, licet nec vulgatam *ejectis*, nec quam in margine Grotius posuit *exactis* probarem; sed quod jam Grotius conjectura assecutus erat praebetque codex Reichenauensis, *exsectis* reposui. Praeterea ante *Cicero* inserui *quum* e codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (C).

gurgulionibus] Obsceno sensu dixit Persius (4, 38):

»Inguinibus *quare detonsus* gurgulio *exstat*«

neque dubito quin ita Martianus quoque acceperit, inprimis si revera *exsectis* ille scripserit, quod proprium vocabulum est de castratione (Quinctil. 7, 4, 8); Ciceronem tamen de *gutture* intellexisse manifestum est.

virgis] Ex oratione in Verrem (2, 1, 47).

Virgilius] In Aeneide (1, 726):

— »*dependent* lychni *laquearibus aureis*.«

verba propria] Secutus sum codicem Monacensem (C); vulgo enim erat: »quod si sua res propria verba non habeat.«

novantur] Egregie de his praecipit Curius Fortunatianus (p. 70 Pith.): »Tertius modus est, ut novemus verba, quae tamen parcius debemus attingere; nam et aegre novum verbum facere possis leno ac decorum, et fere aspernantur homines quae non recognoscunt. Vir perfectissimus dixit: verbis utendum est ut numis publica moneta signatis. Verba quibus modis novantur? primo Graeca *transferimus*, ut nova ex his Latina confingamus; dehinc per *congeminationem*, ut Cicero »feras *velivagas*« dicit; et per *derivationem* novare possumus, ut ab *autumno* Cato ait *autumnitatem*, et a *perpetiendo* Cicero *perpessionem*.«

fictione] Codices secutus Darmstattensem, Reichenauensem, et Monacensem (C) omisi, quod in editis sequitur, *verborum*.

aut duorum quae usitata sunt conjunctione composita. Finguntur maxime quum transferimus, ut qui *ποιότητα* qualitatem esse dixerunt, quod nomen nunquam fuerat in Latinis; quo et auribus temperandum, et insolentia fugienda, quam vitans Cicero Soterem salvatorem noluit nominare, et ait: „qui salutem dedit“; illud enim nimis insolens videbatur. Derivatione quoque fiunt verba, 511
quae grammatici paragoga nominarunt, ut dicimus florea rura, et: „campique ingentes ossibus albent“, quod satis crispa inflexione Horatius albicent dixit. His plerumque Grammatice utitur, licet Tullius grandiferas possessiones dicat et grandiloquos oratores. Huic diligentiae subjungitur translatorum cura ver- 512

qualitatem] Cicero (acad. 1, 7): »Dabitis enim profecto, ut in rebus insuetis, quod Graeci ipsi faciunt, a quibus haec jam diu tractantur, utamur verbis interdum inauditis. — *Qualitates* igitur appellavi, quas *ποιότητας* Graeci vocant, quod ipsum apud Graecos non est vulgi verbum, sed philosophorum, atque id in multis.« Adde eundem alio loco (de nat. deor. 2, 37). Ceterum codices Monacensis, Reichenauensis, Darmstattensis habent *qualitates*, quod tamen quia Graeco non respondet, recipere nolui.

Soterem] Cicero enim (in Verr. 2, 2, 63), postquam Verrem »non solum *patronum* istius insulae, sed etiam *Satera* inscriptum se vidisse Syracusis« dixerat, »hoc, pergit, quantum est? Ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum *Soter*, qui *salutem dedit*.« Confer omnino Forcellinum (in lexico), qui Christianos demum scriptores *Salvatorem* dixisse monet.

paragoga] Diomedes (p. 309 f. Putsch.): »Sunt quaedam *principalia*, quae Graecis *πρωτότυπα* dicuntur, ut *mons, fons, villa, schola, hortus*; ex his nascuntur *derivativa*, quae apud Graecos *παραγωγὰ* dicuntur, ut *fontanus, montanus, villaticus, scholasticus, horticus*.«

florea rura] E Virgilio (Aen. 1, 430):

»*Qualis apes aestate nova per florea rura*
Exercet sub sole labor.«

campique] Versus et ipse Virgilii est (Aen. 12, 36):

»*Sanguine adhuc* campique ingentes ossibus albent.«

In editis quidem Martiani exemplaribus erat *virentes* pro *ingentes*, sed codices Grotianus, Darmstattensis, et Monacensis (C) genuinam lectionem praebuerunt. Similis est alius Virgilii versus (Aen. 5, 865):

»*Difficiles quondam multorumque* ossibus albos.«

crispa] Non vituperat hac voce, sed laudat; quemadmodum Gellius (1, 4) et Plinius (13, 9, 18). Horatii locus in carminibus est (1, 4, 4).

grandiferas] Ubi recentiores apud Ciceronem (Phil. 2, 39 f.) *grandi foenore* ediderunt, Martianus certe *grandiferas* legit. Sunt enim Ciceronis codices, in quibus ita scriptum sit (Graev. 3, 2; p. 612). Monacensis (C) perperam *grandistras*; Reichenauensis et Darmstattensis recte *grandiferas*, quod recepi; Grotius enim ediderat *glandiferas*, quod tamen etiam defendi potest, quia illo Ciceronis loco a quibusdam ita legitur et noster infra (§. 702) simili voce *palmiferas* utitur.

grandiloquos] Non Cicero solus (Tusc. 5, 31 f.)

borum, quum res aut sua non invenit verba, aut quum volumus splendidius aliquid explicari. Ergo aut inopiae aut decoris causa transferuntur: inopiae, quum dicimus gemmare vitem et luxuriare segetes lactasque perhibemus; desunt enim propria, et commodantur adscita; decoris vero, ut: bellum subito exarsit, quum potuerit dici exstitit. Et item possumus ab omnibus sensibus mutuari, ut ab oculis lux libertatis, et odor legum, et: „silent leges inter arma“, et a gustu: „o nomen dulcis libertatis.“ Verum non debet haec translatorum alienorumque verborum affectatio sine moderatione captari, nec longe petita debent esse translata, ut si dicas luxuriosam Charybdim. Vitandum quoque ne turpis sit similitudinis usurpatio, ut si dicas „castratam Africani morte rempublicam“ aut „Clodium stercus senatus.“ In hoc genere transferendi etiam allegoriam poëtae praecipue nexuerunt, et Cicero, quum dicit: „Senatum a gubernaculis dejecisses, populum Romanum e navi exturbasses,

sed Quinctilianus etiam (10, 1, 66; p. 54 Spald.) hac voce utitur. Videtur autem priori minus placuisse, qui (orat. 5) ea usus addidit »ut ita dicam.«

inopiae] Iisdem exemplis supra (§. 379) utitur, ubi vide notam.

sensibus] E Ciceronе, qui (de orat. 3, 40): »translatio« inquit »ad *sensus* ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus. Nam et *odor* urbanitatis, et *mollitudo* humanitatis, et *murmur* maris, et *dulcedo* orationis sunt ducta a ceteris sensibus.«

odor] Credo hic voces aliquot deesse, et legendum: »ut ab oculis, lux libertatis; ab olfacto, odor legum; a loquela, silent leges inter arma.« Grot.— Martianus fortasse haud necessariam hanc additionem putavit, arbitratus legentes ipsos facile perspecturos esse, cuinam sensui quodque exemplum esset adscribendum. Ceterum exemplorum priora duo ex uno Ciceronis loco (in Verrem 5, 61), tertium ex oratione pro Milone (4), et quartum iterum e Verrina (5, 63) desumta sunt.

castratam] Restitui locum e codicibus Darmstatteusi et Monacensi (C); vulgo enim ridicule legebatur »castratam Africam mortuam rempublicam.« Eodem Cicero (de orat. 3, 41) exemplo usus erat, et post eum Quinctilianus (8, 6, 15; p. 309 Spald.).

stercus] Paulo aliter Cicero (de orat. 3, 41): »nolo stercus curiae dici Glauciam.« Atque hoc nomen sic, non *Clodium*, apud nostrum quoque scriptum fuisse, ex eo colligo, quod in Monacensi pro eo legitur »Claudium«; tamen nihil mutare ausus sum.

allegoriam] Haec enim tota translationibus constat (Cic. orat. 27). Recte igitur Quinctilianus (8, 6, 4; p. 303. 9, 2, 46; p. 409): »continuata μεταφορὰ facit ἀλληγορίαν«; quibus immodice usurpatis totum sit (8, 3, 26; p. 228 Spald.) prope mutari sermonem.

cum grege] Recepi lectionem a Grotio in mar-

ipse archipirata cum grege praedonum impurissimorum plenissimis velis navigares", et in Pisonem: „ut qui in maximis tempestatibus ac fluctibus reipublicae navim gubernassem salvamque in portu collocassem, frontis tuae nubeculam et collegae tui contaminatum spiritum pertimescerem?" Usurpatis ergo his similiter pluribus verbis elocutus est, quae suis fortasse angustius aut humilius diceret. Item translata quodammodo sunt, quae aut ex parte totum, aut ex toto partem, aut ex uno plures monstrant, aut ex pluribus singula. Ex parte totum, ut: „in puppim ferit unda", aut: „me iisdem parietibus tuto esse tecum" pro eadem domo. Hunc tropum metonymiam grammatici memorant, catachresin etiam Graeci, quam nos abusionem dicimus, ut quum perhibemus naturam deorum pro substantia. In conjunctis vero verbis orationisque con- 513
textu servanda sunt haec, ut constructio coagmentata et conclusio perfecta

gine positam, quum vulgo *cum* deesset. Locus est in oratione pro domo (cap. 10).

ut qui] Conjunxi quae Grotius interpunctione separaverat »ut: qui«, Ciceronem secutus (in Pison. 9).

his] Grotius edidit *haec;* quoniam autem vox *usurpatis* praecessit, anteriorum editionum lectionem omnino praetuli.

in puppim] Virgilius (Aen. 1, 115):

»*Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus*
In puppim ferit« — —

quem haud scio an ipse noster respexerit.

parietibus] Cicero (de orat. 3, 42): »Videtis profecto genus hoc totum, quum inflexo commutatoque verbo res eadem enunciatur ornatius; cui sunt finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, quum intelligi volumus aliquid aut *ex parte totum*, ut pro *aedificiis* quum *parietes* aut *tecta* dicimus, aut *ex toto partem*« cet. Exemplum et ipsum e Cicerone (Catil. 1, 8) petitum est.

memorant] Ita melius codex Monacensis (C) pro *memoraverunt* in editis. Hausit vero e Cicerone, qui (orat. 27) »*hypallagen*«, inquit, »rhetores, *metonymiam* grammatici vocant, quod nomina transferuntur; Aristoteles autem translationi haec ipsa subjungit et *abusionem*, quam *καταχρηθιν* vocant.« De eadem confer Quinctilianum (8, 2, 5; p. 199. 8, 6, 34; p. 323. 9, 1, 5; p. 365 Spald.).

coagmentata] Miror Grotium edidisse *coaugmentata*, quod nihili est; nostram autem lectionem, quam etiam Monacensis codex (C), Reichenauensis, et Darmstattensis praebent, ad marginem rejecisse. Confer modo Ciceronem (de orat. 3, 43): »Sequitur *continuatio* verborum, quae duas res maxime, *collocationem* primum, deinde *modum* quendam *formamque* desiderat. *Collocationis* est *componere* et struere verba sic ut neve *asper eorum* concursus neve *hiulcus* sit, sed quodammodo *coagmentatus* et levis.« Ubi quem *modum formamque* appellat, numerum orationis spectat, quem noster *conclusionis* vocabulo significat, ipsum Ciceronem (de orat. 2, 9; orat. 51) secutus, infraque (§. 519 sequ.) pluri-

514 proveniat, et quodam schemate dictio venustetur. Jam compositionis praecepta percurram, cujus vitium maximum est, hiulcas et asperas voces, frenos etiam, iotacismos, metacismos, labdacismos, homoeoprophoron, dysprophoron, et polysigma non vitare, vel cujuslibet literae assiduitatem in odium repetitam, ut: „sale saxa sonabant"; et: „casus Cassandra canebat." Metacismus est, quum

bus tractat; *collocatio* autem idem est cum *constructione* sive *compositione*, de qua mox (§. 514).

schemate] Haec apud Quinctilianum quoque (8, 1, 1; p. 195) tertia pars est, qui »in *conjunctis* verbis illud intuendum esse« docet, »ut *emendata* sint, ut *collocata*, ut *figurata*.« Plura de figuris infra (§. 525) docebuntur.

compositionis] De hac vide Ciceronem (orat. 44 sequ.), cui nullam partem hujus operis magis elaboratam esse Quinctilianus affirmat; praetereaque Auctorem ad Herennium (4, 12), Dionysium Halicarnassensem, qui singularem libellum hac de disciplina scripsit, Quinctilianum (9, 4), Curiumque Fortunatianum (p. 73. 74 Pith.) cujus ipsa verba comparandi causa subjeci: »in structura observanda sunt, ut frequentior sit rotunda, ne hiulca sit vocalium et maxime longarum crebra concursione; ne aspera duarum consonantium conflictu; ne monosyllaba una plura jungantur; ne brevia multa continuentur, ne longa multa; ne ultima syllaba prioris verbi eadem sit quae prima posterioris; ne prima et ultima efficiant obscoenitatem; ne multis exilibus verbis aut syllabis vastis deformetur oratio; ne plures genitivi pluralis jungantur« cet.

frenos] Tam *frenos* quam *frena* dici notum est (Voss. Aristarch. 1, 42; Op. II, p. 187; de vitiis serm. 1, 15; p. 21), sed mirus hoc nostro loco vocis usus; quam tamen quum infra (§. 518) repetat, colligitur *frenos* intelligi impedimenta ex asperrimarum literarum collisione oriunda; quibus orationis cursus, ut equorum frenis, inhibeatur atque retardetur.

in odium] Pro *in odium in peritiam* in editis lege ex vestigiis MS. *in odium repetitam*, hoc est ad nauseam usque iteratam. Gnor. — Ita et in codicibus meis Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (C) scriptum est, unde reponere non dubitavi. Exempla, quae sequuntur, Virgilii sunt (Aen. 3, 183):

»*Sola mihi tales* casus Cassandra canebat«

et (5, 866):

»*Tum rauca assiduo longe* sale saxa sonabant«,

unde apparet male *salo* pro *sale* legi in codice Monacensi (C), licet haud indocte librarius errarit. Ceterum animadvertendum, haec ipsa, quae nunc Martianus reprehendit, ab antiquioribus poëtis Latinis quam maxime celebrata studioseque quaesita esse, ut docte demonstravit Naekius (de alliteratione sermonis Latini, in Niebuhrii Museo Rhenano T. III, p. 324—418); unde et Servius (ad Aen. 3, 183): »haec compositio jam vitiosa est, quae majoribus placuit.«

metacismus] Isidoro *motacismos* depravate. Gnor. — Sed Diomedi hoc vitium est pronunciationis, cum M profertur, ubi debet absorberi: ut si vocem claudat et sequens dictio incipiat a vocali. Uterque autem grammaticus (Martianus et Diomedes) corrigendi, quum apud eos vulgo *metacismus* legatur pro *mytacismus*, quia est a μῦ. Meminit et Isidorus lib. 1 orig. c. 31 (1, 32, 5), ubi itidem in MSS.

verborum conjunctio M literae assiduitate colliditur, ut si dicas: „Mammam ipsam amo quasi meam animam.“ Labdacismus est, ubi L plurimum dissonat, ut si dicas: „Sol et Luna luce lucent alba leni lactea.“ Iotacismus est ut si dicas: „Junio Juno Jovis jure irascitur.“ Polysigma, ubi S litera crebrius geminatur: „Sosia in solario soleas sarciebat suas.“ Homoeoprophoron est, quum dicitur: „O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.“ Dysprophoron, ut si quis dicat „persuasitrices, praestrigiatrices, atque inductrices tigres. Asperae inter 515
penultimam ultimamque verborum maxime vitandae, cujus exemplum est,

nostris est *metacismus*. In excusis *motacismus* legas. Quod non improbo. Imo possis similiter rescribere apud Capellam et Diomedem. Nam literam hanc veteres non *μῦ* tantum, sed *μῶ* quoque dixere. Voss. (inst. orat. 4, 2. Op. III. p. 153). — Equidem hic ut supra (§. 279) vulgatam scribendi rationem servavi, licet in codicibus Reichenauensi et Darmstattensi *moetacismus* legatur.

Mammam] Aut *Mammiam* legendum pro mulieris nomine, aut *Mammam* sumendum pro nutrice, ut in ista inscriptione antiqua:

D. M.
CAECILIAE. LITE.
OFILLIA. ARESCUSA.
MAMMAE. SUAE.
B. M. FEC.

leni] Sic scripsi e codicibus Grotiano, Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi pro *levi* in editis, quod jam Grotius intellexerat metro trochaico officere, praetereaque restitui priorum editionum lectionem *lucent* pro *lucebant*, quod nescio unde Grotius petierit.

iotacismus] Confer Quinctilianum (1, 5, 32) cum nota Spaldingii (p. 112).

polysigma] Ab aliis vocari hoc vitium *διγματισμόν* Vossius (inst. or. 4, 2, 3. Op. III, p. 154) observat; negat tamen Julius Caesar Scaliger vitium hoc esse (poët. 2, 32; p. 172), ac sane tam frequenter apud antiquos invenitur, ut putidus sit, qui ubique damnare velit. Confer quae a viris doctis ad Euripidem (Med. 476) annotata sunt, et quae laudat Otto (ad Ciceronem de senect. p. 102).

homoeoprophoron] Editi habent *homoeopropheron*: rectior nostra e codice Monacensi (C) lectio est. Exemplum, quod Ennii est et a multis grammaticis repetitum, noster ab Auctore ad Herennium (4, 12) mutuatus esse videtur. Plura vide apud Spengelium (art. script. p. IX).

persuasitrices] Ita nos restituimus, cum antea perperam disjunctis vocibus legeretur *persuasi trices*. Gnot. — Apud Plautum (Bacchid. 5, 2, 47) est »probri perlecebrae et *persuastrices*«, quod magis etiam *δυσπρόφορον* sonat; sed codices deserere neque hic volui neque mox in *praestrigiatrices*, quod etsi sermonis ratio respuat, plerosque tamen manuscriptos exhibere testatur Oudendorpius (ad Appul. de mundo T. II, p. 321), quapropter ex uno Reichenauensi *praestigiatrices* scribere eo minus volui, quia Martianum ipsum jam hanc stridosiorem vocabuli formam in mente habuisse verisimile est.

phaleras] E Cicerone (in Verr. 4, 12 f.): »ita ab se invito ablatas phaleras gratis.« Ceterum codices Monacensem (C) et Reichenauensem secutus delevi *ut* ante *si dicas* apud Grotium.

si dicas: „phaleras ablatas gratis“, aut si juret auriga „per lora, per flagella,
316 per frena.“ Hiulcae sunt, quum in ea parte quam diximus similes vocales ac similiter longae collisam hiantemque structuram faciant, ut si quis dicat suscepisse se liberos secundo omine, et ut Tullius pro Milone ait: „auctoritate publica armare“; quod quidem artem dissimulans plerumque appetit
317 voluntate. Vitandum similiter, ne in eodem loco tres aut quatuor longas brevesque continue ponamus, neve in notissimos versus et maxime heroicos structura fundatur iambicosque versus; quamvis eos Cicero non evitet quum dicit: „senatus haec intelligit, consul videt“; et heroici versus finem vel initium non declinet, quum dicit: „o miserum cui peccare licebat“; et in Academicis: „latent ista omnia Varro magnis obscurata et circumfusa tenebris“; et in Verrinis plenum versum una quidem syllaba mutilum fudit, quum dicit: „quum loquerer tanti fletus gemitusque fiebant“; nec finem vitavit elegiaci, quum ait: „oderat ille bonos“; incurrit etiam in hendecasyllabi Phalaecii

voluntate] Ita ipse Cicero de oratore Attico (orat. 25): »verba etiam verbis quasi coagmentare negligat; habet enim ille tanquam *hiatus* concursu vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam negligentiam de re magis hominis quam de verbis laborantis.« Locus in Miloniana est statim ab initio: »temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare.«

versus] »Multum enim interest«, Cicero ait (de orat. 3, 44 f.), »utrum numerosa sit, id est similis numerorum, an plane e numeris constet oratio; alterum si fit, intolerabile vitium est, alterum nisi fit, dissipata et inculta et fluens est oratio.« Adde alios ejusdem locos (orat. 20. 51. 68) et Quinctilianum (9, 4, 27; p. 539 sequ.). Quanquam ipse (orat. 56): »saepe« inquit »versus in oratione per imprudentiam dicimus, quod vehementer est vitiosum, sed non attendimus neque exaudimus nosmet ipsos«, ejusque negligentiae etiam plura quam noster delibavit exempla et e Cicerone et aliis eruí possunt; qua de re peculiaris exstat dissertatio Loeffleri (praeside I. L. Möllero, de versu inopinato in prosa, Lips. 1688). Adde Funccium (de vir. act. L. L. II, p. 550), Fabricium (in bibl. Lat. II. p. 389 Ern.), Graevium (ad Cic. epist. ad Att. 1, 1; p. 7), Schaeferum (ad Demosth. I. p. 189. V. p. 528), Voemelium (ad Dem. Phil. p. 39), Kritzium (ad Sal. Cat. p. 95), et Spengelium (art. script. p. 152).

in Academicis] Longe haec aliter nunc leguntur (Acad. 2, 39): »latent ista omnia, Luculle, crassis occultata et circumfusa tenebris«; nolui tamen quidquam mutare apud nostrum, quum constet Ciceronem Academica secundis curis retractata Varroni inscripsisse, cujus operis quum primus tantum liber exstet, reliqui injuria temporum perierint, facile haec in uno sequentium legi poterant.

quum ait] Scripsi e Monacensi (C) pro *sicut ait*, quod in editis erat.

petulantiam, dum dicit: „successit tibi Lucius Metellus.“ Hic tamen vir et longo opere et ipsa sui majestate defenditur. Ceterum in clausulis vitiosissimum reperitur. Animadvertendum autem, ne quum similitudinem versus effugimus, bonam clausulam transeamus, ut si timeas dicere „strepitumque plagarum“, quum pla longa sit et bonam clausulam fecerit. Vitandum etiam 518
in eodem loco cacemphaton vel interpositione vel commutatione verborum. Inhonesta enim exempla sunt ut „arrige aures Pamphile“, atque „ereptae virginis ira“; in his enim sordescit oratio. Vitandi etiam freni, qui fiunt ex asperrimis literis in unum concurrentibus, ut est illud Terentii in Hecyra: „perpol quam paucos reppérias meretricibus fideles evenire amatores Syra?“ et ab iisdem literis incipientia, ut est: „non fuit istud judicium judicii simile

Phalaecii] Restitui genuinam scribendi rationem, quum anteriores editiones *Phaleutii*, Grotius *Phaleucii* exhiberent. *Petulantiam* autem dicit, quia hendecasyllabi plerumque epigrammatis lascivis atque frivolis componendis inserviebant; unde Quinctilianus (1, 8, 6) amovendos eos a pueris censet. Adde Plinium Secundum (epist. 4, 14, 4): „ex quibus tamen si nonnulla tibi paulo petulantiora videbuntur, erit eruditionis tuae cogitare, summos illos et gravissimos viros, qui talia scripserunt, non modo lascivia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse.“ Sed nostro loco de metro tantum sermonem esse monere vix opus est.

plagarum] Nimirum *plaga* pro discrimine significationis penultimam tum producit tum corripit; sed eo loco quem Martianus innuit, longa penultima pro Graeco *πληγὴ* usurpatur (Verr. 5, 62); ubi nunc quidem legitur: »nulla vox alia illius miseri inter dolorem *crepitumque plagarum* audiebatur«, Martianum tamen corrigere ex nostris editionibus dubitavi.

cacemphaton] Sic scripsi e codice Grotiano et vestigiis Reichenauensis et Darmstattensis, qui *cacenphaton* habent, pro vulgata *cacophaton*, licet hoc etiam in usu fuisse testetur Vossius (inst. orat. 4, 2, 4). De re ipsa vide Ciceronem (ad divers. 9, 22), Quinctilianum (8, 3, 44; p. 215 Spald.), Servium (ad Aen. 2, 27), unde intelliges illud *cacemphaton* dictum esse, si vel ipsa verba vel soni eorum in obscoenum sensum detorqueri possent; ut in eo quod e Terentio attulit (Andr. 5, 4, 31) *arrigere* ad *aures* relatum, quod alias de *membro virili* dicitur, et in altero exemplo *ereptae virginis*, quod *ereptae virginitatis* admonere poterat, licet apud Virgilium (Aen. 2, 413) alio sensu dictum sit:

»*Tum Danai gemitu atque* ereptae virginis ira
Undique collecti invadunt.«

Sic enim et apud poëtam et in prioribus nostri editionibus legitur; Grotius quomodo ediderit *erepta* nescio. Darmstattensis quoque codex habet *ereptae*; Reichenauensis paulo aliter »ut est atque *erepte* virginis« cet.

reppérias] Sic e codice Reichenauensi ipsoque Terentio (Hec. 1, 1, 2) restitui; vulgo *reperias*, codex Monacensis male *reperies*.

judices", et in eadem desinentia, ut: „fortissimorum, proximorum, fidelissimorumque sociorum", in eodem vitio habentur. Item penitus fugiendum breves syllabas continuare quamplures, ut est illud Sereni: „Perit abit avipedis animula leporis."

DE PEDIBUS.

519 His breviter intimatis pedes sunt asserendi, quibus clausulae decenter aptentur; quos quidem Cicero quadam permixta confusione perturbat, dum dicit modo ditrochaeo concludendum, modo paeonem primum probat incipientibus, modo finientibus, modo dochmium, qui constat ex brevi, duabus longis, brevi, et longa, cujus exemplum posuit: amicos tenes; item amphimacrum pedem et rursus dactylicum numerum laudat; modo anapaesticum, modo dithyrambum laudat, nec tamen certa scientia est. Ego tamen compendiosiora percurram, ut in hac silva quibusdam videar praeire tramitibus.

non fuit] Ciceronis (pro Cluentio 5) exemplo in eadem causa utitur et Quinctilianus (8, 3, 31).

Sereni] In poëmatio de leporis morte, unde citatur et illud:

»*Animula miserula properiter obit.*«

Gnot. — Confer Diomedem grammaticum (3, p. 513, 6 Putsch.) et Santenium (ad Terentianum Maurum p. 100). Ceterum in lectione constituenda secutus sum I. C. Scaligerum (poët. 2, 39; p. 179) veteresque editiones, in quibus est »perit avipedis animula leporis«; Grotius contra edidit: »peritavit« cet. Vide et Wernsdorfium (in poët. lat. min. I, 2, p. 218).

permixta confusione] Cicero (orat. 57): »Ego autem«, inquit, »sentio, omnes in oratione esse quasi *permixtos* et *confusos* pedes; nec enim effugere possemus animadversionem, si semper iisdem uteremur, quia neque numerosa esse, ut poëma, neque extra numerum, ut sermo vulgi est, debet oratio.«

ditrochaeo] In editis sequebatur vox *ionicum*, quam neque Grotianus neque Monacensis codex (C), neque Reichenauensis, neque Darmstattensis agnoscit; jure igitur eam expunxisse mihi videor. De *ditrochaeo*, vel ut ipse appellat *dichoreo*, vide Ciceronem (orat. 63).

modo finientibus] Aut ipsius error est Martiani, aut librariorum. Cicero enim Aristotelem secutus (de orat. 3, 47) omnino distinguens scribit: »*ordiri* placet a superiore paeone, posteriore *finire*.« Sed Martianus fortasse alium locum (orat. 57) in mente habebat, ubi in universum paeones oratoribus commendat.

dochmium] Vulgo *dochimum*, quae varietas etiam in Ciceronis, Quinctiliani, multorumque aliorum codicibus invenitur; sed quum orthographiae potius quam lectionis discrepantia sit, rectam formam restituere non dubitavi. Confer Spaldingium (ad Quinctilian. 9, 4, 79; p. 588) et de re ipsa

DE MONOSYLLABIS.

In monosyllabis inspiciendum est, utrum finalis longa brevisne sit. Si 520
enim longa est, praeire debet trochaeus, ut est illud Ciceronis: „non scripta, sed nata lex“, aut: „debet esse legum in republica prima vox“; quae tamen pendente sensu apta conclusio. At vero si brevis fuerit monosyllaba, iambus aut anapaestus antecedat, ut ait Sallustius: „tota autem insula modica et cultibus variis est.“ Brevem vero brevis aut longam longa non sine vituperatione sectatur, ut si dicas: ista res mea est, aut contra, quod Cicero pro Ligario: „non tu eum patria privare, qua caret, sed vita vis“; quod voluntate orator, non errore composuit. Verum hoc de monosyllabo superius praeceptum in colo melius collocamus aut commate, non in fine sententiae.

DE DISYLLABIS.

Disyllaba vero iambico numero non jure clauduntur, sed si penultimus 521
spondeus, mox iambus aptetur, ut si dicas: tenui servos meos, aut pyrrhichius pro iambo, ut: consul videt. At bona clausula est ex iambo et spondeo vel ultimo trochaeo, ut si quis dicat: patria continet bonos cives, vel: asserit caput legis. Cavendum est autem, ne aut duo iambi aut iambus et pyrrhichius

Ciceronem (orat. 64), quem ipsum noster ante oculos habuit.

dithyrambum] Grotius *deutheriambum*, altera lectione ad marginem rejecta; quod perperam factum ipse facile intelligere potuisset, si Ciceronem (de orat. 3, 48; orat. 64) inspexisset. Ceterum a codice Monacensi (C) tota phrasis »modo anapaesticum modo dithyrambum laudat« abest.

scientia] Grotius in margine *sententia*, quod et codex Reichenauensis habet; sed mutandi causa non apparet.

Ciceronis] In Miloniana (cap. 4). Mox e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi scripsi *sensu* pro *sensui*, quod in editis erat.

cultibus variis] Sic scripsi e codicibus quum Grotiano tum meis; vulgo enim legebatur *cultibus inanis*, apud Cortium autem (in fragm. p. 1003) nescio unde *cultoribus inanis*.

non errore] Quod Ciceronem defensurus noster ad illam orationem (pro Ligario 4) hic adnotat, idem jam Asconius Pedianus (ad div. in Caecil. 7) observaverat, nimirum clausulam illam »vita vis« ad exprimendam sententiam de industria duriorem positam esse. Et vix vitium inesse huic orationi

in fine ponantur, ut si quis dicat: pugnare juvenes pro parentibus suis. Cavendum etiam ne pyrrhichius post pyrrhichium veniat et quatuor breves fiant, ut si quis dicat: perdidi bona mea; aut post pyrrhichium trochaeus spondeusve, ut si dicas: conqueritur sua fata, aut: imputat sibi demens. Sed et trochaeus et iambus, vel pro iambo post trochaeum pyrrhichius, malam clausulam faciunt. Hunc enim finem elegiaci pentametri turpiter reddit. Quid enim interest, utrum dicas: omnia nempe vides, an vero dicas: aspice facta mea? Bene autem ponuntur vel duo trochaei vel trochaeus et spondeus in fine clausulae, ut si quis dicat: haec est bonorum civium magna cura, aut: haec sunt, quae maximi principes sola curant.

DE TRISYLLABIS.

522 Trisyllabis clausulam terminantibus lex est, si modo eam velis molliter fluere, ut trochaeo praecedente penultimo molossus subsequatur, sive longam habeat novissimam syllabam sive brevem jure metrico, ut illud est Tullii: „mare fluctuantibus, littus ejectis.“ Fit autem pessima clausula, si pro trochaeo penultimo spondeum praelocaveris, ut si dicas: mare fluctuantibus rupes ejectis; item pessima, si pro trochaeo pyrrhichium praemiseris, ut si dicas: mare fluctuantibus apis ejectis. Item vitiosa est conclusio, si novissimi molossi prima syllaba brevis fiat, quamvis trochaeo rite praemisso; tunc enim heroicum comma nascitur, ut si quis dicat: littus amicis. Item bona clausula fit, si pro novissimo molosso ionicus minor ponatur post trochaeum, ut si

dixeris quae Ciceronis *pulcherrima* dicitur in jure Romano (l. 2. §. 46 de O. J).

fiant] Sic pro Grotiano *faciat* reposui e codice Monacensi (C).

duo] Omissam a Grotio hanc vocem supplevi e Darmstattensi codice et anterioribus editionibus.

praecedente penultimo] In editis erat *penultimam*; sed illud Monacensis codex (C) praebuit, et sensus efflagitavit.

Tullii] Pro Roscio Amerino (cap. 26).

apis] Nihili vox ad sensum, unde factum est ut et vetus ille fons, unde in margine Grotius hausit, et codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis (C) *apex* legant; sed sententia pyrrhichium flagitat, neque quidquam praeterea voluisse Martianus videtur, nisi ut qualecunque vocabulum duarum brevium syllabarum in penultimum locum substitueret.

dicas: mare fluctuantibus littus agitanti. Sed in hac clausula cavendum, ne pro trochaeo penultimo spondeus ponatur; nam tunc si solveris tertiam molossi, in vitium cadis, quale incidit Cicero, quum dicit: „si te semel ad meas capsas admisero.“ Si autem penultimo trochaeo mediam molossi solveris, pulchram clausulam feceris, ut si dicas: littus Aemiliae; item trochaeo penultimo pulchre etiam tertia molossi resolvitur, ut si dicas: littus aequabile. Item si trochaei penultimi longam solveris, et primam molossi ultimi, fit elegans clausula, ut est: curas regere animorum.

DE FIGURIS.

Sententiarum autem figurae hae sunt: Ironia est simulatio, in qua 523
aliud verbis significamus, aliud re ipsa sentimus, ut est principium pro Ligario: „Novum crimen Cai Caesar.“ Paralepsis est praeteritio, quum quasi

quale] Ita plurimi codices (Oudend. ad Appul. I. p. 714), in quibus et Reichenauensis est; non »*in quale*« ut Grotius edidit. Omissae ante relativa praepositionis nec apud Graecos nec apud Romanos exempla desunt; confer modo Ciceronem ad Atticum (3, 10, 2): »me tuae literae nunquam in tantam spem adduxerunt, *quantam* aliorum«, et ad Q. fratrem (1, 4, 4): »quoniam in tantum luctum et laborem detrusus es, *quantum* nemo unquam«; Livium (10, 31): »socios belli in eadem fortuna videbant, *qua* ipsi erant« cet.

Cicero] In divinatione in Caecilium (15).

de figuris] Hanc inscriptionem e codice Reichenauensi desumsi, quum vulgo verba sequentia »sententiarum autem figurae hae sunt« pro titulo posita essent; quae a Reichenauensi prorsus absunt.

sententiarum] Distinguuntur ab *elocutionis* figuris, de quibus infra (§. 526), pariter ut apud Graecos *σχήματα λέξεως καὶ διανοίας*. Confer Quinctilianum (9, 1, 14 sequ.), Aquilam Romanum (p. 143 Ruhnk.), et quos laudat C. Fr. Hermannus (ad Luc. de hist. scr. p. 273). Accuratius etiam distinguit Curius Fortunatianus (p. 73 Pith.) *λέξεως, λόγου, διανοίας*; quas differre docet »quod *λέξεως* in singulis verbis fiunt, ut *nuda genu*, quas uno nomine *ἐξαλλαγὰς* possumus dicere: *λόγου* vero in elocutionis compositione, quae pluribus modis fiunt, ut *πολυπτώτῳ, ἐπαναφορᾷ, ἀντιστροφῇ, παρονομασίᾳ*: *διανοίας* autem in sensibus, *προθεράπευσις, ἠθοποιΐα, ἀποστροφή*: quibus etiam, sive elocutionem mutaveris aut verborum ordinem inverteris, eaedem tamen figurae permanent, verum utraque *λέξεως* et *λόγου* non ita.«

ironia] Confer hunc similesque locos, si libet, cum Aquila, ex quo haec paene omnia desumta. Gaot.

Cai Caesar] Sic e codicibus meis scripsi, quum vulgo breviatum esset: *C. Caesar.*

paralepsis] Codices Monacensis (C) et Reichenauensis *paralempsis* habent, atque ita etiam quae-

praetermittentes quaedam nihilominus dicimus. Apostrophe est in aliquem districta conversio, frequens apud Ciceronem ac nobilis figura. Haec est, quum in aliquem sic convertimus actionem, ut ex ea judices doceamus. Diaporesis est addubitatio, qua figura utimur, quum veluti dubitantes ab ipsis judicibus inchoamenti consilium postulamus, ut pro Cluentio: „equidem quo me vertam, judices, nescio"; et pro Cornelio: „pugnem contra nobilissimorum hominum
524 studia, consilia, rationesque eorum aperiam" etc. Erotema est interrogatio, qua figura utimur, quum interrogando aliquid coacervamus et exaggeramus ejus invidiam. Pysma est quaesitum, quae figura a superiore eo differt, quod interroganti una voce tantum responderi potest, quaesito autem nisi pluribus responderi non potest, ut quum dicimus: „Qua igitur ratione bellum geremus?"

dam Aquilae editiones. Darmstattensis codex *paralemsis*, quod proxime accedit ad veram scribendi rationem *paraleipsis*; παράλειψις enim Graecis est quae Romanis *praeteritio*. Auctori ad Herennium (4, 27) *occupatio* dicitur, nisi cum Spaldingio (ad Quinctil. 9, 3, 98; p. 529) legere praestat *occultatio*. Ceterum ex Aquila (p. 149) inserui *quasi* vulgo omissum, sed quod vix abesse poterat.

conversio] Auctori ad Herennium (4, 15) sub *exclamationis* nomine comprehenditur, Aquila (p. 150) *aversionem* nuncupat, ut et Quinctilianus (4, 1, 63. 9, 2, 38) »sermonem a persona judicis *aversum*«; sed mutandi apud nostrum causa nulla, quum si orationem ab uno *avertimus*, ad alterum eam *converti* necesse sit.

actionem] Ruhnkenius Martianum corrigi vult ex Aquila, qui: »sic plerumque convertimus orationem in reum ab judice, quum illa tamen, quibus adversarium alloquimur, judici allegentur«, scribique jubet *orationem*, sed perperam; confer modo Rutilium (p. 75), ubi de *metabasi*: »aliud genus est, quum ad aliam rem et *actionem* et orationem nostram revocamus.«

addubitatio] Sic et Cicero (orat. 40) et Aquila (p. 151); *dubitationem* Auctor ad Herennium (4, 29) et Quinctilianus (9, 2, 19; p. 392), qui et eodem Ciceronis exemplo (pro Cluentio 1) eoque pleniori quam noster utitur.

pro Cornelio] Hoc quoque exemplum plenius exstat apud Aquilam (p. 151): »Pugnem aperte contra nobilissimorum hominum voluntates? studia, consilia, cogitationesque eorum aperiam?«

interrogatio] Aquila (p. 151) *interrogatum*, quod emendavit noster, Auctorem ad Herennium (4, 15) secutus. Verum non simplicem interrogationem intelligendam esse recte monet, sed eam, »quae«, ut verbis utar Ciceronis (orat. 40), »urgeat«, vel ut Quinctilianus (9, 2, 7; p. 386 Spald.) scribit, »instet.«

quaesito] Sic legendum esse pro vulgato *quaestio* jam Grotius intellexit, correxique ex Aquila (p. 153), quem noster ad verbum fere expressit; quod tamen praeterea ex eodem reponi jussit Ruhnkenius *interrogato* pro *interroganti*, necessarium non duxi.

Quae auxilia nobis parata erunt? Quis erit, qui subvenire velit, quum tam acerbe socios tractaverimus?“ Diatyposis est descriptio vel deformatio, quum rebus personisque subjectis et formas ipsas et habitus exprimimus, ut Tullius pro Milone: „si haec non gesta audiretis, facta videretis, et Milonem in rheda sedentem penulatum cum uxore; item Clodium cum equo et delectis villa egredientem etc. Antisagoge contraria inductio. Haec figura est, quum aliquid difficile est, et contrarium conferimus, ut Cicero de rege Ptolemaeo: „Difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis.“ Diasyrmos est elevatio 525
vel impressio. In hac figura laudantes quae dicuntur ab adversariis dissolvimus; qualis est in Mureniana totus ille in Sulpicium locus de jure civili. Metastasis est transmotio quaedam, hoc est quum rem a nobis alio transmovemus, sed non ita ut ibi totam causam constituamus, alioquin status incipit esse, non figura.

si haec non] Lege ex Cicerone et Aquila: »si haec non gesta audiretis sed picta videretis; et deformat Milonem« cet. Gnot. — Si Ciceronis locum (c. 20) contuleris, multa certe turbasse Martianum videbis; eo tamen audaciae procedere nolui, ut omnium codicum lectionem ad Aquilae auctoritatem immutarem, quem licet ante oculos noster habuerit, tamen non ita presse semper sequi voluisse videtur. Id tantum Aquilae tribui, ne e codice Monacensi (C) reciperem *electis* pro *delectis;* apud Ciceronem enim nihil praesidii, cujus uterque contraxit verba: »neminem nisi ut virum a viro lectum esse diceres.«

antisagoge] Obscurior factus est Martianus, dum Aquilae verba contraxit, quae haec sunt: »Antisagoge compensatio. Est autem hujusmodi, ubi aliquid difficile et contrarium confitendum est, sed *contra inducitur* non minus firmum.«

Ptolemaeo] Hoc exemplum inter ea fragmenta quae ex oratione de rege Alexandrino publicavit Majus (Mediol. 1817) non exstat.

diasyrmos] Ruhnkenius (ad Aquilam p. 135) miratur Grotium, qui non ex Aquila correxerit: »elevatio vel *irrisio* ea figura est, qua *ludentes* quae dicuntur ab adversariis dissolvimus«, sed suum cuique servare malui, indicato tantum fonte, unde saniora petere liceat. Unum illud feci, ut vocem *figura* insererem post *in hac,* quae quum in anterioribus editionibus exstet, a Grotio per incuriam omissa esse videtur. Ceterum quem locum e Mureniana laudat vel Aquila vel noster, inde a capite undecimo legitur.

metastasis] Aquila (p. 135): »Metastasin, *transmotionem,* quidam inter figuras nominavit, quum rem a nobis alio transmovemus, non ita ut ibi causam constituamus; alioquin jam figura non erit, sed species quaedam ejus status, quem qualitatis aut ex accidenti appellant secundum Hermagoram.« De hoc statu vide supra (ad §. 446). Ceterum apparet recte nos e Reichenauensi codice restituisse *metastasis* pro eo quod in editis erat *metathesis;* servandam autem fuisse lectionem *transmotio,* pro qua

QUOT MODIS FIAT ELOCUTIO.

526 Hactenus de sententiarum figuris, nunc ad elocutionum figuras transeamus. Sed volo breviter memorare, quot genera sint elocutionis, quotque modis ea utendum sit. Est igitur familiaris omnis narrationis generi, quam Graeci *εἰρομένην λέξιν* appellant; quae ita connectitur, ut superiorem elocutionem semper proxima sequatur, et historiae convenit et narrationi, et non conversum neque circumscriptum eloquendi genus desiderat, sed diffusum atque continuum, ut illa sunt in Miloniana: „occidi, occidi, non Spurium
527 Maelium, quod annona levanda jacturisque“ et cetera. Est alia quam Graeci *περίοδον* appellant, quae sententiam quadam circumscriptione definit atque determinat; quale est in Caeciniana: „Si quantum in agris, locisque desertis audacia potest, tantum in foro judiciisque impudentia valeret, non minus

alios *transmutatio* scribere Grotius in margine notavit.

εἰρομένην λέξιν] Vitiose Mart. Capella *ἐπίμονον λέξιν*; quod tamen ita placuit H. Grotio, ut in Aquila restitui vellet. Sed vir maximus illa aetatula, qua haec scribebat, nondum legerat Aristotelem Rhetor. III, 9; p. 130; qui quae sit *εἰρομένη λέξις*, pluribus docet. Ruhnk. (ad Aqu. p. 158). — Dionysii etiam Halicarnassensis in judicio de Thucydide (II, p. 140 Sylb.) verba haec conferenda sunt: »*χρὴ δὲ τὴν ἱστορικὴν πραγματείαν εἰρομένην καὶ ἀπερίσπαστον εἶναι.*« Ceterum non apud Martianum vitiosus hic locus est, sed apud eos qui nostrum ediderunt. Darmstattensis enim codex EPIMONEN LEXIN, unde corruptionis causa apparet, videlicet librarios Graecas literas pro Latinis legisse; neque reponere dubitavi, quod unice rectum esse quivis concedet.

quod annonae] Lege: »qui annona levanda jacturisque« cet. Gnor. — Ita enim apud Ciceronem (pro Mil. 27) Aquilamque (p. 139) legimus; sed Martianum quoque sic legisse quis praestet?

circumscriptione] Cicero (orat. 61): »toto illo circuitu, quem Graeci *περίοδον*, nos tum *ambitum*, tum *circuitum*, tum *comprehensionem*, aut *continuationem*, aut *circumscriptionem* dicimus.« Quinctilianus quoque (9, 4, 22; p. 536 Spald.) in ea interpretanda laborat, dum »vel *ambitum*, vel *circumductum*, vel *continuationem*, vel *conclusionem*« appellat. Rufino (de compos. p. 317 Pith.) *comprehensio* est; Aquila, quem noster ante oculos habuit (p. 139): »alia autem« inquit »quae ex *ambitu* constat, quem *ambitum* Graeci *περίοδον* appellant; est autem ea quae sententiam« et sic porro ut Martianus, qui et exemplo eodem (pro Caecin. 1) utitur.

in agris] Sic et Quinctilianus (9, 3, 80; p. 505 Spald.) et Aquila; apud Ciceronem nunc quidem legitur *in agro*.

nunc Aulus Caecina cederet Sexti Ebuci impudentiae, quam tum in vi faciunda cessit audaciae.“ Quae multis constat ex membris, quae κῶλα Graeci dicunt, et ex caesis, quae κόμματα appellant. Membrum est pars orationis ex pluribus 528
verbis absolute aliquid significans, hoc modo: „Etsi vereor, judices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere.“ Caesum autem est pars orationis ex duobus aut pluribus verbis nondum aliquid absolute significans; quanquam caesam orationem dicamus, quum singula verba quodvis significantia proferuntur, ut est: „Quis est iste Lollius, qui sine ferro ne nunc quidem tecum est? Quis est iste Lollius, armiger Catilinae, stipator tui corporis, concitator tabernariorum, percussor, lapidator curiae?“ Et in Verrinis: „Comites illi delecti manus erant tuae: accensi, medici, aruspices, scribae, tuae erant manus.“ Verum superior periodus constat ex duobus 529
membris et ex tribus et ex quatuor, interdum et sex; quamvis ex uno membro

quam tum] Quod pro hisce verbis apud nostrum legebatur »*quantum*« in notis jam correxit Grotius. Et quamvis apud Aquilam legatur »quam tum quum in faciunda cessit audacia«, recte tamen noster e Quinctiliano et Cicerone ipso defenditur; Aquilae igitur locum corruptum esse patet.

ex membris] Cicero (orat. 62): »quae Graeci κόμματα et κῶλα nominant, nescio cur nos non recte *incisa* et *membra* dicamus.« Adde Auctorem ad Herennium (4, 19), Quinctilianum (9, 4, 22; p. 535 Spald.), Aquilam (p. 159. 160), et Isidorum (etym. 1, 20, 2 sequ.).

etsi vereor] Oratio pro Milone ab initio.

pars orationis] In editis corrupte haec legebantur: »pars orationis ex duobus aut pluribus verbis dum quicquam absolute significamus«; sed codex Monacensis (C) jam pro posterioribus verbis praebet »aliquid absolute significans«; unde comparato Aquila (p. 160) veram lectionem restitui.

iste Lollius] Restitui e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi, quod apud ipsum quoque Ciceronem (pro domo 5) legitur; male Grotius: »quis est Lolli.«

lapidator] Deest *licitator fori*. Gnor. — Grotii errorem ex inepta R. Stephani emendatione ortum jam notavit Ruhnkenius ad Aquilam (p. 160), ubi idem exemplum exstat, sed in extremis verbis paululum immutatum: »percussor, latrator fori, depopulator curiae.« Utrumque tamen turbasse ipsius loci Ciceroniani comparatio docebit: »Quis est iste Lollius? qui sine ferro ne nunc quidem tecum est, qui te tribuno plebis, nihil de me dicam, sed qui Cn. Pompejum interficiendum depoposcit. Quis est iste Sergius? armiger Catilinae, stipator tui corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus injuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor curiae.«

comites] Cicero (in Verr. 2, 10): »Comites illi tui delecti manus erant tuae. Praefecti, scribae, medici, accensi, aruspices, praecones erant manus tuae.« Brevior etiam nostro Aquila (p. 160 Ruhnk.). Vides non omnia ab istis esse exscripta, sed ea

putent nonnulli posse compleri, quem *μονόκωλον περίοδον* appellant, quum sit colon potius. Optima igitur oratio fiet, si nunc ex ambitu periodico, nunc ex illa continuatione perpetuae elocutionis aptetur, nonnullisque caesis interrupta
530 quum fuerit, aliquando colon consocietur. Differt autem figura elocutionis a figura sententiae hoc, quod sententiae figura immutato verborum ordine manere potest, at vero figura elocutionis ipso verborum mutato ordine manere non poterit, quamvis plerumque fieri possit, ut sententiae figura conjungatur cum elocutionis figura, ut in ironia, quae figura est sententiae, epanaphora permiscetur, quae est elocutionis.

DE FIGURIS ELOCUTIONIS.

531 Sunt igitur figurae elocutionis aliae ad ornandam tantum et quasi pingendam orationem accommodatae, aliae vero ad significationis vim intimandam, quibus nunc utimur. Antitheton, id est oppositum ex contrariis, quum verba

tantum, quae ad exempla proferenda sufficere putabant.

colon consocietur] Sic scripsi e codice Monacensi (C), quum vulgo legeretur *colo consociet*, quamque ad marginem Grotius lectionem notavit *consentiet* nihili esset. Sed quod praeterea ex Aquila restitui voluit Ruhnkenius (p. 162) *nonnunquam caesis interrupta fuerit*, necessarium omnino non duxi.

differt] Reponendum erat *elocutionis* ex anterioribus editionibus pro Grotiano *locutionis*. Cicero (Brut. 17 f.): »Ornari orationem Graeci putant, si *verborum* immutationibus utantur, quos appellant *τρόπους*, et *sententiarum* orationisque formis, quae vocant *σχήματα*.« (Adde eundem c. 37 f. et nostrum §. 525). Sed non omnes pariter distinxisse docet Quinctilianus (9, 1, 3; p. 362 Spald.).

ut sententiae] Grotius cum reliquis editis male: »figurae conjungantur.« Sed Aquila (p. 164) codicesque Leidenses, a Ruhnkenio laudati, et Monacensis (C) meliorem nostram suppeditarunt lectionem. Ita etiam quod antecedit verbum *possit* e Monacensi reposuimus pro Grotiano *potest*.

ad ornandam] Correxi Grotianas lectiones »ad *ornandum*« et »*ad* pingendam orationem *commodatae*« tam e Monacensi (C) quam ex anterioribus editionibus, quo facto noster cum Aquila (p. 165) concinit. Cicero (Brut. 37 f.): *σχήματα*, inquit, »non tam in *verbis pingendis* habent pondus, quam in *illuminandis sententiis*.« Adde quae ad Ciceronem (de invent. 2, 15) Marius Victorinus (p. 201 Pith.) observat.

oppositum] Emenda Mart. Capellam, ubi est: »*compositum* ex contrariis« et »verba *repugnantia*.« *Pugnantia* etiam codices Leidenses. Runkk. (ad Aqu. p. 167) — Neque Martianus *repugnantia* scripsit; sed Grotius hanc vocem intrusit pro *pugnantia*, quod tam in editis quam in Darmstattensi codice exstat. *Oppositum* autem omnino reponendum erat

pugnantia inter se paribus vocibus colliduntur, vel paria paribus opponuntur, ut est Ciceronis: „domus tibi deerat, at habebas; pecunia superabat, at egebas“, aut si dicas: „in pace ad vexandos cives acerrimus, in bello ad expugnandos hostes inertissimus.“ Isocolon exaequatum membris, quod fit non in pugnantibus inter se verbis, sed paribus exaequatis, ut si dicas: „classem speciosissimam et robustissimam instruxit, exercitum pulcherrimum et fortissimum legit, sociorum maximam et fidelissimam manum comparavit.“ Parison prope aequatum. Haec figura differt a superiore, quod ibi omnium membrorum genera paria sunt numero, hic uno vel altero addito in quovis loco cetera excurrunt. Homoeoptoton simile casibus; nam ex eo nomen accepit, 552
quod cola omnia in eosdem casus cadunt, ut est: „huic socios vestros criminanti, et ad bellum vos cohortanti, et omnibus modis ut in tumultu essetis volenti“. Homoeoteleuton, simili modo determinatum, differt a superiore, quod illud et casu et sono simili postrema verba determinat, hoc vero soni tantum similitudine sub quacunque verbi enunciatione componitur. Paronomasia levis immutatio verbi ac nominis, id est quum syllaba aut litera

non solum ex Aquila (p. 166); sed ex Ciceronis (orat. 50) etiam hisce verbis: »semper haec, quae Graeci *ἀντίθετα* nominant, quum contrariis *opponuntur* contraria, numerum efficiunt.« Subtilius e Rutilio (p. 125) Quinctilianus (9, 3, 81; p. 506, et 9, 3, 92; p. 515 Spald.) antitheta distinguit. Exemplum quo utitur noster, non solum apud Ciceronem ipsum (orat. 67), sed apud Aquilam etiam et Quinctilianum (9, 4, 122; p. 624) legitur.

aut si dicas] Ex hoc apparet, non Ciceronis exemplum esse, sed ab Aquila fictum. Rvnxx. (ad Aqu. p. 167).

exaequatum] Male Grotius: »*est aequatum*.« Non anteriores tantum editiones veram lectionem praebebant, sed Aquila etiam (p. 167); quo magis culpandus Grotius est. De ipsa figura confer Aristotelem (rhet. ad Alex. 26), Dionysium Halicarnassensem (in judic. de Isocr. passim), et Quinctilianum (9, 3, 80; p. 505).

prope] Pro *proprie* in editis non tantum codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Grotianus habent; sed Aquila etiam (p. 168 Ruhnk.).

omnium] Corrigendus ex Aquila Mart. Capella, ubi ita legitur: »quod ibi *omnia* membrorum *genera* paria« cet. MSS. Leidenses »*omnium* membrorum.« Recte. Rvnxx. (ad Aqu. p. 168) — Praeterea *verba* habet pro *genera* Aquila; sed invitis codicibus mutare nolui.

volenti] Aquila (p. 169) *molienti*, quod apud nostrum quoque reponi vult Ruhnkenius; temere.

homoeoteleuton] Praeter Aquilam (p. 169) confer Rutilium Lupum (p. 125), et Quinctilianum (9, 3, 80; p. 505 Spald.).

immutatio] Ita et Cicero de oratore. In Aquila

mutata diversa significat, ut si dicas: praetor est vel potius praedo. Ploce est copulatio, in qua idem verbum aut nomen continuo positum diversa sig-
533 nificat, ut est: „sed tamen ad illam diem Memmius erat Memmius.“ Palillogia iteratio. Haec figura repetito verbo aut nomine non diversa vult intelligi, sed vehementius repetita significat, ut est: „nos, nos, dico aperte, nos consules desumus.“ Epanalepsis est repetitio. Haec figura a superiore distat, quod illa eadem parte orationis repetita conjungitur, aut uno alterove verbo interposito, at haec non una parte interposita orationis, sed prout libuerit sociatis verbis, ut est: „non potest, jam non potest haec libera civitas esse.“ Anadiplosis est replicatio optima, quum ea, quae in priore membro postrema ponuntur, in posteriore prima repetuntur, ut est illud Terentii: „negat hanc sibi cognatam Demipho; hanc Demipho negat esse cognatam.“ Prosapodosis redditio ora-

paulo sequius *imitatio*. Gnor. — Correxit Ruhnkenius e Martiano. Exempla apud Rutilium (p. 12 Ruhnk.), Ciceronem (de orat. 2, 63), et Quinctilianum. Ciceronis huc pertinet (ad Att. 1, 13): »*facie* magis quam *facetiis* ridiculus«; et Terentii (Andr. 1, 3, 13): »incoeptio est *amentium*, haud *amantium*.«

praetor] Aquila: »praetor *iste*.« Male in Capella scribitur »praetor *est*«; ubi H. Grotius laudat Juvenal. XI. 193:

»praedo *caballorum* praetor *sedet*« —

Quanquam illum locum alii aliter legunt et interpretantur. Diomedes II, p. 441 idem paronomasiae exemplum his verbis ponit: »si non *praetorem* te, sed *praedonem* dicimus.« Runnk. (ad Aqu. p. 170). — Sed ea ipsa de causa nihil apud Martianum mutandum. Nam et Cicero (in Verr. 1, 50) hac figura aliis quidem utitur verbis, scribens: »pupillos et pupillas certissimam *praedam* esse *praetoribus*.« Sed prae omnibus hic conferas velim Auctorem ad Herennium (4, 21).

sed tamen] Ex Aquila Grotius restituit Mart. Capellam, in quo vulgo legitur: »sed tamen ad illam diem Memmius, Memmius ad illud tempus, Memmius in alio.« Additamentum, quod in vulgatis Capellae editionibus est, fluxit a librario monente »in alio« scilicet *codice* legi »Memmius ad illud tempus Memmius.« Runnk. (ad Aqu. p. 171). — Veram etiam lectionem codex Monacensis (C) praebuit, unde non hoc solum exemplum correxi, sed ab initio etiam verba »*id est*«, ubi »*id*« rectius omittitur.

nos nos] Notissimus locus Ciceronis (Catil. 1, 1).

epanalepsis] Ἐπανάληψις (Quinctilian. 8, 3, 51; p. 250 Spald.). Alii hanc *ἐπίζευξιν* appellant (v. Krüger. ad Dem. Philipp. 1, p. 22 in Schaef. appar. Tom. V. p. 769). Exempla jam apud Homerum (Il. *υ*. 371. *χ*. 127) exstant; plura dabunt Auctor ad Herennium (4, 13), Rutilius Lupus (p. 39), Aquila (p. 174), et Rufinianus (p. 218. 250 Ruhnk.).

anadiplosis] Confer Aquilam (p. 174). Exemplum additum apud Terentium (in Phorm. 2, 3, 5) legitur.

tionis, id est, quum nomen in postrema parte membri aut eadem quaecunque pars orationis redditur, ex qua idem membrum coepit, ut si dicas: publicas tibi calamitates imputare debet respublica. Epanaphora est relatio, quotiens per singula membra eadem pars orationis repetitur, hoc modo: „Verres calumniatores apponebat: Verres de causa cognoscebat: Verres pronunciabat.“ Antistrophe est conversio. Haec figura hoc differt a superiore, quod illa ab eadem parte orationis saepius incipit, haec in eadem terminatur, ut est pro Fontejo: „Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimae copiae 554

publicas tibi] Citat Aquila: »Tibi sceleratissime omnium imputare omnes calamitates suas respublica tibi.« Plenius et perfectius, si tantum ex Martiano addas *debet*. Gnot. — Corrupta est lectio Mart. Capellae: *Publicas tibi calamitates immutare debes respublica*, ubi non intelligo quod Grotius dicit, verbum *debet* e Capella Aquilae esse reddendum. Nam omnes editiones (Aquilae) illud verbum habent. Ruhnk. (p. 176) — Ipsius Martiani lectionem Grotius corrupit, quum antecedentes editiones recte *imputare* haberent et *debet*, quod reposui; longius tamen corrigendo procedere nolui, quum exemplum ab Aquila propositum non ex antiquo aliquo scriptore depromtum sed ab ipso fictum esse apparcat, quod igitur refingere Martiano licuit. Refictum autem ab eo, non modo contractum esse eo magis statuimus, quia quamvis mutatum et ipsum tamen justum figurae exemplum in repetita voce *publica* exhibeat. Illud tantum nobis indulsimus, ut pro *proapodosis* ex Aquila restitueremus *prosapodosis*. Ceterum verba, quibus figura explicatur, apud ipsum Aquilam ita corrupta sunt, ut nihil inde lucis ad nostrum redundet: »quod idem nomen in postrema parte membri, aut eadem, quaecunque pars orationis redditur, est connexa, unde id membrum aut is ambitus coepit«; interpungendo quantum potui opis afferre studui. Ceterum Quinctiliano (9, 3, 94) et Rutilio Lupo (p. 1) prorsus alia figura eodem hoc nomine appellatur.

est relatio] E codice Monacensi (C) inserui *est* vulgo omissum; eque eodem et Darmstattensi ac Reichenauensi mox *apponebat* pro *apponebat*, et Aquilam (p. 177) et ipsum Ciceronem (Verr. 2, 10) secutus. Quanquam ipse Ciceronis locus aliquantum a nostro discedit: »Verres calumniatores apponebat, Verres adesse jubebat, Verres cognoscebat, Verres judicabat«, unde rem magis quam verba Aquilam spectasse apparet. Figuram jam ab Homero (Il. β, 382. ε, 74) usurpatam Auctor ad Herennium (4, 13) *repetitionem* appellat, Aquila *relatum*; nomen *relationis* legitur quidem apud Ciceronem (de orat. 3, 54), sed ut Quinctilianus (9, 3, 97) neget sibi liquere, quid accipi velit.

est conversio] Hic quoque *est* e codice Monacensi (C) supplevi. De ipsa figura Auctor ad Herennium (4, 13): »*conversio* est« inquit »per quam non ut ante primum repetimus verbum, sed ad postremum continenter revertimur.« Exemplum ex oratione Ciceronis pro Fontejo allatum inter eas illius partes, quae integrae ad nos pervenerunt, non exstat; nostrum et ipsum ex Aquila tantum descripsisse certum est, unde restitui quod vulgo omissum erat *frumenti*, interpunctione quoque, ut jam Grotius suaserat, correcta.

e Gallia, equites numero plurimi e Gallia.“ Symploce connexio: nam et incipit saepius ab una parte orationis, et totiens in unam atque eandem desinit, ut est: „Quis legem tulit? Rullus. Quis decemviros quos voluit creavit? 535 Idem Rullus.“ Polyptoton ex pluribus casibus, quum saepius initium ab eadem parte orationis fiat, illa ipsa pars declinationibus aut numeris immutatur per casus, ut est: „Senatus jussit, senatui placuit, senatum certum est praecepisse, a senatu delectus est.“ Synonymia est communio nominis, quotiens uno verbo non satis dignitatem rei aut magnitudinem demonstramus, ideoque ad eandem significationem plura conferimus. Tautologia est eadem pluribus verbis significatio. Hoc differt a superiore, quod ibi singulis verbis 536 eadem res, in hac plurimis significatur. Climax est ascensus, ut est Ciceronis pro Milone: „Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit; neque senatui modo, sed etiam publicis sociis et armis; neque his tantum, verum etiam ejus potestati, cui senatus totam rempublicam commiserat.“ Asyndeton est solutum, ut ademtis conjunctionibus, quibus verba aut nomina connectuntur, singulatim unumquodque enunciamus, ut est: „Exspecto vim

connexio] Auctori ad Herennium (4, 14) *complexio* est. Exemplum allatum apud Ciceronem (de lege agrar. 2, 9) plenius exstat.

polyptoton] Confer Auctorem ad Herennium (4, 22), Quinctilianum (9, 3, 36; p. 472 Spald.), et Aquilam (p. 179), qui tamen aliis exemplis utitur, ut hoc quod sequitur nostrum ipsum finxisse opiner.

tautologia] Aquila (p. 180): »Eadem pluribus verbis significat hoc schema. Differt autem perexiguo proxima a superiori figura. Ibi enim singulae partes ex ordine idem significantes ponuntur, hic unius nominis aut verbi prius positi vis deinceps pluribus verbis explicatur.« Et alias quidem, ut ait Quinctilianus (8, 3, 51; p. 250 Spald.), »interim vitium videri potest, quanquam non magnopere summis auctoribus vitata; sed hoc quoque quum a prudentibus fit, schema dici solet.«

ascensus] Ita et Aquila (p. 181); melius ab Auctore ad Herennium (4, 25) et Quinctiliano (9, 3, 54; p. 484 Spald.) *gradatio* dicitur. In exemplo quod sequitur e Miloniana (25) apud Aquilam ut apud Ciceronem legitur *praesidiis* pro *sociis*, utique melius; corrigere tamen nostri manum nolui.

asyndeton] Ita recte codex Reichenauensis: perperam in editis *asyntheton*. Nam non solum Quinctilianus (9, 3, 51 et 9, 4, 23; p. 483 et 536 Spald.), sed Aquila etiam (p. 184) et Rufinianus (p. 240 Rulnk.) ἀδύνδετον scribunt. Auctor ad Herennium (4, 30) *dissolutionem* dicit.

singulatim] Codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis (C) *singillatim*, sed vide nos supra (ad §. 27).

enunciamus] Mirum est in indicativo *enunciamus* non solum veteres editiones sed etiam Mart.

edicti, severitatem praetoris, faveo oratori, cupio supplicio octuplo damnari Aphronium." Diezeugmenon disjunctum appellamus, quum diversis redditionibus verborum cola disjungimus sive duo sive plura, hoc modo: „Capuam colonis deductis occupabunt, Atellam praesidio communient, Nuceriam cum hac multitudine suorum obtinebunt, cetera oppida praesidiis devincient." Ante- 537
zeugmenon injunctum. Haec figura a superiore hoc differt, quod ibi singulis membris singula diversa redduntur, hic plura in uno conjungimus, ut est: „quorum ordo ab humili, fortuna sordida, natura turpi ratione abhorret". Hoc enim postremum abhorret praedicta conjunxit. Pleonasmos est plus necessarium,

Capellam, in quo perperam legitur *nunciamus*, consentire. Runnk. (ad Aquil. p. 185) — Restituimus e codice Darmstattensi *enunciamus*; conjunctivum autem reponere cum Ruhnkenio religio fuit, quum, si quidem mutandum sit, mendum in *ut* potius latere videatur, pro quo libenter *ubi* restituerim. Pari audacia in sequentibus etiam grassatus est Ruhnkenius, ubi ex ipso Cicerone (Verr. 3, 11) Aquilae restituit *aratori*, quum codices omnes ut et Martianus *oratori* praeberent; equidem nihil muto, neque in sequentibus repono »cupio octupli damnari Apronium«, ut apud Ciceronem est, quia si haec omnia temere refingere ad nostra exemplaria volumus, totus usus peribit, quem aliquando Ciceronis critici ex nostro capere potuerint.

disjunctum] Sic Aquila quoque (p. 187). Auctori ad Herennium (4, 27) *disjunctio* est.

Capuam] Haec memoriter citantur ex Ciceronis Agrar. II, 31, ubi ita: »Calenum municipium complebunt: Theanum oppriment: Atellam, Cumas, Neapolim, Pompejos, Nuceriam suis praesidiis devincient.« Runnk. (ad Aqu. p. 187).

cum hac] Lege *Nuceriam, Cumas.* Gnot. — Ita et Cicero et Aquila; sed quum sensum praebeat vulgata, quem ipse Martianus velle potuerit, mutare eam sine codicibus nolui.

antezeugmenon] Lege *epezeugmenon.* Et sic Aquila, quanquam et haec lectio tolerari possit. Gnot. — Sed Aquilae ipsi ex Aldina et nostro *antezeugmenon* reddidit Ruhnkenius (p. 188). Ipsa figura *conjunctio* melius dicitur Auctori ad Herennium (4, 27).

in uno] Codex Monacensis (C) *in unum*, sed vulgatae favet Aquila.

quarum ordo] Melius ita legitur apud Aquilam: »quorum ordo humili, fortuna sordida, natura turpi oratione abhorret«, unde *natura* fidenter, suadente Ruhnkenio, nostro quoque reddidi; *oratione* an *ratione* scribendum sit, decerni in tam brevi fragmento vix posse idem recte monuit.

plus necessarium] Lege »plus *quam* necessarium.« Gnot. — Minus bene emendat: nam *quam* subintelligitur. Vide Perizonium ad Sanct. Minerv. IV. 2; p. 529, et interpretes ad Vellej. Paterc. II, 1, 4. Runnk. (ad Aqu. 189. 190). — Sic Terentius (Adelph. 2, 1, 46): »plus quingentos colaphos infregit mihi.« Pariter *minus* cum quarto casu usurpat ipse Cicero (in Verr. 1, 47), ut taceam Livium, Plautum, alios. Non erat igitur, quod Heinsii auctoritate a priori sententia deterritus ipse Ruhnkenius (in addendis p. 276 ad p. 190) *plus necessario* scribi suaderet.

quum verba quaedam dicimus non enunciandae rei necessaria, sed magnitudini cumulandae, ut, si dicas „Antonius ille“, quum suffecerit nomen dixisse, ad amplitudinem adjicimus ille. Ellipsis est detractio, contraria superiori figura, quum verbo aliquo minus dicto rem sentiendam potius praeterimus, ipsa celeritate gratissimi. Hae sunt elocutionis figurae, quas quidem non oportet velut studiose copulatas in unius conceptionis sententiam conglobari.

DE MEMORIA.

538 Nunc ordo praecepta memoriae subministrat, quam quidem constat esse naturalem, sed et arte adjuvari posse non dubium est. Haec autem ars brevibus praeceptis, sed magna exercitatione formatur; cujus artis hoc munus est, ut non tantum firma, verum etiam celeri comprehensione res verbaque percipiantur. Tenenda vero sunt non ea tantum quae a nobis inventa sunt, sed etiam quae ab adversario in agendo tractata sunt. Simonides hujus rei praecepta invenisse perhibetur, poëta idemque philosophus. Quum enim con-

magnitudini] E codice suo restituit hoc Grotius pro edito *magnitudinis*. Fusius Aquila: »non tam enunciandae rei necessaria, quam ut ex his magnitudo vel dignitas vel moralis aliqua commendatio vel denique species motura judicem circumponatur.«

Antonius] Grotius margini adscripsit: »al. *Cato*«, idque apud Aquilam quoque exstat (p. 190), nostroque restitui Ruhnkenius jubet; sed quod codices ille Leidenses appellat, in quibus sit *Anto ille*, longe magis ostendit, quomodo ab *Antonio* ad *Catonem* aberrare librarii potuerint, neque ea loci Ciceroniani (pro Planc. 8) similitudo est, ut eum vel nostro vel Aquilae ante oculos fuisse contendi possit.

detractio] Haud scio, quid in mentem venerit Grotio, ut *detrectatio* reponeret, quum non tantum anteriores editiones, sed Aquila etiam, et praeter codices Darmstattensem et Reichenauensem, Leidenses quoque teste Ruhnkenio (p. 191) omnes veram lectionem praebeant.

memoria] Memoriae artificialis praecepta tradunt Auctor ad Herennium (3, 16 sequ.), Cicero (de orat. 1, 34 et 2, 88), Quinctilianus (11, 2, 22; p. 308 sequ. Spald.), Curius denique Fortunatianus (p. 74. 75), quicum noster in plurimis mirum in modum consentit.

exercitatione] Quinctilianus (11, 2, 40; pag. 325): »Si quis tamen unam maximamque a me artem memoriae quaerat, *exercitatio* est et *labor*; multa ediscere, multa cogitare, et, si fieri potest, quotidie, potentissimum est« cet. Adde eundem (1, 1, 36; p. 34 Spald.) et Ciceronem (de orat. 1, 34; de senect. 11). Mox pro *artis* alios *partis* habere ad marginem Grotius notavit.

Simonides] Fuse rem exponunt Cicero (de orat. 2, 86) et Quinctilianus (11, 2, 11), quos vide.

vivii locus subito corruisset, nec possent propinqui obtritos internoscere, discumbentium ordinem nominaque memoria recordante suggessit; quo admonitus intellexit ordinem esse, qui memoriae praecepta conferret. Is vero in locis illustribus meditandus est, in quibus species rerum sententiarumque imagines collocandae sunt, veluti nuptiarum velatam flammeo nubentem, aut homicidae gladium vel arma detineas; quas species locus tanquam depositas memoriae reddat. Nam sicut id quod conscribitur cera continetur et literis, sic quod memoriae commendatur in locis tanquam in cera paginaque signatur, imaginibus vero quasi literis rerum recordatio continetur. Sed ut diximus, 539
magnam exercitationem res laboremque conquirit. In qua illud observari compertum est solere, ut scribamus ipsi, quae facile volumus retinere; deinde ut si longiora fuerint quae sunt ediscenda, divisa per partes facilius inhaerescunt; tum apponere notas rebus singulis oportebit his, quas volumus maxime retinere; nec voce magna legenda sunt, sed murmure potius meditanda; et nocte magis quam interdiu maturius excitari memoriam manifestum est, quum et late silentium juvat, nec foras a sensibus vocatur intentio. Est quidem memoria rerum atque verborum, sed non semper ediscenda sunt verba; nisi spatium meditandi tempus indulserit, sat erit cui res ipsas animo tenuisse, praesertim si nihil ejus munere naturali provenerit.

locis] De his jam Aristoteles (top. 8, 12, 8), multumque iis tribuisse veteres ex Cicerone atque Quinctiliano apparet; at verius utique Julius Victor (in arte rhetor. 23, p. 239 Orell.): »ad hanc obtinendam tradunt plerique *locorum* et *simulacrorum* quasdam observationes, quae mihi non videntur habere effectum; *exercenda* est memoria« cet.

cera] Hoc ex Cicerone depromtum (de orat. 2, 86), qui haec praecipi ait »iis qui hanc partem ingenii exerceant: *locos* esse capiendos et ea, quae memoria tenere vellent, effingenda animo atque in his *locis* collocanda; sic fore ut ordinem rerum *effigies* notaret, atque ut *locis pro cera, simulacris pro literis* uteremur.« Probe igitur distinguendum est inter *locos* et *imagines* sive *simulacra*, ut et Spaldingius monuit (ad Quinct. 11, 2, 21; p. 307).

ediscenda] Lege: »longiora fuerint, sint *dispescenda*.« Voxcx. (spec. crit. p. 85) — Causa emendandi disparuit, postquam ex anterioribus editionibus codicibusque meis restitui *quae*, quod Grotii incuria exciderat.

cui res ipsas] *Cui* id est *alicui*. Grot. — Recte; itemque recte *res ipsas* legi jussit pro *ipsa*, quod e Darmstattensi codice jam correxi.

DE PRONUNCIATIONE.

540 Actionem apud veteres appellabam, quam nunc pronunciationem vulgo dici non nescio. Ea praestat oratio, ut concilietur auditor, ut ad fidem persuasione ducatur, ut animorum motibus incalescat. Ejus partes sunt tres, vox, vultus, gestus. His, ut plerique putant, cultus vel habitus oris accedit. Vox et natura constat et quadam scientia modificata servatur; in natura qualitas vocis et quantitas dispensatur, scientia vero quomodo ea utaris assequitur,
541 et quid oporteat observare. Bonitas vocis constat claritate, firmitate, suavitate; quae omnia nutriuntur cibi, potus, coitus observantia, praecipueque ut corpus deambulando moveatur, intra breve spatium reditu maturato, qui motus quum digestionem facilem praestat, sine dubio purgat, et vocem nimia excursio vel longa deambulatio extenuat ac fatigat. Post hanc deambulationem statim nos ad studia conferamus, priusque quam sit dicendum vocem lectione
542 coloremus. Nec ab initio clamandum, sed tenui murmure inchoandum, quo

appellabam] Malim *appellabant*. Gnot. — Codices nil mutant, nec si quid conjecturae dandum sit, tam *appellabant* quam *appellatam* velim. Ceterum quos *veteres* noster dicat ignoro; siquidem jam Auctor ad Herennium (3, 11) *pronunciationis* vocabulo utitur, quanquam Ciceronem (de orat. 3, 59; orat. 17) *actionem* praetulisse certum est; videtur igitur hic quoque Martianus solum Fortunatianum (p. 75 Pith.) ante oculos habuisse, quodque is recte de Cicerone dicit, ad veteres omnes perperam extendisse. Optime certe Quinctilianus (11, 3, 1): »*Pronunciatio* a plerisque *actio* dicitur; sed prius nomen a *voce*, sequens a *gestu* videtur accipere. Namque *actionem* Cicero alias quasi sermonem, alias quasi eloquentiam quandam corporis dicit; idem tamen duas ejus partes facit, quae sunt eaedem pronunciationis, vocem atque motum; quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet.«

partes sunt tres] Sic Curius Fortunatianus; duas tantum numerant et Cicero (de orat. 1, 59) et Quinctilianus (11, 3, 14), *vocem* et *gestum*; sed ut ad *gestum* mox *vultum* quoque referant (Quinctilian. 3, 11, 68 coll. Auct. ad Herenn. 3, 15).

vox et natura] Quinctilianus: »Prius est de *voce* dicere, cui etiam *gestus* accommodatur. In ea prima observatio est, qualem habeas, secunda, quomodo utaris. *Natura* vocis spectatur *quantitate* et *qualitate*« cet.

claritate] Paulo secus Auctor ad Herennium (3, 11): »Figura vocis est, quae suum quendam possidet habitum ratione et industria comparatum; ea dividitur in tres partes, magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem«, sed ut verbis magis quam re a nostro vel potius Fortunatiano discrepet.

coloremus] Lege *colemus*, et hoc indicat MS. Gnot. — Sed quod antecedit *conferamus* alterum

in similem vocem possis efferre. Ad curandam autem vocem plerique pertinere dixerunt, ut sedentes paucissimos versus lenta et gravi proferant voce, deinde per gradus paulatim erigant sonum, per eosdemque gradus recolligatur oratio, quo sine damno ad murmur usque perveniat. Vultus vero pro sen- 545
tentiae dignitate mutandi sunt, sed non ita, ut histrionibus mos est, qui ora torquendo ridiculos motus spectantibus praestant. Significanda enim, non spectanda sunt ista, quae actio vultusque commendat; sed oculorum in hac parte magna moderatio est, qui tum hilaritate, tum intentione, tum minaci moventur adspectu. Nec nimium gravioribus supercilliis premendi, aut peten-

sibi conjunctivum postulat, nec minus commode *colorari* orationem dicere possumus quam *candidam* esse vel *fuscam* (Quinctil. 3, 11, 15). Inprimis autem Ciceronis locum in mente habuisse nostrum dixerim (de orat. 2, 14): »ut, quum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen ut colorer, sic quum istos libros studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu quasi *colorari*.« Curius Fortunatianus (p. 76) prorsus aliter: »et priusquam *scribere* incipiamus, ut animus legendo *calescat*, legemus aliquid tacite vel cum tenui murmure« cet.

murmure inchoandum] Simile praeceptum Auctoris ad Herennium (3, 12): »utile est ad firmitudinem sedata vox in principio«; inque primis Ciceronis (de orat. 3, 61): »Gradatim ascendere vocem utile et suave est; nam a principio clamare agreste quiddam est, et idem illud ad firmandam est vocem salutare.« Adde Senecam (epist. 15): »Quid ergo? a clamore protinus et a summa contentione vox tua incipiet? usque adeo natura est paulatim incitari, ut litigantes quoque a sermone incipiant, ad vociferationem transeant. Nemo statim Quiritium fidem implorat« cet.

quo sine damno] Restitui *quo* ex anterioribus editionibus, etiam codicibus meis addicentibus: Grotius enim nescio unde *quae* ediderat.

histrionibus] Cicero (de orat. 3, 59): »Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens *scenicus*, sed universam rem et sententiam non demonstratione sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti et virili, non ab *scena* et *histrionibus*« cet.

ora torquendo] Non omnino igitur *personis* histriones utebantur, quod et Cicero (loco citato) significare videtur, dum »in ore omnia esse, in eo autem ipso dominatum esse oculorum« ait ideoque recte fecisse »senes, qui personatum ne Roscium quidem magno opere laudarint«, unde apparet Roscium modo personatum modo nudo ore egisse. Et primi quidem personati egisse dicuntur comoediam Cincius et Faliscus, tragoediam Minucius et Prothymus (Evanth. de trag. et com. p. 31 Z.) Adelphosque Terentii auctor est Donatus »L. Ambivium et L. Turpionem etiam tum personatos egisse cum suis gregibus«, sed alius Terentii locus (Phorm. 1, 4, 32) clarissime probat nonnulla etiam ipso ore vultuque significata ab histrionibus fuisse. Vide omnino Wolffium (de canticis, Halae 1825, p. 25).

tibus frontem nudandi sunt oculi, quod in Pisone Tullius amare vituperat; nec mollius agitandi sunt gestus, aut muliebriter latera deducenda sunt, nec jactanda deformiter cervix, ne in illas Hortensii deducatur illecebras, quibus etsi venuste, tamen non videbatur uti viriliter. Ad summam non is gestus oratori tenendus est, quo scenae placere videntur actores, manus in contentionibus fusa porrectius, in sermocinatione vel narratione contracta, praecipueque in hac parte praestandum est, ut deceant cuncta, quod prudentia magis quam ulla praeceptionis hujus arte servatur.

DE PARTIBUS ORATIONIS.

544 Jam nunc ordo admonet promissorum, ut partes orationis excurram: quas quidam subtilius duas, alii quinque, nonnulli plures esse dixerunt. Qui

in Pisone] Pluribus locis hoc inimici sui vitium falso notat, non modo in oratione adversus ipsum (cap. 7): »respondes altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso *supercilio*«; verum etiam pro Sextio (cap. 8): »tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo *supercilio* respublica tanquam Atlante coelum niti videretur«, et de provinciis consularibus (cap. 4). De supercilii motu in universum vide Quinctilianum (11, 3, 78 sequ.) et Curium Fortunatianum (p. 77. 78 Pith.).

Hortensii] In mente habuisse videtur Ciceronis (in Brut. 88) judicium: »motus et gestus etiam plus artis habebant, quam erat oratori satis.« Adde Quinctilianum (11, 3, 8; p. 334 Spald.).

venuste] Id ipsum tanquam histrionium vitio vertit Auctor ad Herennium (3, 15): »convenit igitur in vultu pudorem et acrimoniam esse; in gestu nec *venustatem* conspiciendam nec turpitudinem, ne aut *histriones* aut operarii videamur esse.«

manus] Praeter Ciceronis (de orat. 3, 59) hac de re praecepta confer Aeschinem (in Timarch. 12), Quinctilianum (1, 11, 8; p. 250. 1, 12, 14; p. 248. 11, 3, 89; p. 400), et Gellium (1, 5). Sed dilucide Appulejus (met. 2; p. 142 Oud.) oratoris gestum describit ita: »porrigit dexteram, et ad instar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis ceteros eminentes porrigit, et infesto pollice clementer subrigens infit« cet.

ut deceant] Cicero (de orat. 1, 29): »Ego enim neminem nec motu corporis nec ipso habitu atque forma aptiorem, nec voce pleniorem aut suaviorem mihi videor audisse; quae quibus a natura minora data sunt, tamen illud assequi possunt, ut iis quae habent modice et scienter utantur, et *ut ne dedeceat*. Id enim est maxime vitandum, et de hoc uno minime est facile praecipere, non mihi modo sed etiam ipsi illi Roscio, quem saepe audio dicere, *caput esse artis decere*, quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit.« Confer et Quinctilianum (11, 3, 69 sequ.).

partes orationis] Cicero (de invent. 1, 14 f.) sex numero eas statuit, quem ad locum Marius

autem duas asserunt, unam qua docemus judices, aliam qua movemus advertunt, et in docendo tam narrationem quam confirmationem partes adscribunt, in movendo autem prooemium et epilogum nexuerunt, quia et initio praeparandus est et commovendus sententiam prolaturus auditor; qui vero quinque dixere partes, rationalem ordinem persequuntur. Nam est exordium, narratio, propositio, argumentatio, peroratio.

DE EXORDIO.

Exordium est oratio noscendae causae praeparans auditorem; ejus 545
virtutes sunt tres, ut attentum, ut docilem, ut benevolum faciat auditorem. Attentum facimus, si magnam rem geri, si novam, si publicam, aut plurimam dicimus; docilem, si de causa aliquid strictim quo instruamus judicem proferatur; benevolum aut a re aut a persona facimus. A persona autem aut a nostra aut judicum aut adversariorum. A nostra, si quod favorabile gessimus commemoramus, aut si quid obest causae diluimus vel exte-

Victorinus (p. 121 Pith.): »Multi enim quatuor esse dixerunt, id est exordium, narrationem, quaestionem, epilogum; Cicero autem sex esse dicit, id est exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehensionem, conclusionem.« Quatuor et Quinctilianus ponere videtur (4, pr. 6; p. 11), ponuntque Curius Fortunatianus (p. 59 Pith.), Sulpicius Victor (p. 246), Isidorus (p. 358), alii; sed longe plures apud Graecos inprimis distingui solitas et Theodori Byzantii probat exemplum apud Platonem (Phaedr. p. 266 f.) et Curii Fortunatiani testimonium, qui *προέκθεσιν, προπαραβκευὴν, διέξοδον,* aliaque multa addi ab aliis commemorat; quapropter spernenda est lectio codicis Darmstattensis in sequentibus *nulli* pro *nonnulli* exhibentis.

movendo] Cicero (de orat. 2, 77): »his partibus orationis, quae etsi nihil docent argumentando, persuadendo tamen et commovendo perficiunt plurimum, maxime proprius est locus et in exoriendo et in perorando.«

rationalem] Forte »orationalem ordinem sequuntur.« Gnor. — Causam non video.

exordium] Ciceronem inprimis (de invent. 1, 15 sequ.) sequitur, cui tamen ipsi quam proxime accedunt Auctor ad Herennium (1, 7), Quinctilianus (4, 1), Fortunatianus etc.

plurimam] Res, quae plurimum accidit et in omnium ore versatur, potius parum attentum fecerit auditorem: lege »aut *pulcram*.« Vonck. (spec. critic. p. 83). — Nihil profecto mutandum est. *Plurima* enim hic res est, quae ad *plurimos* attinet. Praeivit Cicero (de inv. 1, 16) scribens: »Attentos autem faciemus, si demonstrabimus, ea, quae dicturi erimus — *ad omnes* pertinere«, aut (partit. 8) »conjuncta esse cum ipsis, apud quos res agetur.«

nuamus; a judicum, si eos nobis vel ex causae ipsius blandimentis vel extrinsecus conciliamus; ab adversariorum autem persona tribus modis, si eos in odium, in invidiam, in contemtum adducimus. In odium, si scelestos crudelesve doceamus, in invidiam, si eos impotentes esse monstremus, in
546 contemtum vero, si humiles. Ceterum exordiorum genera sunt duo, principium et insinuatio. Principium est, quo statim simpliciter palamque conciliamus nobis auditores; insinuatio, quum insidioso exordio judicem circumscribimus, in quo modi sunt quatuor. Primus, quum res ipsa mala est; alter, quum adversum nos judex aliquid contraria opinatione praesumsit, aut
547 fatigatus est, aut acclamatio vel irrisio ulla intervenit. Ante cuncta discutiendum, quae sit forma materiae. Nam sunt quinque, honesta, turpis, dubia, humilis, obscura. Si honesta est, aut principio non utendum, aut amplificatione exordium concludendum; si turpis, insinuatione utendum; si dubia,
548 benevolus faciendus auditor; si humilis, attentus; si obscura, docilis. Insinuatio vero quatuor modis explicatur, quum aut personam rei subjectione mutamus, aut rem persona, aut rem re, aut personam persona. Nam si in causa meretricis agendum est, rem potius judicibus spectandam esse dicamus;

commemoramus] Grotius margini adscripsit: »al. *commendamus*«, sed eo non egemus.

impotentes] Ne *potentes* exspectes, vide supra (ad §. 427).

insinuatio] Ciceroni (de inv. 1, 15) est »oratio quadam dissimulatione et circuitione subiens auditoris animum«; Curio Fortunatiano (p. 60 Pith.) »subdolum principium, quo occultius irrepimus in animum judicis.«

acclamatio] Lege *occlamatio*. Voscs. (spec. cr. p. 83). — Intempestivam esse conjecturam ipsa Ciceronis verba demonstrant (de invent. 1, 17), quae tamen ne Martianus quidem satis intellexisse videtur: »sin res dabit, non inutile est, ab aliqua re nova aut ridicula incipere, aut ex tempore quae nata sit, quod genus strepitu, *acclamatione*, aut jam parata, quae vel apologum vel fabulam vel aliquam contineat *irrisionem*.«

quinque] Cicero (de inv. 1, 15) paulo aliter: »Genera causarum sunt quinque, honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum«; quae Graece sic appellat Curius Fortunatianus (p. 60 Pith.): »ἔνδοξον honestum, ἀμφίδοξον anceps, παράδοξον admirabile, ἄδοξον humile, δυσπαρακολούθητον obscurum.«

rem potius] Auctor ad Herennium (1, 6): »Si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: *rem*, non *hominem* spectari oportere.« Adde Ciceronem ipsum (de inv. 1, 17). Ceterum *dicamus* scripsi pro *dicimus* e codice Monacensi (C).

aut si libertus alicujus aut cliens agat personam patroni, non hujus considerandam personam esse admoneamus, atque ita cetera. Vitia vero exordiorum 549
ista sunt: vulgare, quod in omnes causas cadere potest; commune, quo etiam adversarius uti potest; contrarium, quo melius adversarius uteretur; affectatum, quod aut verbis inusitatis aut rebus externis profertur; supervacuum, quod neque attentum neque docilem neque benevolum facit auditorem. Fugiendum praeterea ne satis longum et obscurum sit.

DE NARRATIONE.

Narrationum genera sunt quatuor, historia, fabula, argumentum, ne- 550
gotialis vel judicialis assertio. Historia est, ut Livii; fabula neque vera est neque verisimilis, ut Daphnen in arborem versam; argumentum est, quod non facta sed quae fieri potuerunt continet, ut in comoediis patrem timeri et amari meretricem; judicialis autem narratio est rerum gestarum aut verisimilium expositio. Narrationis autem laudes tres sunt, ut lucida sit, ut 551

quo etiam] MS. *quod*. Non male. Gnot. — Male omnino. Confer modo Auctorem ad Herennium (1, 7): »Item vitiosum est, *quo* nihilo minus adversarius potest *uti*, quod *commune* appellatur.«

narrationum] Auctor ad Herennium (1, 8) et Cicero (de invent. 1, 19) aliquanto accuratius ita haec exponunt: »Narrationum genera sunt tria: unum in quo ipsa causa et omnis ratio controversiae continetur; alterum in quo degressio aliqua extra causam — interponitur; tertium genus est remotum a civilibus causis, quod declarationis causa non inutili cum exercitatione dicitur et scribitur. Ejus partes sunt duae, quarum altera in negotiis, altera in personis maxime versatur. Ea, quae in negotiorum expositione posita est, tres habet partes, *fabulam*, *historiam*, *argumentum*. Fabula est, in qua nec verae nec verisimiles res continentur — historia est gesta res ab aetatis nostrae memoria remota — argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit« cet. Propius ad nostrum Quinctilianus (2, 4, 2): »narrationum, excepta qua *in causis* utimur, tres accepimus species: *fabulam*, quae versatur in tragoediis atque carminibus, non a veritate modo etiam a forma veritatis remotam; *argumentum*, quod vero simile sed falsum comoediae fingunt; *historiam*, in qua est gestae rei expositio.«

argumentum] Quinctilianus (5, 10, 9; p. 233 Spald.): »*Argumentum* plura significat. Nam et fabulae ad actum scenarum compositae *argumenta* dicuntur, et orationum Ciceronis velut thema ipse exponens Pedianus: *argumentum*, inquit, *tale est*, et ipse Cicero ad Brutum scribit: — etsi *argumentum* simile non erat. Quo apparet omnem ad scribendum destinatam materiam ita appellari.«

verisimilis, ut brevis, et his contraria vitia vocantur. Lucida est narratio, si non confusa, si vera, si usitatis significationibus, si non longo circuitu rem monstremus; verisimilis, si nihil affectate et quasi ex natura exponere videamur; brevis, si non ultra quam res exigit et prolixe fundatur assertio. Narrationum aliae sunt ipsius causae et negotii, aliae incidentes. Ipsius causae sunt, sine quibus res quae agitur intelligi non potest; incidentes, quae aut probationis gratia aut exempli aut augendi aut invidiae aut voluptatis extrinsecus
332 afferuntur. Nonnulli quinque species narrationis esse dixerunt, ut Theodorus Byzantius Graece discernit *προδιήγησιν, ὑποδιήγησιν, παραδιήγησιν, ἀναδιήγησιν, καταδιήγησιν*. Narrationis etiam elementa sunt sex, persona, causa, locus, tempus, materia, res. Item narrationum aliae continuae, aliae partiles vocantur; continuae, quae perpetuo contextu sine ulla interruptione dicuntur; partiles, quibus vel argumentum vel digressio aliqua interponitur. Narramus autem modis sex: aut augentes aliquid, aut tenuantes, praetereuntes, aut moventes, docentes, gratiam vel invidiam comparantes. Post narrationem quidem digressionem,

videamur] Correxi quod in editis legitur *videatur*, codicum Monacensis (C) et Darmstattensis auctoritate.

et prolixe] Lege: »nec prolixe.« Vonck. (spec. crit. p. 83). — Ferri tamen communis omnium codicum lectio potest, modo illud *non* quod praecedit huc etiam trahas, quo facto *et non prolixe* idem erit atque *nec prolixe*. Si quid mutandum, vel commodius *et* ejiciemus, quod ex praecedentis vocabuli syllaba extrema oriri potuit.

aut augendi] Sic scripsi e codice Grotii; vulgo *agendi*, licet *aut*, quod a Grotii editione abest, jam in anterioribus clare exstet.

Theodorus] Vide Suidam. Hic ille qui *λογοδαίδαλος* dicebatur a Platone. Gnot. — Platonis locus est in Phaedro (p. 266 f.). Plura dabit Spengelius (art. script. p. 100). Ceterum ut quinarius numerus expleretur, jam Grotius *ἀναδιήγησιν* addi jusserat, quam nunc e codice Darmstattensi restitui, Reichenauensi quoque adstipulante, qui *ἀναδήνησιν* exhibet corrupte. Curius Fortunatianus (p. 62) octo numerat, *διήγησιν, ἀντιδιήγησίν, μερικὴν διήγησιν, παραδιήγησιν, ὑποδιήγησιν, καταδιήγησιν, ἐπιδιήγησιν, διαβκευήν*, quarum *prima* sit principalis, *secunda*, quum adversarii afferamus narrationem converso genere, *tertia*, quum partes singulas narrationis inducamus, *quarta*, quum aliquas res gestas extra causam inducamus, *quinta*, quando quaestionem narrativo modo approbemus, *sexta*, quum sola narratione materia contineatur, *septima*, quum latius exsequamur res gestas quas in narratione breviter attigerimus, *octava*, quae res gestas non tam doceat quem exaggeret.

quam Graeci *παρέκβασιν* vocant, oportet adjungere, quo vel incitamus judices vel delinimus; sed quoniam pars orationis non est et non semper arripienda est, eam placuit praeterire.

DE PROPOSITIONE.

Propositio aut nostra est aut adversariorum aut communis. Nostra, 553
ut: caedem objicio; adversariorum: caedem me fecisse dicit; communis: uter nostrum caedem admiserit quaeritur. Propositiones autem principalium quae- 554
stionum sunt aut incidentium, aut simplices aut conjunctae. Simplex, ut: luxurialis es, meretricem amas; conjunctae autem per partitionem maxime proponuntur, quae dupliciter fiunt; aut enim simpliciter quid dicturi sumus ostendimus, aut ante quid nobis cum adversario conveniat, quid in dubium vocetur, edicimus. Propositiones aut nudae sunt aut rationi subjectae. Nudae, 555
ut: affectasti tyrannidem; rationi subjectae: affectasti tyrannidem, arma enim domi habes. Omnes autem sumuntur aut simpliciter aut per inductionem. Simpliciter, ut si dicam: docebo proditorem; per inductionem, ut si superioris meminimus et sequentem introducimus, ut si dicas: quoniam docui injustam legem, docebo inutilem. Proponimus autem per concessionem aut per prae-

παρέκβασιν] Sic Grotio suadente inque codicibus legi testante reposui pro *παρένθεσιν*, quod in editis erat, accedente et codice Reichenauensi, ubi a prima manu est *parebasin*, quamvis in ejus locum ineptas corrector *partilem* substituerit. Eandem *διέξοδον* appellat Curius Fortunatianus (p. 63 Pith.), Latine *excessum*, Quinctilianus autem (4, 3, 12; p. 144) et Julius Victor (art. rhetor. 17) *egressionem* sive *egressum*; quos vide.

propositio] Hanc significat Cicero (orat. 2, 84), ubi ait: »sequitur ut causa ponatur, in quo videndum est quid in controversiam veniat«; *propositionis* tamen vocabulo in figuris tantum utitur (3, 53), ut et Quinctilianus (9, 2, 105); sed hic inter partes etiam orationis eam tractat (4, 4), unde multa profici ad nostri explicationem possunt. Neque longe discedit Curius Fortunatianus (p. 64), nisi quod brevius eam ad finem partitionis attingit, et id quidem multo rectius quam noster, qui quum supra quinque tantum orationis partes fecisset (§. 544) nunc separata a partitione propositione ad sex delapsus est!

simplex est] MS. »simplex est: luxurialis (lege »luxuriaris«); composita est: meretricem amas.« Sed dubito. Gnor. — Nil mutavi; conjunctionem enim sententiarum dicit, non verborum.

teritionem. Per concessionem, quum gratiam facientes ejus quod diximus prius aliquid introducimus, ut si dicas: concedo interim occisum, sed ab hoc interemtum nego; per praeteritionem, quum ita transimus ad alteram propositionem, ne superiorem interim concedamus, ut si dicas: nunc quoniam docui ignominioso actionem de privatis rebus tantum negari, docebo de proditionis crimine non negari.

DE PARTITIONE.

Partitio est, quae ordinem totius divisionis breviter comprehendit, ut est
556 pro Quinctio: negamus te bona Publii Quinctii possedisse ex edicto praetoris. Et primo sic incipit, nullam causam fuisse postulandae proscriptionis; huic subjicit, nec ex edicto possideri potuisse; ad extremum, nec possessa esse; haec, inquit, tria quum docuero, perorabo. Animadvertis corpus totius orationis per haec tria liniamenta digestum esse. Talis autem debet esse partitio, ut singulae partes ejus plurimas quaestiones in se contineant. Nam si fuerit per incidentes quaestiunculas derivata, onerabitur ipsa partitio, et ex hoc judices rerum copiam fugient. Ideo et Tullius in eadem Quinctiana sic partitus est, ut singula capita plures quaestionum articulos continerent. Etenim primum illud, non fuisse causam postulandae proscriptionis, vide quanta contineat: quod pecunia debita Sexto Naevio non fuerit, et aliter agi oportuerit, quod Quinctius vadimonium non deseruerit; secundum, quod ex edicto possidere non potuerit, quod et procuratorem habuerit, et absens defensus sit, et non latitaverit, et ceteri creditores quieti sint, et quod ante missum sit, ut fundo communi expelleretur, quam proscriptio ejus imperaretur, et quia vi dejectus

ejus quod] Melius MS.: *contra quod*. Gnot. — Num melior haec lectio sit, valde dubito.

partitio] »Illustrem et perspicuam totam orationem efficere« ait Cicero (de invent. 1, 22), quem vide. Adde Auctorem ad Herennium (1, 10), Quinctilianum (4, 5), Curium Fortunatianum (p. 65 Pith.) etc. Exemplum, quod ex oratione pro Quinctio affert, capite 10 sequ. exstat.

ex hoc] Correxi vulgatam, quae habet »ex hoc *rebuntur* judices rerum copiam *fugiendam*.« Nostra Darmstattensis codicis lectio est.

quieti] Sic Reichenauensis et Monacensis (C)

sit contra quam praetor jusserit. His igitur manifestum est, intra partitionem quaestiones esse ponendas, quae in exsecutione sint devulgandae, ut judex et nobis attentus fiat et promissorum copia non gravetur. Illud etiam inspiciendum, quae nobis cum diversa parte conveniant, quae in controversiam devocentur; et ea quae conveniunt tunc enumeranda si nobis prosunt, ut Cicero pro Marco Tullio ait: „damnum passum esse Marcum Tullium convenit mihi cum adversario; vi hominibus armatis rem gestam esse non infitiantur; a familia Publii Fabii commissam negare non audent; an dolo malo factum sit, ambigitur.“ Vides ergo hoc in partitione a concessis duxisse, quod sibi proderat.

DE ARGUMENTATIONE.

Argumentatio est elocutio, qua argumenta ipsa verbis exsequimur; ar- 557
gumenta vero, quibus causa probatur. Argumentatio dividitur in duas partes, in confirmationem et reprehensionem. Argumentorum genera duo sunt, arti-

codices. In editis et codice Darmstattensi erat *Quintii*, quod prorsus contrarium sensum inferebat.

M. Tullio] Ita legendum esse jam e Mario Victorino (p. 136 Pith.) apparebat, qui eodem exemplo in loco de partitione utitur, quum apud nostrum vulgo *M. Rullo* scriberetur; jamque accedunt codices Monacensis (C), Reichenauensis, et Darmstattensis, unde fidenter vulgatam correxi. Praeterea ex Darmstattensi scripsi *vi hominibus* pro *ut hominibus*, quod jam Grotius corrigendum intellexerat, eque eodem et Reichenauensi paulo ante *enumeranda* pro *numeranda*; longius autem procedere corrigendo nolui, quum nec Victorinus nec noster ipsa Ciceronis verba fideliter transscripsisse videantur, quae nunc quoque post egregiam Maji et Peyroni operam inter deperditas orationis partes latere dolendum est.

argumentatio] Ab hoc inde capite Curium Fortunatianum fere ad verbum sequitur, ut aut ipsum illum ante oculos habuisse, aut ex eodem cum illo fonte nobis ignoto hausisse eum oporteat. Quamvis enim et Cicero (de invent. 1, 24 sequ.) et Quinctilianus (libro 5) accurate hunc locum tractaverint ejusque doctrinae fundamenta jecerint, tamen schematismi eorum ab eo quem noster proposuit satis discedunt, neque quae ipse noster supra (§. 473 sequ.) Topica inprimis secutus de argumentis exposuit, ad eundem ordinem easdemque distinctiones redeunt, ut appareat multorum fontium rivulos in unum conjunctos esse; in singulis tamen non sine fructu superiora illa conferas.

genera duo] Vetus haec distributio, quae jam ab Aristotele (rhetor. 1, 2) facta est. Graece dicuntur *πίστεις ἔντεχνοι* et *ἄτεχνοι*.

ficiale et inartificiale. Sed artificiale locos habet quatuor: ante rem, in re, circa rem, post rem. Ante rem vero dividitur in locos septem: a persona, a re, a causa, a tempore, a loco, a modo, a materia. In re autem loci sunt duodecim: a toto, a parte, a genere, a specie, a differentia per septem circumstantias, qui locus recipit in se etiam a majore ad minus et a minore ad majus, a proprio, a definitione, a nomine, a multiplici appellatione, ab
558 initio, a progressione vel profectu, a perfectione vel consummatione. Circa rem loci sunt decem: a simili, cujus species sunt quatuor: exemplum, simi-

locos] Una enumeratione indistincte comprehendit Quinctilianus (5, 10, 94): »ergo ut breviter contraham summam, ducuntur argumenta a personis, causis, locis, tempore (cujus tres partes diximus, praecedens, conjunctum, insequens), facultatibus (quibus instrumentum subjecimus), modo (id est ut quidque sit factum), finitione, genere, specie, differentibus, propriis, remotione, divisione, initio, incrementis, summa, similibus, dissimilibus, pugnantibus, consequentibus, efficientibus, effectis, eventis, jugatis, comparatione, quae in plures ducitur species.«

quatuor] Cicero (de invent. 2, 15 et topic. 12) secutus auctorem rhetoricorum ad Alexandrum (c. 15) tria tantum enumerat: *ante rem, cum re, post rem.* Adde Quinctilianum (5, 8, 4; p. 215): »neque esse argumentorum loci possunt nisi in iis quae *rebus* aut *personis* accidunt; eaque aut *per se* inspici solent aut *ad aliud* referri; nec ulla confirmatio nisi aut *ex consequentibus*, aut *ex repugnantibus*, et haec necesse est aut ex *praeterito* tempore aut ex *conjuncto* aut ex *sequenti* petere« (conf. et 5, 10, 102).

duodecim] In Darmstattensi codice legitur *tredecim*, vulgatam tamen praefero, quae concinit etiam cum Fortunatiano, e quo, ut modo dixi, fere omnia illa noster exscripsit.

septem circumstantias] Quid voluerit, inferius (§. 559) declarat, ubi »per omnes« inquit »circumstantias, id est, quum partimur per personas, tempora, et cet.« *Status* enim Graecis στάσις est, *περίστασις*, quae *circa statum* observantur, id est *circumstantiae*. Quinctilianus (5, 10, 104; p. 294 Spald.): »hoc genus argumentorum sane dicamus ex *circumstantia*, quia *περίστασιν* dicere aliter non possumus.« Meminerat enim argumentorum »a personis, a rebus, ab antecedentibus, a junctis, et insequentibus«, atque horum quidem exempli tantum gratia. Alii *περιοχὰς* appellarunt illas circumstantias, quas septem complectitur hic versus:

»*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?*«

Conf. Marium Victorinum (p. 149 Pith.), Aurel. Augustinum (p. 293) et Cur. Fortunatianum (p. 55).

consummatione] Lege: »ad initium vel consummationem.« Gnor.—Vulgo enim legebatur: »ab initio *ad* progressionem vel profectum, a *profectione*, *ab initio* vel consummatione«; sed veriorem lectionem, quae apud Curium Fortunatianum (p. 65) quoque exstat, e codice Darmstattensi recepi.

circa rem] Hi fere iidem sunt quos Cicero (de invent. 1, 28) duci ait ex iis quae *negotio adjuncta* sint, vel (top. 3) quae *quodammodo affecta sint ad*

litudo, fabula, imago, item verisimile, quod de comoedia sumitur; addunt quidam et apologos, ut sunt Aesopi. Ergo circa rem locos exsequar: qui sunt a dissimili, a pari, a contrario per propositionem et negationem, ad aliquid, quod figuratur casibus quatuor: genitivo, dativo, accusativo, ablativo; ab inter se collidentibus per habitum et amissionem, a majore ad minus, a

id de quo quaeritur, attamen de his potius supra (§. 487 sequ.).

exemplum] Confer Aristotelem (rhetor. 1, 2), Ciceronem (de invent. 1, 30), et Auctorem ad Herennium (4, 49). Sed subtilius deinde Aristoteles (2, 20) inter verum et fictum exemplum distinguit, quorum posterius noster mox *apologorum* nomine addit, Aristoteles autem alterum ficti genus esse ait *parabolae*, alterum *λόγον*, ut Aesopici et Libyci. Marius Victorinus (p. 156 Pith.) »scriptores artium«, inquit, »genus hoc sub similia tria ponunt, *εἰκῶ*, id est *imaginem*, *παραβολήν*, id est *collationem*, *παράδειγμα*, id est *exemplum*.« Adde Macrobium (Saturnal. 4, 5) et Quinctilianum (5, 11; p. 307. 308 Spald.), qui: »*παράδειγμα*«, inquit, »nostri fere *similitudinem* vocare maluerunt, quod ab illis *παραβολὴ* dicitur; hoc alterum *exemplum*: quamquam et hoc *simile* est, et illud *exemplum*.« Oratorem abundare debere exemplorum copia idem docet (12, 4, 1; p. 547). De efficacia exemplorum Seneca (ep. 6): »longum iter est«, inquit, »per praecepta; breve et efficax per exempla.«

imago] Est formae cum forma cum quadam similitudine collatio, quae sumitur aut laudis aut vituperationis causa (Auct. ad Her. 4, 4 et 49. Cic. de invent. 1, 30). Docet autem Quinctilianus (5, 11, 24; p. 325) »rarius esse in oratione illud genus, quod *εἰκόνα* Graeci vocant, quo exprimatur rerum aut personarum imago.«

item] Reposui hoc pro *id est* in editis, quod sensu caret. In Darmstattensi enim codice »idem verisimile« legitur; sed *idem* pro *item* e falsa tantum pronunciatione ortum esse patet, quam me non curare identidem professus sum. Accedit Fortunatiani auctoritas, qui *quinque* similis species enumerat, addito *exemplo verisimili*, quod de comoedia sumatur (vide supra §. 550).

apologos] Quinctilianus (5, 11, 19. 20; p. 318 sequ. Spalding.): »Illae quoque fabellae, inquit, quae, etiamsi originem non ab Aesopo acceperunt (nam videtur earum primus auctor Hesiodus) nomine tamen Aesopi maxime celebrantur, ducere animos solent. — *Αἶνον* Graeci vocant et *αἰσωπείους*, ut dixi, *λόγους* et *λιβυκοὺς*, nostrorum quidam, non sane recepto in usum nomine, *apologationem*.« Julius Caesar Scaliger (poët. 1, 37; p. 122): »Recte quidam nominarunt *allegorias*: aliud enim aperte dicunt, aliud ex eo innuunt ac profitentur. Ergo etiam *apologos* appellare nonnulli ausi sunt: quasi *ἀπὸ λόγου λόγος*. Antiquissimus omnium Hesiodus *αἶνον* vocavit, Aesopus *μῦθον*. Habes apud Horatium et Livium et Diodorum horum duae (as) species: unam simplicem sumtam a rebus naturalibus — introducunt enim perinde atque in scenam non animalia solum, sed muta quoque, veluti gladios cet. loquentes; altera species operosior — partim enim in vocibus nudis versatur — alia materia est in rebus« cet.

a dissimili] In anterioribus quidem editionibus legebatur *a simili*; sed male. Hoc enim superius jam retulerat, et Fortunatianus etiam *a dissimili* habet.

habitum] Lege *habitationem*, ἕξιν. Gnot. — Haud

minore ad majus, a praecedenti, ab eo quod simile est vel a conjunctis, a
559 consequentibus. Post rem loci sunt duo: ab eventu, et a judicato. Sunt alii loci ἀπὸ τῆς ζυζυγίας, id est a conjugatione sive a conjugatis, quod quasi junctum est personae qualitati, ut eum qui hostilia sentiat hostem esse dicamus, item a qualitate, ut si iracunde fecit, sine ratione fecerit; a quantitate, ut si servus est, eodem modo factum sit; a conjunctis, id est ἀπὸ τῶν πτώσεων καὶ ζυνθέτων, ut fasces et toga, sella curulis, magistratuum ornamenta sunt; item a partitione, id est ἀπὸ τῆς διαιρέσεως, per omnes circumstantias, id est quum partimur per personas, tempora, et cetera, quae varietas
560 grata discriminat. Inartificialia dividuntur in praejudicia, in rumores, in

facile intelligitur, cur repudiarit aliorum lectionem *habitum*, eamque ad marginem relegaverit, immo correxerit, quum tamen Graecam vocem apposuerit, quae omnino *habitum* sonet. Fortunatianus quidem *habitationem* et *amissionem* dixit ἕξιν καὶ στέρησιν, sed Martianus profecto e Martiano explicandus est. Idem nempe supra (§. 385) dixerat: »opponuntur sibi contraria ut *habitus* orbationi«, idque deinde deinde (§. 386 f.) repetierat. Ipse adeo Cicero (de invent. 1, 25): »*habitum* appellamus, inquit, animi aut corporis constantem et absolutam aliqua in re perfectionem.«

quod simili est] Procul dubio legendum e Fortunatiano: »quod *simul* est«, sed codices nihil variant.

ab eventu] Marius Victorinus (p. 157 Pith.): »*Eventum* illum accipiamus, qui unicuique rei naturaliter videtur adjunctus, qui rem suam, postquam res ipsa contigerit, necesse est consequatur; et tunc vere de eventu facere possumus argumentum, si ipse eventus certus sit« cet.

a judicato] Nimirum ut ait Curius Fortunatianus (p. 65 Pith.) »quum aut *omnium* hominum judicio nitimur, aut *plurium*, aut *optimorum*, aut *eminentium* ex his, aut eorum qui in unaquaque arte et scientia versati sunt. Est judicatum et religiosum, quod ad deos pertinet.« Unde patet neutiquam solam sententiam a judice latam esse intelligendam.

ζυζυγίας] E Cicerone (in topic. 3 et 9). Confer nostrum supra (§. 474. 484) et Curium Fortunatianum (p. 65) quem exscripsit.

ut eum qui] MS. »ut qui eum qui.« Forte »ut si eum qui« cet. Gnot. — Sic etiam Fortunatianus, sed invitis codicibus nihil muto, praesertim quum in sequentibus quoque legamus conjunctivos *fecerit* et *factum sit* pro indicativis, qui apud Fortunatianum sunt, unde verisimile fit Martianum ipsum *ut* pro conjunctione accepisse.

eodem modo] Id est *serviliter*. Gnot. — Sed quid hoc ad quantitatem? Procul dubio pro *servus* legendum *serius*, ut apud Fortunatianum est.

per personas] *Per* a Grotio omissum e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi omnino supplendum erat.

inartificialia] Cicero (in topic. 4 et 9): »quae extrinsecus assumuntur, ea maxime ex auctoritate ducuntur. Itaque Graeci tales argumentationes ἀτέχνους vocant, id est artis expertes.« Adde eundem

tormenta, in tabulas, in jusjurandum, in testes; quae similiter quemadmodum et artificialia tractat orator. In argumentis autem cavendum est, ne in aliqua parte nobis noceant, ne inter se discrepent, ne vulgaria sint, ne cum adversario communia, ne alte repetita, aut supra dignitatem causae, aut infra dignitatem. De confirmatione breviter memoravi, nunc reprehensionis praecepta videamus. Reprehenditur enim actio adversarii aut redarguendo, quum aut totum argumentum aut partes ejus contra facere monstrabimus; aut repugnando, quum docemus falsa esse pro veris assumta vel ex his non effici; aut compensando, si contra argumentum, quod adversum nos est, aliud opponamus.

DE QUAESTIONIBUS.

Quaestionum duo sunt genera: dicitur enim *προηγούμενος*, quae a nobis 561
inducitur, ut confirmetur; ab adversariis autem quae infertur et repellenda

alio loco (partit. 2): »Testimoniorum quae sunt genera? Divinum et humanum; divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes, ut responsa sacerdotum, haruspicum, conjectorum; humanum, quod spectatur ex auctoritate et ex voluntate et ex oratione aut libera aut expressa, in quo insunt scripta, pacta, promissa, jurata, quaesita«; et Marium Victorinum (p. 199 Pith.): »Accedunt aliae probationes soli conjecturae semper adjunctae: *tormenta, testimonia, rumores.* Hoc probationis genus Graeci *πίστεις ἀτέχνους* vocant, quod quum his orator utitur, fidem quidem judici facit, sed non oratione.« Multus de iis est Quinctilianus (5, 1—7) quem vide. Aristoteles (rhetor. 1, 15) quinque tantum numerat, *leges, testes, pacta, tormenta, jusjurandum;* sed *praejudicia* et *rumores* Quinctilianus quoque addit. De *praejudiciis* vide supra (§. 506 not.); de *rumoribus* utramque in partem disputari posse jam Auctor ad Herennium (2, 8) egregie intellexit, Aeschinisque exemplum probat, qui eosdem duobus locis (adv. Timarch. 52 et de falsa legat. 41) diversa ratione tractat. Confer et Ciceronem (pro Plancio 25) quaeque ad eum observat Platnerus (de Ciceron. rhetor. quae ad jus spectant p. 20).

reprehensionis] Vide de ea Ciceronem (de inv. 1, 42; partit. 9 et 12) et Quinctilianum (4, 4, 6; p. 155. 5, pr. 2; p. 177. 5, 13, 1; p. 555 Spald.). Conferre etiam juvabit Priscianum (p. 525 Pith.) et superiores locos (§. 456. 474). Graeci reprehensionem *ἀναβκευήν*, confirmationem *κατασκευήν* appellarunt (Sulpicius Victor p. 241 Pith.).

redarguendo] Recte Grotius variantem lectionem *rem arguendo* ad marginem rejecit; neque enim modo Cicero (partit. 9) »*redarguere* contraria« dicit, sed et Curius Fortunatianus (p. 66 Pith.) ita habet, cujus noster fere singula verba expressit.

duo sunt genera] Curius Fortunatianus (p. 66):

est igitur, dicitur *ἀναγκαία*. Verum superior, quae a nobis quaestio infertur, modis fit duobus, ut aut singulatim separatae inducantur, aut plures conjunctim. Ducimus autem eas varie, aut per simplicem propositionem, aut per partitionem, aut per figuras, quas *διάνοιας* dicunt, qui locus multiformis est; nam paene tot sunt occasiones inducendae quaestionis in hoc genere, quot sunt figurae sen-
562 tentiarum. Fit enim et per resolutionem, id est *κατα ἀνάλυσιν*, aut per adjectionem, aut per praeteritionem, aut per concessionem, aut per reprehensionem, aut per sejunctionem, id est *ἀφορισμὸν*, aut per admonitionem, aut per dissimulatam propositionem, aut per repetitam, aut per instructam, aut per partitam, aut per similitudinem superioris quaestionis aut responsionis, aut per inversionem, id est quum primam illam quaestionem tractamus, quae

»Omnis quaestio qualis est? aut *προηγούμενος*, quae a nobis inducitur ut confirmetur, aut *ἀναγκαία*, quae ab adversariis, ut refellatur«; quocum comparetur alius locus (p. 59): »sed et ipsam argumentationem nostrorum argumentorum, quae *προηγούμενα* dicuntur, et reprehensionem eorum, quae ab adversario proponuntur, quae Graeci vocant *ἀναγκαῖα*.« Unde apparet apud nostrum quoque primum legendum *confirmetur*, non *confirmet*, ut editiones ante Grotium habent, deinde vero apud ipsum Grotium pro *ἐναντία* reducendum esse *ἀναγκαία*, quod ille deserta antecedentium editionum auctoritate in marginem rejecit. Darmstattensis quoque codex Latinis literis scriptum habet *anancea*.

igitur] In MS. abest *dicitur*. Ego *igitur* deleri malim. Gnor. — Lege *jugiter*. Vonck. (lect. Lat. p. 59 f.). — Interpunctione mutata omnia sana reperientur.

per adjectionem] Apud Grotium haec satis confuse ita edita erant: »aut per praeteritionem, aut per concessionem, aut per reprehensionem, aut per sejunctionem, *aut per adjunctionem*, id est *ἀφόρισμον*« hac tantum nota addita: »Legendum meo judicio: sejunctionem id est *ἀφόρισμον*, adjectionem est.« Sed primum quidem Grotius male edidit *adjunctionem*, quum jam antecedentes *adjectionem* recte legerent; deinde vero Curium Fortunatianum (p. 66) inspicere neglexit, unde intelligimus primo potius loco *adjectionem* ponendam esse. Quem quum Martianus procul dubio exscripserit, refingere locum ad ejus exemplum non dubitavi, ita tamen ut *reprehensionem*, licet apud illum desit, haudquaquam ejicerem, quae eo melius locum suum tuebitur, quod ut adjectio praeteritioni, ita concessioni opposita esse videtur. Quod autem margini adscripsit Grotius *διάλυσιν* pro *ἀνάλυσιν*, id commemorasse satis fuerit.

quum primam] Lege »quum *primum* illam quaestionem tractamus, quae *prima* est, dehinc quae *secunda*.« Quae lectio partim eo confirmatur, quod quidam codices *denique* praeferant. Gnor. — Quam longissime a vero hujus loci sensu aberrat Grotius. Quilibet enim perspiciet, non esse *inversionem*, si primum primo loco, secundum secundo tractamus; sed ex inverso potius ordine inversionem oriri. In eo enim maxime oratoris ars versatur »ut

secunda est, dehinc primam. Et eam quaestionem, quam adversarii intulerunt, 563
iisdem modis refutare possumus, et adjicere solemus, quum aliquid aut obscure adversarius posuerit, aut augendi potius causa dixerit quam probandi, aut quum per hypophoram gradum facimus nostrae propositionis, aut quum adversarii propositionem in nostram partem convertimus, quam peristrophen vocamus, aut quum secunda proposita quaestione primam tractamus; et hoc faciendum, vel quum elegantiam varietatis affectamus, vel quum prima quaestio adversus nos valde facit et non est in primo loco ponenda. In hypophora cavendum est, ne pleno et copioso ponatur, quanquam aliquando irridendi adversarii causa, de quo nulla quaestio est, exaggeranda a nobis est, ut quid discrepet ostendamus. Hypophorae tribus modis imminuuntur, adjectione verborum, immutatione, detractione. Hypophora autem est intentio adversae partis; anthypophora est responsio ejus. Anacephalaeosis est veluti a capite causae 564
brevis repetitio quaestionum. Anacephalaeosi non semper utendum est, sed

quod primum cogitandum non utique primum dicendum« intelligat (Quinctilian. 3, 6, 12; p. 483 Spald.).

posuerit] Ita correxi, quod in editis erat *posuerat*, codicum Darmstattensis et Reichenauensis auctoritate.

aut augendi] In editis erat *agendi*, pro quo jam Grotius legere jusserat *augendi*, legiturque ita in codicibus Darmstattensi et Monacensi (C). Quamvis igitur Curius Fortunatianus (p. 66 Pith.), quem noster ad verbum fere sequitur, *agendi* habebat, hunc tamen e Martiani potius codicibus corrigendum esse arbitror.

gradum facimus] Id est »viam sternimus.« Ita Cicero (in Verr. 2, 1): »gradus imperii factus est« pro »via ad imperium strata est.« Male autem apud alios desunt, notante Grotio in margine, voces *per hypophoram*. Hypophora enim id ipsum anticipationis sive occupationis genus dicitur, quum ipsi nobis, ut Rufiniani verbis (p. 270 Ruhnk.) utar, »adversariorum sententias et dicta proponimus et substituimus, in hoc tantum, ut illis respondeamus.«

vel quum prima] Quinctilianus (7, 1, 2; p. 9): Sed meminerimus ipsam dispositionem plerumque utilitate mutari, nec eandem semper primam quaestionem ex utraque parte tractandam; cujus rei, ut cetera exempla praeteream, Demosthenes quoque atque Aeschines possunt esse documento, in judicio Ctesiphontis diversum secuti ordinem; quum accusator a jure, quo videbatur potentior, coeperit, patronus omnia vel paene omnia ante jus posuerit, quibus judicem quaestioni legum praepararet.«

anthypophora] Distinguit *anthypophoram* tanquam responsionem ab *hypophora* tanquam intentione vel positione; Rufiniano (p. 270) idem est quod nostro *hypophora*. Prorsus aliter Quinctilianus (9, 3, 87; p. 509) qui hanc figuram ἀνθυποφοράν vocari ait: »incredibile est quod dico sed verum.«

quando aut partitionem fecimus aut quando in multas quaestiones causa processit, ita tamen ut summam cujusque rei, non partes partium retexamus; qua quidem utemur etiam in alia parte orationis, quum judicis memoria fortasse succumberet, quae res tunc epinerismos vocatur. Anacephalaeosis tamen
365 nulla pars orationis est, sed epilogi quaedam portio. Epilogus enim tres habet partes, enumerationem praedictam, indignationem, quam *δεινωσιν* dicimus, miserationem, quam *οἰκτεισμα* vel *ἔλεον* memoramus. Sed dinosis est ex locis argumentorum; nam his non tantum res probamus, verum etiam augemus.

a capite] Respicit Graecam vocabuli originem *κεφαλή*, quae tamen ita potius explicanda erat, ut *τὰ κεφαλαῖα*, id est *summam orationis*, in anacephalaeosi repeti doceret.

processit] Grotius nescio unde *processerit*, quum illam lectionem et anteriores editiones, et codices Reichenauensis et Darmstattensis, et vero etiam Curius Fortunatianus (p. 68 Pith.) habeat, unde nostra ad verbum fere exscripta sunt.

cujusque rei] Darmstattensis omittit *rei*, cujus tamen tollendi causa non apparet. Apud Fortunatianum est »summa quaeque.« Ceterum conferendus et Cicero (partit. 17 f.): »id effugiet, qui non omnia minima repetet, sed brevi singula attingens pondera rerum ipsa comprehendet.«

epilogus] Auctor ad Herennium (2, 30): »*Conclusiones*, quae apud Graecos *ἐπίλογοι* nominantur, tripartitae sunt; nam constant ex *enumeratione*, *amplificatione* et *commiseratione*.« Propius ad nostrum Cicero (de invent. 1, 52): »*Conclusio* est exitus et determinatio totius orationis; haec habet partes tres, *enumerationem*, *indignationem*, *conquestionem*.« Proxime Curius Fortunatianus (p. 68), qui: »partes sunt« inquit »epilogorum tres: *anacephalaeosis*, id est *enumeratio*, *dinosis*, id est *indignatio*, *τὸ ἔχθος* sive *eleos*, id est *miseratio*.« Plura dabit Quinctilianus (6, 1; p. 443 sequ.).

quam δεινωσιν] Male Grotius *quod*, quum jam anteriores editiones haberent *quam*, quod et in codice Darmstattensi legitur. Praeterea margini adscripsit: »al. *ictosin*«, hac nota addita: »in MS. *ictosin*, ex quo quis non absurde *οἰκτρωσιν* eliciat, quod viro incomparabili Jos. Scaligero placuit«; sed nisi haec a sequentibus verbis huc aberrarunt, a nostro certe loco omnino aliena sunt. Probe enim distinguendum inter *δεινωσιν* et *οἰκτρωσιν*, ut v. c. fecit et Macrobius (saturn. 4, 2): »oratio pathetica aut ad *indignationem* aut ad *misericordiam* dirigitur, quae a Graecis *οἰκτος καὶ δεινωσις* appellantur.« Est autem *δεινωσις*, ut Quinctiliani verbis utar (6, 2, 24; p. 505 Spald.), »rebus indignis, asperis, invidiosis addens vim oratio, qua virtute praeter alios plurimum Demosthenes valuit.« Adde eundem (8, 3, 88; p. 269 Spald.). Rufinianus (p. 205 Rubnk.) *ἀγανάκτησιν* appellat.

dinosis est] Inserui *est* e codice Monacensi (C). De re confer inprimis Ciceronem (de invent. 1, 53): »*Indignatio* est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium aut in rem gravis offensio concitetur. In hoc genere illud primum intelligi volumus, posse omnibus ex *locis* iis, quos in *confirmationis* praeceptis posuimus, tractari indignationem« cet. Sed verba nostri ex Curio potius (p. 68) repetita sunt.

Sed conquestio, id est miseratio, his locis argumentorum sumitur, quibus et indignatio. Peroratione tamen non in fine tantum orationis utendum, sed ubi materia permiserit, id est in digressione principiorum aut narrationis assiduae, sed et quaestionum nonnunquam. In epilogo generaliter observandum, ut brevis sit; siquidem commotus judex statim dimittendus est ad sententiam proferendam, dum aut adversariis irascitur, aut tuis miseretur lacrymis, aut rerum afflictione commotus est.

Sic adhuc asserenti innuit ipse Cyllenius, ut ad germanarum coetum nubentisque transiret obsequium. Quo conspecto asserta determinans ad Philologiae consessum fiducia promtiore perrexit, ejusque verticem deosculata cum sonitu — nihil enim silens, ac si cuperet, faciebat — sororum se consortio societatique permiscuit.

Tandem loquacis terminata paginae 566
Asserta cursim, quae tamen voluminis
Vix umbilicum multa opertum fascia
Turgore pinguis insuit rubellulum.

peroratione] In his quoque et sequentibus Curium Fortunatianum (p. 69) presso pede sequitur.

germanarum] MS. *terminatarum*, non male. Gnor.— Quasi *terminatae* essent *quae terminarunt!* Codex Darmstattensis exhibet *feminarum*, at mutari non opus est, siquidem paulo infra eadem aliis verbis repetuntur »*sororum* consortio.«

asserta] Ita substantive saepe auctores novitii, praesertim Afri. Fulgentius: »praecluis eruditionis *asserta* cognoscere.« Gnor. — Adde nostrum infra (§. 599): »immobilem stare multiplicibus monstratur *assertis*.«

ac si cuperet] Id est *etiamsi* cuperet; ut apud Terentium (adelph. 4, 7, 42):

»*ipsa* si cupiat *Salus*
Servare prorsus non potest hanc familiam.«

Plura dabit Heinrichius (ad Cic. de republ. p. 166).

tandem] Verborum ordo in quatuor his versibus sic restituendus erit: »tandem asserta paginae loquacis terminata (sunt) cursim, quae tamen (pagina) pinguis turgore vix insuit umbilicum voluminis rubellulum, fascia multa opertum«, id est, ad tantam molem accrevit adeoque omnem chartam occupavit atque implevit, ut vix umbilico, qui extremo volumini adhaerebat (Hor. epod. 14, 8), insuendo locus relinqueretur vacuus.

turgore pinguis] Id est verbosior. Similiter Persius (5, 20) »pagina turgescit« dixerat.

rubellulum] Alludit ad veterum morem, qui minio notabant epigraphas. Unde et rubricae jurisconsultorum, ad quas alludit Persius (5, 90):

»*Masuri rubrica notavit.*«

Gnor.— Saxo Grammaticus etiam illa voce utitur »volucrem« appellans »rubellam.« A *rubro* est *ru-*

Quod si probatur et caret fastidio,
Nonnulla promet quae novella texuit,
Deditaque fient quae vetustas praeterit;
Sin sanna typhi naris imum torseris,
Pigebit arma horruisse coelites,
Formidinisque tunc locus movebitur,
Silvane, falcem quum petis Saturniam.
At tu reclamans, rhetorum sacrùm tuba,
Clangore verso Tulliana percrepans
In castra abibis, quo nec osor invidens
Nec livor ater te sequatur praecluem.

bellus et *rubellulus*. Persius et Martialis vinum *rubellum* memorant. Stepu. (ad Saxon. p. 150). — Confer nostrum infra (§. 804).

deditaque fient] Hoc est »tradentur in meo opere quae a veteribus sunt omissa«; tametsi rectius legi possit *edita*. Vulcan. — Dictum est pro *tradita* potius, ut omnino ejusdem verbi composita varie inter se confunduntur.

sanna typhi] De *sanna*, unde *subsannare* et *sanniones*, nulli non notum. *Typhus* vox Graeca (Suidas: τυφὸς ἀλαζονεία) pro *fastu* Arnobio aliisque usurpata; de qua sic Isidorus: »*Ulva* et *typhus* herbae circa fontes, paludes, stagnaque nascuntur, ex quibus *ulva*, id est alga, mollior et quodammodo fungus, dicta ab uligine; *typhus* vero quae (m. quia vel quod) se aquis inflet, unde et sibi placentium hominum tumor *typhus* appellatur.« Ab eadem origine et Typhones et Typhoeus dicuntur. Est autem τύφω et τύφομαι Graecis non tam *inflo*, quam *fumigo* et *incendo*. Gnot. — Plura dabit Heinsius (ad Ovid. met. 14, 95; p. 941 Burm.), qui et nostro loco ita refingendum conjecit:

»*Sin sanna Typhum nare sima intorserit*«

sed vide ne Martianus pro more suo audacior per prosopopoeiam Sannam Typhi id est irrisionem arrogantiae filiam voluerit, sensusque hic sit: »sin (tu) Sanna Typhi ima naris torseris« cet. *Imum* autem *naris torquere* idem quod Horatio (epist. 1, 5, 25) *nares corrugare* esse potest; quapropter mutationem quamvis ingeniose ab Heinsio excogitatam certam tamen omnino non habeo.

sequatur praecluem] Sensus totius carminis hic esse videtur: »si suffragia vestra tulerit et sine fastidio audita fuerit, disci inde poterunt nonnulla, quae a me ipso reperta sunt, vetustioribus praeterita; sin risum meruisse videatur, tum sane poenitebit coelites illius horroris quem ipsis adventus Rhetoricae armatae incusserat, quum Silvanus falcem Saturniam circumspiceret, neque amplius formidini locus erit; sed tu, sacrorum rhetorum tuba, indignata clangorem mutabis aque praeceptis artis tradendis ad orationes Tulliano more habendas te recipies, quo gloriosam te nec osor nec invidia nigra sequatur.«

MARTIANI

MINEI FELICIS

CAPELLAE,

AFRI CARTHAGINIENSIS,

LIBRI NOVEM.

PARS POSTERIOR.

Digitized by Google

MARTIANI
MINEI FELICIS
CAPELLAE,
AFRI CARTHAGINIENSIS,
DE
NUPTIIS PHILOLOGIAE ET MERCURII
ET DE SEPTEM
ARTIBUS LIBERALIBUS
LIBRI NOVEM.

AD CODICUM MANUSCRIPTORUM FIDEM

CUM NOTIS

BON. VULCANII, HUG. GROTII, CASP. BARTHII, CL. SALMASII, H. J. ARNTZENII, CORN. VONCKII, P. BONDAMI, L. WALTHARDI, JO. AD. GOEZII, HENR. SUSII, MARC. MEIBOMII ALIORUMQUE

PARTIM INTEGRIS PARTIM SELECTIS

ET COMMENTARIO PERPETUO

EDIDIT

ULRICUS FRIDERICUS KOPP,

HASSUS CASSELLANUS.

FRANCOFURTI AD MOENUM MDCCCXXXVI

PROSTAT APUD FRANCISCUM VARRENTRAPP.

Digitized by Google

MARTIANI

MINEI FELICIS

CAPELLAE,

AFRI CARTHAGINIENSIS,

DE

GEOMETRIA

LIBER VI.

Virgo armata, decens, rerum sapientia, Pallas, 367

Virgo] Παρθένος. Sic peculiariter dicta Minerva (Pausan. 1, 25, 7. 5, 11, 4. 10, 34, 4. Diodor. 1, 12; p. 39 Bip. Arnob. 7, p. 227. Silius 9, 479), quippe aeternam professa virginitatem (Lycophr. 354. 355) et γάμων ἀδίδακτος (Nonn. 2, p. 52); unde et *innuba* (Lucan. 9, 665. Valer. Flacc. 1, 87. Auson. epigr. 106, 5 et nostro infra §. 725), *innupta* (Virg. Aen. 2, 31. Claudian. in cons. Prob. 84. Macrob. Saturn. 6, 9), et ἀλέκτωρ (Athen. 3, 20; p. 98 Casaub.).

armata] Ut omnino sollemne erat antiquis, quam plurimis deos cognominibus invocare (Spanheim ad Callim. hymn. in Dian. 7), sic et noster Minervae epitheta ex omni erudita antiquitate conquisita cumulavit. *Armata* autem hic appellatur, ut ab aliis ὁπλοχαρὴς (Orph. hymn. 31, 6), εὐθώρηξ (Nonn. Dion. 34, p. 861 Falk.), κόρη vel παρθένος ἔνοπλος (Luc. dial. deor. 8, p. 27; Philopatr. 6; p. 244 Bip.), ζωστηρία (Paus. 9, 17, 2. Hesych. p. 1594), *armifera* (Pedo Albinov. eleg. 1, 22. Ovid. trist. 4, 10, 13; amor. 2, 6, 35; fast. 3, 681. 6, 421), *armipotens* (Virgil. Aen. 2, 425 et 11, 483. Claud. rapt. Proserp. 2, 142. Gall. 3, 90), *armisona* (Val. Flacc. 1, 74. Virg. Aen. 3, 344). Pingi etiam eam Cornificius testatur (ap. Fest. p. 241 Dac.) *minitantem armis;* multiplicique modo armatam finxit Seneca (Agam. 522). Inprimis autem conferatur Procli hymnus (Bibl. d. alt. Lit. u. K. st St. I, p. 47):

Ἀρσενόθυμε, φέραυπι, μεγάσθενες, ὀβριμοπάτρη,
Παλλὰς, τριτογένεια, δορύσσοε, χρυσεοπήληξ κ. τ. λ.

cujus omnis color proxime ad nostrum accedit.

sapientia] Apollinaris Sidonius (carm. 6, 19):

»*Protulit* ut mox *te patrius* sapientia *vertex.*«

Aetherius fomes, mens et sollertia fati,
Ingenium mundi, prudentia sacra tonantis,
Ardor doctificus, nostraeque industria sortis
Quae facis arbitrium sapientis praevia curae,
Ac rationis apex divûmque hominumque sacer *νοῦς*,
Ultra terga means rapidi ac splendentis Olympi,
Celsior una Jove, flammantis circulus aethrae,
Ἑπτὰς in numeris, prior igni, tertia Luna,

aetherius fomes] Ignem vivificum, calorem omnia vegetantem, aethereum vitalemque spiritum in calore omnia vivificantem et foventem notat. Sic de Jove ipso multis initio Arati sui Avienus. Capella alibi de Sole:

»*Ignoti vis celsa patris vel prima propago*
Fomes *sensificus*, *mentis fons*, *lucis origo*.«

Bartu. (ad Stat. II, p. 400). — Sic ab Artemidoro (oneirocrit. 2, 35; p. 123 Rig.) conjungitur *πῦρ τὸ αἰθέριον καὶ Ἀθηνᾶ*, Cornutoque auctore (20; p. 185 Gal.) a veteribus Minerva *αἰθερόνεια* appellata est. Plura vide supra (ad §. 39).

praevia curae] Sensus hic esse videtur, Minervam, quippe Jovis prudentiam ardoremque eum, unde sapientia illius atque doctrina proficiscatur, consilia ejus, quibus mundus gubernetur, quasi praecedere; quare etiam industriam dicit noster, quae nostrae sortis arbitrium faciat, id est unde fortunae nostrae regimen pendeat; ipsa enim Minerva *πρόνοια* sive providentia divina appellabatur, ut immensa eruditionis mole demonstravit Lennepius (ad Phalar. epist. p. 142—150).

νοῦς] Conditricem et conservatricem rerum *animam universi* designat. Bartu. (ad Stat. II, p. 401). — Non ex Platonis hoc sed ex Aristotelis stoicorumque doctrina explicandum, quorum consensum et Cicero (N. D. 2, 16) confirmat. Et ille quidem *mentem* conjungit cum *quinta essentia* sive *aethere*, unde moveri mundum ait numinisque divini eum sedem facit (de coelo 1, 3; de gener. animal. 2, 3); hi vero ipsam *animam mundi* appellant *ignem artificialem* sive *spiritum igneum* (Cic. Academ. 1, 11. Plut. plac. philosoph. 1, 6. Diog. Laert. 7, 156. Stob. ecl. phys. I, p. 58), quem et alio nomine *aethera* dicebant (Diog. 7, 137), cuique summam *rationem* atque *prudentiam* tribuebant (Cic. N. D. 2, 22 sequ.).

celsior una Jove] Id enarrat etiam Macrobius lib. III, cap. 4, ubi de Penatibus disceptatur: »esse autem medium aethera Jovem, Junonem vero imum aërem cum terra, et *Minervam summum aetheris cacumen*« cet. Bartu. (ad Stat. II, p. 401). — Adde Celsum (apud Originem l. 8, p. 422), Augustinum (de civ. dei 4, 10), et quae docte Creuzerus disputat (Symbol. II, p. 800 sequ.).

ἑπτὰς] Supra docuimus cur *ἑπτὰς* sacra sit Palladi. Quod sequitur »prior igni« est prior Vulcano, cui octonarius sacer, qui subsequitur heptada. Gnor. — Macrobius (s. Sc. 1, 6; p. 30 Zenn.), »Huic autem numero *septenario* adeo opinio virginitatis inolevit, ut *Pallas* quoque vocitetur« cet. Plura vide supra (§. 40) et infra (§. 738).

tertia Luna] Luna tertio a coitu die apparere incipit, et tunc Minerva dicitur; unde non desunt,

Quam docto assimilant habitu, qui agalmata firmant:
Hinc nam tergeminae rutilant de vertice cristae,
Quod dux sanguineo praesulque corusca duello,

qui τριτωνίαν Παλλάδα dictam arbitrantur. Hoc innuit Arnobius quum ait, ex Granio Aristotelem docuisse argumentis verisimilibus Minervam eandem cum Luna esse. Gnot. — Posteriora tantum verba apud Arnobium (3, p. 118) leguntur, cui adde Eusebium (praep. evang. 3, 4, 11; p. 113) et Augustinum (de civ. dei 7, 16); de *tertia* nihil, neque Tritoniae nomen huc referam, licet hoc ipso Minervam quasi Lunam appellari multi veterum crediderint (conf. Harpocrat. p. 287. Etymol. magn. p. 767. Tzetz. ad Lycophr. 519); sed vide ne ideo potius *tertia Luna* appelletur, quia aliae quoque deae, ut Diana et Isis, pro Luna habebantur, fere ut Cicero in libris de natura deorum compluria ejusdem nominis numina numeris inter se distinguit.

firmant] Lege *formant*. Sic et in Arnobio (ni fallor): »vel ex materiae quo genere constitutionem ipsam *confirmaverit* corporum« legendum *conformaverit*, quod tamen non dissimulabo et Meursium meum, canescentis ingenii pubedam, vidisse. Gnot. — Recte doctissimus Grotius *agalmata formant*. *Doctus habitus* hieroglyphicus est, aenigmatodes. Ratio poëtices Capelliana, a qua isthic membranae nobis collatae non absentiunt. Barth. (ad Stat. II, p. 401). — Cangius in glossario hunc nostrum locum ita laudat, ut *fingunt* legat, quare quum lectio incerta sit, malui nihil quam prave emendare. Ceterum aliam Minervii habitus explicationem itidem symbolicam exhibet Fulgentius (mythol. 2, 2; p. 667 Stav.).

tergeminae] *Tergeminae cristae* in Palladis picturis observandae sunt; indicant enim eam fulminis etiam, quod *triangulum ignem* hic vocat Capella, potestatem habere, quod traditum Servio ad Aen. 1. Mendosus in his rebus est *Albricus* scriptor ante haec quatuor secula notus, ut alibi ostendimus: »Minerva«, inquit, »pingebatur a poëtis in similitudinem unius dominae armatae lorica et gladio accinctae, cujus caput viri decinctum circum erat, ipsamque cassis cum crista desuper detegebat. Ipsa autem lanceam tenebat in dextra, in sinistra vero scutum crystallinum habebat, quod caput Gorgonis a cervice serpentibus monstrosae continebat. Haec igitur oculos habebat splendidos triplici colore. Pallium induebat distinctum aureo, purpureo, et coelesti. Juxta se habebat olivam viridem pictam, desuper avem, quae dicitur noctua, volitantem.« Barth. (ad Stat. II, p. 402). — Tergeminae cristae et alibi occurrunt, ut in Turni galea apud Virgilium (Aen. 7, 785):

»*Cui* triplici crinita juba *galea alta chimaeram*
Sustinet« — —

Minervae nec Silius (9, 445) nec Claudianus (de rapt. Pros. 2, 21 et 145) eas tribuunt.

duello] Hinc appellatur πολεμοκλόνος (batrachom. 267), πολεμητόκος (Orph. hymn. 31, 10), ἀρεία (Paus. 1, 28, 5), στρατεία (Lucian. dial. meretr. 9; T. VIII, p. 254 Bip.) ἀλκιμάχη (Suidas p. 117), *bellica* (Ovid. fast. 3, 814; met. 4, 753. 5, 46), *belligera* (Martial. 7, 1, 1. Senec. Herc. fur. 501), *bellatrix* (Ovid. trist. 1, 5, 76; met. 8, 264. Silius 3, 323), *aspera belli* (Claudian. rapt. Pros. 2, 20), *belli metuenda virago* (Ovid. met. 2, 765), *belli potens* (Stat. Theb. 2, 715), *belli praeses* (Virg. Aen. 11, 483. Auson. epigr. 1), et *regina bellorum* (Stat. silv. 4, 5, 25); *pugnax*

Vel tibi quod fulget rapiturque triangulus ignis;
Hinc tibi dant clypeum, sapientia quod regat orbem,
Vel rationis opem quod spumea proelia poscant,
Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen,
Lymphaseum magis est et scutum circulus ambit;
Hinc jam vernicomae frondent tibi munera olivae,
Artes cura vigil per te quod discat olivo;
Glaucam dant volucrem, quod lumine concolor igni est,

quoque (Ovid. trist. 3, 9, 7) et *tubarum potens* (Claudian. rapt. Pros. 2, 141).

triangulus ignis] Igni etiam pyramidalem formam assignant philosophi. Gnor. — Vide Platonem in Timaeo (p. 56 Steph.). Ipsum triangulum Pythagoreos Minervae nomine appellasse tradit Plutarchus (de Isid. p. 381).

spumea proelia] Rabiosa. Rabiem enim saepe spuma sequitur: et talia sunt Capellae epithetal Barth. (ad Stat. Theb. II, p. 405). — Certe non reprehendisset in Martiano hoc epitheton vir doctus, si recordatus fuisset illius apud Lucanum (5, 190) versus:

»Spumea *tunc rabies vesana per ora effluit.*«

hasta] Vibrare hastam fingebatur Minerva, parata nimirum pugnae semper. Unde eam describens lib. II de raptu Pros. Claudianus »hastam terribili gyro nubes transcendere« dicit. Barth. (ad Stat. II, p. 403).

penetrabile] Reichenaensis codex *penetrale*, absurde; *penetrabilis* etiam active usurpari Oudendorpius (ad Appul. II, p. 321) satis demonstravit. Ceterum similis est Fulgentii explicatio: »longam etiam hastam fert, quod sapientia longe verbo percutiat.«

lymphaseum] Hoc est *crystallinum*, ut liquet ex Albrico, qui omnino eadem Minervae tribuit, quae Capella; itemque ex scholiaste Germanici in fabula Persei. Gnor. — Verba *lymphaseum* et *magis* corruptionis non absolvo, licet *crystallinum* recte non negem explicatum a summo viro Hugone Grotio. Manuscripta duo exemplaria, quae consuluimus, nullam literam mutant. Dicam latere aliquid de ingenio Palladii scuti, quod vitreum ideo fingebatur, ut transspici posset, non se hostibus contra ostendere. Commentarius Germanici Caesaris in Aratum: »Quidam Perseum a Minerva missum dicunt et ab ea clypeum vitreum accepisse, per quem videre, nec videri a Gorgonibus posset.« Barth. (ad Stat. II, p. 403).

hinc jam] Scitius in MSS. »*hinc tuae* vernicomae.« Minerva enim inventrix oleae vel Marone contestante. *Vernicomae*, quod semper vernare videatur. In altero meliore libro deinde legitur »tuque hujus« ignis scilicet. Barth. (ad Stat. II, p. 404). — Pro *jam* et Grotius in margine aliam lectionem notavit *nam*; sed mutandi causam non video.

olivo] Id est *lucernis*, quibuscum semper artium studia Martianus conjungit. Vide supra (ad §. 2).

glaucam] Id est *noctuam*, γλαῦκα, quam tamen Latino sermone ad primam declinationem retulit, ut supra (§. 31) *bupedam* dixit pro βούπαιδα. Mox pro *igni es*, quod in editis erat, scripsi *est* e margine libri Norimbergensis. Optime

Tuque ignis flos es, cluis et γλαυκῶπις Ἀθήνη,
An mage noctividae tibi traditur alitis usus,
Quod vigil insomnes ducat sollertia curas?
Pectore saxificam dicunt horrere Medusam, 372
Quod pavidum stupidet sapiens sollertia vulgum.

omnia intelliges, si memineris γλαυκὸς apud Graecos non tam *caesium* vel adeo *caeruleum* significare, quod vulgo putant, quam potius *splendidum, lucidum*, ut erudite demonstravit Lucas (de Minervae cognomento γλαυπῶπις, Bonn. 1851. 4). Ceterum jam Diodorus Siculus (1, 12) physicam cognominis γλαυκῶπις rationem affert: λέγεσθαι δ'αὐτὴν καὶ γλαυκῶπιν, οὐχ ὡς τινες τῶν Ἑλλήνων ὑπέλαβον, ἀπὸ τοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχειν γλαυκοὺς (τοῦτο μὲν γὰρ εὔηθες ὑπάρχειν), ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τὸν ἀέρα ἔχειν τὴν πρόσοψιν ἔγγλαυκον: quem sequitur et Porphyrius (ap. Euseb. praep. evang. 3, 2, 3; p. 89).

flos] Flos enim ignis divinum aliquid putabatur, hoc est purissimus ignis; eum alii Minervam dicebant. Γλαυπῶπις Ἀθήνη, παντέχνου πυρός, unde omnium artium fons. Bantu. (advers. p. 351). — Vide supra (§. 206), ubi Philologia, postquam in coelum advenerat, *florem ignis* toto pectore deprecatur.

an mage] In eodem libro est *nam age*; scribendum puto:

»Unde age noctivagae *tibi traditur alitis usus?*« Bantu. (ad Stat. II, p. 404). — Vulgata optime sese habet. *An* quam maxime accommodatum est interrogationi, quae alteram respondendi viam aperit; *noctividam* autem vel ideo melius appellabimus noctuam, quia ad nocturna studia et lucubrationes refertur, in quibus non tam *vagari* quam *videre* homines oporteat.

saxificam] Seneca (Herc. fur. 901):

»*Pallas cujus in laeva ciet*
Aegis feroces ore saxifico *minas.*«

Multo tamen rectius noster *pectori* potius quam *laevae* aegida tribuit, consensum poëtarum secutus. Virgilius (Aen. 8, 437):

»*Connexosque angues ipsamque in* pectore *divae*
Gorgona« — —

Lucanus (9, 58):

— — »*bellumque immane deorum*
Pallados e medio *confecit* pectore *Gorgo.*«

Adde Propertium (2, 2, 60), Valerium Flaccum (3, 88), Statium (Theb. 8, 519), Silium (9, 445), Sidonium (carm. 15, 8; p. 374 Sirm.), aliosque quam plurimos. Solus Claudianus (IV cons. Honor. 165) clipeum cum aegide confudisse videtur; sed Pausanias quoque (1, 24, 7) Medusae caput eburneum Minervae signo κατὰ τὸ στέρνον additum fuisse ait. Controversiam notat et Wowerus (polymath. 10, p. 72).

stupidet] Minime hic verbo *stupidare* significatur »frequenter stupere«, ut Vossius (de vitiis serm. 4, 26) e glossariis refert: sed potius »stupidum reddere«, id quod inferior etiam locus (§. 725) confirmat. Simili ratione verbo *turbidare* pro »turbidum reddere« monente Stephanio (ad Sax. p. 54) usus est Saxo Grammaticus.

sapiens] In membranis clare scribitur *sapientis*, quod ego de glossemate introductum puto, et scripsisse Martianum

»*Quod pavidum stupidet* sapidi *sollertia vulgus.*«

573 Arcibus urbanis veteres tibi templa dicarunt,
Quod ratio amplificet quodque illa elatior urbe est.
Hinc de patre ferunt sine matris foedere natam,
Provida consilium quod nescit curia matrum,
Consultisque virûm praesis, hinc dicta virago.
574 O sacra doctarum prudentia fontigenarum,

Barth. (ad Stat. II, p. 404).— Notissima enallage emendationem non suscipit.

vulgum] Ita, non *vulgus*, codices Monacenses (A. C) et Reichenauensis, plurimique ab Oudendorpio (ad Appul. I, p. 118) inspecti.

arcibus] Ἀκροπόλεις enim Minervae sacratae. Virgilius:

—»*Pallas quas condidit arces*
Ipsa colat.«

Hinc nata ἀκρίας et ἐπιπυργιδίας cognomina. Eleganter facit cum Martiano Homerus, qui canit:

»Νηὸν Ἀθηναίης γλαυκώπιδος ἐν πόλει ἄκρῃ.«

Et Catullus de eadem diva:

— — »*retinens in summis urbibus arces.*«

Gnot. — Ab Homero jam (Il. 6. 305) ἐρυσίπτολις appellata; ab Herodoto (1, 160), Aristophane (nub. 585 sequ. 598), et Pausania (3, 17, 3) πολιοῦχος. Adde Virgilium (Aen. 2, 615), Petronium (c. 5, p. 22 Burm.), Claudianum (rapt. Pros. 2, 19), ipsosque historiarum scriptores (Liv. 31, 30. 37, 37. 45, 28. Valer. Maxim. 5, 3 f.) et Vitruvium (1, 7), inprimis autem Aristidis orationem in Minervam (T. I, p. 21 Cant.). Exstat praeterea singularis commentatio A. F. Oefelei praeside L. W. Balhorn de Minerva urbis praeside. Lovan. 1754. 8. Ceterum pro *dicarunt* in aliis teste Grotio est *sacrarunt*.

urbe est] Lege *urbe*, vel secundum alia exemplaria:

»*Quodque illa elatior urbe est.*«

Et Phurnutus de Pallade: ἵδρυται δὲ ἐν ταῖς ἀκροπολέσι μάλιστα, et rationem addit: ἀπὸ τοῦ μετεωροτάτους καθιδρῦσθαι. Gnot. — Stupidissime in membranis scriptum »quodque villa elatior urbe est.« Qua prodigiosa lectione quid faciam non video. In aliis fuit *illa elatior*. Sed aliae nostrae vulgatam scripturam tuentur. Scribe:

»*Quod ratio amplificet, qua villa est altior, urbem.*«

Qua villa major est urbs, rationi debet. Sine rationis usu primi homines habitabant villas, stabula cum pecudibus nempe communia. At ratio urbanam humanamque vitam instituit. Barth. (ad Stat. II, p. 404). — Absurdam Barthii explicationem vel retulisse taedet. Sed nec vulgata placuit, quae haec erat: »quodque est elatior urbes«; quare Grotii codices secutus sum.

consilium] Hoc est, quod feminae excluduntur e curia, ubi agitantur consilia. Vulcan. — *Consilium* lege e MSS. cunctis et construe: »quod provida curia nescit consilium matrum.« Oudend. (ad Appul. metam. p. 372).— Grotius nimirum ediderat *consilii*, alii *consilia*, sed nostram lectionem jam Barthius in MS. reperit confirmantque et mei codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis uterque (A. C).

o sacra] Versus est Rhopalicus, a monosyllaba crescentibus semper vocibus in plurisyllabas. Barth. (ad Stat. II, p. 405).

Sola novem complens, Musis mens omnibus una,
Te precor, ad proprium dignata illabere munus,
Inspirans nobis Grajas Latialiter artes.

Ago tibi habeoque, diva, persolvensque perpetes debebo grates, quae optatis 575
fulgida dignaris annuere. Nosco venerorque, quod vidi. Parent denique jam ingressurae artes obsequio electissimae feminarum, quae decentem quandam atque hyalini pulveris respersione coloratam velut mensulam gestitantes ad medium superi senatus locum fiducia promtiore procedunt. Sed quae istae sunt, quidve gestitent, gerendorum inscius non adverto. Hic, ut lepidula 576

fontigenarum] Ab aliis poëtis hanc vocem de Musis usurpari nondum vidi, qua noster et infra (§. 908) iterum utitur; ratio tamen in aperto est, quum, ut Servii (ad ecl. 7, 21) verbis utar, »secundum Varronem ipsae sint *nymphae* quae et *Musae;* nam et in aqua consistere dicuntur, quae de fontibus manat, sicut existimaverunt qui Camoenis fontem consecrarunt.« Plura dabit Creuzerus (Symbol. III, p. 273 sequ.), quidquid obloquatur Buttmannus (Mythol. I, p. 273 sequ.).

sola novem] Sensus hic: »O sacra scil. Minerva, unde prudentiam suam doctae fontigenae (Musae) ipsae acceperunt, tu sola, quae una illis mens omnibus es, comples omnes illas.« Ne autem cum Barthio (p. 405) *Musas* pro *Musis* scribendum aliquis putet, interpungendo prospexi.

te precor] Sic scripsi e membranis a Barthio laudatis pro *deprecor*, quod in editis erat. Martianus precatur Minervam, ut in animum suum illabi dignetur ad munus ipsi proprium procurandum, seque inspiret, ut artes Graecas Latino sermone explicare possit. Ceterum colorem, ni fallor, traxit e Virgilio (Aen. 3, 89):

»*Da pater augurium atque animis* illabere *nostris.*«

debebo] Sic scripsi e codicibus Monacensibus (A. C) pro *debeo*, quoniam ei quod est *perpetes*, id est *perpetuas*, futurum magis convenire videbatur.

fulgida] Nota hic usu venire, quod et saepe alias, ut C pro G ponatur. Sic pro *Glaucopis* MS. *Claucopis* refert. Gron. — *Sylburgius* (ap. Sciopp. in gr. philos. p. 255 Herz.): »C pro G frequenti in usu fuit. Sic enim *cenas* dixerunt pro *genas;* sic *frucem lece* pro *frugem lege;* itidemque *lecere*, *rocato* pro *legere*, *rogato.*« Quod igitur apud Martianum editum erat *fulcida* haud cunctatus correxi, minime curans orthographiam a librariis intrusam.

parent] Pro *patent*, quod in editis erat, correxi codicum auctoritate Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C).

electissimae] Hoc pro Grotiano *lectissimae* restitui ex anterioribus editionibus, codicibus Reichenauensi et Darmstattensi adstipulantibus.

pulveris] Quo geometrae utebantur. Confer Barthium (ad Claudian. de cons. Mall. 126; p. 128) nosque supra (ad §. 337). *Hyalinus* autem est *vitreus*, ut supra (§. 66. 67).

inscius] MS. *inconscius.* Gron. — Item Darmstattensis contra meliorem plurimorum librorum lectionem.

est et quae totam fabellam ab inchoamentorum motu limineque susceperit, Satira jocabunda: ni fallor, inquit, Felix meus plurimum affatimque olivi, quantumque palaestras perluere vel sponsi ipsius posset, superfluo perdidisti, dispendiaque lini perflagrata cassum devorante Mulcibero, qui tot gymnasiorum ac tantorum heroum matrem Philosophiam non agnoscis, saltem quum per eam Jupiter dudum coelestis consultum senatus. tabulamque vulgaret, quumque ad Philologiae concilianda consortia procum affatum connubialiter
577 allegaret, ne tunc eam noscere potuisti? Sed quia nunc Arcadicum ac Midinum sapis, praesertimque ex quo desudatio curaque districtior tibi forensis rabu-

et quae] Malim »*atque — suscepit.*« Susius (in Gurlitt. anim. part. 4, p. 9).

olivi] Pro *olei*, ut Martialis (4, 89, 8):

»*Dum parvus* lychnus *modicum consumat* olivi« Nimirum hic quoque lucubrationem ad lucernam respicit; sed ut simul et notissimum illud proverbium tangat: operam et oleum perdidi.

sponsi] Mercurii, palaestrarum custodis et tutoris, ut sensus sit, tantum eum olei perdidisse, quantum omnibus palaestris satis esset. Olei usus in palaestris notus est.

lini] Ellychnii, θρυαλλίδος. Gnot. — Recte, licet cum vocabuli usum apud alios non repererim. Ceterum, ut omnino figuras cumulare amat Martianus; *perflagrata dispendia* dixit per hypallagen pro *dispendiis perflagrati lini*, itemque per prolepsin junxit *perflagrata devorante*, quum devorando demum perflagrarentur.

affatum] Recepi e codice Monacensi (C) pro *affatim*, quod nihili erat, Darmstattensi quoque in partes veniente, ubi *adfatu* legitur. Sed pro supino habendum est, ut sensus sit, Philosophiam ad Philologiae nuptias conciliandas allegasse scil. Philologiam, ut procum connubialiter affaretur. Vide supra (§. 131 et de senatus consulto §. 96).

ne tunc] Lege *nec tunc* vel *ne tunc quidem*. Gnot. — Quod ne necessarium putes, confer Ruhnkenium (ad Rutil. Lupum p. 129) et Plumium (ad Persium 5, 172; p. 466).

Arcadicum] Hoc est *asininum*. Asinus enim pecus Arcadicum est. Sic Fulgentius »Arcadicos sensus« dixit. Gnot. — Adde »Arcadicum juvenem« apud Juvenalem (7, 160).

Midinum] MS. *Midimon*. Urbis *Mideae* meminit Homerus:

»Οἵ τε πολυστάφυλον Ἄρνην ἔχον, οἵ τε Μίδειαν.

Sed Meursio meo videtur *Midinum* a Mida deductum, cujus stoliditas nota. Ergo »Arcadicum ac Midinum sapis« idem est quod »asini in modum stupes.« Nam asinus pecus Arcadicum est, et Midas asini aures habuisse dictus propter stultitiam. Gnot. — Unice verum vidisse Meursium, vix est quod moneam; quapropter et *Midinum* reposui pro *Medinum*, quod in editis erat. Ceterum constructio est ut apud Persium (1, 8): »quum sapimus patruos.«

ex quo] Sic codex Darmstattensis; vulgo *ex illo quo*.

forensis] Forensibus causis agendis Martianum occupatum fuisse non ex hoc solum loco patet, sed ex inferiori etiam (§. 998):

lationis partibus illigata aciem industriae melioris obtudit, amisisse mihi videris et hujus matronae memoriam, et jam ejusdem germanam voluisse nesciro. Illa namque parili quam accinctam cernis officio, *Παιδεία* vocitatur, femina 578
admodum locuples et quae illas Croesias Dariasque prae suis opes gazasque despiciat. Haec utpote talentorum conscia in omnium rara congressus, nec cuiquam facile primores saltem vultus superba committens plerumque tamen adhaesit arrisitque pauperibus, magisque illis quos aut pedibus nudos aut intonso crine hispidos aut sordenti conspexit pallio semitectos; denique si Marcum Terentium paucosque Romuleos excipias consulares, nullus prorsus
erit, cujus ista limen intrarit. Vides igitur utrique feminae quam insit fa- 579
stuosa censura; tamen utraeque Mercurialis ministrae, quae veniet, officio praeparantur. Illud quippe quod gerulae detulerunt abacus nuncupatur, res

»*Indocta rabidum quem videre secula*
Jurgis caninos blateratus pendere.«

Quapropter et *rabulationis* reponendum erat pro *fabulationis*, non e Grotiano tantum sed et e Reichenauensi, Darmstattensi et Monacensi (C) codicibus. Praeterea e Reichenauensi pro *alligata* scripsi *illigata*.

germanam voluisse] Haec non satis cohaerent, quum illud »*videris*« ad antecedentia et sequentia simul pertinere nequeat. Scribe »germanam *voluisti*.« Susius (in Gurlitt. anim. part. 4, p. 10). — Difficultatem facile expedivi, *et jam* disjunctim scribendo pro *etiam*, quod sententiarum nexum turbavit.

Παιδεία] Est *liberalis educatio*, quam et Lucianus (somn. T. I, p. 9 Bip.) per prosopopoeiam introduxit. Saepissime cum *Philosophia* jungitur, cujus usus exempla attulit Loersius (ad Platonis Menexenum p. 59. 60).

in omnium] Lege *dominii*. Voscx. (spec. crit. p. 83). — Inepta correctio critici sanequam temerarii, qui si opem nostro loco ferre voluisset, multo certe melius conjecisset verba »utpote talentorum conscia« alieno loco intrusa atque antecedentem sententiam referenda esse.

magisque illis] Philosophos significat *ἀνυποδησίᾳ* et *scissili*, ut Appulejus ait, *palliastro*, *τριβωνίῳ* nimirum atque omnino inculto corporis habitu et squalore jam inde a Socratis tempore vel insignes vel infames; qua de re vide Wyttenbachium (ad Plutarchi moralia p. 440).

Terentium] Varronem videlicet, cujus multiplex eruditio testimonio non eget.

consulares] Quum pauperum tantum intraverit limina, quod ex prioribus patet, haec quadrare non videntur. Lege: »paucos Romuleos (i. e. viros antiquae nobilitatis) excipias, *consularis* nullus.« Susius (in Gurl. anim. part. 4, p. 10). — Non necesse est. Nam antea de Graecis locutus erat; apud Romanos eruditionem penes primores tantum fuisse constat, ut Ciceronem, Caesarem, Messalam; nec *Romuleus* apud nostrum aliud quam *Romanum* significat (§. 335. 592).

illud quippe] Codex Monacensis (A) *quoque*, male. Mercurialis ministra ipsa Geometria est.

abacus] Plerumque tabulam rationibus subdu-

depingendis designandisque opportuna formis; quippe ibi vel lineares ductus vel circulares flexus vel triangulares arraduntur anfractus. Hic totum potis est ambitum et circos formare mundi, elementorum facies ipsamque profunditatem adumbrare telluris; videbis istic depingi quidquid verbis visum non valeas explicare. Nimirum, inquam, ista quae veniet Apellem Polycletumque transcendit; ita quippe memoratur posse omnia effigiare, ut Labyrintheus
580 Daedalus eam credendus sit genuisse. Et cum dicto prospicio quandam feminam luculentam, radium dextra, altera sphaeram solidam gestitantem, amictamque laevorsum peplo, in quo siderum magnitudines et meatus, circulorum mensurae connexionesque vel formae, umbra etiam telluris in coelum quoque perveniens vel Lunae orbes ac Solis auratos caliganti murice deco-
581 lorans inter sidera videbatur; ipsum vero vernantis aethrae colore refulgebat, denique etiam in usum germanae ipsius Astronomiae crebrius commodatum; reliqua vero versis illitum diversitatibus numerorum, gnomonumque stilis, interstitiorum, ponderum, mensurarumque formis, diversitate colorum variata renidebat. Crepidas peragrandae telluris causa easdemque permenso orbe
582 contritas viatrix infatigata gestabat. Quae quidem ingressa senatum deum,

cendis significat, quae ad Arithmeticam potius pertineat (vide interpretes ad Persium 1, 131), sed nostro est mensa pulvere strata, cui radii ope figurae geometricae inscriberentur (§. 337. 582. 586. 715. 729).

arraduntur] Sive *adraduntur*; sic Grotianus, Darmstattensis, et Reichenauensis codices pro *abraduntur* quod in editis erat.

radium dextra] Vergilius:

»*Descripsit* radio *totum qui gentibus orbem.*« Gnor. — (Ecl. 3, 41). Confer quae supra (§. 337) a nobis sunt exposita.

laevorsum] Ad haec Martiani verba doctissimus Cuperus (apoth. Hom. p. 145): »Unde patet quoad formam induendi nihil a virorum chlamyde peplum discrepasse; quam sinistrum quoque humerum texisse, in dextro fibula junctam haesisse docuerunt Ferrarius et Rubenius.« Pallium contra laevorsum injecisse barbarum et ridiculum habebatur (Aristoph. Aves 1574. Artemidor. Onirocrit. 3, 24).

colore] Monacensis (A) *salore*, quae non contemnenda lectio est (§. 17 not.).

reliqua] *Τὰ λοιπὰ*: adverbialiter ut *ceterum*. Gnor.

versis] An non *variis*? Gnor. — Equidem intelligo »omni modo *conversis* atque *versatis* diversitatibus.«

interstitiorum] Codices Darmstattensis et Monacenses (A. C) *interstitionum*, male.

variata] MS. *variegata*. Gnor.

contritas] Codices Monacenses (A. C) *attritas*, quod multo minus est.

licet quot stadia e terris in coelum quotque ulnas quot denique digitos permensa sit instanter absolvere, tamen Joviali coelestiumque majestate contacta, ad illam abaci renudati mensulam, circumspectans camerae exterioris ornatum et laqueata sideribus palatia, properavit.

Constitit attonito spectans stellantia visu, 583
Et decuit crinis, pulvereique pedes.
Ipsa etiam laeva sphaera fulgebat honora,
Assimilis mundo sideribusque fuit.
Nam globus et circi zonaeque ac fulgida signa
Nexa recurrebant, arte locata pari.
Tellus, quae rapidum consistens suscipit orbem, 584
Puncti instar medio haeserat una loco.

instanter absolvere] Subaudi *possit*. Velc. — Lege: *absolveret*, ut erratum sit ex repetitione: nisi quis putet infinitum hic per ἐναλλαγὴν modi pro imperfecto, vel simili, sumi, quod frequens est. Grot. — Mecum scribe: »*instaret* absolvere.« Susius (in Gurl. anim. part. 4. p. 10). — Codices nihil variant, et mutare eo magis nolui, quia infinitivus Graeco more quasi per ὥστε additus esse ad *permensa sit* videri potest.

contacta] E Grotiano codice omnino melius quam *contracta* in aliis. Tanto enim coetu conspecto commota erat.

camerae] Sic vetus poëta »coeli ingentes fornices« dixit. Idem enim *fornix*, *camera*, *testudo*. Grot. — Eandem significare videtur, quam οὐρανίαν ἀψῖδα Plato (Phaedr. p. 247) appellavit. Tenendum autem deos apud nostrum in Galaxia residere (§. 208), sphaerarum omnium extrema et in finibus mundi visibilis posita, quare et Susii conjectura *excelsioris* pro *exterioris* languet.

laqueata] Coelum stellatum Manilius quoque (1, 276) cum lacunaribus sive tectis laqueatis comparavit: »*Haec igitur texunt aequali* sidera *tractu*
Ignibus in varias coelum laqueantia *formas*.«

properavit] Hoc recepi e codicibus Monacensibus (A. C), Reichenauensi, et Darmstattensi, pro *properabat*, quod in editis erat. Accedit et *properabit* in margine apud Grotium notatum; B et V enim promiscue usurpantur.

crinis] Restitui ex anterioribus editionibus pro *crines*, quod Grotius edidit, licet et codex huic Darmstattensis faveat.

nam globus] In MS. verba illa ab »hinc nitidus« usque ad »flamma micat« ante hunc versum inseruntur. Grot. — Pessime quidem; nam hoc modo segregarentur *sphaera* antecedens et *globus*, infraque primum *sic* ab altero, quod ei respondere debeat.

puncti instar] Similis est doctrina Cleomedis (in theoria cyclica 1, 11; p. 56 seqq.), ὅτι ἡ γῆ σημεῖον λόγον ἐπέχει πρὸς τὸν οὐρανόν. Adde Plinium (2, 68): »hae tot portiones terrae, immo vero, ut plures tradidere, mundi *punctus*«, et Senecam (quaest. natur. 1 praef., p. 681. 682 Lips.).

medio] Hoc jam Platoni placuit (Phaed. p. 108

Hanc tener et vitreis circumvolitabilis auris
Aër complectens imbrificabat aquis:
Quae tamen immenso, quo cingitur illa, profundo
Interrivata marmore tellus erat;
Texerat exterior qui fulget circulus orbis
Aetheris astrifico lumina multa peplo.
Hinc nitidus rutilum Titan succenderat orbem:
Moxque imitata pium lactea Luna diem.
Sic igitur furvae oculos splendescere noctis
Cerneres ex auro ut sacra flamma micat.

f. Steph.) et Aristoteli (de coelo 2, 14) aliisque exinde multis (conf. Cleomed. 1, 6; p. 47 sequ. Plutarch. plac. philos. 3, 11; p. 893. Euseb. praep. evang. 15, 57. Macrob. in somn. Scip. 1, 19. Stob. ecl. phys. 1, 52, 41; p. 991 Heer.); unde v. c. Lucretius (5, 355):

»*Terraque ut* in media *mundi regione quiescat*«

et Ovidius (fast. 1, 110):

»*Sederunt* medio *terra fretumque solo*«

pariterque Manilius (1, 180) de terra:

»*Sed* medio *suspensa manet.*«

Reliquorum praeterea testimonia alio in opere (palaeogr. crit. III. §. 286) collegi: quibus adde nostrum infra (§. 599).

interrivata] Id est interstincta Oceano. Vulcan. — Infra (§. 627) Hispaniam ait »Iberi fluminis tractu *interrivatam* esse.«

marmore] Marmor enim maris colori assignatur, sic infra: »marmori fluctibus concolora.« Et supra:

»*Quantus sit numerus* marmoris *haustibus.*«

Usurpat Petronius et alii. Gaor. — Vide supra (§. 92 not.).

peplo] Hoc imitatus est Fulgentius (myth. 1. p. 617 Stav.) versu:

»*Tum nox* stellato *mundum circumlita* peplo.«

De die oriente Hilasius (Burm. anthol. Lat. 5, 6; p. 302):

»*Nox abit* astrifero velamine *cincta micanti*«

atque noster supra (§. 116):

»*Et jam tunc roseo subtexere* sidera peplo«

ut et »*astrificas* noctis habenas« alio loco (§. 98) dixit.

pium] Pium diem, blandum Solem. Vulc. — Equidem *pium* appellari Solem arbitror, quia *fraterno* amore lumen in Lunam transfert.

sic igitur] Ratio versus postulat, ut immutetur ordo verborum et legatur: »sic oculos igitur furvae«, et in sequenti pro »cernas auro ut« lege »ex auro cernas ut«; tametsi frequenter synaloepham negligit. Vulc. — Lectionis varietas nulla est nisi *hic* pro *sic* et *cerneres* pro *cernas*, quarum illam in marginem rejecit Grotius, hanc recepit; quem ego secutus sum, codicibus quoque plurimis adstipulantibus.

flamma] Hi versus ad Pindarum alludunt, qui ait:

Ἄριστον μὲν ὕδωρ ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ
Ἀτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἐξοχα πλούτου.

Sic Cypris Oceani perfuso sidere lymphis
Lucifero annuerat lumina tota suo.
Omnia compar habet paribus sub legibus ordo,
Nec minus haec mira est quam domus alta deûm.
Hanc mundo assimilem stupuit Trinacria tellus
Archimedea astrificante manu;
O felix cura, et mentis prudentia major,
Corpore sub nostro aequiparasse Jovem.

Tandem igitur reglutinatis ab aethrae intervibrantis admiratione luminibus 586
decenti collustrans divos conspectansque censura quum omnibus reverenda venerabili dignitate et magistra ceterarum, quae notae divis sunt artibus, diceretur, exquisitum est eruditionis arcanum ut ab ipsis praeceptionis cunabulis auspicata depromeret. Tum illa, remoto paululum obstaculo contorti crinis a facie, orisque luculenta majestate resplendens, atque abaci sui superfusum

Vides enim ibi noctem et aurum et flammam. Gnot. — Confer et Horatium (Od. 1, 12, 46):

— — »micat *inter omnes*
Julium sidus *velut inter* ignes
Luna minores«.

Micare pari modo et Seneca (Oedip. 45):

»*Nullum serenis noctibus* sidus micat«

idemque (Herc. fur. 125):

»*Jam rara* micant sidera« —

et noster infra (§. 911):

»*Te nam flammigeri semina fomitis*
Spargentem referunt astra micantia.«

Adde Virgilium (Aen. 2, 475) et notam superiorem (ad §. 550).

hanc mundo] Describit hoc carmine sphaeram Archimedeam, de qua sic Claudianus:

— — »*regnumque deorum*
Ecce Syracosius transtulit arte senex«

et postea:

»*Percurrit proprium mentitus signifer orbem,*
Et simulata novo Cynthia mense redit.«

Videtur meminisse Ovidius:

»*Arte Syracosia suspensus in aëre clauso*
Stat globus, immensi parva figura poli.«

Gnot. — De sphaera Archimedis veterum locos collegit Fabricius (ad Sext. Emp. 9, 2, 114; p. 577. 578), quem vide. Ceterum e codicibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi scripsi *Archimedea*; Grotius *Archimedaea*.

reglutinatis] Eodem sensu, quo Catullus (25, 9):

»*Quae nunc tuis* ab *unguibus* reglutina *et remitte.*«

Nonnunquam enim *rursus glutinare*, contrarium igitur, significat.

contorti] Grotius *contracti*. Ego vero lectionem, quam ad marginem relegavit, recepi, adstipulantibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi codice.

587 pulverem movens, sic exorsa: Licet Archimedem meum inter philosophos conspicata Euclidemque doctissimum in adstruendae praeceptionis excursum potuerim subrogare, ne impolitum quidquam subsisteret assertorum aut profunditas caligaret; tamen congruentius ipsa vobiscum, quia Cyllenium excludit ornamentum, illi etiam Helladica tantummodo facultate, nihil effantes Latialiter, atticissant, quae etiam ipsos edocui, quod nunquam fere accidit, Romuleis
588 ut potero vocibus intimabo. Ac prius vocabuli mei promenda ratio est, ne indecenter et squalentior peragratrix coelicolarum auratam curiam et interstinctum cylindris gemmantibus pavimentum rurali respersura pulvere credar intrasse. Geometria dicor, quod permeatam crebro admensamque tellurem, ejusque figuram, magnitudinem, locum, partes, et stadia possim cum suis rationibus explicare, neque ulla sit in totius terrae diversitate partitio, quam non memoris
589 cursu descriptionis absolvam. Quo dicto, quoniam fuerant in deorum senatu quamplures, qui neque toti in terris essent, neque ipsi unquam dicerent se calcasse tellurem, ipse etiam Jupiter curiosius totius terrae latebras vellet exquirere, credo necubi decentes puellas isto quoque seculo is versiformis etiam

Cyllenium] Mercuriale ornamentum hic est ars oratoria, quam a geometria declaranda alienam esse significat. Ceterum scripsi *ornamentum* e codice Monacensi (A); vulgo *ornamen*.

tellurem] Apparet igitur non eam modo *geometriam* nostro dici, quam nos hoc vocabulo significantes mathematicis disciplinis annumeramus, sed ex originationis ratione etiam *geographiam* universam, pariter ut in illa Protagorae γεωμετρίᾳ τῆς οἰκουμένης, quam Photius (biblioth. cod. 188) se legisse testatur. Mox a codice Reichenauensi abest *cum* ante *suis*, male.

toti] Aliter fuit in MS. Sane vocabulum *toti* hic ἀπροδιόνυσον. Gnot. — Variantem nullam adverti lectionem, nisi quod in codicibus Reichenauensi et Darmstattensi et in libris ante Grotium editis vox *in* omissa sit. Sed nihil muto. Deos enim, qui toti in terris sunt, terrestres designat (confer §. 167. 426. 729. 810) opponitque iis, qui tellurem se nunquam calcasse dicerent.

versiformis] Simili cognomine Plautus (Amphitr. prol. 125) *versipellem* Jovem appellat. Confer et Catullum (68, 140):

»*Noscens* omnivoli *plurima furta* Jovis.«

Inserui autem *etiam* e codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensibus (A. C), quod ne abundare post *quoque* censeas, tenendum est, eleganter usurpari pro eo quod vulgo male *adhuc* dicitur. Imperitius vero paulo ante *necubi* dixit pro *ecubi*; licet enim *ne* quoque in interrogationibus locum habeat (Plaut. Aulul. prolog. 39; Captiv. 1, 2, 24), tamen ibi tantum usurpatur, ubi fieri nolumus quod investigamus, quod hoc loco prorsus contra est.

cupitor audiret; hoc igitur promere Geometria primum jubetur, ac demum cetera adstruendae praecepta artis aperire. Tum illa: Formam totius terrae non 590
planam, ut aestimant, positioni qui eam disci diffusioris assimilant, neque concavam, ut alii, qui descendere imbrem dixere telluris in gremium, sed rotundam, globosam etiam, sicut secundus Dicaearchus asseverat. Namque 591
ortus obitusque siderum non diversus pro terrae elatione vel inclinationibus haberetur, si per plana diffusis mundanae constitutionis operibus uno eodemque tempore supra terras et aequora nituissent, aut item si emersi Solis exortus concavis subductioris terrae latebris abderetur. Sed quoniam posterior 592
assertio mage despicabilis opinationis cassae vilitate tenuatur, illam priorem, cui etiam physicus Anaxagoras accessit, praestat exigere, quamvis non nullas credatur adstruere rationes; quippe dicit planam terram ortu occasuve Solis aut Lunae perspicue comprobari, qui mox ut primi luminis fulgor emerserit

positioni] Codex Monacensis *positionem*, quod tamen recte constituta interpunctione non necessarium est. De ipsa quaestione, quam hic tangit Martianus, eruditissime disputat Ukertus (Geographie der Griechen und Römer P. I, T. 2, p. 14 sequ.), quem vide.

gremium] Ita Lucretius (1, 251):

»*Postremo pereunt imbres, ubi eos pater Aether*
In gremium *matris Terrai praecipitavit*«;

et Virgilius (georg. 2, 325):

»*Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether*
Conjugis in gremium *laetae descendit*« — —

Sed Graecos potius nunc Martianus significat poëtas, inque primis ut videtur Euripidem, qui talia multa e philosophorum placitis arripuerat. Vide omnino summum Valkenarium (in diatribe in Eurip. fragm. p. 46 sequ.).

Dicaearchus] Messenius e Sicilia, Aristotelis discipulus, quem geographiae operam dedisse e Suida aliisque vulgo notum est. *Secundum* tamen cur noster appellet, vix apparet, nisi hoc sibi vult, *post alium*, Aristotelem fortasse, haec ab illo asseverata esse.

concavis] Fallor an Democritum innuit, qui Plutarcho teste (de plac. philos. 3, 10) terram docuit esse διϐοειδῆ μὲν τῷ πλάτει, κοίλην δὲ τὸ μέσον?

cassae] Sic scripsi pro *cassa* e codice Darmstattensi, quum *vilitas* ejusmodi epitheto non indigeat; *opinionis* autem pro *opinationis* e codice Monacensi (A) recipere nolui.

Anaxagoras] Idem confirmat et Diogenes Laërtius (2, 8). Plura congessit Schaubachius (Anaxag. fragm. p. 174), neglecto tamen nostro loco, quem solus, quantum sciam, Ukertus (Geogr. d. Gr. u. R. I, 2, p. 25) accuratius illustravit.

non nullas] Sic scripsi e codicibus Grotiano, Darmstattensi, et Monacensibus (A. C) pro *non ullas*, quod in editis erat, quasi *nullas*, quum tamen statim rationes afferat, quas Anaxagoras adstruxisse videatur. Alias vide apud Aristotelem (de coelo 2, 13).

confestim ad obtutus nostros directis lineis diriguntur, quod magis indubitabilis probamenti fiet, si in littore consistentes obstacula montium relinquamus; quod si ita esset, cunctis supra terras degentibus eodem tempore emergentia viderentur, occasusque uno obitu condita cunctas valerent tenebrare terras, ac falsa Romulei vatis exploderetur assertio, qua docet:

Nosque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina Vesper.

593 Quin etiam cunctae noctes ac dies similibus interstitiis horisque semper paribus convenirent, nullique parti telluris vel apparerent certa vel alia sidera negarentur. At quum Arctoa conversio supra verticem volvatur Hesperiae, apud Troglodytas Aegyptumque confinem ignoto occultoque penitus sidere nescitur; quum Canopum ac Berenices crinem stellas admodum praenitentes Scythia Galliaeque atque ipsa prorsus non cernat Italia, quum illae antarcticis terris conspicuae ac praenitentes et velut perpendiculatae capitibus suspectentur; in

indubitabilis] Grotius margini adscripsit *judicabilis*, quod tamen ad *probamenti* non convenit.

probamenti] Codex Monacensis (A) *probamentis* male. »Indubitabilis *probamenti* fit« dictum est ut »commodioris valetudinis« (Quinct. 6, 3, 77) vel »ambiguae aestimationis« (Val. Max. 9, 10, 2).

Romulei vatis] Virgilii (in georg. 1, 250).

quum Arctoa] Arctoam conversionem septem triones sive ursam majorem (ἄρκτον) ejusque meatus significare apparet. Eadem Plinius (2, 70, 71) hisce verbis tradiderat: »Sic enim (quum terra globo similis sit) haud dubie fit, ut nobis septemtrionalis plagae sidera nunquam occidant, contra meridianae nunquam oriantur: rursusque haec illis non cernantur, attollente se contra medios visus terrarum globo. Septemtriones non cernit Troglodytice et confinis Aegyptus: nec Canopum Italia, et quem vocant Berenices crinem.« Distinctionis igitur signum in nostro libro inter voces *Hesperiae* et *apud* ponendum erat. Quae Plinius et Martianus hic tradunt, partim ante Aristotelem (de coelo 2, 14, 110) jam observata erant.

Aegyptumque] Retraxi lectionem a Grotio in marginem conjectam, Darmstattensi etiam codice adstipulante; Grotius *Aegyptiumque*.

Canopum] Hoc sidus suis temporibus primum observatum esse Strabo (1, p. 3 Casaub.) testatur.

Berenices crinem] Confer Gallum (epigr. 2, 9):

»*E* Bereniceo *detonsum vertice* crinem
Retulit esuriens Graecus in astra Conon«

et Catullum (carm. 66); praetereaque Hyginum (poët. astronom. 2, 24) et plura apud Bentlejum (ad Callimachi fragm. T. I, p. 581. 582 Ern.).

Scythia Galliaeque] Sic scripsi e codice Darmstattensi; vulgo *Scythiae*, in Monacensi (C) autem *Scythia Galliaque*. Sed Galliae plures, togata, comata, braccata.

Alexandria etiam Canopus quarta parte interstitii signi unius ultra terras emineat, Trionesque geminos ut devexa non cernat; quum in Arabia Novembri mense sub noctis auspicio Helice non conspecta secunda vigilia prospectetur, in Meroe solstitio tantum exiguaque brevitate conspicitur, ubi circa ortum Arcturi cum die nascitur, quae item in Iudia Patavitano portu prima tantum parte noctis adspicitur, in qua etiam in Maleo monte quindecim tantum diebus annuis videtur; quis igitur dubitet globi devexioris oppositu alia inconspicua fieri atque alia velut sphaerae curvationibus eminere? Additur ad fidem globi 594
rotundioris ambigentibus asserendum, quod Solis Lunaeque deliquia in occasu facta orientis incolae non viderunt, itemque in ortu si accidant, a tota Britannia atque occasivis regionibus ignorantur; etiam in mediis plerumque regionibus horarum diversitatibus variantur; sicut in Magni Alexandri victoria

signi unius] Corruptum in editis vocabulum *signilis* sustuli et e fonte ipso correxi. Plinii enim (2, 70, 71) verba haec sunt: »Adeoque manifesto assurgens fastigium curvatur, ut Canopus quartam fere partem *signi unius* supra terram eminere Alexandriae intuentibus videatur.« Pariter paulo post *ut devexa* scripsi pro *et devexa* e codicibus Grotiano, Darmstattensi, Reichenauensi, et Monacensi utroque (A. C).

quum in Arabia] Atque haec etiam ipsa fere Plinii verba sunt de Septentrione: »In Arabia Novembri mense prima vigilia occultus secunda se ostendit: in Meroe solstitio vesperi paulisper apparet, paucisque ante exortum Arcturi diebus pariter cum die cernitur.« De Helices nomine confer Aratum (Phaenom. 36):

Καὶ τὴν μὲν Ηννόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι,
Τὴν δ'ἑτέρην Ἑλίκην· Ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ
Εἴν ἁλὶ τεκμαίρονται ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν,

et Reinhardum Sternium (ad Grat. Falisc. 55).

Patavitano portu] *Patalitanum* Plinius, unde reliqua noster habet, cujus verba haec sunt: »In *Indiae* gente Oretum mons est *Maleus* nomine, juxta quem umbrae aestate in austrum, hieme in septentrionem jaciuntur.« Quindecim tantum noctibus ibi apparet Septentrio. In eadem Iudia *Patalis* celeberrimo portu Sol dexter oritur, umbrae in meridiem cadunt.« Codex Monacensis (A) absurde *Patavino*.

quod Solis] Haec quoque e Plinio, qui (2, 70, 72) paulo accuratius scripserat: »Ideoque defectus Solis ac Lunae vespertinos orientis incolae non sentiunt: nec matutinos ad occasum habitantes: meridianos vero saepius.«

occasivis] Grotius *occasus*, licet ipse in notis anteriorum editionum lectionem probet, quam codices quoque Darmstattensis et Reichenauensis confirmant.

sicut in Magni] Juvat hoc loco incredibilem Martiani hallucinationem observare, qui quum hunc Plinii locum: »meridianos saepius. Nobili apud Arbela« cet. cursim raptimque transcriberet, legit »me-

Lunam noctis secunda hora defecisse Servius Nobilis in Arabia nunciavit, quod in Sicilia in exortus primi splendore conspectum; Alpiano et Fontejo consulibus undecimo Kalendas Majas defectus Solis fuit, qui in Campania hora diei septima visus in Armenia ejusdem diei undecima comprobatur; quod factum est utique sphaerae circuitu moras per inflexus rotunditatis subinde
595 variante. Denique ipsa vasa, quae horoscopa vel horologia memorantur, pro locorum diversitatibus immutata componuntur, alioque gnomone ultra quingenta stadia discernuntur, umbris pro locorum aut elationibus celsis aut inclinationibus infimatis. Hinc est quod in Meroe longissimus dies duodecim aequinoctiales horas et alterius bessem secat, Alexandriae quatuordecim, in Italia

ridianos. Servius Nobilis apud« etc. ac deinde quae de hac defectione narrantur a Plinio, ea Servio Nobili auctore plane commenticio venditat. Harduin. (ad Plin. hist. 2, 70. 72). — Attamen in Plinii quoque editionibus exstat *Arabiam* pro *Arbela*, quod ex alio demum ejusdem loco (6, 12, 16) editores nonnulli correxerunt; ut appareat inveteratum mendum esse. Servium Nobilem utique Martiano soli relinquimus.

Alpiano] Plinius: »Solis defectum *Vipsanio* et Fontejo Coss. qui fuere ante paucos annos, factum *pridie* Kalendas Majas, Campania hora diei inter septimam et octavam sensit«, quod et Tacitus (ann. 14, 12) iisdem consulibus factum refert; sed quum ambiguum sit, utrum *Vipsanium* an *Apronianum* restituendum sit, quod illius in fastis cognomen est, nihil apud nostrum quamvis corruptum mutavi; *Majas* tantum e codice Reichenauensi scripsi pro *Maji* in editis.

denique] Item e Plinio, qui (2, 72, 74): »Vasaque«, scribit, »horoscopa non ubique eadem sunt usui, in trecentis stadiis, aut, ut longissime, in quingentis mutantibus semet umbris Solis. Itaque umbilici, quem gnomonem appellant, umbra in Aegypto meridiano tempore, aequinoctii die, paulo plus quam dimidiam gnomonis mensuram efficit; in urbe Roma nona pars gnomonis deest umbrae; in oppido Ancone superest quinta decima; in parte Italiae, quae Venetia appellatur, eisdem horis umbra gnomoni par fit.« Haec ille: conferas nunc velim inter se utrosque auctores. Ceterum *horologia* scripsi pro *horologica* e codicibus Monacensibus (A. C). De ipsis gnomonibus confer Martinium (von den Sonnenuhren der Alten, Lips. 1777).

infimatis] Ita infra (§. 867 f.) *infimatur*; vox Appulejo familiaris (met. 1, p. 38; de deo Soer. p. 127 Oud.).

hinc est] Ad verbum fere quae sequuntur e Plinio sumta sunt, quem (2, 75, 77) vide, et adde rei agrariae auctores (p. 174 ed. Amst. 1674) Vitruviumque (9, 1; p. 261 Bip.) et ipsum nostrum (§. 875). Accuratiora qui desiderat adeat Strabonem (2, p. 135).

Meroe] Nearchus apud Arrianum (hist. Ind. 25, p. 601 Raph.) auctor est »in Syene Aegypti puteum ostendi qui tempore solstitii aestivi meridie nullam faciat umbram; in Meroe quoque eodem anni tempore nullas umbras fieri.«

secat] Retraxi e margine Grotiana, adstipulan-

quindecim, in Britannia decem et septem; solstitiali vero tempore coeli verticem Sol invectus subjectas deorsum terras perpetui diei continuatione collustrat, itemque brumali descensu semiannuam facit horrere noctem, quod in insula Thyle compertum Pytheas Massiliensis asseruit. His temporum diversitatibus assertum, ni fallor, globosam rotunditatis flexibus habendam esse tellurem. Sequitur ut, quem mundi locum quamve granditatem sortita sit, approbemus. 596
Circulum quidem terrae ducentis quinquaginta duobus millibus stadiorum, ut ab Eratosthene doctissimo gnomonica supputatione discussum. Quippe scaphia 597
dicuntur rotunda ex aere vasa, quae horarum ductus stili in medio fundo siti proceritate discriminant, qui stilus gnomon appellatur, cujus umbrae prolixitas aequinoctio centri sui aestimatione dimensa vicies quater complicata

tibus codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi utroque (A. C), pro *secatur*.

Britannia] Vide Tacitum (in Agricola 12): »Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas.«

coeli verticem] Grotius *cum coeli*; sed *cum* melius omissum est in Darmstattensi codice. Pariter mox pro *laevorsum* e codice Monacensi (A) scripsi *deorsum*; quod vero paulo inferius in margine notavit Grotius *oriri* pro *horrere* de nocte dictum recipere nolui.

Thyle] Sic nostri codices pariter ut Taciti (in Agricola 10) et Plinii (v. Salmas. ad Solin. p. 247) quum alii *Thulen* appellent, et Graeci quoque, ut Strabo atque Agathemerus (1, 7 in Gronov. geogr. ant. p. 205. 214) Θούλην scribant.

Pytheas] Vixit circa annum 284 ante Christum (vid. Memoires de l'acad. T. 19, p. 146 sequ.). De fide ejus inde a Strabone (1, p. 63. 75. 102. 104. 114. 115. 158. 190. 295) multum in utramque partem disputatum est; qua de re praeter Mannertum (in geogr. I, p. 72) et Ukertum (T. I, P. 2, p. 298) confer inprimis Wilhelmum (das alte Germanien p. 300 sequ.), Brücknerum (in hist. reip. Massiliensium, Gött. 1826, p. 64 sequ.) et Lelewelium (die Entdeckungen der Carthager und Griechen auf dem atlant. Ocean, p. 33 sequ.).

ducentis] Conveniunt cum nostro Strabo (2, p. 132 Cas.), Plinius (2, 18. 112), Censorinus (de die nat. 13, 2), Vitruvius (1, 6; p. 37 Bip.); minus accuratior numerus 250,000 est secundum Macrobium (in somn. Sc. 2, 6) et Cleomedem, qui (l. 2, p. 185; add. l. 1, p. 135) pariter ut noster Eratosthenem auctorem laudat (§. 813 not.). Vide tamen quae contra hanc dimensionem disputat vir clarissimus D'Anville (in Mem. de l'acad. T. 26. p. 95). Appulejus (de mundo p. 305 Oud.): »At enim hujus terrae, quam nos colimus, latitudo quadraginta, prolixitas septuaginta millia stadiorum tenet.«

scaphia] Haec ab Aristarcho Samio inventa esse tradit Vitruvius (1, 6. 9, 9; conf. Bald. ad Vitr. p. 81). Plura dabit Martianus (l. l. p. 98. 99).

siti] Recepi e codicibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi pro *sui* in editis.

aestimatione] Male in editis *extimatione*. No-

598 circuli duplicis modum reddit. Eratosthenes vero a Syene ad Meroen per mensores regios Ptolemaei certus de stadiorum numero redditus, quotaque portio telluris esset advertens, multiplicansque pro partium ratione circulum mensuramque terrae, incunctanter quot millibus stadiorum ambiretur absolvit.

DE POSITIONE TERRAE.

599 Comperta est terrae brevitate rationabili magnitudo; locus ejusdem ac positio doceatur. Quam in medio imoque mundi immobilem stare multiplicibus monstratur assertis, quae sibi ante constitutionem mundi in eodem loco fuerit, ex quo moveri non potuit, ac deinde divulsis a confusione prima commix-

atram lectionem tuentur Reichenauensis, Darmstattensis, et duo Monacenses (A. C), qui paulo inferius etiam *vicies* recte habent pro depravato in editis *vigies*, quod e mala tantum pronunciatione ortum lexicographi recipere non debebant.

vicies] »Veut-il dire que la hauteur du pôle multipliée par 24 donne 720°, ou deux cercles? Il était plus simple de ne la multiplier que par 12, il aurait eu un cercle et la hauteur du pôle eût été de même 30°.« Delambre (hist. de l'astron. I, p. 310).

a Syene] MS. semper *ab Syene*, ut supra *ab specie*. Gnot. — Etiamsi Martianus sic scripserit, cave tamen eum reprehendas. Cicero ipse (Tusc. 5, 23) *ab Syracusanis* scripsit. De dimensione ipsa auctoritate Ptolemaei regis facta vide Strabonem (2. p. 95. 4, p. 135 et 17, p. 786 Casaub.) et Freretum (mem. de l'acad. 24, p. 310 sequ.).

medio imoque] Haec ut intelligas, confer Ciceronem (Tuscul. 5, 24): »unde terra et quibus librata ponderibus, in qua omnia delata gravitate *medium mundi* locum semper expetant, qui est *idem infimus* in rotundo«; et alio loco (N. D. 2, 43): »id autem *medium infimum* in sphaera est.« Ceterum jam Plato illud intellexerat, qui (Phaed. p. 112 f. Steph.): »*δυνατὸν δ'ἔστιν*, inquit, *ἑκατέρωθε μέχρι τοῦ μέσου καθιέναι, πέρα δ'οὐ· ἅπαντες γὰρ ἀμφοτέροις τοῖς ῥεύμασι τὸ ἑκατέρωθεν γίγνεται μέρος.*

immobilem] Sic et Appulejus (dogm. Platon. p. 203 Oud.) »globum terrae *in medio* situm aequalem loco ac figura *immobilem* stare« ait, e Platonis nimirum placito (Phaed. p. 108), licet hunc ipsum fuerint qui alio loco (Tim. p. 40) rotari terram circa axem suam statuisse arbitrarentur (Aristot. de coelo 2, 13. Plut. quaest. Platon. 8, 1). Confer omnino Ruhnkenium (ad Timaei Lex. Plat. p. 69—72) et Boeckhium (de Plat. syst. coel. glob. p. 7—11), qui recte Platoni immobilitatem vindicat; sed de re ipsa inprimis quae Macrobius (ad somn. Scip. 1, 22) in illa Ciceronis verba commentatur: »nam ea quae *media* est et nona *tellus*, neque *movetur* et *infima* est, in eam feruntur omnia nulu suo pondera.«

deinde] Monacensis (A), non *dehinc*, ut in editis. Mox *alimentis* pro *elementis* in margine Grotius notavit; male.

tionis elementis undarum immensa et volubilis latitudo aërisque halitus undiquesecus circa terrae stationem diffusus arctarit mediumque fecerit, quod teres ac volubilis circumclusit; sive quod in sphaera efficitur imum omne quod medium est, dum paribus ab extimae rotunditatis ambitu lineis quidquid eas sustinet constipatur. Imum vero jam necesse est sui extremitate consistere, 600
quia inferius quo decidat non est. Omnia etiam pondera in eam desuper cadunt, ut imber, grando, nix, fulgura, atque ipse qui in ejus penita praecipitatur Oceanus, et fluenta latentia quae fundo volvuntur in imo. Vides igitur eam, quae undas cunctaque sustentat, arctatam ex omnibus nihil subjicere quo secedat. Media igitur credenda est, quia postrema; quod prae-

aëris] Hinc Aristophanes (nub. 265):

ὦ δέσποτ' ἄναξ, ἀμέτρητ' Ἀήρ, ὃς ἔχεις
τὴν γῆν μετέωρον,

Anaximenem fortasse secutus; sed eam sententiam jam Plato impugnavit (Phaed. p. 108 f.): *μηδὲν αὐτῇ δεῖν μήτε ἀέρος πρὸς τὸ μὴ πεσεῖν μήτε ἄλλης ἀνάγκης μηδεμιᾶς τοιαύτης κ. τ. λ.* Quanquam etiam Macrobius (ad s. Scip. 1, 22): »hanc spissus *aër* et terreno frigori propior quam Solis calori stupore spiraminis densioris undiqueversum *fulcit* et *continet*, nec in recessum aut accessum moveri eam patitur *vel vis* circumvallantis et ex omni parte vigore simili librantis *aurae*, vel ipsa sphaerae extremitas« cet.

undiquesecus] Uno verbo: sic *postsecus*, *antesecus*; simile est, quod alibi habes, *undiqueversus* seu *undiqueversum*. Gnor. — Saxo etiam Grammaticus *undiquesecus* usurpat, similiter Martianus *utriquesecus*. Strru. (ad Sax. p. 22).

Oceanus] Plinius (2, 65): »Denique Oceanus, quem fatemur ultimum, quanam alia figura cohaereret atque non decideret, nulla ultra margine includente? Namque quum e sublimi in inferiora aquae ferantur, et sit haec natura earum confessa, procul dubio apparere, quo quid humilius sit, propius centro esse terrae, omnesque lineas, quae emittuntur ex eo ad proximas aquas, breviores fieri, quam quae ad extremum mare a primis aquis. Ergo totas omnique ex parte aquas vergere in centrum, ideoque non decidere, quoniam in interiora nitantur.«

fluenta latentia] Mire hoc transtulit, quae de Titanibus dicit Virgilius (Aen. 6, 581):

»*Fulmine dejecti* fundo volvuntur in imo.«

media] Iterum e Plinio, cujus haec sunt verba (2, 69): »Mediam esse totius mundi haud dubiis constat argumentis: sed clarissime aequinoctii paribus horis. Nam nisi in medio esset, aequales dies noctesque haberi non posse deprehendunt et dioptrae, quae vel maxime id confirmant: quum aequinoctiali tempore ex eadem linea ortus occasusque cernatur, solstitialis exortus per suam lineam, brumalisque occasus. Quae accidere nullo modo possent, nisi in centro sita esset.« Adde Strabonem (2, p. 110 Casaub.). *Media* pro *medio*, quod est in editis, reposui e codicibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi.

sertim aequinoctialis temporis interstitia manifestant; nam pares horarum metas tam antemeridialium quam etiam postremarum, et tam diei quam noctis ho-
601 rologia manifestant. Quo documento clarum est, tantundem undiquesecus ab terris abesse coelum; quod idem duobus circulis edocetur solstitiali et brumali. Nam utique quantum interstitii dies habet, quum coeli culmina Sol elatus illustrat, tantum spatii longior nox, quum Sol in brumam decidens repraesentat; itemque quidquid singula signa zodiaci intercapedinis luci contulerint, tantundem Sole e contrario rutilante umbris noctis ignoscunt; quod utique undiqueversum probat tantundem circulos sideraque distare, mediamque tellurem esse. Quod si congrue videtur assertum, jam partes ejus, quas ipsa permensa sum, perhibebo.

DE QUINQUE ZONIS TERRAE.

602 Orbis terrae in quinque zonas, sive melius fascias dico, pro rerum diversitate discernitur, quarum tres intemperies multa a contrariorum nimietate

culmina] Grotius nescio unde *culmine*, quum jam anteriores editiones *culmina* haberent, quod et Darmstattensi codice et aliis (Oudend. ad Appul. I, p. 407) confirmatur.

intercapedinis luci] Sic scripsi e codice Monacensi (A); vulgo *intercapedine loci*, quod etsi explicari posset, tamen nostra lectione deterius videtur, praesertim quum mox itidem dativus *umbris* sequatur. Construe igitur: »quidquid intercapedinis singula signa contulerint luci« cet.

quod si congrue] Sic codices Monacenses (A. C) et Darmstattensis; vulgo inepte *utique* post *quod* iteratur.

quinque zonas] »Primus de zonis«, inquit Achilles Tatius (isagog. c. 31), »Parmenides dicere instituit, de quarum numero magna dissensio est. Nam alii *sex* numerant, ut Polybius et Posidonius, qui torridam in duos dividunt; *quinque* malunt alii, e quibus Eratosthenes.« Itaque plurimi, ut et Virgilius (georg. 1, 233):

»Quinque *tenent coelum* zonae, *quarum una corusco*
Semper ab igne rubens et torrida semper ab igne,
Quam circum extremae dextra laevaque trahuntur,
Caerulea glacie concretae atque imbribus atris«

Tibullus (4, 1, 151), Ovidius (metam. 1, 45), alii; inprimis autem conferendi sunt Strabo (1, p. 64; 2, p. 110 Casaub.), Plinius (2, 68), Cleomedes (cycl. theor. 1, p. 55 et 2, p. 189 sequ. edit. Antv. 1555), Geminus (c. 12 et 13, p. 55 in Petav. Uranol.), Macrobius (in somn. Scip. 2, 5 et 6), Proclus (de sphaera c. 14, p. 27), Hyginus (astron. 1, 7; p. 555 Munck.), et ipse noster inferius (§. 735).

fascias] Macrobius (ad somn. Sc. 2, 7): »Zonas esse vel *cingulos*, haec enim unius rei duo sunt nomina.«

relegavit. Nam duae, quae axi utrique confines, algore immenso et frigoribus occupatae, desertionis causas pruinis ningentibus praebuere; media vero flammis atque anhelis ardoribus torridata propinquantes animantum amburit accessus; aliae autem duae vitalis aurae halitu temperatae habitationem animalibus indulserunt, quae quidem per totius rotunditatem telluris incurvae tam supernum hemisphaerium quam inferius ambierunt. Nam utique terra duas 605
sibi partes hemicycliorum quadam diversitate despicit, id est unam habet supernatem, quam nos habitamus et ambit Oceanus, et aliam infernatem. Sed haec superior initium habet a solari ortu, illa inchoat a solis occasu, quem circulum Graeci *Ὁρίζοντα* perhibent. Verum quia illae zonae volubili- 604
tatem utriusque partis includunt, decem utrinque circulo suo faciunt regiones, e quibus haec, quae a nobis habitatur, est una, atque ad aquilonem versus et septentriones adscendit; altera, quae e contrario ad meridiem atque austrum fertur, quam habitare illi aestimantur, qui vocantur *ἀντοῖκοι*. Similiter ex 603

ningentibus] Sic scripsi e codice Grotii, Darmstattensi quoque adstipulante, qui *ninguentibus* exhibet. Vulgo *mergentibus;* alios *ingruentibus* scribere Grotius in margine notavit.

amburit] Sic jam Grotius scripsit, utroque nunc Monacensi addicente; anteriores editiones *imburit*.

habitationem] Virgilius (georg. 1, 237):

— — »*duae mortalibus aegris*
Munere concessae divûm« — —

despicit] Grotius legendum censet *dispescit;* sed codices nihil mutant.

a Solis occasu] Codices Reichenauensis et Darmstattensis pro *Solis* habent *lucis*.

Ὁρίζοντα] Seneca (nat. qu. 5, 17; p. 765 Lips.): »Dimidia pars mundi semper supra, dimidia infra est. Hanc lineam, quae inter aperta et occulta est, Graeci *ὁρίζοντα* vocant: nostri *finitorem* dixere, alii *finientem*. Adjiciendus est ad hunc meridianus circulus, qui horizonta rectis angulis secat. Ex his quidam circuli in transversa currunt, et alios interventu suo scindunt. Necesse autem est tot aëris discrimina esse, quot partes. Ergo horizon, sive finiens, circulus quinque illos orbes, quos modo dixi fieri, secat, et efficit decem partes, quinque ab ortu, quinque ab occasu.« Plura dabit Ukertus (T. I, P. 2, p. 118).

ἀντοῖκοι] Operae pretium erit cum his et sequentibus Gemini (in Petav. Uranolog. p. 56) doctrinam contulisse: »Eorum, qui in terra habitant, alii dicuntur synoeci, alii perioeci, alii antoeci, alii antipodes. *Synoeci* igitur sunt, qui circa eundem locum ejusdem zonae habitant. *Perioeci* vero, qui in eadem nobiscum zona in circuitu circumhabitant. *Antoeci* vero, qui in eadem australi zona sub eodem hemisphaerio habitant. *Antipodes* vero, qui in australi zona in altero hemisphaerio habitant,

infernatibus duae; sed hi qui nobis obversi, *ἀντίποδες* memorantur; qui contra illos, quos *ἀντοίκους* diximus, *ἀντίχθονες* appellantur. Sed nos cum illis diversitas temporum velut quadam contrarietate discriminat; nam quum aestate torremur, illi frigore contrahuntur; nam quum hic ver pubescit florentibus pratis, illic edomita aestas temporibus autumnescit; hic bruma, solstitium illic apparet; nobis Arctoa lumina spectare permissum, illis penitus denegatum.
606 Antipodes autem nostri unum nobiscum tractum perferunt hiemis et flagrantiam communis aestatis, sed noctem diversam diesque contrarios; licet aestate grandes dies prolixasque hieme noctes, nobisque Septentrio conspicabilis illos lateat sine fine. Ita etiam his, qui *ἀντοῖκοι* vocantur, antipodes sui quatuor anni tempora novere communia, ac polum, qui est ad austrum, antipodibus suis
607 nobisque penitus ignoratum soli suspiciunt. Qui autem in media fascia sunt, his quotidie ortus occasusque mutantur; et supra quos Sol est, his citius exoritur tardiusque mersatur. Aequinoctiali autem tempore et oriens et occidens similiter apparebit, neque ulla astra sunt, quae illorum obtutibus denegentur, et quae una cum illis oriuntur, simul veniunt ad occasum. Hi dies cunctos pares suis noctibus intuentur, nec ullas meridiano die metiuntur umbras; eorumque antipodes dies noctesque sub eadem longitudine patiuntur. Quum autem solstitii properantia peragendi per eosdem transeat, et jam brumam

secundum eandem diametrum positi cum habitabili nostra terra.«

ἀντίποδας] Sic jam Cicero (Acad. 2, 39): »nonne etiam dicitis esse e regione nobis e contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos *ἀντίποδας* vocatis?« Plura dedi alio loco (in Palaeogr. crit. T. III, §. 35), ubi etiam ridicula Lactantii argumenta notavi.

diximus] Sic codices Reichenauensis et Darmstattensis pro *dicimus*, quod in editis erat. Ceterum *antichthones* esse nostro quos Gemino *perioecos*, monere vix opus est.

autumnescit] Id est »in autumnum abit vel mutatur«, ut nec Burmanni correctione (ad Ovid. II, p. 234) nec Monacensis (A) codicis lectione *autumni nascitur* indigeamus, licet hanc in Reichenauensem quoque corrector intulerit. Fortasse tamen praeferenda forma *autumnascit*, quam in margine Grotius notavit.

ita etiam his] *Etiam* hausi e codicibus Darmstattensi, Reichenauensi, et Monacensi utroque (A. C); vulgo *et*.

una cum illis] *Cum* inserui e codice Reichenauensi; moxque *ad occasum* scripsi pro *in occasum* ex Monacensi altero (C).

brumam] Forte »*in* brumam.« Gaor.— Idem

itidem sol revertens similiter per illos iter ducat, et procul ab his utrinque secedat, dubium non est quin bis hiemem et secundo patiantur aestatem; quibus quum ortus Solis est, eorum antipodibus apparet occasus. Verum illae 608
duae regiones, quas fascias item dixi, quarum una vicinantis Plaustri algore crustatur, altera transaustrini halitus desertione contrahitur, antipodas proprios non habent, sed ipsae sibi invicem contraria fiunt habitatione antipodae, nullosque ortus siderum absque planetis utrinque noverunt; quae quidem illis non supra caput eunt, sed de medio lateris oriuntur. Stellae etiam fixae coeli sex eis videntur mensibus, sex itidem non apparent, ortivusque circulus aequinoctialis illis est, senaque ex zodiaco signa conspiciunt. Denique sex mensibus diesque noctesque patiuntur, ut utrisque poli axisque termini supra verticem videantur; sed haec prior Septentrionis, altera Canopi stellae illustrata fulgore, cetera non noverunt.

DE CIRCUITU TERRAE.

Quarum regionum habitus prodidit doctissimus Pythagoras, sed ego 609
ipsa peragravi, ne qua mihi ignota videretur portio superesse telluris, cujus terrae totius habitus omnis plenusque circuitus, ut Romanorum dimensione

mox pro *secedit* alios *succedit* legere notavit in margine; male.

crustatur] Glaciatur, *κρυσταλλοῦται*. Gnor. — Sic et Ammianus Marcellinus (15, 10; p. 108 Gron.): »hieme vero humus *crustata* frigoribus« etc.

antipodae] Malim *antipodes*, sed sane confusas terminationes saepe in talibus vocibus invenias. Sic Cic. lib. 1 de div. *Druides* dicit, quum alii omnes *δρυΐδας* dicant. Similia sunt *Macomades Macomadae*, *Marmarides Marmaridae*. Gnor. — Editiones ante Grotium praeterea male *antipodaeque*.

ortivusque] Sic e Grotii conjectura reposui pro *ortibusque*, quum B et V orthographica tantum ratione differant, quam me non curare saepe professus sum. Aliam lectionem *arcticusque* recte in marginem Grotius rejecit.

utrisque] Codex Monacensis (A) *utriusque*, male; incolae enim utriusque zonae frigidae significantur.

Pythagoras] Haec est *harmonica ratio*, quam appellat Plinius (2, 113), »quae terram nonagesimam sextam totius mundi partem facit.«

totius habitus] Sic codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacenses (A. C), lectione a Grotio quoque dudum in margine notata; vulgo *ambitus*.

percenseam, quidquid stadiorum supputatione memoravi, est in millibus passuum trecenties et quindecies centenis: quo loco non puto transeundam opi-
610 nationem Ptolemaei in geographico opere memoratam. Idem quippe zodiaci tractum omnemque complexum trecentis sexaginta coeli partibus secat; quas singulas in telluris centrum ita aestimat pervenire, ut unius partis latitudo istic quingentorum stadiorum mensura tendatur; singula vero stadia centum viginti quinque passibus explicata, quae octo millenos passus absolvunt, unde quingenta stadia, quae sunt partis unius, millia passuum colligunt sexaginta duo passusque quingentos. Verum illa stadia quingenta trecenties sexagesies complicata faciunt semel millies octingentiesque sexcentena; ex quibus millia passuum partitione praedicta collecta faciunt ducenties vicies quinquies centena. Hoc de totius terrae globo oportuit intimari.

DE LONGITUDINE TERRAE.

611 Ceterum ejus longitudo ab ortu ad occasum, hoc est ab ipsius Indiae extremitate usque ad Herculis columnas Gadibus sacratas, octuagies quinquies

pervenire] Ex iisdem; vulgo *provenire*.

stadia] In stadii mensura conveniunt cum nostro Plinius (2, 33, 21), Censorinus (13, 2), Strabo (7, p. 322 Casaub.), Plutarchus (in vita Gracchi p. 838), Polybius (3, 39); plura dabit Mannertus (Geogr. d. Gr. u. Röm. T. I, p. 199 sequ. novae edit.).

complicata] Id est multiplicata. Computatio haec est: stadia 500 × 360 = 180000, stadia 180000 × 125 = 22500 millia passuum; unde apparet non *sexcentena* sed *centena* in sequentibus legendum esse, sed mutare nolui, quum codices non modo nihil auxilii afferant, verum etiam majores turbas faciant; si quidem alii, Grotio teste in margine, *DCLXX stadia* legunt, Darmstattensis autem et lectio Norimbergensis libri margini adscripta *sexaginta* habeant; id tantum mihi indulsi, ut pro *trecentis*, quod apud Grotium erat, *trecenties* restituerem. Ceterum de tota mensurae ratione confer ipsum Ptolemaeum (Geograph. 1, 3. 7. 11) et omnino Ukertum (T. I, P. 2, p. 49. 50).

longitudo] Haec quoque ex Plinio (2, 108, 112) hausta esse manifestum est, licet in numeris discrepent, cujus haec verba sunt: »Pars nostra terrarum, de qua memoro, ambienti Oceano velut innatans, longissime ab ortu ad occasum patet, hoc est, ab India ad Herculis columnas Gadibus sacratas octuagies quinquies centena *sexaginta* octo millia passuum, ut Artemidoro auctori placet; ut vero Isidoro, nonagies octies *centena* et XVIII millia. Artemidorus adjicit amplius a Gadibus circuitu Sacri promontorii ad promontorium Arta-

centena septuaginta octo millia sunt, sicut etiam Artemidorus auctor asseruit; nam Isidorus nonagies octies dicit et decem et octo millia. Verum Artemidorus dimensioni praedictae adjicit quidquid a Gadibus procurrit; nam per Sphenis frontem circuitu Sacri promontorii ad aliud finale promontorium, quod Artabrum nominatur, procedere dicit terram in nongenta nonaginta unum millia.

ALIA DIMENSIO TERRAE.

Quae dimensio item fieri compendiosior potest, si per maria quis vectus 612
excurrat. Nam a Gange fluvio ostioque ejus, quo se in Eoum effundit oceanum, per Indiam Parthienemque ad Myriandrum urbem Syriae in Issico sinu positam quinquagies bis quindecim millia; inde proxima navigatione Cyprum insulam, Pataram Lyciae, Rhodum, Astypalaeam in Carpathio mari;

brum, quo longissime frons procurrit Hispaniae, CCCCXCL.«

Artemidorus] Ephesius, qui mediterranei maris circuitum scripserat. Vide Ukertum (T. I, P. 1, p. 156). Ipsum Hispaniae littora oculis lustrasse testatur Strabo (3 init. p. 157 Casaub.).

Isidorus] Characenus, Augusti aequalis, quem narrat Frontinus (de coloniis p. 364) »omnium provinciarum formas et civitatum mensuras compertas in commentarios contulisse.« Confer Dodwelli dissertationem de Isidoro Characeno (in Hudson. geograph. minor. T. II, p. 57 sequ.).

Sphenis] Codices variant, siquidem Darmstattensis exhibet *Syenis*, Reichenauensis *Spinam*, quarum lectionem utramque jam in margine Grotius notavit, Monacenses (A. C) denique *Spineam*; sed nihil mutandum esse Strabonis verba probabunt (3, p. 137 f. Casaub.): *προὔχει δὲ τὰ ἰβηρικὰ ὅδον χιλίοις πεντακοσίοις σταδίοις κατὰ τὸ λεχθὲν ἀκρωτήριον· καὶ δὴ καὶ τὴν προσεχῆ τούτῳ χώραν τῇ Λατίνῃ φωνῇ καλοῦσι κούνεον, σφῆνα σημαίνειν βουλόμενοι.* De *Cuneo*, quem affectata eruditione hic *Sphenem* noster appellat, vide et Plinium (4, 22) et Melam (3, 1, 36).

promontorii] MS. semper *promontuarium*: sic *octaginta, octuaginta*. Gronov. — Idem pro *Artabrum* alios *Cantabrum* legere in margine notavit, male.

quae dimensio] Plinius: »Id mensurae duplici currit via. A Gange amne ostioque ejus, quo se in Eoum oceanum effundit, per Indiam Parthyenenque ad Myriandrum urbem Syriae in Issico sinu positam quinquagies bis centena XV millia passuum. Inde proxima navigatione Cyprum insulam, Pataram Lyciae, Rhodum, Astypalaeam in Carpathio mari insulas, Laconiae Taenarum, Lilybaeum Siciliae, Calarim Sardiniae, vicies et semel centena tria millia passuum. Deinde Gades duodecies centena et quinquaginta millia passuum; quae mensura universa ab eo mari efficit octogies quinquies centena LXVIII millia passuum.« Adde Agathemerum (in Gronov. geograph. p. 186. 187).

item in insulam Taenarum Laconicae, inde Lilybaeum Siciliae, et Caralim Sardiniae, tricies quater quinquaginta millia; inde Gadibus quadragies bis quinquaginta millia. Quae mensura universa ab eo mari efficit octogies quinquies septuaginta octo millia.

ITEM ALIA TERRAE MARISQUE DIMENSIO.

613 Potest item aliud terra marique iter duci per Gangem Euphratemque fluvium, Cappadociam, Phrygiam, per Aegeum pelagus, et Laconicum mare; itemque per sinus alios usque Peloponnesum, Leucadem, Corcyram, Acroceraunium, Brundusium, Romam, Alpes et Galliam, per Pyrenaeos etiam montes in Oceanum vespertinum, Hispaniae oram, trajectumque per Gades; et omnis mensura, attestante Artemidoro assertionibus meis, habet millia octuagies sexies centena octoginta quinque. Habetis longitudinem multipliciter memoratam.

Taenarum] Forte: »item insulam Tenaron.« Grot.— Ipse enim facili errore *insula* edidit. Sed in ipso nomine mire variant codices, siquidem Monacensis (A) exhibet »insulam Tenetharum«, Darmstattensis »item in sula tene clarum laconice«, denique varians lectio ad libri Norimbergensis marginem adscripta »Tenedarum«, ut de Tenedo insula cogitare liceat, nisi *Laconicae* adscriptum esset, cujus tamen non insulam sed promontorium Taenarum fuisse satis constat.

inde Lilybaeum] Sic codices Monacenses (A. C) et Darmstattensis; vulgo *unde*.

Caralim] Restitui e codice Grotiano, quum vulgo *Calarim* legeretur, ut sibi constaret Martianus, qui infra (§. 645) promontorium *Caralitanum* appellat; quanquam ubique fere (Liv. 23, 40. Mel. 2, 7. Flor. 2, 6. Claudian. bell. Gildon. 521) variant libri nec quidquam discriminis esse Harduinus (ad Plin. 3, 7, 13) docet.

potest item] Plinius (2, 108): »Alia via, quae certior, itinere terreno maxime patet, a Gange ad Euphratem amnem quinquagies et semel centena millia passuum et LXIX. Inde Cappadociae Mazaca CCCXIX millia. Inde per Phrygiam, Cariam, Ephesum CCCCXV millia; ab Epheso per Aegeum pelagus Delum CC, Isthmum CCXII quingenti. Inde terra, et Lechaeo mari et Corinthiaco sinu Patras Peloponnesi XC millia; Leucadem LXXXVII millia quingenti: Corcyram totidem: Acroceraunia CXXXII millia quingenti: Brundusium LXXXVII millia quingenti: Romam CCCLX millia. Alpes usque ad Scingomagum vicum DVXIIII. Per Galliam ad Pyrenaeos montes Illiberim DCCCCXXVII. Ad Oceanum et Hispaniae oram CCCXXXI. Trajectu Gadis VII millia quingenti. Quae mensura Artemidori ratione efficit octuagies novies centena XXXXV.«

Acroceraunium] *Acrocerauniam* exhibent codices Monacenses (A. C) et Darmstattensis, et lectio in libro Norimbergensi notata; sed praestat vulgata lectio, quae suppleta voce *promontorium* intelligi-

DE LATITUDINE TERRAE.

Latitudo autem ejus a meridiano situ in septentrionis caput plurimum 614
minor est, nam utrinque intemperati aëris nimietate contrahitur. Eo accedit, quod a septentrionis plaga Sarmatarum gens copiosaque barbaries accessum indagandae dimensionis excludit; attamen quidquid intrepida permeare quivit excursio, competenter admensum est, repertaque latitudo habitabilis terrae paene dimidio minor, quam dicta est collegisse longitudo. Nam colligitur in 615
quinquagies quater centena sexaginta duo millia; quippe a littore Aethiopici

tur; quanquam plerumque *Acroceraunia* plurali numero dicuntur.

centena] Abesse ab aliis hunc numerum jam Grotius in margine notavit, abestque a codicibus Monacensibus (A. C), Reichenauensi, et Darmstattensi; sed male, si Plinium contuleris.

latitudo] Plinius: »Latitudo autem terrae a meridiano situ ad septentrionem dimidio fere minor colligitur; quadragies quater centena LXXXX millia. Quo palam fit, quantum et hinc vapor abstulerit et illinc rigor. Neque enim deesse arbitror terris, aut non esse globi formam: sed inhabitabilia utrinque incomperta esse. Haec mensura currit a littore Aethiopici oceani, qua modo habitatur, ad Meroen decies centena millia. Inde Alexandriam duodecies centena millia quinquaginta. Rhodum DLXIII. Gnidum LXXXVII millia quingenti. Con. XXV millia. Samum C millia. Chium LXXXXIV millia. Mitylenen LXV millia. Tenedon XCIV millia. Sigeum promontorium XII millia quingenti. Os Ponti CCCXII millia quingenti. Carambim promontorium CCCL. Os Macotidis CCCXII millia quingenti. Ostium Tanais CCLXXV millia, qui cursus compendiis maris brevior fieri potest LXXXIX millibus. Ab ostio Tanais nihil modicum diligentissimi auctores fecere: Artemidorus ulteriora incomperta existimavit, quum circa Tanaim Sarmatarum gentes degere fateretur ad septentrionem versus. Isidorus adjecit duodecies centena millia quinquaginta usque ad Thulen: quae conjectura divinationis est. Ego non minore quam proxime dicto spatio Sarmatarum fines nosci intelligo. Et alioquin quantum esse debet, quod innumerabiles gentes subinde sedem mutantes capiat? Unde ulteriorem mensuram inhabitabilis plagae multo esse majorem arbitror. Nam et a Germania immensas insulas non pridem compertas cognitum habeo.« Observes velim a Martiano omnes numeros omissos esse, praeter illum, qui distantiam usque ad Thulen exprimat, atque in hoc etiam differre codicum lectiones. Nam Grotius edidit »duodecies centena quinquaginta millia«; Reichenauensis autem ex his millenarium numerum omittit: et Darmstattensis Monacensesque codices (A. C) tantum »duodecies quinquaginta« dant. Neque ubi infra (§. 689) noster promontorium Carambim ab ostio Ponti abesse dicit »millibus passuum ducentis viginti« cum Plinio consentit.

accedit] Codices Monacensis (C) et Darmstattensis *accidit;* sed vulgatam lectionem praestare arbitror.

occani, qua habitabilis primum est, ad Meroen, inde Alexandriam, Rhodum, Gnidum, Coum, Samum, Chium, Mytilenem, Tenedum, Sigeumque promontorium, os Ponti, Carambim promontorium, os Maeotidis, ostium Tanais praedicta dimensio comprobatur. Qui quidem cursus si per maria
616 transeatur, in compendium ducit millia sexcenta septuaginta octo. Huc usque compertum progressum Artemidorus asseverat, sed Isidorus adjecit duodecies centena quinquaginta millia usque ad Thylen ultimam tendi, quae quidem opinatio mihi videtur incerta; nam ipsi tantundem latitudinis inesse dico, quantum longitudinis comprehensum. Neque enim, quum rotundum telluris orbem adstructio superior ratioque monstrarit, impar latus globo poterit provenire, sed supradicti scriptores habitabilem dixere tellurem.

DE ROTUNDITATE TERRAE.

617 Rotunditatis autem ipsius extima circumfusus ambit Oceanus, sicut navigatus undique comprobatur. Nam a Gadibus per Hispaniae Galliarumque

Carambim] Sic codices Monacenses (A. C) pro *Carabim* in editis. Ejusdem promontorii infra (§. 689) iterum mentionem facit. Adde Dionysium (perieg. 159) et Plinium (4, 12, 26).

huc usque] Ita codices Monacenses (A. C), Darmstattensis, et Reichenauensis, pro *nunc usque* in editis.

rotunditatis] Plato (Phaed. p. 108 f.) jam de terra »ἐν μέσῳ οὐρανῷ περιφερὴς οὖσα«, item Aristoteles (de coelo 2, cap. extr.) »σχῆμα δὲ ἔχειν σφαιροειδὲς ἀναγκαῖον«, et Eratosthenes (ap. Strabon. 1, p. 48 Casaub.): »σφαιροειδὴς γῆ ἡ ἄτασα. Adde Eusebium (in praep. ev. 15, 56; p. 850), Plutarchum (de plac. philosoph. 3, 10; p. 895), et nostrum superiori loco (§. 595 f.). E Romanis similiter Cicero (N. D. 2, 45): »Si mundus globosus est, contingere idem terrae necesse est«; Seneca (nat. quaest. 3, 28): »in rotundum (terrae) orbis aequatus est.« Plinius denique (2, 70): »Reliquorum, quae miramur, causa in ipsius terrae figura est, quam globo similem, et cum ea aquas, iisdem intelligitur argumentis.«

Oceanus] Cicero (somn. Scip. 6): »Omnis enim terra, quae colitur a vobis, parva quaedam est insula, *circumfusa* illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quem *Oceanum* appellatis in terris.«

navigatus] Sic Grotius unice recte, quum anteriores editiones haberent *navigatur*, adstipulante etiam, quod mireris, codice Darmstattensi. Ceterum navigari posset necne Oceanus, multis olim quaesitum esse ostendit Marcus Seneca (Suasor. 1).

nam a Gadibus] Haec et sequentia omnia e Plinio (2, 67) verbis tantum mutatis hausta sunt.

flexum occidentalis plaga omnis hodieque navigatur. Dum autem divus Au- 618
gustus classe Germaniam circuiret, septentrionalem totum permeavit Oceanum;
nam primum in Cimbricum promontorium veniens, magno dehinc permenso
mari ad Scythicam plagam ac rigentes undas usque penetravit. De confinio 619
item ab orientis principio et Indico mari pars, quae pergit in Caspium mare, a
Macedonum classibus remigata, dum Seleucus et Antiochus regnavissent. Palus
vero Maeotica ejusdem sinus habetur Oceani. Item laevi lateris circumflua 620
memorentur. Ab ipsis itaque columnis Herculis, quae in Gaditano sunt littore
consecratae, usque in Arabium sinum meridianus omnis permeatur Oceanus,
sicut plurimis asseveratur exemplis. Nam ejus maximam partem Magni Ale- 621
xandri sulcavere victoriae. In eodem Arabico sinu constituto Cajo Caesare Au-

divus Augustus] Ridicule erravit, dum Plinium exscriberet, qui »auspiciis Augusti« septentrionalem Oceanum navigatum esse tradit; Tiberii enim expeditionem significari patet, cujus classem Vellejus Paterculus (2, 106) narrat »Oceani sinibus circumnavigatis ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi circumvectam esse«, Ancyranum autem monumentum (in Oberlini Tacito T. II, p. 847) jactat »ab ostio Rheni ad Solis orientis regionem usque ad orbis extrema navigasse, quo neque terra neque mari quisquam Romanorum ante id tempus adierit«, quod vereor ne male Ukertus (T. I, P. 1, p. 189) ad Germanici conatus (Tacit. ann. 2, 24) retulerit. Quod autem noster »ad Scythicam plagam ac rigentes undas usque penetratum« scribit, iterum male intellexit Plinium, qui »prospectum tantum aut fama cognitum mare immensum« perhibet.

pergit] Vide ne *vergit* scripserit, ut Plinius »pars tota *vergens* in Caspium mare.«

Seleucus] Patroclis haec expeditio est, quam et alio loco (6, 21) Plinius tangit: »Etenim patefacta est non modo Alexandri Magni armis regumque qui ei successere, circumvectis etiam in Hyrcanium mare et Caspium Seleuco et Antiocho praefectoque classis eorum Patrocle.« Plura de illo homine dabit Strabo (2, p. 68 sequ. Casaub.).

Maeotica] Multos hoc credidisse et Plinius confirmat, sed ut ipse sententiam non proferat. Ὠκεανοῦ ἀποῤῥοήν appellat Maximus Tyrius (32, T. II, p. 121 Reisk.). Vide Ukertum (T. I, P. 2, p. 341).

sulcavere] Plinius *lustravere;* sed illo et Virgilius utitur (Aen. 5, 158):

— »*et longa* sulcant *vada salsa carina*«

et Claudianus (VI cons. Hon. 376):

»*Classis ut aurato sulcaret remige fluctus.*«

C. Caesare] De hac C. Caesaris, Augusti nepotis ac filii adoptivi, expeditione Arabica (Dio Cass. 55, 11), Plinius (6, 32) volumina scripsisse tradit et Juham Mauritaniae regem et Dionysium Characenum »terrarum orbis situs recentissimum auctorem, quem ad commentanda omnia in Orientem praemiserit divus Augustus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res majore filio.«

gusti filio, Hispanicarum navium naufragium et ejectae fragmentorum reliquiae pervenere. Item Hanno, dum Punicum floreret imperium, Mauritaniae circuitu ac dehinc meridiani flexus excursu in Arabiae terminos prolixa admodum navigatione pervenit. Cornelius auctor affirmat, quendam Eudoxum fugientem regis insidias ex Arabia in Gaditana pervenisse refugia. Caelius Antipater se hominem vidisse confirmat, qui negotiationis ardore in Aethiopiam ex Hispania navigasset; idem Cornelius post captos Indos per Germaniam navigavit.

naufragium] Ita codices Monacenses (A. C) et Darmstattensis pro *naufragio* in editis. Praestet tamen *naufragia*.

pervenere] Ita codices Reichenauensis et Monacenses (A. C) pro *paruerunt* in editis; Plinius brevius: »signa navium ex Hispaniensibus naufragiis dicuntur agnita.«

Hanno] Cujus etiam nunc periplus exstat Graece. Confer omnino Gosselinum (recherches sur la geogr. system. des anciens P. I, p. 61—102), Saint-Croix (in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. 42), Hugium (in progr. Freib. 1808), Mannertum (Geogr. d. Gr. u. R. T. I, p. 46 sequ.), Ukertum (T. I, P. 1, p. 61 sequ.), Lelewelium (die Entdeckungen der Carthager etc. p. 81 sequ.). Periplum recentissime edidit F. W. Kluge (Lips. 1829).

Cornelius auctor] *Auctor* glossema est. Quod et alibi saepe reperias, ut et in scholio Germanici, in Cancri fabula: »ut Panyasis *auctor* dicit.« Gnot. — Sed ipsius Plinii verba sunt (2, 67): »Praeterea Nepos Cornelius *auctor* est, Eudoxum quendam sua aetate, quum Lathurum regem fugeret, Arabico sinu egressum Gades usque pervectum.«

Eudoxus] Vide Posidonium apud Strabonem (2, p. 98 Casaub.) et Ukertum (T. I, P. 1, p. 141 sequ.).

Caelius Antipater] Confer dissertationes duas in annal. acad. Lugd. Batav. anni 1821.

negotiationis] Hoc recepi e codicibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi, quum et Plinius dicat »commercii gratia«; vulgo minus apte *navigationis*.

Hispania] MS. semper *Spania*. Non male, ita enim saepe veteres, praesertim Graeci. Paulus ad Romanos cap. XV: ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς: et paulo post: τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον, ἀπελεύσομαι δι' ὑμῶν εἰς τὴν Σπανίαν. Quem locum eo libentius adscribo, quod ejus mihi indicium fecerit vir omni studiorum genere clarissimus Fr. Junius, cujus me hospitio felicem judico; ut et illum ex Glossario H. ST. »Hispania Σπανία«, quem suppeditavit amicissimus Meursius, magnae non dicam spei sed rei juvenis. Reperitur et in Scholiaste Juvenal. ad Satyr. XIV, indicante eruditissimo Tiliobroga. Simile est et huic vocabulo *histriculus* δαδύπρωκτος, (ut in Glossario legitur), quod Arnobius mutile *striculus* dixit lib. V: »Facit sumere habitum puriorem, et in speciem levigari nondum duri atque striculi pusionis«; ut et Tertullianus de Achille: »patiens certe jam striculus«, ut emendat Turnebus. Ne quis autem temere *hirticulus* emendet in Glossario, sciendum est *histriculum* eadem ratione dici qua *histricem* ab hirtitudine. Gnot. — Samuel Bochartus ipsum *Hispaniae* vel *Spaniae*

DE DIVISIONE TERRAE.

Ostensum puto ambitum superioris terrae permenso in circulum mari 622
undiquesecus navigatum; nunc ipsius divisionem terrae quantum patitur succincta insinuatione memorabo. Circulus omnis superae habitabilisque telluris, sicut plerique testantur, in tres partes est distributus: Europam, Asiam, Africamque, quarum primam atque ultimam interruptio dispescit Oceani. Nam 623
Atlantici profundi ex Gaditano freto vis intersecans profunda telluris Lybicum Ibero latus abscidit et confestim se in propinqui maris fluenta diffudit; quippe a Gaditano ostio in ingressum interioris maris per longitudinem cursus vix

nomen deducit ab Hebraea voce *Saphan*, id est *cuniculus*; unde *Spanya* nihil aliud erit quam *cuniculosa* regio, quod epitheton etiam Catullus carmine XI dat Celtiberiae. Cuper. (Harpocr. p. 65). — *Spaniam* saepe et Darmstattensis codex praebet pro *Hispania*; immo et Athenaeus (14, 75; p. 657 f. Casaub.) Σπανίαν dicit.

post captos Indos] Haud dubie corruptus hic locus est; quid sibi voluerit Martianus, intelligi potest vel e Plinio (2, 67) vel e Pomponio Mela (3, 5 f.), qui haec narrat: »Cornelius Nepos, ut recentior auctor, ita certior; testem autem rei Q. Metellum Celerem adjicit eumque ita retulisse commemorat: quum Galliis pro Consule praeesset, Indos quosdam a rege Bactorum dono sibi datos; unde in eas terras devenissent requirendo cognosse vi tempestatum ex Indicis aequoribus abreptos emensosque quae intererant tandem in Germaniae littora exiisse.«

superioris terrae] Id est hemisphaerii nostri, vel ejus partis quae Oceano circumfuso a reliquis dirimatur.

tres partes] Antiquissima haec est distributio, cujus jam Herodotus (4, 45) auctorem ignorare se profitetur. Fuerunt tamen qui duas tantum partes facerent, Africa vel Europae vel Asiae adjecta. Unde Silius (1, 194):

»*Aestifero* Libye *torquetur subdita Cancro*,
Aut ingens Asiae *latus*, *aut* pars tertia *terris*«,

et Lucanus (9, 411):

»Tertia *pars rerum* Libye, *si credere famae*
Cuncta velis, *at si ventos coelumque sequaris*,
Pars erit Europae.«

Plura dabit Ukertus (T. I, P. 2, p. 280).

dispescit] Sic pro *dissecat* in editis tres antiquissimi Leidenses (Oudend. ad Appul. II, p. 50).

Atlantici] Plinius (3, 1): »Oceanus hoc quod dictum est spatio Atlanticum mare infundens et avido meatu terras, quaecunque venientem expavere, demergens, resistentes quoque flexuoso littorum amfractu lambit« cet.

a Gaditano] Plinius (3 praef.): »Quindecim millia passuum in longitudinem fauces Oceani patent, quinque millia in latitudinem, a vico Mellaria Hispaniae ad promontorium Africae album, auctore Turranio Gracili juxta genito; T. Livius ac Nepos Cornelius latitudinis tradiderunt, ubi minus, VII millia passuum, ubi vero plurimum, X millia. Tam

quindecim passuum millia numerantur, latitudo vero, ubi angustior quinque, ubi diffusa septem, ubi prolixior decem millibus explicatur. Hinc defluxere per diversos sinus subsidentesque campos tot maria, tot fragores, et quantum
624 per diversa aequora tumescit. Undarum vero illa proruptio interfluentis Oceani laeva Europam facit, Lybiamque dextra, et montibus utrinque concluditur. Nam ab Europa Calpe, Africa Abyla monte despicitur, qui utrinque prominentes dici columnae Herculis meruerunt, quod testimonio vetustatis laboris Herculei limes in illis sit consecratus; siquidem ultra eum progredi consumtae telluris invia prohi-
625 bebant. Denique etiam hoc de ejus sacrae virtutis possibilitate persuasum, quod, quum antea natura terris maria dispararet ac tanto cingi circuitu firmaret Oceani, montium effossis radicibus divulsoque confinio camporum devexis lacunisque terrarum improvisum pelagus in usum impigrae mortalitatis
626 admisit, permutans orbis faciem naturaeque discrimina. Hoc igitur freto lacvorsum Europa distenditur usque in Tanais fluminis gurgitem, a quo inchoans Asia Nili itidem alveo limitatur; qui quidem Nilus eandem Africamque disrum-

modico ore tam immensa aequorum vastitas panditur.«

despicitur] Darmstattensis codex *dispicitur*, sollemni confusione; neque opus est lectione ab Oudendorpio (ad Appul. II, p. 49) proposita *dispescitur*, quia sensus hic est, »*fretum* utrinque a montibus *despici*, id est montes ei ab utroque latere imminere, unde despici possit. Ceterum de columnis Herculis omnia pervulgata nec montium nomina variant; quare absurda est lectio, quam a Grotio jam in margine notatam in Reichenauensi quoque codice inveni, *ab Aethna* pro *Abyla*.

testimonio] MS. *testimio*, sed male; nisi ita sumas, ut ἀρχαϊκῶς dixerit ea forma, qua *contumias* supra et Festus *aestimia*. Gnot.

effossis] Plinius: »creduntque *perfossas* exclusa antea admisisse maria et rerum naturae mutasse faciem.« Mela (I, 5): »Herculem junctos olim perpetuo jugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium Oceanum ad quae nunc inundat admissum.« Ceterum quod antecedebat in editis *praedictorum*, quum ab antiquissimis codicibus abesse testetur Oudendorpius (ad Appulej. I, p. 34), omisi.

impigrae mortalitatis] Recepi lectionem jam a Grotio in margine notatam atque ab Oudendorpio e codicibus Leidensibus commendatam (ad Appul. I, p. 34), Monacensibus quoque addicentibus; vulgo *immortalitatis*.

Tanais] Hunc jam Herodotus (4, 45) nonnullos Europae confinium facere narrat, licet ipse Phasin malle videatur; postea magis magisque ea opinio invaluit, unde et Dionysius (περιηγ. 661):

Ὅθτε καὶ Εὐρώπην ἀποτέμνεται Ἀϊδος αἴης.«

Confer omnino Strabonem (I, p. 65 Casaubon.):

pens telluris complexum intersecat multitudine fluviorum. Europam tamen terminari Propontidis faucibus dixere quam plurimi, quae Propontis per angusta descendens ad Maeotidem quoque perfertur.

DE HISPANIA.

Europae tamen principium inchoamentique limen Hispaniae contri- 627
butum, fertili frugum opimaeque provinciae, metallorum aurique fetura, minii, marmoris, gemmarumque muneribus praedicandae; quae quidem, quod Iberi fluminis interrivata tractu, amnis sui meruit cognomentum. Cujus illa

τοὺς μὲν τοῖς ποταμοῖς διαιρεῖν αὐτὰς, τῷ τε Νείλῳ καὶ τῷ Ταναΐδι, νήσους ἀποφαίνοντας, τούς τε τοῖς ἰσθμοῖς, τῷ τε μεταξὺ τῆς Καϐπίας καὶ τῆς Ποντικῆς θαλάϐϐης καὶ τῷ μεταξὺ τῆς ἐρυθρᾶς καὶ τοῦ ἐκρήγματος: et Appulejum (de mundo p. 303. 304 Oud.): »in divisione terrarum orbis *Asiam* et Europam, et cum his, sicut plures, Africam accepimus — *Asia* ab angustiis Pontici maris, usque ad alias angustias, quae inter Arabicum sinum et interioris ambitum pelagi jacet, constringiturque Oceani cingulo — quidam ab exordio Tanais usque ad ora Nili *Asiae* terminos metiuntur.«

Nilus] Strabo (1, p. 35 Casaub.) tamen »elegantiores sinum Arabicum commodiorem finem habere ait quam Nilum, siquidem ille propemodum ab uno mari ad alterum omnino penetret, Nilus ab Oceano multis partibus longius absit«; qui enim primi Nilum finem fecerant, et ipsum et Tanaim Phasinve ex Oceano defluere opinati erant.

Propontis] Mela (1, 1): »Ubi primum se coarctat, Hellespontus appellatur; Propontis, ubi expandit; ubi iterum pressit, Thracius Bosporus; ubi iterum effundit, Pontus Euxinus; qua paludi committitur, Cimmerius Bosporus; palus ipsa Maeotis; hoc mari et duobus inclitis amnibus, Tanai et Nilo, in tres partes universum dividitur.« Adde Strabonem (2, p. 124. 125 Casaub.).

angusta] Sic scripsi e codicibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi eque margine libri Norimbergensis pro *angustum*, quod Grotius de suo dedisse videtur, quum anteriores editiones *angustam* haberent.

opimae] Confer inprimis Solinum (polyhist. 23) et Justinum (44, 1): »Hinc temperato calore, inde felicibus et tempestivis imbribus in omnia frugum genera fecunda est, adeo ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiae urbique Romae cunctarum rerum abundantia sufficiat. Hinc enim non frumenti tantum magna copia est, verum et vini, mellis, oleique; nec ferri solum materia praecipua est, sed et equorum pernices greges; nec summae tantum terrae laudanda bona, verum et abstrusorum metallorum felices divitiae. Jam lini spartique vis ingens; minii certe nulla feracior terra.« Unde simul apparet falsam esse codicum Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis utriusque lectionem *miri* pro *minii*; vide et Salmasium (ad Solin. p. 267). Gemmas Tagum ferre Mela (3, 1) auctor est. Plura dabit Ukertus (T. II, P. 1, p. 325 sequ.).

amnis sui] Nimirum ut *Iberia* appellaretur; vide Ukertum (T. II, P. 1, p. 255).

portio, quae Atlantico confinis oceano in Gaditani freti littus excurrit, Baetica perhibetur, etiam ipsa vocabulum proprii fluminis nuncupatione sortita; quae ab Urcitano fine, qua citerior meat, Tarraconensis dicitur a Tarraconensi urbe, quam Scipiones condidere; nam Poeni fundavere Carthaginem, con-
628 ditas ubicunque urbes amico sibi nomine praesignantes. Sed praedictum latus a Pyrenaeis jugis in aliam provinciam dissecatur; siquidem Baeticae a septentrionali confinio Lusitania sociatur, cui nomen fabula a lusu Liberi patris vel cum eo bacchantium sociavit. Haec quoque cognominis sui fluvio per-
629 meatur, licet eam Tagus quoque arenis illustret auratis. Ulissipone illic oppidum ab Ulysse conditum ferunt, ex cujus nomine promontorium, quod maria terrasque distinguit; nam ab ejus ambitu inchoat mare Gallicum, et facies septentrionalis Oceani; Atlanticus vero et occiduus terminatur Oceanus,

Urcitano] *Urce* urbs est Tarraconensis Hispaniae Ptolemaeo. Gnor.

Scipiones] Vide Polybium (3, 76). Ceterum *condidere* dedi e codicibus Darmstattensi, Reichenauensi, et Monacensi (C) pro *condiderunt*.

Pyrenaeis] Ita Monacensis (A) pro *Pyrenaei* quod in editis erat.

lusu Liberi] Plinius: »a *Lusi* et *Lysia* Liberi patris«; sed et ibi Helenius *lusu* et *lyssa* legit. Gnor. — In Plinii (3, 3) editionibus nunc legitur: »*Lusum* enim Liberi patris aut *Lysam* cum eo bacchantem nomen dedisse Lusitaniae et Pana praefectum ejus universae«, hac Harduini nota addita: »Varro nugatur, si a *lusu* seu *lusione*, quae vox Latina est, jam tum Bacchi aevo Lusitaniam cognominatam velit, aut a λύσσα, quae vox *rabiem* sonat. Sic tamen Martianus accepit.«

cognominis sui fluvio] Hunc quem intelligat, non perspicio.

auratis] Unde Ovidius (met. 2, 251):

»*Quodque suo* Tagus *amne vehit, fluit ignibus* aurum«,

et Silius (1, 155)

»Auriferi *Tagus adscito cognomine fontis.*«

Plinius quoque alio loco (4, 35): »Tagus *auriferis arenis* celebratur.«

Ulissipone] Codex Reichenauensis *Olissipone*, ut et in lapidum titulis est (vide Cellarium geogr. antiqu. T. I, p. 70 et Ukertum T. II, P. 1, p. 304), pluribusque in codicibus exstare Wesselingius (ad Itiner. Ant. p. 416) prodit; sed vulgatam mutare nolui, ut originationis causa ne disparēret, quam Solinus quoque (c. 23) prae se fert.

promontorium] Plinius (4, 35): »Excurrit deinde in altum vasto cornu *promontorium*, quod alii *Artabrum* appellavere (vide §. 611), alii *Magnum*, multi *Olissiponense* ab oppido, terras, maria, coelum disterminans. Illo finitur Hispaniae latus et a circuitu ejus incipit frons; septentrio hinc oceanusque *Gallicus*, occasus illinc et oceanus *Atlanticus*.«

qui tum Hispaniae limitatur excursibus. In ejus quoque confinio equarum fetura ventis maritantibus inolescit, volucres proli cursus, ipso spirante Favonio. Verum Baetica cunctas ubertate fecunditatis provincias antevenit; quae 630
quidem habet juridicos conventus duos, Gaditanum et Cordubensem, oppida centum septuaginta quinque, habitantium multitudine frequentata. Eadem 631
vero longitudinis dimensione distenditur a Castulonis oppidi fine in Gaditanum oppidum, ducentis quinquaginta millibus amplior aestimatur; latitudo quoque in ducenta viginti quatuor millia excurrit. At universa provincia habet con- 632
ventus septem, Carthaginensem, Tarraconensem, Caesaraugustanam, Cluniensem, Asturum, Lucensem, Bracarum; civitates vero praeter insulas

equarum] Varro (de re rustica 2, 1, 19; p. 263 Gesn.): »In fetura res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania ad Oceanum in ea regione, ubi est oppidum Olysippo, monte Tagro, quaedam e vento concipiunt certo tempore equae — sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt.« Unde Silius (3, 379):

»Hic adeo, quum ver placidum flatusque tepescit,
Concubitus servans tacitos grex perstat equarum,
Et Venerem occultam genitali percipit aura.«

Idem Virgilius (georg. 3, 273) Bithyniae loco tribuit, ubi vide Heynium. Adde Columellam (6, 27, 4), Plinium (4, 33 et 8, 67), Solinum (c. 25), Oppianum (cyneg. 3, 556), Justinum (44, 3), qui tamen fabulam esse ait »ex equarum fecunditate et gregum multitudine natam, qui tanti in Gallaecia et Lusitania et tam pernices visantur, ut non immerito vento ipso concepti videantur.«

Baetica] Confer inprimis Strabonem (p. 142 sequ. Casaub.).

conventus] V. Plinium. De conventu Tarraconensi exstat haec inscriptio: »M. ACILIO Q. F. Q. VED. PROCURAT. CAESARUM CONVENTUS TARRACON. De Asturum conventu illa:

GENIO
CONVENT
ASTURICENSIS.

Gnor.— Confer Gruterum (inscr. 110, 6). De conventu juridico in universum videndus Ernestius (in clavi Cicer.).

universa] Imperite haec Martianus descripsit ex Plinio (3, 4), quasi ad universam Hispaniam vel certe ad Baeticam antecedentem pertineret, quum jam de Hispania citeriore sive provincia Tarraconensi sermo sit. Fortasse tamen sententiarum ordo confusus est itaque restituendus, ut inferiora verba inde a »tenditur autem« usque ad »latitudinis excrementum« ante »at universa« inserantur; nam quae infra de Agrippae errore sequuntur, ex Plinio (3, 3 f.) apparet ad ulteriorem potius Hispaniam pertinere. Ceterum Plinium secutus servavi in sequentibus *Lucensem*, licet codices Darmstattensis et Reichenauensis praebeant *Lucrensem*, quam Grotius quoque in margine lectionem notavit; Monacensis (C) adeo *Lucrenensem*, quod tamen διττογραφίᾳ originem debere videtur.

civitates vero] Verba quae in editis sequuntur »*in Hispania*« delevi auctoritate codicum Mo-

atque alias contributas ducentas nonaginta quatuor tota complexione dinumerat. Tenditur autem per longitudinem, quantum Agrippa dinumerat, millibus quadringentis septuaginta quinque, latitudine ducentis viginti quatuor, quum fines Carthaginem usque protenderet, quae opinio Agrippae non exiguum admittit
633 errorem. Nam Hispania omnis citerior a Pyrenaeo in Castulonis finem per sexcenta septem millia longitudine protrahitur, cujus ora paulo amplior aestimatur; latitudo autem a Tarracone ad littus Jarsonis trecentis septem millibus invenitur, a radicibus Pyrenaei, ubi utriusque maris propinquitate concluditur; nam paulatim diffusior adjacet in latitudinis excrementum.

DE MONTE PYRENAEO ET PROVINCIA NARBONENSI.

634 Idem igitur Pyrenaeus ex alio latere Galliarum finibus admovetur, a cujus radicibus quidquid interjacet usque Rhenum, et item inter Oceanum et montes Gebennam et Juram, Gallicis regionibus attributum. Narbonensis

nacensis (C), Darmstattensis, et Reichenauensis. Sed iterum Plinium male intellexit, dum provinciae praeter contributas civitates CCXCIV tribuit; Plinii enim verba haec sunt: »Accedunt insulae, quarum mentione seposita, *praeter civitates contributas aliis ducentas nonaginta quatuor* provincia ipsa continet oppida centum septuaginta novem.« *Contributae* autem sunt, quae Graece *ξυντελοῦσαι εἰς ἄλλην πόλιν* appellantur.

sexcenta septem] Editi *septuaginta* pro *septem* habent; sed nostra lectio non solum margini Grotianae codicibusque Monacensibus (A. C) et Darmstattensi, sed Plinio etiam (3, 3, 4) conformis est. Praeterea ex anterioribus editionibus restitui *protrahitur*, quum Grotius *protrahit* edidisset.

Iarsonis] In Plinii plerisque codicibus *Olarsonis*. Gron. — *Οἰαβὼ πόλις* est Ptolemaeo l. 2, c. 6 in Vasconum oppidis maritimis: nunc pagus *Oiarço*, leucis a Fontarabia duabus. Martiano *Jarso* dicitur. Et promontorii nomen est *Olarso* in Oceanum profecti, quo finitur Hispania, inquit Mariana l. 1. hist. c. 2, p. 3. Hand. (ad Plin. 4, 20, 34 n. 3). — Alios *Gersonis* legere Grotius notavit in margine; in codicibus nihil subsidii inveni.

quidquid interjacet] Eosdem Galliae fines tribuit Suetonius (Caes. 25), quam ait »a saltu Pyrenaeo Alpibusque et monte Gebenna, fluminibusque Rheno et Rhodano contineri.

Gebennam] Habet eadem Mela lib. 2, c. 5. *Gebennam* quoque Caesar lib. 7 bell. Gall. p. 81. *Gebennas* vocat Lucanus L. 1, v. 435; et *Gebennicos* montes Mela. Galli *les monts des Cevennes*. Hand. (ad Plin. 3, 4; not. 7) — Codicum lectiones variant, siquidem Monacensis (C) *Gabennam*, Darmstattensis *Uegennam*, margo Norimbergensis *Gebennam* exhibet; sed mutatione non egemus.

Juram] Ita Plinius; MS. *Duris*, forte *Juris*, ut in Solini antiquis codicibus. Ptol. *ἰουράσσος*.

autem provincia appellatur, quae interno mari alluitur; haec Braccata antea dicebatur, quae ab Italia jugis Alpium atque amne Varo discernitur, cujus longitudo, sicuti Agrippa dimensus est, trecenta septuaginta millia passuum, latitudo autem ducenta quadraginta octo. In hac provincia Rhodanus fluvius 635
ex Alpibus veniens per Lemannum lacum meat, et causas fertilitatis importat terrae germinibus ac fecundis, cujus ora diversis nominibus appellata; nam Hispaniense unum, alterum Metapinum, tertium, quo plenior meat, Massalioticum nuncupatur. Provincia viris, opibus, frugibus memoranda; unoquo transcurrenda piaculo, quod illic fas fuerat hostias humani generis immolare.

DE ITALIA.

Sed post Alpium montes, qua facies prominentis naturae ortivi Solis 636

Gnor.— Apud Plinium *et Jura*: sed MSS. omnes *et Juribus*. Mela l. 2, c. 5 non Juram montem, sed Lemannum lacum finem statuit Narbonensis provinciae. *Jura* pro locorum diversitate varia sortitur nomina *le Joux, le mont St. Claude, le Credo*, cet. Harn. (ad Plin. 4, 4, 5; n. 8).

Braccata] Sic scripsi e Plinio; codices Reichenauensis, Darmstattensis, Monacenses (A. C) *bracata*, quod eodem redit; editi male *brachata*. Nominis origo a femoralibus nota est.

quadraginta octo] Grotius addidit *continet*, quod tamen quum et ab anterioribus editionibus et a codicibus Reichenauensi et Darmstattensi absit, omisi.

Lemannum] Lucanus:

»*Deseruere cavo tentoria fixa* Lemanno.«

Gnor. — De scriptura nominis vide ibidem Cortium (ad Lucan. 1, 396).

fecundis] Forte *fetubus*, si glossarum expositiones sequamur. Ego malim *fecundat*. Gnor. — Praefero emendationem *fetubus*: nisi malis *feturis*, ut alibi saepissime, vel, quia rarior vox corruptioni causam dedit, *pecudis* sive *pecudibus*. Ovdenn. (ad Appul. I, p. 330). — Quodsi corrigendi licentia data esset, multo facilius locus emendaretur deleta copulativa *ac*; at haud scio an *fecundis* ex abbreviatura natum sit pro *fecunditatis*.

Metapinum] Sic haec omnia et Plinius. Gnor. — Variantem lectionem *Alpinum*, quam margini Grotius adscripsit, commemorasse sufficiat.

Massalioticum] Codex Reichenauensis *Massilioticum*, sed Graecam formam servavi, quam et Plinius habet: »Libyca appellantur duo ejus ora modica — — tertium idemque amplissimum Massalioticum.«

opibus] Codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis uterque praebent *oppidis*, quam lectionem et Grotius in margine notavit; sed retinui vulgatam, quia apud Plinium est: »agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine *opum* nulli provinciarum postferenda.«

humani] Mela (3, 2; p. 50 Voss.): »Gentes superbae, superstitiosae, aliquando etiam immanes adeo, ut hominem optimam et gratissimam diis victimam caederent.« Adde et Solinum (c. 21).

illuminatione perfunditur, inchoat atque descendit Italia longe ante alias omnes
637 laudibus veterum in urbis Romae gratia praedicanda. Cujus principium Ligures tenent; dehinc quae ubertate soli sacrata occupavit Hetruria regio, tam indigetis Aeneae foedere, quam remediorum origine atque ipsius Tagetis exaratione celebrata; Umbri mox, Latiumque atque ostia Tiberina dehincque ipsa caput gentium Roma, armis, viris, sacrisque, quamdiu viguit, coeliferis
638 laudibus conferenda; haec a mari sexdecim passuum millibus disparatur. Dehinc littus in Volscorum nomen sortemque concessit; mox Campania, Picentesque, ac Lucanum littus Brutiumque conjungitur; cujus promontorium in meridiem austrumque respectans in mare procurrit laevaque alia interioris sinus fluenta complectitur, ut si a primis Alpibus dextrum latus et prolixi montis brachium contempleris, prominentias utrinque componens theatrum quoddam spectare videaris undarum. Lunata quippe et quodam hemicyclio in promontorium memoratum circumfertur Italia; denique ab ipsis Gadibus, qua se fauces freti interfluentis aperiunt, in Brutium sinum, qui est primus
639 Europae, emissa maria conquiescunt. Interior vero tellus, quae in superum mare Boreamque profertur, Graeciae ora, Salentinis, Pediculis, Apulis, Pe-

ortivi] Ita codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacenses (A. C) pro *ortuum* in editis.

perfunditur] Sic codices Monacenses (A. C) pro *profunditur* in editis. Mox expuli quod Grotius nescio unde intruserat *sola* post *Italia*, quum in meis quoque codicibus non exstet.

in urbis Romae] Aut *in* superfluum, aut pro *gratia* scribendum *gratiam*; sed codices nihil variant.

ubertate soli] Grotius *Soli* scripsit, quasi Soli sacrata fuerit Hetruria, sed hac de re nihil constat; malui igitur soli ubertatem jungere.

Tagetis] Vide supra (ad §. 157). Pro *remediorum* vereor ne *religionum* legendum sit.

sexdecim] Alii XV. Gaor.

Picentes] Rectius *Picentinos* dixisset; vide Cellarium (T. I, p. 859).

Lucanum littus] Salmasius (ad Solin. p. 57) in antiquis esse *latus* tradit, idque et Reichenauensis et Darmstattensis codices praebent, mutare tamen nolui, quia »littus in Volscorum« cet. praecessit.

laevaque alia] Alios *ala* legere Grotius in margine notavit.

qui est primus] Quatuor enim cum Plinio (3, 1) praecipuos mediterranei maris sinus numerat, »quorum primus a Calpe Hispaniae extimo, ut dictum est, monte Locros et Brutium usque promontorium immenso ambitu flectitur.«

superum] Id est *Adriaticum*, ut *Tyrrhenum* inferum. Vide Cellarium (p. 636).

lignis, Istris, Liburnis, et ceteris populis obscurioribus habitatur; laevorsum quoque se flectit, et item duobus promontoriis peltae Amazonicae formam reddit; dextro cornu Leucopetram tendens, laevo Lacinium. Unde quum longa sit ab Alpibus Praetoriae Augustae per urbem Capuam et Rhegium oppidum absque recurvo flexu decies centena et viginti millia passuum, nusquam vero trecenta latitudo ejus excedit. A solo igitur Italico Liburnia Istriaque discretae sunt centenis millibus passuum, quod distat ab Epiro et Illyrico quinquaginta millia, ab Africa intra ducenta millia, ut Varro commemorat, ab Sardinia centum viginti, a Sicilia mille quingentis, a Corsica minus octoginta, ab Issa quinquaginta. Verum 640
omnis Italiae circuitus tenditur vicies centena quadraginta novem millia; ejus umbilicus in agro dicitur Reatino; angustior plurimum est ad portum quem Hannibalis castra dicunt; nam vix ibi viginti millia passuum lata est. Verum Italia etiam Pado flumine memoranda, quem Graecia dixit Eridanum; hunc

peltae] Hoc quoque et quae sequuntur ex Plinio (3, 6): »Est ergo folio maxime querno assimilata, multo proceritate amplior quam latitudine; in laeva se flectens cacumine, et *Amazonicae* forma desinens *parmae*, ubi a medio excursu Cocinthos vocatur, per sinus lunatos duo cornua emittens, *Leucopetram* dextra, *Lacinium* sinistra.« *Parma* enim Latine quod πέλτη Graece. Amazonibus pariter tribuit Ovidius (ex Pont. 3, 1, 96):

»*Nec tibi* Amazonia *pro me sumenda securis*,
Aut excisa *levi* pelta *gerenda manu*.«

Formam peltae videas apud Caryophilum (de clyp. p. 55), Seguinum (num. p. 25), Passerium (de lucern. II, 97), et in museo Florentino (II, 32. 33).

millibus passuum] Sic codices Monacenses (A. C) et Darmstattensis; vulgo *passibus*.

octoginta] Sic dedi e Plinio et margine Grotiana pro *septuaginta* in editis, licet alioquin corrupta sit lectio marginis Grotianae *Corcyra* pro *Corsica*.

Issa] Ita et Plinius. Urbs est in Lesbo. Item insula in mari Adriatico adjacens Dalmatiae. Hinc Issicus sinus, Ptol. tab. 4. Asiae, et Herodot. l. 3: κατὰ τὸν Ἰσσικὸν καλούμενον κόλπον. Gnot. — Confer Strabonem (2, p. 124 init. Casaub.).

vicies] Sic codices Monacenses (A. C), Reichenauensis, et Darmstattensis, non *vigies*, ut in editis.

umbilicus] Plinius (3, 17): »In agro Reatino Cutiliae lacum, in quo fluctuet insula, Italiae umbilicum esse M. Varro tradit.« Martianus tamen hic et in sequentibus Solinum potius (polyhist. 2, 23) ante oculos habuisse videtur.

viginti] Sic Grotius edidit nec ego mutare ausus sum, ne temere mutasse quidquam viderer, licet a codicibus maximam commendationem habeat *centum triginta*, quod jam Grotius in margine notavit praebentque Monacenses (A. C) et Darmstattensis; sed apud Solinum est *quadraginta*, apud Plinium (3, 10, 15) *viginti*, quem quum noster et infra (§. 649) sequatur, sibi ipsum repugnantem facere nolui.

amnem mons Vesulus inter montes Alpium elatior gignit fonte mirabili, qui in Ligurum finibus flumen creat, ac dehinc fluvius mersus in penita telluris in parte agri Vibonensis emergit, canis ortu diffusior. Nam solutis Alpium nivibus, flagrantia Solis aestivi exuberat ultra gurgitis ripas, nullique gloriae nobilium amnium cedens, triginta receptis fluminibus, Adriaticum mare magna
641 opimus granditate perfundit. Cetera Italiae memoranda nec poëtae tacent, ut Scyllaeum oppidum cum Crataeide flumine, quae Scyllae mater fuit, Charybdisque voraginem ac vertiginem tortuosam; Paestana rosaria, scopulos Sirenarum: in Campaniae amoenis antiquitus nemora, Phlegraei dehinc campi,

Vibonensis] Hoc e Solino et margine Grotiana recepi, nec reliquis codicibus refragantibus, qui *Bibonensis* praebent sollemni confusione (vide ad §. 25). Vulgo *Vibienis*, unde Salmasius (ad Solin. p. 84) *Vibiensis* scribendum conjecit, a *Foro Vibii*; Vibonensem enim agrum in Italia nullum esse nisi qui a *Vibone Valentia* dicatur.

opimus] Lectio in Norimbergensis libri margine notata *opum*; male, licet *opimitas* fluvio neutiquam apte tribuatur.

Crataeide] Ovidius Scyllam Crataeide natam refert, et Homerus dixit:

»Κραταιὴν μητέρα ὄκυλλης.«

Substituenda itaque hoc loco MS. nostri lectio *Crataeide flumine, quae Scyllae mater fuit.* Gnot. — In editis enim erat *qui Scyllae pater*; sed Grotiano codici accedunt Monacenses (A. C) et Darmstattensis. Confer Homerum (Odyss. 12, 85 et 124) praetereaque Salmasium (in Solin. p. 82) virosque doctos ad Ovidium (T. II, p. 916 Burm.). Lectionem *Siletum* pro *Scyllaeum* margini Grotianae adscriptam, et *Grateide* pro *Crataeide* in codicibus Monacensibus commemorasse sufficiet.

rosaria] Certatim a poëtis inde a Virgilio (georg. 4, 119) »biferi *rosaria* Paesti« celebrantur. Propertius (4, 5, 59):

»*Vidi ego odorati victura* rosaria *Paesti.*«

Martialis (12, 31):

»*Prataque nec bifero cessura* rosaria *Paesto*«.

Columella (de re rust. 10, 37):

»*Nascantur flores Paestique* rosaria *gemment.*«

Ausonius (idyll. 14, 11):

»*Vidi Paestano gaudere* rosaria *cultu.*«

Campaniae] Salmasius (p. 83) locum hunc e Solino ita refingi vult: »hinc Campaniae amoenissimi tractus, Phlegraei« cet., temere sane, quum nihil codices varient, nisi quod pro *nemora* alios *Numeria* legere margini Grotius adscripsit. Ceterum de Campaniae amoenitate vide Plinium (3, 9), Dionysium Halicarnassensem (1, p. 92 Reisk.), Polybium (3, 91), Strabonem (5, p. 242 Casaub.), et Florum (1, 16).

Phlegraei] Plinius (18, 29, 1): »Quantum autem universas terras campus Campanus antecedit, tantum ipsum pars ejus, quae Laboriae vocantur, quem Graeci *Phlegraeum* appellant. Finiuntur Laboriae via ab utroque latere consulari, quae a Puteolis et quae a Cumis Capuam ducit.« Adde Polybium (2, 17) et de nominis origine Diodorum Siculum (4, 21. 5, 71) et Apollodorum (2, 1, 1) cum nostra nota superiori (ad §. 425).

habitatioque Circeia Terracina, prius insula nunc juncta; Rhegium, quae ab Sicilia continenti separata, atque in compensationem connexae telluris in insulam religata; Formiaé etiam Laestrygonum habitatione famosae.

DE CONDITORIBUS URBIUM.

Hoc loco possem etiam urbium percurrere conditores, ut a Jano Janiculum, a Saturno Latium, a Danae Ardeam, ab Hercule [Herculanium ad 642

insula] Male Solinum auctorem secutus ad Terracinam retulit, quae Plinius (3, 9) rectius de Circejis refert, »quondam insulam immenso quidem circumdatam mari« fuisse, et post annum demum CCCCXL urbis Romae maris vel alluvie, vel quod praefert (2, 87) recessu Italiae accessisse.

Rhegium] Vide vero sitne intempestiva *Rhegii* in his Capellae mentio. Quid enim Rhegium ad Terracinam? Ego, quum MSS. *juncta* vel *conjuncta regioni* legant, tentabam: »prius insula, nunc juncta regioni, cujus Sicilia continenti separata«; sic enim prono alveo oratio decurret. Wesseling. (ad Itiner. Ant. p. 491). — Lectionem *regioni* jam Grotius margini adscripsit praebetque et codex Monacensis; sed Rhegii mentione carere vix possumus, quod Solinus quoque cum Terracina comparavit. Vide omnino Strabonem (1, p. 60; 5, p. 230), Apollodorum (2, 5, 10), Justinum (4, 1) quaeque docti interpretes ibi attulerunt.

religata] Martiani verba sic sunt legenda: »Terracina prius insula nunc conjuncta: Rheginique a Siciliae continenti separati, eaque in compensationem connexae telluris in insulam relegata.« Hunc locum partim conjectura, partim librorum auctoritate ita correximus, quum vulgo corruptissime editus sit. Dicit Terracinam prius insulam, postea conjunctam et continenti annexam; in cujus rei compensationem Siciliam, quae ante continens erat, in insulam relegatam, Rheginosque ab ejus continente separatos. Eleganter *conjunctam* terram opponit insulae. *Conjuncta* idem est quod *continens* vel *continua*. Ovidius:

»*Leucada* continuam *veteres habuere coloni*,
Nunc freta circumeunt« —

nam continens aut continua terra est nullo mari interrupta. Salmas. (ad Solin. p. 85) — Vellem indicasset Salmasius, quid e codice, quid ex ingenio petierit; sic tutissimum fuit nihil in textu mutare, licet fatear *relegata* mihi unice verum videri; reliquos errores haud scio an ipsi Martiano potius tribuerim.

conditores] Hos quoque ex Solino (polyhist. 2, 5) sumsit, quocum Isidorum (etymol. 15, 1, 50 sequ.; p. 181 Arev.) conferre licet.

a Jano] Noti sunt Virgilii (Aen. 8, 357) versus:

»*Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:*
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.«

Latium] Virgilius (Aen. 8, 322):

— — »Latiumque *vocari*
Maluit, his quoniam latuisset *tutus in oris.*«

Unde et Herodianus (1, 16).

Danae] Ita restitui, antea ubique *Dane* legebatur. Grot. — Sollemni scilicet literarum E et AE confusione. Ceterum hoc quoque ex Virgilio (Aen. 7, 410):

— — »*quam dicitur urbem*

radicem Vesuvii, a quo haud procul] Pompejos, quum boum pompam duceret Iberorum, ex cujus laboribus in Liguria campi Lapidarii sunt appellati, quod ibi eodem dimicante saxis ferunt pluvisse coelum; idem etiam Ionio nomen dedit; nam Ionem Naulochi filiam obsidentem vias latrocinaliter interemit. Iapygas Iapyx Daedali filius condidit, Coram Dardanus; Agyllam Pelasgi, Tibur Catillus praefectus classis Evandriae. Parthenope dicta ab

Acrisioneis Danae *fundasse colonis,*
Praecipiti delata noto; locus Ardea *quondam.*«

Herculanium] Quae hic uncis inclusa sunt, dubitare licet, num Martiani sint. Absunt enim tam a Solino et Isidoro, quam ab antiquis codicibus (Salmas. ad Solin. p. 57) meisque Monacensibus (A. C), Reichenauensi, et Darmstattensi. De ipsa tamen nominis origine constat e Dionysio Halicarnassensi (1, 44; p. 111 Reisk.), cujus haec verba sunt: »Ἡρακλῆς δὲ . . . πολίχνην ἐπώνυμον αὐτοῦ κτίσας, ἔνθα ὁ βόλος αὐτῷ ἐναυλοχεῖτο, ἥ καὶ νῦν ὑπὸ Ρωμαίων οἰκουμένη, καὶ Πομπηΐας ἐν μέσῳ κειμένη Νεαπόλεως τε λιμένας ἐν παντὶ καιρῷ βεβαίους ἔχουσα κ. τ. λ. De Pompejis autem praeter Solinum et Isidorum vide Servium (ad Virgil. Aen. 7, 662).

Lapidarii] Inter Massiliam et Rhodani ostia, Strabone teste (4, p. 182), quem omnino vide.

quod ibi eodem] In Palatinis schedis lectum mihi est *quod Jovi eo dimicante*, quomodo et Vinetus in suis, et clarissimus Mercerus invenerunt; quam lectionem puto factam ex corrupta *ivi* pro *ibi*, ut recte habent optimi duo Regii, qui et *pluvisse* legunt ἀρχαϊκῶς pro *pluisse*. Salmas. (ad Solin. p. 58) — Recepi *ibi* vulgo omissum, et *pluvisse*, quod etiam Oudendorpius (ad Appulej. I, p. 311) in antiquissimis codicibus legi testatur.

Ionio] Editur quidem passim apud Martianum »idem *Ioniae nomen dedit*«, sed omnia scripta ejus exemplaria legunt *Ionio*. Aliud voluit Solinus: »regionem *Ionicam* ab Ione Naulochi filia.« Ionium ab Ione Italo, alii ab Ionio Illyrio, inquit Stephanus, dictum volunt. Servius Ionium istum insulae regem fuisse dicit contra Illyricum. Nihil hoc ad Ionicam regionem. Praeterea quis ille *Naulochus*, cujus filia Ione, vel ut alii libri appellant, *Aulochus?* In scriptis libris Martiani Capellae dicitur *Autoclus*; posset esse Αὔτοκλος, ut Οἰνοκλος, Ἄνδροκλος, melius tamen scribi putem *Autolyci filiam*, qui fur insignis ex fabulis notus et filiam sibi similem habuit Ionem procaciter vias insidentem. Adhuc tamen haesitamus in Ionica regione. Quid si *Chonica* scripserat Solinus et *Chone*? Salmas. (ad Solin. p. 58). — *Ionio* pro *Ioniae*, quod jam Grotius margini adscripsit, dedi e codicibus Reichenauensi et Darmstattensi; *Autocli*, quod idem in margine legere alios notavit, recipere audacius duxi, quum in his juxta cum ignorantissimis caligem. *Naulochum* Siciliae oppidum habes apud Suetonium (Oct. 16).

Agyllam] Quae ab Etruscis postea *Caere* dicta est; vide Cluverium (Ital. ant. T. I, p. 489 sequ.).

Catillus] Unde »moenia Catili« apud Horatium (Od. 1, 18, 2). Adde Virgilium (7, 670) cum excursu Heynii (T. III, p. 151).

pignus asserunt] Huc refer illos Vergilii versus:
»*Nec Praenestinae fundator defuit urbis*
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inventumque focis omnis quem credidit actas,
Caeculus.« — —

Sirenis sepulcro hoc nomine vocitatae, quae nunc Neapolis appellatur; Praeneste ab Ulyssis nepote Praeneste, licet alii velint Caeculum conditorem, quem pignus asserunt fuisse flammarum. Arpos et Beneventum Diomedes, Patavium Antenor, Pylii Metapontum condidere; sed nil mea interest origines urbium perscrutari.

DE INSULIS TYRRHENI MARIS.

Nunc quoniam continentis terrae limes interfluentis freti coërcitione di- 643
stinguitur, non alienum est inter fluenta emergentes terras, quae quod in salo sint insulae vocitantur, praesertimque nobiles commonere. Neque enim morosa debet esse percursio. Transeo itaque Pityusas a silva pinea memoratas, quae nunc Ebusus appellatur, in confinio Carthaginis novae, Baleares etiam duas, Colubrariam, et quas Gymnasias Graeci dicunt, vel Caprariam naufragalem; in Galliae quoque ora in Rhodani ostio Metina, mox quae Blascorum

Explicat et hunc locum Solinus, qui de Caeculo loquens ait: »quem juxta ignes fortuitos invenerunt Digitiorum sorores«; m. *fortuito*. Digitii autem sunt *δάκτυλοι ἰδαῖοι*. Nisi *digiti* malis quod propius ad Graecum accedit. Sic Cicero de N. D. de Hercule: »Tertius est ex Idaeis Dactylis« MS. Ciceronis habet *Digitis*. Gnot. — Vide inprimis Servium ad Virgilii locum (Aen. 7, 678) et Mythographos Vaticanos (p. 29 et 136 Bode).

Beneventum] Vel potius *Maleventum*, Stephano quoque teste (p. 76 Xyland.): *Βενέβεντος χωρίον Διομήδους ἐν Ἰταλίᾳ· οἱ δὲ ὅτι κτῆμα Διομήδους, ᾗ καὶ Μαλοεντὸς ἐλέγετο.* Confer et Plinium (3, 16): »Hirpinorum colonia una Beneventum, auspicatius mutato nomine, quae quondam appellata Maleventum.«

quod in salo] Festus quoque (p. 192 Dac.) hoc etymon prodit. Adde Isidorum (etym. 14, 6, 1; p. 170 Arev.).

silva] Plinius (3, 11) »a *frutice* pineo«; sed *silva* nonnunquam pro *frutice* ponitur (Salmas. ad Solin. p. 279).

Gymnasias] Vide Strabonem et Stephanum. Gnot. — Easdem esse cum Balearibus vel Livii epitome (lib. 60) docet: »quas Graeci *Gymnesias* appellant, quia aestatem nudi exigunt, *Baleares* autem a teli missu aut a Baleo Herculis comite ibi relicto tunc quum Hercules ad Geryonem navigaret.« Nisi igitur lectio nostri corrupta est, Plinium male intellexit, cujus haec verba sunt: »Baleares duae et Sucronem versus Colubraria. Baleares funda bellicosas Graeci Gymnasias dixere.«

naufragalem] »Insidiosam naufragiis« Plinius appellat.

mox quae] Addidi *mox* ex Plinio et codicibus Grotiano et Darmstattensi.

Blascorum] Alii *Blascon*, Ptolemaeus, Strabo l. 10, et quidam Plinii codices. Gnot. — Apud

vocatur, et tres Stoechades, quarum haec sunt nomina singularum: prima Themista, secunda Pomponiana, tertia Hypaea; ceterasque exiguas adversum
644 Antipolim. In Ligustico autem mari est Corsica, quam Graeci Cyrnon appellavere, longa centum quinquaginta millibus passuum, lata quinquaginta. Circuitus ejus omnis distenditur millibus trecentis viginti quinque; habet civitates triginta tres. Stipa autem citra est, Oglasa infra; in sexagesimo Corsicae Planasia fallax navigantium mentiensque propinquitas; Urgo item, et Capraria, quam Aegilion Graeci dixerunt; item Igilium, Dianium; item Columbaria,

ipsum nostrum alios *Evasiorum* legere idem in margine notavit; in Darmstattensi est *Vascorum*.

Stoechades] Graece στοιχάδες, unde vulgaris scriptura *Stoecades* corrigenda erat. Plinius: »Tres Stoechades a vicinis Massiliensibus dictae propter ordinem, quas item nominant singulis vocabulis Proten, et Mesen, quae et Pomponiana vocatur, tertia Hypaea.« Adde Strabonem (4, p. 184), qui tamen singularum nomina non narrat. *Themistam* unde habuerit noster, prorsus ignoratur, quare Wesselingius (ad Itiner. Anton. p. 515): »ego vero« inquit »deseruisse Plinium atque ita scripsisse dubito; codex enim scriptus *Prothemisto* offert, unde *Proten*, et ex Misto *Mesen* formavere«; nostri tamen codices nihil variant.

Hypaea] In quibusdam Plinii codicibus *Hype*. Gnot. — Reichenauensis *Ypera*, Monacenses (A. C) *Hype*; Darmstattensis *Ipea*, unde conjicere quis possit, Latinis literis pro Graecis acceptis *Hiera* legendum esse, quo nomine nunc illas insulas appellari satis constat (vid. Ukert. T. II, P. 2, p. 462); mutare tamen nihil audeo.

Stipa] Forte ut Plinium sequamur: »Sita autem citra est Oglasa, intra in sexagesimo Corsicae Planaria«, nisi pro *Stipa* legas *Stira* cujus meminit Mela. *Planariam* alii *Planasiam* dicunt, ut Ptol. Et ita codex Vulcanii, quem nos sequimur. Gnot. — Codex Monacensis (A) *Stypa*; praeterea in codicibus nihil subsidii. Vereor ne hic quoque corrupto Plinii exemplari usus sit, et vocem *Sylla*, quae apud illum antecedit, corruptam huc transtulerit. Plinii verba haec sunt: »Citra est Oglasa; intra vero sexaginta millia passuum a Corsica Planaria a specie dicta, aequalis freto ideoque navigiis fallax.«

Planasia] Salmasius (ad Solin. p. 96) errasse vult Martianum, quod *Planasiam* eandem habuerit cum Plinii *Planaria*, quum hujus nomen Latinum sit a *planitie* ductum, illius Graecum a πλανᾶν, quod est in *errorem ducere, fallere*; et certe Plinius ipse mox alteram *Planasiam* commemorat, quae XXXVIII millibus ab Ilva distet; sed Plinium potius dixerim duas fecisse quae una esset, quum apud reliquos una tantum *Planasiae* nomine occurrat, neque *Planariam* ipsam e Latino potius quam Graeco sermone derivandam ei visam esse inde apparet, quod *fallacem* appellat, quod Graece est πλανώδαν.

Igilium] Duas eodem nomine insulas agnoscere Plinium patet ex ejus verbis, si recte capiantur: »Capraria, inquit, quam Graeci Aegilion dixere; item Aegilium et Dianium«, quasi dicat »item aliud Aegilium contra Cosanum littus diversum ab Aegilio quae Capraria«; sed puto eum errare et unam esse Aegilium. Sic Αἰθάλην et Ἴλουαν Ptole-

Veneria; item ultra Tiberina ostia in Antiano Palmaria, Sinonia; et in Firmiano Pontiae, Pandataria, Procbyta, Abaeneria, Inarime a Graecis dicta Pithecusa, et Megaris etiam in Neapolitano; a Surrento in octavo milliario Capreae [Senaria dicta et Telentea], item Leucothea. Jam Africum mare 645
spectans a Corsica in octavo Sardinia est, in quo angusto freto sunt parvae insulae, quae Cuniculariae perhibentur; item Pinton, et Fossae. Verum

maeus distinguit, quae una est. Martianus Capella, ut habetur in plutariis ejus libris: »Urgo item et Capraria quam Graeci *Aegion* dixere; item *Egelium*, Dianium.« *Aegion* est *Αἴγειον*, ad verbum *Caprarium*; *Egelium* scriptum pro *Aegilium* vel *Aegylium*. Nam ita scribi debet, *Αἴξ* et deminutivum *αἰγύλη*, *parva capra*, inde *Αἰγύλιον Capraria*. Diserte etiam in optimo Regio codice *Αἴγυλον* scribebatur. In Pomponii Melae scriptis exemplaribus *Ygilium* perperam pro *Igilium* vel *Aegylium*. Salmas. (ad Solin. p. 95. 96) — Nostro favet Rutilius Numatianus (itin. 1, 325):

»*Eminus* Igilii *silvosa cacumina miror*«,

nec nostri codices variant; pro superiore tantum *Aegilion* alios *Aegilon* scribere Grotius in margine notat.

Veneria] Veicetinus codex et Lugdunensis *Venaria*. An *Henaria* cum Plinio? Vide Festum et Melam. Gnot. — Nescio quibus Plinii editionibus Grotium usum esse dicam, qui et *Colubrariam* apud illum legerit pro *Columbaria*, et numeros quoque interdum alios atque in nostris exstant. Hic quoque nostrae Plinii editiones cum Martiano conveniunt, nisi quod *Venaria* legunt, quod tamen restituere, reliquis codicibus non adstipulantibus, dubitavi.

Firmiano] Lege *Formiano*. Gnot. — Recte, sed codices repugnant. Plinius aliter: »adversum *Formias* Pontiae, in *Puteolano* autem sinu Pandataria« cet.

Abaeneria] Hic iterum festinanter et imperite Plinium exscripsit, cujus verba haec sunt: »Prochyta, non ab Aeneae nutrice, sed quia profusa *ab Aenaria* erat; *Aenaria* ipsa a statione navium Aeneae, Homero *Inarime* dicta, Graecis *Pithecusa*.«

Inarime] Ex Homerico *εἰν Ἀρίμοις* (Il. *β*, 783) jam a Virgilio corruptum (Aen. 9, 712):

— — »*durumque cubile*
Inarime *Jovis imperiis imposta Typhoeo*«,

quem certatim imitantur Ovidius (met. 14, 88), Silius (8, 541. 12, 148), Statius (silv. 2, 2, 76), alii.

Senaria] Quae hic uncis inclusa sunt, non modo a Plinio, verum etiam a codicibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi absunt, et manifesto corrupta sunt neque ad Capreas pertinent; an pro *Telentia* legendum *Teleboea*? Virgilius (Aen. 7, 735): »Teleboûm Capreae regna.«

Sardinia] Salmasio (ad Solin. p. 98) suadente verba »jam Africum mare spectans«, quae vulgo cum *Leucothea* conjungebantur, huc retuli. Plinius (3, 13): »Mox Leucothea, extraque conspectum, pelagus Africum attingens, Sardinia, minus octo millibus passuum a Corsicae extremis« cet. Titulum quoque, quem vulgo peculiarem habebat, omisi, ne series insularum interrumperetur.

Pinton] Annon *Phytonis* vel *Pythonis* fossae? Gnot. — Nescio an ipsum Plinium Grotius corrigere voluerit, apud quem est *Phintonis et Fossae*.

Sardinia, a Sardo filio Herculis appellata, habet formam humanae plantae; denique Sandaliotes est appellata et Ichnusa; quod utrinque vestigii formam signat. Verum ab oriente centum octoginta octo millibus patet, ab occidente centum septuaginta quinque, a meridie septuaginta septem, a septentrione centum viginti quinque millia habet; a Gorditano promontorio insulas duas, quae Herculis memorantur, a Sulcensi Enusin, a Caralitano Ficariam Galatamque. Quidam item non longe Balaridas dicunt, et Callode, et Heras lutra. Contra Paestanum Leucasia est, a Sirene ibi sepulta nominata; contra Veliam Oenotrides; contra Vibonem Ithacesiae ab Ulyssis specula dictae.

DE SICILIA.

646 Hinc Sicilia memoranda, quae a Thucydide Sicania, a multis Trinacria perhibetur. Sicania a Sicano rege, qui cum Iberica manu in eandem terram ante bella Trojana pervenit; dehinc Siculus Neptuni filius, a quo nomen

Ptolemaeo quoque *Φίντωνος νῆσος*. Codices Monacenses (A. C) et Reichenauensis *Pitonis*.

Ichnusa] Vide Plinium et Solinum. Silius:

Insula fluctisono quondam vallata profundo,
Castigatur aquis, compressaque gurgite terras
Enormes colubet nudae sub margine (l. imagine)
plantae,
Unde Ichnusa prius Grajis memorata colonis.«

Sandaliotes autem a sandalio calceamenti genere dicitur. Huc facit et Claudianus:

»*Humanae speciem plantae sinuosa figurat*
Insula, Sardiniam veteres dixere coloni.«

Grot.— *Ichnusa* reposui auctore Grotio, qui eam lectionem in margine notavit; vulgo *Signosa*, quod vix arbitror fore qui ex vocabulo *signat*, quod sequitur, defendat. Ἰχνοῦσαν appellat et Pausanias (10, 17, 2), »ὅτι τὸ σχῆμα κατ' ἴχνος μάλιστά ἐστιν ἀνθρώπου.« Plinius (3, 13): »Sardiniam ipsam Timaeus *Sandaliotim* appellavit ab effigie soleae.« Sallustius (in fragm. p. 253 Bip.): »Sardinia in Africo mari facie vestigii humani.« Claudiani locus est in carmine de bello Gildonico (507). Pro *utrinque* codex Reichenauensis *utrumque*, male.

Enusin] Anteriores *Enosin*, Monacensis codex (A) *Enusina*.

Balaridas] Codices Reichenauensis et Monacenses (A. C) *Liberidas*, Darmstattensis *Leberides*, margo Grotiana *Heberidas*, eademque *Gallode* pro *Callode*. De veris nominum formis judicari non potest; Plinius *Berelidas* et *Collodem* appellat.

Leucasia] Alii Leucosiam appellant. Cellarius (T. I, p. 954) eandem censet cum *Leucothea*, quae supra commemorata est; sed noster Plinium sequitur.

Sicania] Haec quoque ex Plinio (3, 14); Thucydidem enim (6 init.) Martianum legisse vix credibile est. Ceterum adde Solinum (5, 7) et Isidorum (etym. 14, 6, 32; p. 178 Arev.).

eidem commutatum; nam Trinacria, quod tribus promontoriis triangula censeatur: quippe unum, quod a Pachyno in Peloponnesum in meridiem versum spectat, quadringentis quadraginta millibus a Graecia disparatur; Pelorus autem occasum Italiamque inspicit, quae freto mille quingentis passibus separatur; Lilybaeum Africae fines videt in centum octoginta millibus. Ipsa autem promontoria inter se terreno itinere disparantur sic: a Peloro Pachynum millia centum septuaginta sex, inde Lilybaeum ducenta, inde Pelorum centum quadraginta tria. Coloniae in Sicilia quinque, urbes sexaginta tres, fluvii 647
fontesque quamplures, ac montis Aetnae miracula noctibus totis vomentis incendia; cujus crater stadiis viginti patens favilla Taurominium Catinamque respergit, magno strepitu mugiens et immensos fragores intonans obluctatione flammarum.

DE INSULIS SICULI FRETI.

In Siculo etiam freto insulas esse non dubium est. Africam versus 648
Gaulos, Melita a Camarina octoginta quatuor millibus passuum, a Lilybaeo centum tredecim, Cossura, Hieronesos, Coene, Lopadusa, Aethusa, quam

triangula] Variis figuris geographi utuntur, ut terrarum regionumve formas describant, inprimis Strabo, qui ut Siciliam (2, p. 83) triangulo, ita Hispaniam (p. 127) tergori bovis, Peloponnesum (8, p. 335) folio platani, Mesopotamiam (2, p. 79. 80) pulvino remigum sive (16, p. 746) navigio, Arianam (2, p. 78) parallelogrammati, Indiam (p. 78. 87) rhombo, Pattalenem insulam, quam Indus facit (15, p. 701) triangulo, terram habitabilem (2, p. 113. 116. 118. 119. 122) chlamydi, Ponti ambitum (p. 125) duplici curvaturae arcus Scythici (add. §. 661), promontorium Europam ab Asia disterminans (2, p. 124 f.) caprae, Asiae latus ab Aethiopia inde ad Oceanum (p. 130 f.) pardali, Hispaniae regionem (3, p. 137 f.) navigio comparat. Confer et nostrum supra (§. 639. 645). De ipso Siciliae nomine Ovidius (fast. 4, 419):

»*Terra* tribus scopulis *vastum procurrit in aequor*
Trinacris *a positu nomen adepta loci.*«

Plura dabit Cluverius (Sic. ant. p. 7 sequ.).

Pelorus] Ita Plinius et Martiani libri editi, scripti Monacenses (A. C) et Reichenauensis dant *Pelorias* cum Solino; sed causa mutandi nulla. Mox potius *quingentorum passuum* legerim; ablativus ex notis librariorum per errorem ortus videtur.

septuaginta sex] Plinius *sexaginta*. Gnot. — Immo Harduino teste ejus codices LXXXVI; moxque CLXX, ubi noster *centum quadraginta tria*.

Cossura] Cossurensium elegantem memoriam habes in ovationum triumphorumque catalogo:

alii Aegusam dixere, et ceterae. Sunt aliae citra Siciliam: ex adverso Metauri amnis in viginti quinque millia ab Italia septem Aeoliae, appellatae a nostris Vulcaniae, cum diversis nominibus: prima dicitur Lipara, secunda Therasia, tertia Strongyle, in qua Aeolus regnasse fertur et e flamma in proximum prorumpente vel ejus fumo qui ventus flaturus esset intellexisse, quod hodieque ejus loci incolas certum est praesentire; quarta vero insula est Didyme, quinta Ericusa, sexta Phoenicusa, ultima Euonymos.

DE PRIMO SINU EUROPAE.

649 Hic primus Europae sinus Ausonii maris patet nonaginta sex millibus;

SER. FULVIUS. M. F. M. N. PAETINUS A. C-D-X.
NOBILIOR. PRO COS. DE COSSURENSIBUS NAVALEM EGIT.

Grot. — Corruptam lectionem idem in margine notavit: »ac Camarina a Lilybeo in MLXXXVIII censura in 113 Hier.«

Coene] Mela *Senae*. Grot. — Codex Monacensis (A) *Scene*.

Vulcaniae] Ex Ptolemaeo videtur aliqua insularum peculiariter hoc nomine insignita fuisse, quod et in Liparae nomine accidit. Grot.

Therasia] Seneca (nat. quaest. 6, 21): »Therasiam, nostrae aetatis insulam, spectantibus nantis in Aegaeo mari enatam, quis dubitat, quin in lucem spiritus vexerit?« Sed haec Graeciae est; Hieram prope Siciliam, recte inquit Harduinus (ad Plinium 3, 9, 14) »qui Therasiam quoque appellarit, adhuc auctorem quaerimus.« Verisimillimum igitur est, Plinium per errorem nomen quoque commune dedisse duabus insulis, quae originem Vulcanicam communem haberent; confer ipsum alio loco (2, 89): »ante nos et juxta Italiam inter Aeolias insulas, item juxta Cretam emersit e mari duorum millium quingentorum passuum una cum calidis frontibus.«

e flamma] Rectius sic codices Monacenses (A. C) quam *a flamma* in editis. Mox etiam pro *ejus fumo* margo Norimbergensis libri *ex fumo* exhibet, quod tamen recipere dubitavi. Infra autem scripsi *hodieque* pro *hodie quoque* e codicibus Grotiano, Darmstattensi, et Monacensi utroque. De re ipsa vide Strabonem (6, p. 275) et Diodorum Siculum (5, 7), ubi Wesselingius nostrum quoque in testimonium adhibuit.

Ericusa] Ita Strabo et Plinius; Ptolemaeus Ἐρικώδη vocat et Phoenicusam Φοινικώδη: Isidorus vero et *Ericode* et *Ericusam*, et *Phoenicode* et *Phoenicusam* nominat, ni mendosa sint exemplaria. Grot. — Solinus *Ericusam*, *Phoenicusam*, Ἐρικοῦδδαν, Φοινικοῦδδαν, quae aliis Ἐρικώδης et Φοινικώδης. Mirum tamen in omnibus libris constanter haberi *Eriphusam*, et in Martiani scriptis codicibus *Erepusam*. Salmas. (ad Sol. p. 136).

Euonymos] Codices quidem Monacenses (A. C) et Reichenauensis *Donymos*, sed male. Strabo enim (6, p. 276 Cas.) Εὐώνυμον vocatam esse tradit, quia sinistra sit et solitaria.

quique tres sinus habet. Italiae frons incipit, quae Magna Graecia appellata est, ubi amnium et oppidorum copia; ac tunc portus, qui Hannibalis castra dicuntur, ubi latitudo Italiae viginti solis millibus aestimatur.

DE SECUNDO SINU.

Dehinc a Lacinio promontorio secundus incipit sinus Europae magno 650
ambitu flexus, et Acroceranio Epiri terminatus promontorio, a quo abest octoginta quinque millibus oppidum Croto. Ex hinc propter oppida sinusque quamplures in mare Italia plurimum pergens in Hydruntum urbem venit, ubi superum inferumque mare decem et quatuor millibus disparatur, unde in Graeciam brevissimus transitus. Ac dehinc Italia per populos, sinus, urbes, fluvios, montes, barbarosque quamplures ducitur in fines Illyrici, cujus a

Ausonii] Hic quoque omnia confusa. Plinius enim haec habet (3, 10, 15): »Hactenus de primo Europae sinu; a Locris Italiae frons incipit, Magna Graecia appellata, in tres sinus recedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primi; patet LXXXVI M pass.«; noster autem loquitur, quasi totus sinus Ausonium mare appelletur.

dicuntur] Codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C) *dicitur*, quod correctionem olet. De Hannibalis castris vide supra (ad §. 640). Pro *viginti* hic quidem Grotius margini adscripsit *quadraginta*, ut est apud Solinum (2, 25).

abest octoginta] Plinius LXXV. Gnot. — Lacinium scilicet, non oppidum Croto, quod sequitur, siquidem CL stadiis, hoc est paulo minus XIX M. pass. distat a Lacinio Croto, Straboni L. VI, p. 262. Ex qua nostra animadversione Martianum ipsum emendabis. Handuin. (ad Plin. 3, 11, 15).

Croto] Hic docuit Pythagoras, unde Crotonius dictus. Est enim *κροτώνειος* gentile a *κρότων* teste Stephano. Arnobius: »Vos Platoni, vos Crotonio, vos Numenio, vel cui libuerit creditis«; nihil enim mutandum sentio. Conjungit et alibi Arnobius Pythagoram cum Platone, ut lib. II: »Pythagoras numeros scit? Incorporales formas Plato.« Gnot. — Crotonis laudibus plenus est Strabo (6, p. 262 Casaub.). Variantem lectionem *Crotona* margini Grotius adscripsit.

plurimum] Codex Monacensis (C) *primum*, male; Plinium enim (3, 11, 16) noster sequitur, apud quem est: »quo *longissime in mare excurrit* Italia.«

Hydruntum] Lege *Hydruntem*; *Ὕδρους* Ptolemaeo. Alia ab hac Hydrusa. Gnot. — Codex Monacensis (A) *Forontum*, alter (C) et Darmstattensis *Foruntum*, quod et Reichenauensis, sed a correctore praebet. Verum Plinius *Hydruntum* habet, quod igitur servavi, quamvis ipse Plinius paulo inferius *ab Hydrunte* scribat.

decem et quatuor] *Et tres* Plinius. Gnot. — Codex Reichenauensis *et novem*, quam lectionem jam Grotius margini adscripserat.

barbaros] Alpium incolae intelligendi esse vi-

flumine Arsia ad flumen Drinium longitudo pergit octingenta millia, a Drinio ad promontorium Acroceraunium centum septuaginta duo millia. Ora Illyrici habet insulas ultra mille.

DE TERTIO SINU EUROPAE.

631 Tertius autem Europae sinus ab Acroceraunis inchoans montibus Hellesponto terminatur, ac sinus habet decem et novem, provinciasque quamplures. Nam ibi sunt Epirus, Acarnania, Aetolia, Phocis, Locris, Achaja, Messenia, Laconia, Argolis, Megaris, Attica, Boeotia; item ab alio latere alioque mari Phocis, et Locris, Doris, Phthiotis, Thessalia, Magnesia, Macedonia, Thracia, Graecia omnis. Epirus autem incipit Acroceraunis montibus, in qua primi Chaones, a quibus dicta Chaonia; deinde mons Pindus, Dryopes, Molossique Dodonaei Jovis fano inclyto celebrati. A tergo inter ceteros populos Ponto junguntur Maesia ac Maedia. Thraces usque ad Pontum; Rhodopae mox et Haemi videtur excelsitas. Tunc colonia Buthrotum; Ambracius sinus faucibus angustis aequor accipiens, in quo defertur amnis Acheron infernae fabulae errore famosus; post aliquot gentes etiam Actium colonia cum Apollinis templo, ex quo ipsi quoque deo additum cognomentum, civitasque Nicopolitana. Egressos sinu Ambracio in Ionium excipit diversitas

dentur, quos Plinius (3, 20, 24) Italiae descriptioni subjunxit.

Drinium] Haec quoque ex Plinio (l. 3 extr.), unde simul apparet nihili esse quas margini Grotius lectiones variantes adscripsit *DV* pro *octoginta* et *quinque* pro *duo millia*.

Laconia] Vulgo inepte Lycaonia; veram lectionem, quam jam Meursius (miscell. Lacon. II, 16; p. 172) conjectura assecutus erat, in vetustissimo codice C. C. C. exstare testatur Wasse (ad Thucyd. 3, 105; T. II, p. 574 Bip.); adde Salmasium (ad Solin. p. 138).

Maedia] Sic scripsi confusionis vitandae causa; vulgo *Media*. Alii *Maedicam* appellant; confer Cellarium (T. I, p. 1322).

Buthrotum] Sic jam Grotius scribendum vidit pro *Butrorum* in editis, inque antiquissimo codice legi affirmat Wasse (loco modo citato).

Actium] Suetonius (Oct. 18): »urbem *Nicopolim* apud *Actium* condidit, ludosque ibi quinquennales constituit, et ampliato vetere *Apollinis* templo locum castrorum, exornatum navalibus spoliis, Neptuno ac Marti consecravit.« De Apollinc Actio i. e. littorali vide et Strabonem (7, p. 325 Cas.).

populorum, et oblique apud quos inter ceteras urbes oppidum in confinio maris nomine Calydon Diomedis Tydeique progeneratione notissimum. Dehinc influens sinus Aetoliam ac Peloponnesum dividit. Mox in Acarnania Aracynthus; in Aetolia Ozolei, apud quos oppidum Oeanthe, in quo portus Apollinis. Tunc deinde in Phocidis campis oppidum Cirrha, portus Calcon, a quo in septem millibus passuum introrsus oppidum Delphos sub monte Parnasso, clarum oraculis Apollinis; fons ibi Castalius. Deinde in intimo sinu angulus Boeotiae montem Heliconem juxta. Peloponnesum peninsula inter duo maria 652
Aegaeum et Ionium angulosos recessus obducens; in circuitu habens quingenta sexaginta tria millia passuum, et per sinus paene tantundem. Angustiae, unde procedit, Isthmos appellatur. In quinque millibus passuum diversa maria utrinque collidunt, ac latera meatus abradunt. In medio hoc intervallo, quod Isthmon appellavi, colonia est Corinthus, sexagenis ab utroque littore stadiis, a summa arce, quae dicitur Acrocorinthos, utrumque mare prospectans. Ab

et oblique] Inepta lectio, quam certum est ortam esse ex *Aetolique;* in codicibus tamen nihil subsidii inveni.

progeneratione] Ita codices Reichenauensis et Darmstattensis; editi *prognatione.*

Aracynthus] Mons, quem alii, ut Strabo (10, p. 450 f. 460) et Dionysius Periegeta (451) Aetoliae annumerant; noster Plinium (4, 2) et Solinum sequitur. Posteris inprimis memorabilis fuisse videtur propter Virgilii versum (ecl. 2, 24):

»*Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho*«,

quanquam fuerunt, qui eum propter illum locum ad Thebas vel adeo Atticam referrent.

Ozolei] Plinius *Ozolae.* Gnor. — Codices Reichenauensis *Azoeli*, Darmstattensis *Azolei*, margo Norimbergensis libri *Azolti;* Pausanias (10, 8, 5) Ὀζόλαι. Sed major error nostri est, quod ad *Aetolos* retulit, qui *Locrenses* essent (Plin. 4, 4).

Oeanthe] Confer doctos interpretes Thucydidis (3, 101; T. II, p. 370 Bip.), ubi Wasse nostri quoque testimonio utitur, duosque codices mendose *Teanthe* legere narrat.

Calcon] Plinius *Chalaeon*, Ptolemaeus Χαλεὼς, codex Reichenauensis male *Celeon.*

sexaginta tria] Codex Reichenauensis omittit *tria.* Ceterum ut nostrum intelligas, confer Plinium (4, 5): »inter duo maria, Aegaeum et Ionium, platani folio similis, propter angulosos recessus circuitu DLXIII M. pass. colligit, auctore Isidoro; eadem per sinus paene tantundem adjicit.«

abradunt] Haud scio an praestet *arradunt*, quod alios legisse Grotius in margine notavit. Melius utique foret *meatu subradunt*, quod commendat Salmasius (ad Solin. p. 141), sed codicum auctoritatem desidero.

a summa arce] Sic scripsi e codice Reichenauensi et quos Salmasius (ad Solin. p. 141) commemorat; vulgo inepte *a Pisa summa arce.*

Isthmo autem Achajae provinciae nomen incipit, quae ante Aegialos vocabatur, propter urbes in littore per ordinem constitutas. Ibi quamplures sinus, portus, montes, urbes, et populi. Ab ipsius Isthmos angustiis Hellas in-
653 cipit, a nostris Graecia dicta. In ea prima Attice antiquitus Acte vocitata contingit Isthmum sui parte Megaris dicta, in ora autem portus, cui nomen Scironia saxa, viginti sex longitudine, latitudine quinque millibus passuum a Myrtoo recedentibus Athenae atque Atticae. Fontes ibi multi, inter quos Callirhoe praedicatur. Nec Athenis cedunt Boeotiae, in quibus Epicrene, Arethusa, Hippocrene, Aganippe, Gargaphie; post oppida, montes, populique quamplures.

DE THESSALIA.

346 Sequitur Aemonia, cujus a tergo mons Oeta, eaque etiam Thessalia

utrumque mare] Ionium, et Aegaeum. Hinc »bimaris Corinthos« Horatio et Ovidio, Graecis *διθάλαττος, ἀμφιθάλαττος*. Seneca:

»*Gemino Corinthus littore opponens moras*
Cremata flammis maria committet duo.«

Gnor.— Confer Strabonem (8, p. 379 Casaub.).

ab ipsius Isthmos] Lege Isthmou. Gnor. — De confusione nominum Helladis, Graeciae, Achajae, vide Salmasium (ad Solin. p. 142).

Acte] Ex Plinio (4, 11); unde simul apparet nihili esse et quam e codice suo Grotius lectionem enotavit *Megaritana sui parte* et quae in Reichenauensi exstat *partem* pro *parte*. De *Actes* nomine praeter geographos vide Apollodorum (3, 14, 1), Gellium (14, 6), Eusebium (chron. p. 66 et 76 Scalig.), et Epiphanium (cum not. Petavii p. 16).

Athenae atque Atticae] Error exceptione; lege *Athenae Atticae*. Sic Appulejus: »Et secta, licet *Athenis Atticis* confirmata, tamen hic inchoata est.« Et forte non frustra *Atticae* additur si iis credimus, qui alias in Euboea Athenas statuunt, quarum cives *ἀθηνῆται*, non *ἀθηναῖοι* dicantur. Gnor.— De Athenis Atticis abunde Meursius peculiari libello; sed totus locus corruptus et turbatus, cujus ut ratio appareat, ipsa Plinii verba (4, 7, 11), unde imperite et mutile excerptus est, apponi: »In ora autem portus Schoenus. Oppida Sidus, Cremmyon, Scironia saxa VI M. longitudine, Geranea, Megara, Eleusin. Fuere et Oenoa, Probalinthus; nunc sunt ab Isthmo LV M. pass. Piraeus et Phalera portus, quinque M. pass. muro recedentibus Athenis juncti.«

Epicrene] Plinius (4, 12) *Epicrane*, dorica forma; unde corrupta lectio, quam Grotius in margine notavit, *Epigrane;* quam vero ipse in Plinio exstare vult *Epigranea*, ut *Calliopea* pro *Calliope*, supra jam dixi me nescire qua editione usus sit. Ceterum confer Burmannum (in anthol. Lat. II, p. 541).

Gargaphie] Alii *Gargaphiae*. Sic *Θήβη, Θῆ-*

nuncupatur. Ibi natus rex nomine Graecus, a quo Graecia dicta; ibi Hellen, a quo Hellenes appellati. In Thessalia montes notissimi Olympus, Pierius, Ossa, cujus ex adverso Pindus et Othrys Lapitharum sedes, occasum verticibus intuentes; nam Pelios ortum videt. Hi omnes montes theatrali more curvantur, ante quos septuaginta quinque urbes sunt memorandae. Thessaliae vicina Magnesia, cujus fons est Libethris, poëtici haustus nomine celebratus. Longitudo Thessaliae habet millia quadringenta octoginta, latitudo ducenta nonaginta septem.

DE MACEDONIA.

Macedonia postea centum quinquaginta populorum, maximis regibus in- 655
clyta, praesertimque Alexandro, qui Philippo quum natus crederetur, ejus mater Olympias dracone eum conceptum esse memorabat; victor orbis: nam easdem peragrationis et victoriae metas habuit, quas Liber et Hercules. Haec tamen Macedonia populos, qui Edonii dicebantur, totamque Mygdoniam, Pieriam, Emathiamque recepit in nomen. Haec in Thracium limitem terminum ducit; a meridie Epirotis habitatur, a vespera a Dardanis et Illyriis, a septentrione Paphlagonia ac Paeonia. Inter ipsam et Thraciam amnis Strymon

βαι· μυκήνη, μυκῆναι. Gnor.— Gargaphia vallis Hygino (fab. 181), Gargaphie Plinio (4, 7, 21). Alios *Gargane* legere Grotius in margine notavit.

Graecus] Confer Aristotelem (metaph. 4, 28 et meteorol. 1, 14) et Apollodorum (1, 7, 3); sed noster Plinium tantum (4, 14) ante oculos habuit.

nonaginta] Plinius denario parcior. Gnor.— Pro antecedenti quoque *octoginta* alios *nonaginta* legere idem margini adscripsit.

Olympias] Hoc ex Solino (9, 20): »Philippus Magnum procreat, quamlibet Olympias Alexandri mater nobiliorem ei patrem acquirere affectaverit, quum se coitu draconis consatam affirmaret« cet. Adde Plutarchum (in Alexandro p. 665).

victor] Lege *victore*. Gnor.— Non necesse.

Emathiam] Propriae hoc Macedoniae nomen antiquissimum (Gell. 14, 6. Justin. 7, 1), reliqua nomina adjectae. Ceterum omnia haec et ipsa e Solino (9, 1): »Qui Edonii olim populi, quaeque Mygdonia erat terra, aut Pierium solum, vel Emathium, nunc omne uniformi vocabulo Macedonica res est, et partitiones, quae specialiter antea sejugabantur, Macedonum nomini contributae factae sunt corpus unum. Igitur Macedoniam praecingit Thracius limes« cet. Correxi autem vulg. *Aemathiam*.

Paphlagonia] Immo *Pelagonia*, ut et ex Plinio (4, 10, 17) et ex Solino apparet, quibus adde Diodorum (T. X, p. 220 Bip.); sed mutare nolui,

pro limite est, ab Haemi montis vertice defluens. In ea Rhodope, quem Mygdonium asserunt montem, et Athos abscissus a continenti, Xerxe viribus utente Persarum: et Orestidem terram, ab Orestis et Hermionis filio quam vocitari non dubium est. Ibi Phlegra nunc civitas, tunc Gigantum proeliorumque immanium temeritate famosa; quae sola etiam diluvio mundi asseritur non operta, quod utique praestitit montium celsitudo.

DE THRACIA.

656 Sequitur Thracia, cujus incolae bardi appetitum habent maximum mortis; et qui a dextra parte Strymonis degunt Bessi, et Denselatae, Nestusque amnis, qui Pangaeum ambit. Nam Hebrum Odrysiae nives complent, qui inter diversos barbaros fluens etiam Ciconas perluit; quorum confinio Haemus sex

ne ipsum scriptorem corrigerem, praesertim quum apud Plinium quoque corruptam lectionem in codicibus exstare vidissem.

Rhodope] MS. »in ea continentis Rhodope.« Gnot.

Orestidem] Urbs haec alio nomine ἑκατοντοχειρία dicitur. Vide Stephanum h. v. Gnot. — Nihil ibi video nisi fabulam de Orestis filio cum Hermione, unde nomen terra accepisse dicebatur; nec urbs erat *Orestis*, sed regio Macedoniae (Liv. 27, 33. 31, 40). Verum omnia noster ex Solino habet, etiam quae sequuntur de *Phlegra*, quam postea *Pallenen* dictam esse constat (Heyn. ad Apollod. 1, 6, 1).

bardi] Meminit Bardorum Gloss.: »Bardei, Ἰλλυριοὶ δοῦλοι.« Et alibi: »Bardes (l. Bardus) δορύκτητος, ἰλλυριὸς δοῦλος.« Aliosne indicat Lucanus quum ait:

»*Plurima securi fudistis carmina Bardi?*«

Illi (ni fallor) in Galliis. Eosdem innuit Isid. Gloss.: »Bardus carminum conditor.« Gnot. — *Bardi*, si quid omnino, *stupidos* significat; sed vide ne *barbari* potius legendum sit, collato Solini loco, cujus et hic vestigia noster pressit (10, 1): »Non difficulter comprehendent, Thracibus *barbaris* inesse *contemtum vitae* ex quadam naturalis sapientiae disciplina. Concordant omnes ad interitum voluntarium, dum nonnulli eorum putant obeuntium animas reverti, alii non exstingui, sed beatas magis fieri.« De immortalitatis persuasione apud Thraces finitimasque gentes vide Herodotum (4, 94 et 5, 4).

Denselatae] Huic populo mirum quam differentes appellationes, dum alii *Denthelitas*, quidam *Denthelethas*, nonnulli *Densalatas* aut *Denseletas* nominant. Ptolemaeus regionem δανθηλητικὴν appellat. Pro *Nestus* MS. *Mesius*, Ptolemaeus *Nessus*. Gnot. — Codex Reichenauensis et margo libri Norimbergensis corrupte *dens eleusque mesius*. Sed nos Solinum sequimur.

perluit] Confer Oudendorpium (ad Appul. I, p. 401).

millibus passuum cacumen extollens vicinia perflatur austrorum. Cujus item terga diversae gentes tenent, inter quas gentes Sarmatae, Scythae. Dein Pontum Sithonia gens habet, quae gloriam Orphei progeniti vatis perfectione sortita est; nam in Spartio promontorio ille vitam aut sacris, ut ajunt, impendit aut fidibus. Mox regio Maronea ac Tyrida oppidum, in quo equi 657
Diomedei stabulati. Circa eum Abdera, cui constructae Diomedis soror suum nomen adscripsit, quod oppidum Democriti physici ortu potius decoratum. Eandem Thraciam Polydori sepulcro signatam nec poëtae praetereunt. Illic promontorium Ceras chryseon Byzantio oppido celebratum, quod a Dyrrhachio septingentis undecim millibus distat. Eo enim interstitio a se utraque maria recesserunt, id est Adria et Propontis. Illic Hellespontus angustior est, per stadia septem ab Europa Asiam dividit. Hic quoque duae civitates, quarum una, 658
id est Sestos, Europae est, Abydos Asiae. Deinde promontoria contraria Cherronesi,

austrorum] Haec de suo addidit Martianus; sed vide ne scribendum sit *astrorum*.

Spartio] Solinus *Sperchivo;* schedae Palatinae *Spergivo;* in prima editione *Sparchino*, ceterae editiones *Sperchio*. Martianus, qui hinc habet, *Spartio;* scripti ejus codices quos vidimus, ibi habent *Spertio* et *Sperchio*. Sed promontorium hoc nomine in illis locis nullum est. — Quum multa e Pomponio sumserit, et hoc etiam ab illo mutuatus est; sed qua fide videamus. Eadem certe qua et in aliis solitus est. Sic ille scribit: »deinde promontorium *Serrium*, ex quo canentem Orphea secuta narrantur nemora, et Zone.« Ita hodie legitur apud Melam ex emendatione Hermolai; nam ante Hermolaum legebatur: »deinde promontorium *Seripium*«, atque ita hodie scriptum praeferunt quantum est ubique veterum exemplarium; quin tamen recte ab Hermolao ita fuerit emendatum, nemo ausit dubitare. *Serrium* et *Zonen* Plinius etiam junctim et in propinquo ponit. Quomodo apud Pomponium legerit Solinus nescio, sed apparet eum in mendosos codices incidisse — scripta Pomponii exemplaria, quae inspexi, sic locum illum legendum monstrant: »deinde promontorium Serrium, *et quo* canentem Orpheum secuta narrantur etiam nemora, Zone.« Sic non una animadvertenda est hoc loco exerratio Solini; *Sperchium* pro *Serrio* dixit, deinde Serrio tribuit ex male acceptis Pomponii verbis, quod ille de Zone scripsit. Salmas. (ad Solin. p. 139).

Tyrida] In vetustis quidem Plinii codicibus *Tynda*: sed in Ptol. τυρίδα. Gron. — Equidem apud Plinium (4, 11, 18) lego *Tirida*.

Polydori] Priami filii, de quo vide Euripidem in Hecuba. Ceterum Strabo (2, p. 121 Cas.) geographo incumbere contendit memorare et τάφους τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν, quod quidem consilium noster et hic sequitur, et inferius etiam sepulcra Homeri (§. 660), Memnonis (§. 686), Achillis (§. 663), Hannibalis (§. 687 f.) commemorat. *Poëtas* autem hoc loco intellige unum Virgilium (Aen. 3, 22 sequ.).

in quo terminatur Europae sinus tertius et Asiae Aegeum in quo Cynossema dicitur locus Hecubae sepulcro tumulatus. In confinio insula Tenedos, a qua usque in Chium diffusior sinus interjacet; cujus dexterior Antandros, exiguitas insularum denique navigantibus caprae similitudine divulgatur, ab eaque Aegaeum pelagus appellatur; sed in Corcyrae Phalario promontorio effigiem navis scopulus imitatur, in quem Ulyxis navim versam fabulosa
659 confinxit antiquitas. Nam Creta centum urbibus opulenta in ortum occasumque porrigitur, cui nomen suum Hesperidis filia Nympharum pulchra concessit, aut Curetum rex Cretas, a quo Creta primo, mox Curetis nuncupata; deinde propter coeli temperiem Macaronesos est appellata. Haec in longitudinem

Aegeum] Lege *Sigeum* ex Solino, quem hic quoque misere noster mutilavit: »Deinde contraria inter se promontoria, Mastusia Chersonesi, ubi finitur Europae sinus tertius, Sigeum Asiae, in quo tumulus est Cynossema dictus, Hecubae sepulcrum«; ubi videatur Salmasius (p. 167). Pro *Cynossema* codices Monacenses (A. C) et Reichenauensis itidem corrupte praebent *Cimasema*, libri Norimbergensis margo *Cysena*.

Tenedos] Lege *Tenos*. Confer cum Plinio aliisque. Gnot. — Male libri Plinii »inter Tenum et Chium« legunt. *Tenedum* veram esse lectionem Solinus docet, et Martianus, qui in hac parte, qua Solinum expressit, vulgo inemendatissimus circumfertur, et sic ut mendis liberetur legendus est: »in confinio insula Tenedos, a qua usque in Chium diffusior sinus interjacet, cujus a dextera versus Antandron exigua est insula Aex nomine, quae a navigantibus caprae similitudine divulgatur, ab eaque Aegeum pelagus appellatur.« Salmas. (ad Solin. p. 168). Martiani error, quo Antandrum ipsam insulam sibi finxit, ex ambiguitate Solini explicandus est, cujus verba haec sunt (c. 11): »Inter Tenedum et Chium, qua Aegaeus sinus panditur, ab dextera *Antandrum navigantibus* saxum est — hoc enim verius quam insula meruit cognominari — id quoniam visentibus procul caprae simile creditur, quam Graeci *αἴγα* nuncupant, Aegaeus sinus dictus est.« Clarior utique Plinius (4, 11, 18): »Aegaeo mari nomen dedit scopulus inter Tenum et Chium verius quam insula, *Aex* nomine a specie caprae quae ita Graecis appellatur, repente e medio mari exsiliens.« De re adde Strabonem (13, p. 615 Cas.).

exiguitas] Forte »exiguitasque insularum.« Cycladas innuit. Gnot. — Munckerus emendandum censet (ad Hygin. fab. 43, p. 92) »exiguissima.« Operosiorem emendationem Salmasii in nota praecedenti legeris. Nonne autem noster pro adjectivo saepenumero substantivi appositione utitur? Quapropter nihil corrigendum esse arbitratus sum.

antiquitas] Ita codices Monacenses (A. C), Darmstattensis, et Grotianus; perperam in editis *auctoritas*. Solinus (11) neque hoc neque illud, sed tantum *crediderunt* scripsit. Promontorium ipsum Strabo (7, p. 324), Plinius (4, 12, 19), Ptolemaeus, alii *Phalacrum* potius appellant; noster hic quoque Solinum sequitur.

Macaronesus] Ita et Isidorus, et alii omnes: in Plinii tamen codicibus mutile *Macaron* legitur. Gnot. — Confer omnino Meursium (in Creta c. 2).

tenditur millibus ducentis septuaginta; latitudo quinquaginta millia non excedit; circuitus omnis quingentis octoginta octo millibus patet, montibus Idaeo et Dictynnaeo sublimibus. Euboea vero Boeotiae continenti modico atque ita exiguo mari interfluente discernitur, ut plerumque ponte jungatur. Duobus promontoriis, ad Atticam versus Gerasto, et ad Hellespontum Caphareo decoratur. Hujus latitudo ultra secundum milliarium intra quadragesimum contrahitur, longitudo totius Boeotiae ab Attica usque Thessaliam centum quinquaginta millibus numeratur; circumferentia vero trecentis sexaginta quinque millibus explicata. Hujus oppidum Calcida ex adverso Aulis, et Carystos marmoreis fluctibus concolora. In Myrtoo autem mari Cyclades, quarum 660
notiores Delos et Antandros: quae nomina a circulata ordinatione sortitae;

octoginta octo] Monade largior Plinius. Gnot.

Dictynnaeo] Forte *Dicte*. Meminit Ptolemaeus et poëtae. Gnot. — Ad librum Norimbergensem adscriptum legi *Dictimneo*; sed male. Nomen enim Dianae apud Cretenses *Dictynna* erat, quapropter omnino *Dictynnaeo* legendum, ut apud Solinum quoque (11, 6).

Gerasto] Lege *Geraesto*. Mela. Gnot. — Γεράστος quidem Etymologus et Libanius oration. p. 243. Neuter satis emendate. Schol. et Geographi, Suidas, Aristides I, 39, Homerus, Herodotus, Plutarchus Camill. 138, alii, Γεραιστὸν scribunt. Procopius B. G. IV, 629 ἐν Γερεστῷ corrupte. Martianus »*Gerasto* et Caphareo.« At Solinus, quem ibi exscribit, *Geraesto* post Melam et Plinium exhibet. In Martiano non variant tres MSS. neque in Solino Petrensis. Wasse (ad Thucyd. 3, 3).

totius Boeotiae] Euboeae vult, sed imperite Plinium exscripsit, qui sic (4, 12, 21): »sed in longitudinem *universae Boeotiae* ab Attica Thessaliam usque *praetenta* in CL millia passum.«

Calcida] Lege *Chalcida* pro Chalcis. Vide infra. Gnot. — Caryston et Chalcida Mela quoque (2, 7; p. 43 f. Voss.) tanquam *opulentissimas* conjungit.

marmoreis fluctibus] MS. *marmore*. Lege »marmori fluctibus.« Gnot. — Lege: »et Carystos *marmore* fluctibus *concolore*«, quae marmor habet viride et fluctibus concolor. Statius de Carystio marmore:

— — — »*et concolor alto*
Vena mari.«

Salmas. (ad Solin. p. 177) — Magis etiam ad vulgatam accedit Barthii (advers. p. 1498) conjectura: »marmora eis fluctibus concolora«; quapropter in re incerta servare vulgatam quamvis corruptam satius duxi. De Carystio marmore plura dabit Cellarius (T. I, p. 1253); mare autem *marmoris* nomine significari saepius monui (§. 92. 584. 908).

circulata] Mela (2, 7; p. 44 Voss.): »quia in orbem jacent, Cyclades dictae sunt.« Eandem nominis rationem profert Dionysius (perieg. 526). Adde Strabonem (10, p. 474. 485. 488) et Ammianum (22, 7; p. 228 Lindenbrog.). Ceterum plurima noster, dum Plinium (4, 12, 23 et 24) festinanter exscripsit, imperitissime turbavit. Primum, quod *An-*

item Strophades, quarum Naxo Homeri sepulcro veneranda, aliaeque quamplures per septuaginta longitudinem et per ducenta latitudinem ducunt. Inter Cherronesum et Samothracen quaedam loca vasta, nunc Barbarica.

DE QUARTO SINU EUROPAE.

661 Quartus vero et magnus Europae sinus ab Hellesponto incipiens Maeotis ostio terminatur. Nam arctum mare inter Europam et Asiam in angustias septem stadiorum interfluens coarctatur; quas angustias Hellespontum dicunt, ubi Xerxes Persidis rex aggregatis navibus ponteque constructo exercitum duxit. Verum haec angustiora quadam interrivatione per octoginta sex millia distenduntur, ac rursum diffunditur mare latissimum, iterumque contrahitur; sed maris illa diffusio Propontis dicitur, secundaeque angustiae Bosphoros appellantur, quae quingentis passibus patent. Item hac Darius Xerxis pater copias ponte transmisit; cujus ab Hellesponto longitudo ducentis triginta novem
662 millibus invenitur. Deinde Scythicus diffusi maris sinus; in quo medio Maeotis ostio jungitur lacus Cimmerius, Bosphorus idem vocatur: is duobus millibus et quingentis passibus, inter quos Bosphoros, id est Cimmerium et Thracium latus, interpatent millia quingenta. Circuitus vero totius Ponti vicies semel quinquaginta millibus, ut Varro quoque non reticet; quia dicit Europae

tandron inter insulas retulit pro *Andro;* deinde quod *Strophades* dixit, quae *Sporades* appellabantur, quum Strophades longe diversis in partibus sitae sint (Apollodor. 1, 9, 21. Strabo 8, p. 359. Virgil. Aen. 3, 210); porro quod *Naxon*, quae inter Cyclades est, ad Sporades retulit; postremo omnium atrocissimum, quod Homeri sepulcrum ex *Io* insula in *Naxum* transtulit. Scilicet apud Plinium legerat: »Ios *a Naxo* viginti quatuor millia passuum Homeri sepulcro veneranda«, unde simul apparet, unde formam nominis inauditam *Naxo* habuerit, quam tamen injuria mutandam in *Naxos* Grotius censuit. Ceterum de Homeri sepulcro in *Io* insula vide Nitzschium (meletem. de hist. Homeri p. 127).

loca vasta] Post *nunc* codices Monacenses (A. C) et Darmstattensis inserunt *quae*, quod tamen si quem sensum habeat, pro *que* accipiendum erit.

quartus] Haec quoque partim ex Plinio (4, 12, 24) partim ex Solino (12) conscribillata sunt, quorum interpretes de singulis conferas.

vicies semel] Deest *centenis*, ut ex Plinio apparet; sed hujus quoque codices antiqui nonnulli hoc vocabulo carent.

totius longitudinem habere sexagies ter triginta septem millia passusque quingentos. Hister fluvius ortus in Germania de cacumine montis ad novem sexaginta amnes assumens etiam Danubius vocitatur. Dehinc litus Scythicum con- 663
fertum multiplici diversitate Barbarica; nam illic Getae, Daci, Sarmatae, Amaxobii, Troglodytae, Alani, Germaniaeque omnis tractus. Ab Histro ad Oceanum bis decies centum millium passuum est, in latitudine millibus quadringentis usque ad Armeniae solitudines. Nec procul fluvius, lacus, oppidum, sub uno cuncta nomine Borysthenes, propter Achillis insulam ejus sepulcro celebratam. Introrsus degunt Auchetae, apud quos Hypanis nascitur, et Neurae, apud quos Borysthenes; Geloni, Agathyrsi, Anthropophagi, et a tergo eorum Arimaspi; tunc Riphaei montes, et regio caligantibus tenebris inumbrata. Post eosdem montes trans Aquilonem Hyperborei, apud quos 664
mundi axis continua motione torquetur, gens moribus, prolixitate vitae, deorum cultu, aëris clementia, semestri die, fine etiam habitationis humanae praedicanda. Verum Sarmatiae, Scythiae, Tauricae tractus in longitudinem habet millia nongenta octoginta, latitudine septingenta decem. Jam nil in Europa aestimo memorandum; quoniam et Hyperboreos sibi Asia vindicavit.

ad novem] Procul dubio legendum *Abnobae* ex emendatione Salmasii (ad Solin. p. 186), sed codicum auctoritatem requiro. De Abnoba et Tacitus (German. 1) »Danubius molli et clementer edito montis Abnobae jugo effusus« cet. *Sexaginta fluviorum* numerum Ammianus (22, 8; p. 254 Lind.) confirmat.

Achillis insulam] Ἀχιλλείαν vocant. Pomp. L. 2. *Propter* autem hic est *juxta*. Gnor. — Confer Pausaniam (3, 19, 11), Plinium (4, 12, 26), Ammianum (22, 8; p. 333. 341 Gron.), Dionysium (perieg. 545), Euripidem (Androm. 1260; Iph. Taur. 436), Maximum Tyrium (15, 7; T. I, p. 281 Reisk.), Philostratum (heroic. p. 745), quosque laudat Bachmannus (ad Lycophr. 188, p. 55), inprimis autem recentem doctissimi Koehleri de hac insula, quae et *Leuce* et *cursus Achillis* sive *stadium* appellabatur, dissertationem.

Neurae] Alii *Neutri*, lege *Neuri*. In Plinii tamen codicibus *Neurae* invenio.« Gnor. — Retinui antiquarum editionum lectionem; nam apud Grotium haud scio an errore *Neutrae* erat. Quanquam non solum Plinio sed et Dionysio (in perieg. 310) iidem sunt Νευροί, *Neuri*. Mela (2, 1, 90; p. 28 Voss.): »Neuris statum singulis tempus est, quo, si velint, in lupos, iterumque in eos qui fuere mutentur«; ubi vide Vossium (p. 113).

septingenta decem] Plinius DCCXVII. Grotius margini adscripsit: »al. additur *octo*, al. *octoginta*.« Nos cum Plinio dicimus: »ego incertam in hac terrarum parte mensuram arbitror.«

ALIA DIMENSIO EUROPAE A SEPTENTRIONE.

665 Si autem laevorsum post Riphaeos montes redeas per Oceani septentrionalis tractus, te denuo per Germaniae, Galliarumque, et Iberos populos in Gaditanum ostium revocabis. Ariphaei quippe jam in Asia constituti parilem Hyperboreis vitam degunt, cunctis gentibus venerandi, ut ad eos velut ad quoddam asylum confugiant metuentes. Ultra hos Cimmerii et Amazones ad Caspium mare, quod in confinio ortus aestivi Scythicum perrumpit oceanum.
666 Post prolixa terrarum et Hyrcania reperitur. Ceterum in Atlanticum littus Oceani remeantes per Aquitaniam extremam extremaque Europae in Britanniam revertuntur; quae insula jacet inter septentrionem et occasum, longa millibus octingentis, lata trecentis. Circuitus tricies octies viginti quinque millia tenet. In ultimo ejus silva Caledonia, insulaeque quamplures, inter quas Orchades

Oceani septentrionalis] Plinius (4, 13, 27): »Exeundum deinde est, ut extera Europae dicantur transgressisque Riphaeos montes littus Oceani septentrionalis in laeva, donec perveniatur Gades, legendum.«

Ariphaei] Solinus (17): altera *in Asia* gens ad initium orientis aestivi, ubi deficiunt Riphaeorum montium juga, Hyperboreis similes; dicunt *Arimphaeos*. Sacri habentur, attrectarique eos etiam a ferocissimis nationibus nefas habetur.« Reichenauensis quoque codex *Arimphaei*, vulgatam tamen servare malui, quia haud scio an ab ipsis *Riphaeis* montibus addito *a* privativo nomen traxerint.

ortus aestivi] Sic scripsi ex emendatione Salmasii (ad Solin. p. 209), quum in vulgatis corrupte legeretur *ortum est ibi*, quod frustra restituere studuit Grotius corrigendo *ubi*. Et *ortus* quidem in codicibus exstare Salmasius testatur, reliqua mutatio orthographiae tantum est. Ceterum recte monet Salmasius Caspium mare non irrumpere Scythicum oceanum, quod ex Solino noster quoque hausit, sed erumpere e Scythico, laudatque Dionysium (perieg. 17):

»Δεύτερος αὖτ' ὀλίγος μὲν ἀτὰρ προφερέστατος ἄλλων,
Ὅστ' ἀποκυδνάμενος χρονίης ἁλὸς εἰς βορέαο
Καβπίῃ αἰπὺ ῥέεθρον ἀποπροϊηβιθαλάσσῃ.«

Confer in universum Strabonem (11, p. 508 sequ.) de ea opinione, quae Caspium mare cum septentrionali Oceano conjungit, licet Macrobio teste (ad somnium Scip. 2, 9) essent etiam nonnulli, qui ei de Oceano ingressum negarent.

Britannia] Haec et sequentia vel ex Plinio (4, 16, 30) vel Solino (22) hausta, quibuscum confer Dionysium (perieg. 565 sequ.) et Tacitum (Agricola 10).

in ultimo ejus] Codices Reichenauensis et Darmstattensis *in vicinio*; male.

Orchades] Solinus tres tantum Orchades ponit contra omnium scriptorum sententiam, qui licet inter se discrepent, consentiunt tamen in numero

quadraginta paene conjunctae; item Electrides, in quibus electrum gignitur; sed ultima omnium Thyle, in qua solstitiali tempore continuus dies, brumalique nox perennis exigitur, ultra quam navigatione unius diei mare concretum est. Sed infra confinis est Galliae Hispaniaeque, quibus, nisi oceani Atlantici prohiberet irruptio, Africa misceretur. Nam Velonensis Baeticae civitas triginta tribus millibus a Tingi oppido disparatur, quae colonia est Mauritaniae Caesariensis. Hujus auctor oppidi Antaeus dicitur.

DE AFRICA.

Africa vero ac Libya dicta ab Afro Libe, Herculis filio. In confinio 667
est Elissos colonia, in qua regia Antaei luctamenque cum Hercule celebratur, et Hesperidum horti; illic aestuarium flexuosum, quem draconem vigilem

longe majori. Plinius et Martianus quadraginta; Ptolemaeus *περὶ τριάκοντα*, Isidorus viginti tres, quarum duodecim desertae sunt, tredecim coluntur. Salmas. (ad Solin. p. 249) — Pro Orchades codex Darmstattensis exhibet *Orcades*, quae usitatior scriptura est (Tacit. Agric. 10. Eutrop. 7, 8); sed Solini exemplum deserere nolui. Ceterum de illis insulis peculiarem librum scripsit Thormodus Thorfaeus (Hauniae 1697 fol.), quem consulas.

confinis est] Nimirum Britannia, quam Tacitus quoque (Agr. 10) in occidentem Hispaniae obtendi narrat, qua de opinione sane perversa confer Mannertum (T. II, p. 9).

Velonensis] Aliis *Belon* appellatur, ut et Plinio (3, 1) et Solino (24), cujus haec verba sunt: »De Hispania est excursus in Libyam; nam *Belone* progressos, quod Baeticae oppidum est, ultra interjacens fretum trium et triginta millium passuum *Tingi* excipit Mauritaniae, nunc colonia, sed cujus primus auctor Antaeus fuit.« Ceterum Plinius *triginta* tantum millium trajectum statuit.

Antaeus] Hunc et Mela (1, 5) conditorem tradit. Paulo aliter rem narrat Plutarchus (in Sertorio p. 572).

Libya] Quam incerta omnia sint de hujus nominis origine, dissensus prodit scriptorum (Apollodor. 2, 1, 4. Solin. 24. Hygin. fab. 160). Lectionem tamen apud nostrum corruptam esse Solini comparatio ostendit: »quidam tamen Libyam a Libye Epaphi filia, Africam autem ab Afro Libyis Herculis filio potius dictam receperunt.« De *Africae* nomine vide conjecturas in Journal Asiatique (1834 Mars; T. XIII, No. 75, p. 104 sequ.).

Elissos] Plinio *Lixos*, Solino *Lix*; de reliquis cum nostro conveniunt, neque probanda est lectio *regio* pro *regia*, quam Grotius margini adscripsit.

Hesperidum horti] De situ eorum dubios nos reliquerunt scriptores (Hesiod. theog. 215. Diodor. 4, 26. Apollodor. 2, 5, 11. Strabo 2, p. 123. 3, p. 150. 4, p. 183. 7, p. 299. 17, p. 836 et 838 Casaub. Plin. 5, 1 ab in. et 6, 31, 26. Lucret. 5, 33. Virg. Aen. 4, 484. Claudian. laud.

rumor vetustatis allusit; nec longe mons Atlas de gremio cacumen proferens arenarum. Hunc incolae Adirim vocant; is usque in confinia lunaris circuli evectus ultra nubium potestatem, qui ab occasus parte littora prospectat Oceani, nemorosus, fontibus scatens, sed rupibus infecundus; qua vero Africam spectat, opimus omnis; arbores praeterea gignit cupresso similes, odore graves, quae lanam obducunt instar serici pretiosam. Per diem silet, nocte et ignibus micat, tibiis, fistula, cymbalis, tympanisque percrepat, Satyris Aegipanisque
668 bacchantibus. Ultra ipsum ad occasum littus per quadringenta nonaginta sex millia, saltus feris Lybicis occupati; nec plurimum distant septem montes, qui a parilitate cacuminis fratres sunt appellati; sed elephantorum pleni sunt, ac ultra provinciam Tingitanam, cujus longitudo centum septuaginta millium est. Item Siga oppidum e regione Malacam urbem Hispaniae contemplatur. In littore quoque Carcenna, majusque oppidum Caesarea; item Icosium

Stil. 1, 252. Mela 3, 10, 4 et 15; p. 64. 65. Voss. Salmas. ad Solin. p. 372 sequ. Spanhem. ad Callim. p. 669. Musgrav. ad Euripid. Hippol. 742 et Valkenaer. ad eund.).

Adirim] Lege *Dirim*. Idem ex Solino monuit Meursius. Grot. — Sed Solini libri omnes *Addirim* vel *Adderim*. Error est ipsius Solini, qui *Addirim* unica voce in Plinio legit pro *ad Dirim* in his verbis: »mox amnem quem vocant Fut, et ab eo *ad Dyrim* — hoc enim nomen Atlanti esse eorum lingua convenit — ducenta millia passuum.« In exemplaribus Plinii manuscriptis etiam hodieque invenitur exaratum *Abdirim* aut *Addirim*. Straboni Δύρις. Salmas. (ad Solin. p. 305). — Atlantis ipsius descriptionem vide apud Maximum Tyrium (8, 7; p. 141 Reisk.).

nocte et ignibus] Haec ex Hannonis periplo ad Atlantem translata esse videntur, licet illic de Aethiopiae potius ora sermo sit: ἐν δὲ τούτῳ νῆσος ἦν μεγάλη, καὶ ἐν τῇ νήσῳ λίμνη θαλαττώδης, ἐν δὲ ταύτῃ νῆσος ἑτέρα· εἰς ἣν ἀποβάντες ἡμέρας μὲν οὐδὲν ἀφεωρῶμεν ὅτι μὴ ὕλην, νυκτὸς δὲ πυρά τε πολλὰ καιόμενα καὶ φωνὴν αὐλῶν ἠκούομεν, κυμβάλων τε καὶ τυμπάνων πάταγον, καὶ κραυγὴν μυρίαν κ. τ. λ. Propius ad Hannonem accedit Mela (3, 9; p. 65 Voss.); noster Plinium (5, 1) et Solinum (24) potius sequitur.

Aegipanisque] De his fuse egit Vossius (ad Melam p. 46). Choros eorum describit Lucretius (4, 584 sequ.). Vide et nostrum infra (§. 674).

septem montes] Septem fratrum monumenta appellat Strabo (17, p. 827). Noster Solinum sequitur (c. 25).

oppidum] Verbum *est*, quod perperam additur in editis, non agnoscunt codices Monacenses (A. C), Reichenauensis, et Darmstattensis.

Carcenna] Plinius *Cartenna*, sed varianti quoque lectione *Carcenna*. Nostro Grotius ad marginem adscripsit »al. *Carnenna*«, similesque lectiones Wes-

aeque coloniam; item Rusconiae et Ruscurius, Saldae etiam, ceteraeque civitates, atque Igilgili, Tubusuptu, et Rusarus; flumen vero Ampsaga abest a Caesarea trecentis viginti duobus millibus.

DE DUABUS MAURITANIIS.

Utriusque Mauritaniae longitudo decies quadraginta trium millium, la- 669
titudo quadringentorum sexaginta septem. Ab Ampsaga Numidia est nomine celebrata Numidae Nomades dicti, cujus in mediterraneis colonia Cirta, et interius Sicca, atque Bulla regia; in ora vero littoris Hippo regius,

selingius (ad Itin. Ant. p. 14) in MSS. invenit *Carnennae* vel *Carnennea*, sed quod *Cartennae* inde refingit, temere factum arbitror.

Icosium] Sic recte jam Grotius scripserat adiciuntque codices nostri Monacenses (A. C) et Darmstattensis; anteriores *Iocosium*.

coloniam] Forte *colonia*. Gnot. — Pariter et supra *provincia Tingitana* legere malim quam accusativo casu *provinciam Tingitanam*; sed codices nihil variant.

Ruscurius] Rusucurium Plinio, Ptolemaeo Ῥουσκόραι. Gnot.

Tubusuptu] Deest haec civitas Martiano, sed contra MSS. fidem; sic enim illi: »ceteraeque civitates atque *Igilgitubusuptu*« etc. Dederat Capella *Igilgeli*, *Tubusuptu*. Wesseling. (ad Itiner. Ant. p. 52).

Rusarus] Lege *Rusazus*. Ῥουσαζοῦς Ptol. Gnot. — Ita et Plinius (5, 2); in Itinerario Antonini (p. 17 Wesseling.) est *Rusazis*; sed invitis codicibus mutare nolo.

trecentis viginti] Sic etiam Plinii editio princeps; nunc *ducenta* tantum legunt.

decies quadraginta trium] Plinius *octingenta triginta novem*, quo facit id quod alias legitur *decies triginta octo*. Scriptum fuit *d. trec. trig. VIIII.* D valet quingenta: hoc illi fungi *decies* interpretati sunt, quod non semel accidit. Gnot. — Sed in Harduiniana Plinii editione legitur: »decies triginta novem millia.« Alios legere *decies triginta octo* Grotius margini adscripsit.

Numidia] Lege et supple: »ab Ampsaga Numidia est Masinissae nomine celebrata. Numidae Nomades dicti« ect. Confer cum Plinio lib. V. c. 3. Gnot. — Ita legendum. Addit heic Solinus Numidiae incolas »quamdiu errarunt pabulationibus vagabundis Nomadas fuisse dictos«; ut ineptus est, videtur sentire Nomadas dictos, quum pabula vage passimque sequerentur, postea Numidas, quasi Numidae et Nomades diversa sint nomina. — Inductus Plinii his verbis: »Numidae vero Nomades, a permutandis pabulis, mapalia sua, hoc est domus, plaustris circumferentes.« Graecum est Νόμαδες, Latinum ex eo parum detortum Numidae, ut Ἰάποδες Japides; sic δρόμαδες, cameli, dromidae et dromedae dicti. Salmas. (ad Solin. p. 309). — Invitis codicibus nihil mutare ausus sum.

Bulla regia] Ptolemaeus βουλλαρία. Lege βουλλαρηγία. Gnot. — Vide Mannertum (T. X, P. 2, p. 514).

ac Tabraca. Interius Zeugitana regio, quae proprie vocatur Africa, habet haec tria promontoria, Apollinis adversum Sardiniam, Mercurii respectans Siciliam, quae in altum procurrentia duos efficiunt sinus ab Hippone Diarrhyto. Deinde promontorium Apollinis, et in alio sinu Utica Catonis morte memoranda, flumen Bagrada, ac propinqua Carthago, inclita pridem armis, nunc felicitate reverenda; demum Maxula, Carpi, Messua, Clypeaque in promontorio Mercurii; item Curubis, Neapolis.

Tabraca] MS. *Tabracha*, ex Plinio. Gnot. — Vulgo enim *Tabrachia*. Sed Plinius habet *Tabraca* adstipulanturque codices Darmstattensis et Monacensis (C), praetereaque quos Wesselingius (ad Itin. Ant. p. 21) *Tabracca* legere auctor est, quem vide. In Itinerario est *Thabraca*.

quae proprie] Plinius (5, 4, 3): »Zeugitana regio, *et* quae proprie vocetur Africa est.« Mela (1, 4): »Proxima Nilo provincia quam Cyrenas vocant, deinde cui totius regionis vocabulo cognomen inditum est *Africa*; cetera Numidae ac Mauri tenent«, et alio loco (1, 7): »*Africa propria* a Meleagrino promontorio ad aras Philaenorum.« Adde Salmasium (ad Solin. p. 318).

tria promontoria] Eorum primum incertum Martiani an librariorum incuria excedit, *Candidum*; neque enim substituendum esse pro altero Apollinis, quae Grotii sententia esse videtur, apparet ex Plinio, quem Martianus sequitur: »Tria promontoria, Candidum, mox Apollinis adversum Sardiniae, Mercurii adversum Siciliae, in altum procurrentia duos efficiunt sinus, Hipponensem proximum ab oppido quod Hipponem dirutum vocant, Diarrhytum a Graecis dictum propter aquarum irrigua, cui finitimum Theudalis immune oppidum longius a litore; dein promontorium Apollinis, et in altero sinu Utica«; unde simul verisimile fit etiam ante »ab Hippone« excidisse *Hipponensem*. In codicibus nihil subsidii.

Bagrada] Sic scripsi e lectione a Grotio in margine notata pro *Bragada*, quod in editis erat, siquidem illud nomen apud reliquos omnes exstat (Strab. 17, p. 832 Casaub. Polyb. 1, 74. Ptolem. 4, 6 et 6, 4. Ammian. Marcell. 23).

felicitate] Pariter infra (§. 999) *beatam* apellat, ut Appulejus (florid. 4, 20; p. 98 Oudend.) »provinciae magistram venerabilem, Africae Musam coelestem, Camoenam togatorum«, Solinus autem (27, 11) »alterum post urbem Romam terrarum decus«, neque Ausonius (de claris urb. 2) cum Constantinopoli eam comparare recusat. Mela (1, 7): »nunc populi Romani colonia, olim imperii ejus pertinax aemula; jam quidem iterum opulenta, etiam nunc tamen priorum excidio rerum quam ope praesentium clarior.« *Felicis* cognomen in numis etiam gerit (Bandur. num. II, 158. 629. Occus. et Mediob. p. 560. Seguin. num. 43. 146. Spanhem. num. I, p. 556 f. II, p. 443. Confer. et Cuper. de elephant. in Salengrii thes. novo III, p. 166).

Messua] Ptolemaeus *Μίσσουα*. Gnot. — Plinius *Misua*, quam ipsam lectionem Grotius quoque in margine enotavit, sed vulgatam tuentur codices Darmstattensis et Monacensis prior, neque repugnat alter, qui corrupte habet *Carpime sua*.

DE SECUNDO SINU AFRICAE.

Mox alia distinctio: Libyphoenices vocantur, qui Byzacium incolunt, 670
quae regio ducentis quinquaginta millibus passuum circuitur, cujus satio centesimo messis incremento foeneratur. Hic oppida Puppup, Adrumetus, Leptis, Ruspae, Tapsus, Thenae, Macomades, Tacape, Sabrata contingens Syrtim minorem, ad quam Numidae, et Africae ab Ampsaga longitudo sunt millia quingenta octoginta, latitudo ducenta.

DE TERTIO SINU.

Tertius sinus dividitur in geminos duarum Syrtium recessus, vadoso 671
ac reciproco mari; sed minor Syrtis a Carthagine abest trecentis millibus; ad majorem vero per deserta pergitur, quae serpentibus diversis ac feris habitantur. Post haec Garamantes, super hos fuere Psylli. In deflexu civitas

distinctio] Lego et distingno: »Mox alia distinctio: *Libii Phoenices* vocantur« ex Plin. Gnot. — Vulgo enim: »mox alia distinctio *Libyae. Phoenices* vocantur«; sed Plinius (5, 3, 3): »mox Africae ipsius alia distinctio. *Libyphoenices* vocantur qui *Byzacium* incolunt. Ita appellatur regio CCL mill. pass. per circuitum, fertilitatis eximiae, cum centesima fruge agricolis foenus reddente terra«, unde et *Byzacium* restitui, codice Monacensi (C) adstipulante. Confer Salmasium (ad Solin. p. 320 f.), Casaubonum (ad Strabon. p. 56), Barthium (in advers. p. 225), et Drakenborchium (ad Silium p. 461).

Puppup] In reliquis *Putput* habetur. Infra vici cognomine ab Antonino censetur, at Martiano inter oppida recensetur; — quae nomina cum reliquis quum ex Plinii descriptione decerpta sint, ipse *Puppup* adjecit. Surita (ad Itiner. Ant. p. 52 Wess.) — Adde Mannertum (T. X, P. 2, p. 247).

Adrumetus] Plinius *Adrumentum*; Ptolemaeus ἀδρυμῖτος. Gnot. — Sallustius (Jug. 19) »Hadrumetum« et *Leptim*« jungit.

Thenae] *Thaenae*, ita et alii. Ptolemaeus θέαι-ναι θαῖναι. Gnot. — Monacensis unus (A) *Tenaea*, alter (C) *Tenea*, sed nos Plinium sequimur.

Sabrata] Ita Plinius. Ptolemaeus lib. 4 σάβαθρα. Gnot. — Plura dabit Surita (ad Itinerar. Ant. p. 61 Wessel.).

Garamantes] Vide Lucianum (in Dipsad. T. 8, p. 139 Bip.), et quos Elmenhorstius (in Arnob. p. 175) laudat Strabonem, Plinium, Melam, Solinum, nostrumque paulo inferius (§. 674).

Psylli] Monacenses (A. C) *Spylli*, editi *Psyllii*; sed absque dubio Psylli intelligendi (Salmas. ad Solin. p. 186), de quibus Elmenhorstius (ad Arnob. p. 80) multos excitat scriptores, quibus adde Plinium (7, 2, 2), Aelianum (hist. animal. 16, 27 et 28), et Gellium (16, 11).

Oeensis, et Leptis magna. Inde Syrtis major, circuitus sexcentorum viginti
672 quinque millium. Tunc Cyrenaica regio, eadem est Pentapolitana, Ammonis oraculo memorata, quod a Cyrenis abest quadringentis millibus passuum. Urbes maximae ibi quinque, Berenice, Arsinoe, Ptolemaida, Apollonia, ipsaque Cyrene. Berenice autem in extremo Syrtis cornu, ubi Hesperidum horti, fluvius Lethon, Lucus sacer, abest a Lepti trecentis septuaginta quinque millibus; ab ea Arsinoe quadraginta tribus, et deinceps Ptolemais viginti duobus, proculque Catabathmon et Marmarides, et in ora Syrtis Nasamones; deinde Mareotis, Maretonium; inde Apis Aegypti locus, a quo Paraetonium in sexaginta duobus millibus, inde Alexandriam ducenta millia. Totius autem Africae a mari Atlantico longitudo cum inferiore Aegypto tricies quadraginta millia, ab Oceano ad Carthaginem magnam undecies millies; ab ea ad Canopum Nili proximum ostium sexdecies millies octuaginta octo millia.

Oeensis] Sic Plinius (5, 3, 4), cui adstipulatur codex Reichenauensis; vulgo *Oeensis*.

Cyrenaica] Ex Plinio (5, 5, 5): »Cyrenaica eadem Pentapolitana regio illustratur Hammonis oraculo« cet., unde vide ne *est* apud nostrum tollendum vel in *et* mutandum sit. De Ammonis oraculo plura Strabo (1, p. 49. 56; 17, p. 813. 858 Casaub.).

Ptolemaida] Pro Ptolemais. Sic Persida pro Persis, Chalcida pro Chalcis, vide infra Tritonida. Gnot. — Atque supra (§. 31 et 330).

Maretonium] An Parethonium? Gnot. — Turbatum esse aliquid certum est, *Maretonium* enim oppidum non exstat; Martiani tamen ipsius magis quam librariorum culpa esse videtur. *Mareae* et *Apidis* in confinio Libyae mentionem fecit etiam Herodotus (2, 18).

sexaginta duobus] In quibusdam codicibus Plinianis *duodecim*. Nota quinquagenarii addita demtave dissidium facit. Gnot. — Plinius (5, 6, 6): »Mensura a Catabathmo ad Paractonium octoginta sex millia passuum. In eo tractu Apis interest, nobilis religione Aegypti locus. Ab eo Paractonium sexaginta duo millia passuum«, unde *Paractonium* scripsi pro *Parethonium*, quod librariis orthographiae nesciis debetur; Strabo (17, p. 798), *Παραιτώνιον* vel rectius *Παραιτόνιον* (vide Dorvillium ad Chariton. p. 526).

Alexandriam ducenta] Plinius *centum*. Legendum autem hic *Alexandriam* pro *Alexandrina*. Gnot. — *Alexandrina* enim Grotius edidit, anteriores *Alexandria*, omissa videlicet lineola in extrema litera, quae m significaret. Ceterum apud Plinium dudum *ducenta* legitur.

tricies quadraginta] Plinius ex Agrippa tradit LXXXV mill. pass. Gnot. — Corrupta lectio dudum apud Plinium (5, 6, 6) correcta est, cujus haec omnia ita jam leguntur: »Agrippa totius Africae a mari Atlantico cum inferiori Aegypto *tricies centena et quadraginta* mill. pass. longitudinem; Polybius et Eratosthenes diligentissimi existimati ab Oceano ad Carthaginem magnam *undecies centena*

DE INTERIORI AFRICA.

Interior autem Africa ad meridiem versus intervenientibus desertis habet 673
Leucaethiopas, Nigritas, et ceteros monstruosae novitatis, post quos solitudines fugiendae; ad orientem versus fluvius Niger, ejus cujus Nilus naturae est prorsus. Inter solitudines degunt Atlantes, qui neque ulla inter se nomina habent, et Soli imprecantur, quod eos cum messibus semper amburat. Hi nunquam somniare videntur. Troglodytae in specubus manent, vescunturque 674
serpentibus, striduntque potius quam loquuntur. Garamantes vulgo feminis sine matrimonio sociantur. Augilae inferos colunt. Gamphasantes nudi et imbelles externis nunquam miscentur. Blemmyae sine capite sunt, atque os

mill. pass., ab ea Canopicum Nili proximum ostium *quindecies centena et viginti octo* M. pass. fecerunt.« Inde qui volet nostrum emendet; codices nihil variant, nisi quod Darmstattensis *tricies* male omittit.

Canopum] Quinctilianus (1, 5, 54; pag. 93 Spald.): »Cicero *Canopitarum* exercitum dicit, ipsi *Canobon* vocant.« Sed constantem codicum scripturam et hic et postea retinui.

Leucaethiopas] Ita Reichenauensis codex. In editis male *Leucas Aethiopes*. Ptolemaeus etiam Λευκαιθίοπες, Plinius (5, 8, 8) *Leucaethiopes*; Pomponius Mela (1, 4; p. 6 Voss.) *Leucoaethiopes*.

monstruosae] Quae hoc capite monstra narrantur, pariter et Plinius (5, 8, 8) et Mela (1, 8) tradunt, ut Solinum (51) taceam, qui aeque atque noster Plinium tantum exscripsit; sed Plinius ipse sua e Mela habere videtur, cujus auctores ignoramus; apud Herodotum enim (4, 168 seqq.) minima tantum eorum pars legitur.

Soli imprecantur] Haec ut cetera de Atlantibus ex Herodoti fontibus derivata sunt (4, 184), ubi quod nunc legitur Ἀτάραντες, ex Salmasii demum conjectura (ad Solin. p. 291) invectum est; codices enim inveterato mendo habent Ἄτλαντες, unde Melae et Plinii error explicatur, qui in unam gentem conferunt, quae de duabus Herodotus narravit (adde Saalium ad Rhiani Benaei quae supersunt, Bonnae 1831, p. 50). Ceterum eadem sine gentis nomine narrat Strabo (17, p. 822): τῶν δὲ πρὸς τῇ διακεκαυμένῃ τινὲς καὶ ἄθεοι νομίζονται· οἵ γε καὶ τὸν ἥλιον ἐχθαίρειν, καὶ κακῶς λέγειν ἐπειδὰν προσίδωσιν ἀνίσχοντα, ὡς καίοντα καὶ πολεμοῦντα αὐτοῖς: sicut et Silius (2, 60) Cyrenenses »iniquo Sole calentes« appellavit.

Gamphasantes] Restitui anteriorum editionum lectionem, quacum et Mela, Plinius, Solinus conveniunt; apud alios haec gens omnino non commemoratur. Grotius edidit *Camphasantes*, margini apposuit *Campasantes*, quod et codices Monacenses (A. C) habent, Reichenauensis *Capasantes*.

Blemmyae] Sic scripsi ex Mela et Plinio pro *Blemiae*, quod orthographiae tantum mendum erat. Graece enim Βλέμμυες sive Βλεμύαι, quod haud scio an ex verbis βλέπτω et μύω derivandum sit. Dionysius (perieg. 220):

et oculos in pectore gerunt. Satyri hominum nihil habent nisi faciem. Aegipanes quales pinguntur exsistunt. Himantopodes debilitate pedum serpunt potius quam incedunt. Pharusi comites Herculis fuere; post hos finis est Africae.

DE AEGYPTO QUAE EST ASIAE CAPUT.

675 Aegyptus dehinc, hoc est Asiae caput; quae una ab ostio Canopi ad ostium Ponti habet vicies sexies centum quadraginta tria passuum, ab ore autem Ponti ad os Maeotis sexdecies centena septuaginta quinque millia passuum. Verum Aegyptus introrsum ad meridiem tendit, donec a tergo Aethiopes obversentur, cujus inferiorem situm Nilus dextra laevaque divisus amplectitur, ut Aegyptum Nili possis insulam vocitare. Nam ab ambitu circumfluentis amnis etiam Delta literae figuram creditur detinere; sed a principio fissurae
676 ipsius fluvialis ad Canopicum ostium millia centum quadraginta sex. Summa autem ejus pars contermina Aethiopiae oppidorum multas praefecturas habet,

»*Τῶν πάρος αἰθαλέων Βλεμύων ἀνέχουσι κολῶναι.*

Quae fabulose noster tradit, mittimus; *mirabilem* tamen eorum *visum* fuisse Flavius quoque Vopiscus (in Probo 17, p. 638 Obr.) testatur, qui Probum imperatorem eos subegisse captivosque Romam transmissos stupenti populo ostendisse narrat. Confer et Zosimum (1, 71).

Pharusi] Mela *Pharusii*. Gron. — Codex Darmstattensis male *Frausi*. Ceterum conferendus Sallustius (Jugurth. 18): »Sed postquam in Hispania Hercules, sicut Afri putant, interiit, exercitus ejus compositus ex variis gentibus amisso duce brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persae, et Armenii, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere. Hi paulatim per connubia Gaetulos secum miscuere« cet.

Asiae caput] Hoc est *principium*, qua in re Plinium sequitur, cujus haec verba sunt (5, 9, 9): »Adhaeret Asia, quam patere a Canopico ostio ad Ponti ostium Timotheus vicies sexies centena et triginta novem millia passuum tradidit, ab ore autem Ponti ad os Maeotis Eratosthenes sedecies centena et quadraginta quinque millia passuum«, numerorum tantum aliqua diversitate, quae a codicum auctoritate pendet; nostri nihil variant, nisi quod pro *quadraginta tria* Grotius margini adscripsit *triginta octo* apud alios legi. Ceterum Aegyptus utrum Asiae an Africae esset, jam Herodoti (4, 39. 41) ambiguum judicium est; quibus quum plerique Nilum confinium darent (vide ad §. 626), prouti Canopicum vel Pelusioticum ejus ostium spectaretur, anceps inter utramque haerebat (conf. et Herodot. 2, 16 cum nota Bachrii).

Delta] Herodotus (2, 15), Plinius (5, 9, 9), Strabo 15, p. 701. 16, p. 768. 17, p. 788. 801. 818 Casaub.), Ptolemaeus (4, 5), Ammianus (22, 15; p. 364 Gronov.), Mela (1, 9, 16; p. 12 Voss.).

quas Nomos vocant, inter quas Menelaitem Alexandriae regionem, item Libyae Mareotim. Heracleopolis autem insula Nili est, in qua oppida Herculis, Arsinoita et Memphita, quae ad summum Delta perveniunt. Nilus autem ipse incertis ortus fontibus creditur, quum Juba rex eum a monte inferioris Mauritaniae de lacu Nilide oriri significet, quod animalibus iisdem et argumentis feturae parilis approbatur. In omni autem Delta Nili oppida ducenta quinquaginta fuisse Artemidorus attestatur. In littore tamen Aegyptii maris praestantior urbium Alexandria constituta, ab Alexandro Magno condita, a Canopico ostio in duodecim millibus passuum juxta Mareotim lacum, qui complures insulas habet trajectusque quadringentos, cujus tam longitudo quam etiam latitudo centena quinquagena millia passuum tenent. Unde ultra Pelu- 677
siacum ostium Arabia est, ad Rubrum pertinens mare, quod Erythraeum ab Erythra rege Persei et Andromedae filio vocitatum, a colore etiam dictum Rubrum; nam fons est in littore, quem quum greges biberint, in rubrum colorem incipiunt mutare lanas; hujus maris oppidum Arsinoe.

Menelaitem] Sic scripsi codices secutus Darmstattensem, Reichenauensem, et Monacensem (C); vulgo inepte *Menala, item Ala, item Alexandriae.* Reliquos enim quos Plinius enumerat Nomos omisit noster, extrema tantum recepit, quae apud Plinium ita sonant: »Menelaiten Alexandriae regione; item Libyae Mareotis«; latius tamen corrigendo progredi nolui.

oppida Herculis] Vereor ne hic quoque Plinium male intellexerit, cujus haec verba sunt: »Heracleopolites (scil. Nomus) est in insula Nili, longa passuum quinquaginta millia, in qua et *oppidum Herculis* appellatum. Arsinoitae duo sunt; hi et Memphites ad summum Delta perveniunt.«

incertis fontibus] Sic Herodotus (2, 34), Diodorus (1, 32), Claudianus (Idyll. 4, 10):

»*Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem*
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quaerendus ratione latet nec contigit ulli.«

Varias antiquorum opiniones collegit Letronne (Journ. d. Sav. 1831).

Nilide] Sic codices Reichenauensis, Darmstattensis, Monacenses (A. C) pro corrupto in editis nomine *Hilide*, quod ex similitudine literarum H et N natum (palaeogr. crit. III, p. 203); eadem apud Plinium quoque (5, 9, 10) lectionis varietas.

pertinens] Pro *pertingens* in editis praebent codices Monacenses (A. C), Darmstattensis, aliique (Oudend. ad Appul. T. 2, p. 268); Plinius praeterea (5, 11, 12), Solinus (33), et Mela (1, 10).

Persei] Correxi quod in editis erat *Persae*, auctoritate non solum codicum Monacensis (C) et Darmstattensis, sed etiam Solini (33) et Photii (250, c. 3; p. 1323).

rubrum colorem] Eandem fabulam Solinus (33) tradiderat post Ctesiam apud Strabonem (16, p. 765. 770 Casaub.).

DE ARABIA ET SYRIA.

678 Verum Arabia tenditur usque ad odoriferam ac divitem terram, sed juxta est Syria multis distincta nominibus. Nam et Palaestina est, qua contingit Arabiam, et Judaea, et Phoenicia, et quantum interior habetur Damascene, in meridiem vergens Babylonia; ex eadem Mesopotamia inter Euphraten et Tigrin; qua vero transit Taurum montem, Sophene, citra vero etiam Commagene, et ultra Armeniam Adiabene, Assyria ante dicta; et ubi Ciliciam attingit, Antiochia. Longitudo ejus inter Ciliciam et Arabiam quadringentorum septuaginta millium passuum est; latitudo autem a Seleucia ad
679 oppidum Euphratis Zeugma centum septuaginta quinque millium passuum. Ostracine Arabia finitur, a Pelusio sexaginta sex millibus passuum. Apollonia Palaestinae per centum octuaginta octo millia passuum procedens, supra Idu-

divitem terram] Quid sibi velit, ex Plinio (5, 11, 12) apparebit: »Ultra Pelusiacum Arabia est ad Rubrum mare pertinens et odoriferam illam ac divitem et beatae cognomine insulam.« Confer Strabonem (16, p. 778) et Diodorum (3, 46. 47).

qua contingit] Ita codex Grotianus, vulgo *quae*.

Sophene] Quidam codices *Sophone*, male. Lucanus:

— — — »*Et dedita sacris*
Incerti Judaea dei, mollisque Sophene.«

Gnor. — Vide ibi Cortium (ad Phars. 2, 593; p. 286 Weberi).

Zeugma] In editis *Zeuma*, sed contra reliquorum scriptorum ipsiusque originationis auctoritatem, quae a fluvio ponte *juncto*, ἐζευγμένῳ, ducta est. Confer Plutarchum (in Crasso p. 554. 561), Strabonem (14, p. 664; 16, p. 736 Casaub.), Florum (3, 11), et quos laudat Harduinus (ad Plinium 5, 24, 21).

centum septuaginta] Revocavi lectionem a Grotio in margine notatam, ut noster cum Plinio (5, 12, 13) conveniret; vulgo *quingenta viginti*, facili errore DXX pro CLXX.

Ostracine] In Plinii loco interpungendo hallucinatus est Martianus. Sic enim distinxit: »a Pelusio Chabriae castra, Casius mons, delubrum Jovis Casii, tumulus magni Pompeji; Ostracine Arabia finitur a Pelusio LXV millibus passuum.« Quantum ad rem attinet, certe verum est juxta Plinii sententiam, finiri Arabiam Ostracine et ab ea incipere Idumaeam. Dicit Arabiam finiri a Pelusio sexaginta sex millibus passuum, ita enim legendum ex Martiano; mox Idumaeam incipere. Atqui tot sunt millia passuum a Pelusio ad Ostracinen. Itinerarium:

Ostracina Cassium XXVI.
Pentaschoenon XX.
Pelusium XX.

Ergo a Pelusio ad Ostracinen Arabia erat, ab Ostracine Idumaea. Salmas. (ad Solin. p. 569). — Rectè omnia; sed hallucinationem Martiani non video.

octuaginta octo] Plinius *novem*. Gnor. — Sed

macam et Samariam Judaea longe lateque funditur. Pars ejus Syriae juncta Galilaea vocatur, a ceteris ejus partibus Jordane amne discreta, qui fluvius oritur de fonte Paneade. Secunda elatio Judaeae ab Hierosolymis, in quo latere est fons Callirrhoe; ab occidente Esseni, qui sine concubitu et cunctis cupiditatibus vivunt. Hinc aliquanto interius Masada castellum, in quo Judaeae finis est. Jungitur Decapolis, dicta a numero civitatum. Redeuntibus 680
ad oram Phoeniciae colonia Ptolemais; a tergo Libanus et Antilibanus montes, et interjacentibus campis Bargilus item mons sedet. Item Syria desinente inter oppida Phoeniciae Antiochia, quae Oronte amne dividitur; super eam mons nomine Casius, cujus altitudo quarta vigilia Solem per tenebras videt. In Syria fluvius 681
Euphrates nascitur a monte qui vocatur Capotes; ibi quoque Marsyas alius

haec minima difficultas; totus locus misere mutilus. Plinius (5, 14, 15): »Inde Apollonia, Stratonis turris, eadem Caesarea ... finis Palaestines CLXXXIX mill. pass. a confinio Arabiae, deinde Phoenice« etc. Corruptionis culpam quis sustineat, haud facile decernas.

Paneade] Josephus *Pannium* appellat. Aliis *Panneus* dicitur. Cum Capella est Plinius. Gnor.

Callirrhoe] Meminit et Josephus. Gnor.

Esseni] Iidem qui ab aliis *Essaei* appellantur (Plin. 5, 17, 15. Solin. 35. Philo in op. p. 876 et ap. Euseb. in praep. ev. 8, 4. 11. Porphyr. de abstin. 4, 11; p. 333 Rhoer. sequ.).

Masada] Sic et Solinus (35 f.): »Judaeae terminus Massada castellum«, quod tamen recte monet Salmasius (p. 616) ex Plinii verbis (5, 17, 15) non sequi: »inde Masada castellum in rupe et ipsum haud procul Asphaltite; et hactenus Judaea est.«

mons sedet] Forte *mons se edit*. Gnor. — Nihil corrigendum; ita Silius (12, 62): »Campo Nola sedet.«

Casius] MS. et Plinius *Cassius* et ita omnes auctores. Gnor. — Nescio quos dicat, nisi forte Eusebium (praep. evang. 2, 2; p. 60); apud reliquos enim, Herodotum, Strabonem, Plinium, et hujus et cognominis in Aegypti finibus positi montis nomen ita scribitur ut nos exhibuimus. Conferendus inprimis Ammianus Marcellinus (22, 14): »Casium montem adscendit nemorosum et tereti ambitu in sublime porrectum, unde secundis galliciniis videtur primo Solis exortus«, ubi plura Valesius (p. 350 ed. Gronov.); et Solinus (30): »In Seleucia alter Casius mons est, Antiochiae propinquus, cujus e vertice vigilia adhuc quarta conspicitur globus Solis, et brevi corporis circumactu, radiis caliginem dissipantibus, illinc nox, hic dies cernitur; talis e Casio specula est, ut lucem prius videas, quam auspicetur dies.«

Euphrates] De ejus cursu vide Strabonem (2, p. 80 Casaub.), Polybium (9, 35; p. 797 sequ.), Plinium (5, 34), et Pomponium Melam (3, 8). Ceterum delevi inscriptionem, quae in editis erat: »de Euphrate magno fluvio«, quia in transcursu tantum inter cetera hunc quoque Martianus tangit, multaque sequuntur, quae ad eum non pertineant.

Capotes] Ita codices Reichenauensis, Darmstat-

amnis; inter Syriam et Parthiam oppidum Palmyra, moxque Euphrates fluvius, cujus decem dierum navigatione in ipsam Seleuciam Parthorum urbem maximam pervenitur. Sed scissus Euphrates laevorsum in Mesopotamiam vadit et Tigridi infunditur, dextro autem meatu Babyloniam petit, quae Chaldaeae
682 caput est. Sed redeundum ad oram Syriae, cui confinis est Cilicia, in qua oppidum Veneris, et Cypros insula, fluviusque Paradisus. Ciliciae Pamphylia sociatur, cujus ultima Phaselis; dehincque Lycaonia in Asiaticam jurisdictionem versa, quae ab illa parte, qua Galatiae contermina est, habet civitates
683 quatuordecim. Verum Pamphyliae juncta Lycia, a qua incipit mons Taurus, paene mediatenus orbis conscius, quem peragraret, nisi maria restitissent; qui aliquando flexuosus evadit, et in Riphaeorum montium juga sub nominum diversitate protenditur. Nam inter cetera nomina idem Niphates est, Caucasus, et Sarpedon; Portarum etiam nomine censetur, et alibi Armeniae, alibi

tensis, et Monacenses (A. C), atque etiam Plinius (5, 24, 20); vulgo *Capodes.*

Marsyas] Plinius: »a Samosatis autem, latere Syriae, Marsyas amnis influit.« Vide Mannertum (T. VI, P. 1, p. 507).

et Parthiam] Plinius: »Palmyra urbs nobilis situ, divitiis soli et aquis amoenis, vasto ambitu — privata sorte inter duo imperia summa Romanorum Parthorumque — abest a Seleucia Parthorum, quae vocatur ad Tigrin, CCCXXXVIII mill. passuum, a proximo vero Syriae littore CCIII millibus.«

Paradisus] Alii tamen urbem apud Libanum montem esse ajunt, non fluvium, inter quos Plinius. Gnot. — Ne credas. Ille enim (5, 27, 22) Paradisum inter fluvios refert.

mediatenus] Nimis auget Martianus quae dixerat Plinius (5, 27, 27): »mediamque distrahens Asiam, nisi opprimenti terras occurrerent maria.« Pro *conscius* parum aberam quin revocarem, quod in marginem Grotius rejecit, *constitutus*, nisi in mentem veniret Martianum perperam intellexisse quod apud Plinium est »innumerarum gentium *arbiter*.«

nominum diversitate] Vide et Dionysium (perieg. 647):

»Οὐ μὲν ἐπωνυμίαν μίαν ἔλλαχεν, ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ
Οὔνομ' ἔχει τροφάλιγγι· τὰ δ'ἂν κείνοιδι μέλοιτο
Ἄνδρασιν, οἳ κατὰ χῶρον ὁμούριον οἶκον ἔθεντο.«

Niphatem] Vide Servium ad illud Virgilii:

»*Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphatem*«

et Strabonem lib. II. Gnot. — Male Grotius *Nyphatem* et *Niphalem*, quae correxi e Plinio (5, 27, 27) et Virgilio (georg. 3, 30). Monacenses (A. C) *Nifates.*

Portarum] Omisit *Cilicias*, quae proprio nomine *Tauri pylae* vocantur a Cicerone (ad Att. 5, 20). Confer Cellarium (T. II, p. 262).

Caspiae; et idem Hyrcanius, Coraxicus, Scythicus, Ceraunius appellatur. In Lycia alius mons Chimaera, noctibus flagrans. Haec habuit oppida sep- 684
tuaginta; nunc triginta sex sunt. Telmesus oppidum dicitur, quo finitur. Hinc Asiaticum sive Carpathium mare, et quae proprie vocatur Asia, cui ab oriente Phrygia et Lycaonia, a septentrione Paphlagonia est. Hujus longitudo quadringentis septuaginta millibus passuum, latitudo trecentis. Armenia 685
altera ab oriente, a septentrione Pontica. In proximo Caria est, mox Ionia; ultra eam Aeolis, media Doride. In Phrygia Celaene antea, in Apameam commutata; illic Marsyas et natus et occidit et fluvio nomen dedit et cum Apolline decertavit; denique pars ejus Aulocrene vocitatur, unde Maeander amnis exoritur.

DE PHRYGIA PROVINCIA.

Phrygia Troadi imminet, ab aquilone Galatia est, a meridie Lycaonia 686

Hyrcanius] Lege *Hyrcanus*. Gnot. — Plinius nostrum tuetur.

mons Chimaera] Conferendi praeter geographos Isidorus (etym. 14, 3, 46) et Servius ad Virgilii versum (Aen. 6, 288):

— — »*flammisque armata Chimaera*«:

»Revera mons est Lyciae, cujus hodieque ardet cacumen, juxta quod sunt leones; media autem pascua sunt, quae capris abundant; ima vero montis serpentibus plena.« Plura dabit Cellarius (II, p. 117).

Celaene] Lege *Celoene* ex MS. et Plinio. Vide Strabonem lib. XII. Sosibius:

»Οὔθ' οἱ Κελαιναὶ πατρὶς ἀργεία πόλις
Μίδου γέροντος ὅστις ὥτ' ἔχων ὄνου
Ἤναθθε.« — —

Gnot. — Vulgo enim *Celene*; restitui *Celaene*, quae orthographiae tantum mutatio erat. De ipsa urbe confer Livium (38, 13): »Celaenae urbs caput quondam Phrygiae fuit; migratum inde haud procul veteribus Celaenis, novaeque urbi Apameae nomen indifum ab Apamea sorore Seleuci regis. Et Marsyas amnis haud procul a Maeandri fontibus oriens in Maeandrum cadit, famaque ita tenet Celaenis Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse. Maeander ex arce summa Celaenarum ortus media urbe decurrens per Caras primum dein Jonas in sinum maris editur«; et quos laudat Casaubonus (ad Strabonem 12, p. 577). Ceterum Celaenarum nomen postmodo quoque durasse ostendit Dionis Chrysostomi oratio ibidem habita (35, p. 420 sequ. Morell.).

Apameam] Ἀπάμεια Straboni. Gnot. — Male apud Martianum et in anterioribus Solini editionibus scribitur *Apamaea*. Graece est Ἀπάμεια, Latine *Apamia*. Libri Pliniani vocant *Apamiam*. Salmas. (ad Solin. p. 826). — Sic et Ammianus (25 p. 270 Lindenbr.), sed malui *Apameam* scribere, quae orthographiae tantum mutatio erat.

et Pisidiae Mygdoniae confinis est, ab oriente Lyciae, a septentrione Mysiae et Cariae. Dehinc Tmolus croco florens, amnisque Pactolus. Ioniae Miletos caput. Ibi etiam Colophon, oraculo Clarii Apollinis celebrata. Maeoniae principium Sipylus; Smyrna etiam Homero notissima, quam circumfluit Meles fluvius; nam Smyrnaeos campos Hermus intersecat, qui ortus Dorylao Phrygiam Cariamque dispescit. Juxta Ilium sepulcrum Memnonis jacet. Supra Troadem in mediterraneo Teutrania Cayco flumine alluitur. Ibi inter omnes
687 Asiae civitates Pergamum clarius. Nam Bithynia initium Ponti est, et ab ortu Thraciae adversa, a Sagari flumine primos habitatores habet, qui fluvius

Lycaonia] Lege *Lycaoniae*. Gnor. — Recte; sed si totum hunc locum integritati restituere conemur, vereor ne Martianum ipsum potius quam libros ejus corrigamus. Quid quod ipse jam ejus fons corruptus fuisse videtur Solinus (40, 9), cujus verba in MSS. Salmasio teste omnibus sic leguntur: »Ipsa Phrygia Troadi superjecta est, aquilonia parte Galatiae collimitanea, meridiana Lycaoniae, Pisidiae, Mygdoniaeque contermina; eadem ab oriente vicina Lydiae, a septentrione Mysiae, Cariae a parte qua dies medius est«; Salmasii demum conjectura (p. 837) restitutum est: »eidem ab oriente vicina Lydia« cet.; sed jam Martianum illa apud Solinum legisse apparet, quae deinde majoribus etiam erroribus inquinavit, *Lycia* pro *Lydia* substituta, et *Caria* pro *meridie* ad *septentrionem* relata. De *Lydiae* enim finibus sermonem esse et sequentia docent et Plinii (5, 29, 30) comparatio: »Lydia autem Phrygiae ab exortu Solis vicina, ad septentrionem Mysiae, meridiana parte Cariam amplectens — celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis« cet.; quae autem de Phrygia habent Solinus et noster, eorum fons apud Plinium exstat inferius (5, 32, 41): »Phrygia Troadi superjecta — septentrionali sua parte Galatiae contermina, meridiana Lycaoniae, Pisidiae, Mygdoniaeque, ab oriente Cappadociam attingit«, unde facilis suspicio sit, apud Solinum mature aliquid exciděsse.

croco florens] Virgilius:

— — *nonne vides* croceos *ut* Tmolus *odores*,
India mittit ebur, molles sua tura Sabaei.«

Gnor. — Male in editis *loco florens*; sed *croco* praebent codices Monacenses (A. C), Darmstattensis, et Reichenauensis; idem tamen excepto Monacensi altero (C) male *Molus* pro *Tmolus*. De croco vide J. H. Vossium (ad Virg. Georg. 1, 56).

Dorylao] Correxi ex Solino (40, 15); vulgo *Dorilao*; Plinius (5, 29, 31) *Dorylaeum*.

dispescit] Sic codices antiquissimi Leidenses tres (Oudendorp. ad Appul. I, p. 296; II, p. 50) et margo libri Norimbergensis; vulgo *dispartit*, Grotius in margine *dissecat*.

Bithynia] Haec quoque ex Solino (42), quamquam assumta ex Plinio (5, 32, 43) *Gallorum* nominis origination, quam confirmat et Herodianus (1, 11; p. 35 Boecl.).

Sagari] Hic apud auctores nunc *Sagaris*, nunc *Sangarius*, nunc *Sagarius*, nunc *Sangaris* nuncupatur, hodieque *Zagari* appellatur. Ptolemaeus Σάγαρον nominat. Pro Capella est Ovidius:

»*Huc Lycus, huc* Sagaris, *Penelisque Hypanisque Cratesque*

alii fluvio Gallo miscetur, a quo Galli dicuntur ministri matris deûm. Haec et Bebrycia et Mygdonia dicta est; a Bithyno rege Bithynia. In ea civitas Prusias, quam Hylas inundat lacus, quo puer ejusdem nominis dicitur interceptus. Ibi Libyssa locus, Nicomediae proximus, in eo sepulcrum Hannibalis memoratur. Dehinc Ponti ora, post fauces Bosphori et amnem Rhesum 688
Sagarimque sinus Mariandyni, in quo Heraclea civitas, portus Acone, ubi herba veneni aconitum procreatur, specus Acherusius, qui mergitur in profunda telluris. Inde Paphlagonia, ubi a tergo Galatia est; sed hic Henetosa etiam 689
civitas, a cujus civibus in Italia ortos Venetos asserunt. Ibi promontorium Carambis, quod a Ponti ostio abest millibus passuum ducentis viginti, tantundem a Cimmerio. Ibi etiam mons Cytorus, et civitas Eupatoria, quam Mithridates fecerat; sed eo victo Pompejopolis appellata.

DE CAPPADOCIA.

Cappadocia autem introversus recedit, quae laevorsum ambas Armenias 690

Influit, et crebro vortice tortus Halys.« Gnor. — Plinius (6, 1): »*Sagaris* fluvius ex inclutis. Oritur in Phrygia, accipit vastos amnes; idem *Sangarius* a plerisque dictus.« Plura dabit Cellarius (T. II, p. 295).

Ponti ora] Haec ex Plinio (6, 1) et Solino (45). Inserui autem *post* ex margine Grotiana.

Heraclea] De ea vide Memnonis historiarum fragmenta a Photio (cod. 224) servata (ed. J. C. Orellius, Lips. 1816), et H. L. Polsberwii diss. de rebus Heracleae Ponticae (Brandenburg. 1833).

Henetosa] Codex Monacensis (C) *Enetusa*, Darmstattensis *Venetusa*, et ad libri Norimbergensis marginem adscriptum legitur *Henetorum*. Plinius vero (6, 2, 2) ad Paphlagoniam scribit: »quo loco Henetos adjicit Nepos Cornelius, a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos credi postulat.« Solinus (44) »locum Henetum« appellat. De Venetorum origine plures opiniones affert Strabo (5, p. 212. 12, p. 545 f. 552 f. Casaub.); sed adde omnino haec Messalae Corvini (de Aug. progenie 10, p. 540 Bip.) de Antenore: »Is inter ceteros comites, *Enetorum* multitudinem numerosam secum duxerat: qui Paphlagonia orti, patria pulsi, exsules ad Trojam, quae bello tunc laborabat, concesserant. Hi in proxima finitimorum praedia longe lateque diffusi, quia multitudine cuncta compleverant, ex se gentibus nomen dederunt et Venetia regio dicta.«

ducentis viginti] Plinius: »Promontorium Carambis vasto excursu abest a Ponti ostio CCCXXV millibus passuum, vel ut aliis placuit CCCL, tantundem a Cimmerio, aut ut aliqui maluere CCCXII millibus quingentis.«

Cappadocia] E Solino (45) et Plinio (6, 3, 3); adde Salmasium (p. 890) et Strabonem (12 init.).

Commagenemque transcurrit, dextrorsum plurimos Asiae populos ambiens. Ad juga Tauri succrescit in ortu. Praeterit Lycaoniam, Pisidiam, Ciliciam, super tractum Syriae means, Antiochiae partem in Scythiam pertendens. Ab Armenia majore dividitur Euphrate fluvio, quae Armenia inchoat a montibus Pariedris. In Cappadocia multae urbes eximiae, inter quas Melita, quam Semiramis condidit, et Mazaca, quam dicunt urbium matrem; cui Argaeus mons imminet, qui nives verticis albicantis ne aestivis quidem Solibus superfundit. In hac Cappadocia longitudo Asiae undecies centena quadraginta millia.

[DE ASSYRIA].

691 Assyrii Adiabene incipiunt, quos excipit Media in prospectu Caspii maris, quae Caucaseis montibus cingitur; sed Caucasus portas habet, quas Caspias dicunt, cautium praecisiones etiam ferreis trabibus obseratas ad externorum transitum cohibendum, quamvis verno etiam serpentibus occludantur; a quibus ad Pontum ducenta millia passuum esse non dubium est. In Ponto autem

Pariedris] Plinius (6, 9, 9) *Paryadris;* Strabo (11, p. 527; 12, p. 548. 555 Casaub.) *Παρυάδρης*: nostri margini Grotius adscripsit *Panedrysin.*

Mazaca] Ita et Plinius in Cappadocia: *Μαζακὰ* Stephano, unde ait dici *μαζακεὺς* et *μαζακηνὸς*. Suetonius tamen in Nerone »turba Mazacum« dicit. Gnot. — Videatur de hac urbe Vaillant (in num. maximi moduli p. 64). Sextus Rufus (in breviar. 11, p. 219 Bip.): »Semper in auxilia nostra fuere Cappadoces et ita majestatem coluere Romanam, ut in honorem Augusti Caesaris *Mazaca*, civitas Cappadociae maxima, *Caesarea* nuncuparetur.« Adde Eutropium (7, 5 et 6). Plura dabit Cellarius (T. II, p. 342).

Argaeus] Vide Strabonem lib. XII. Gnot. — Operae pretium erit conferre Salmasium (ad Solin. p. 891). Mons ipse in numo apparet (Vaillant. num. max. moduli ad p. 75).

undecies centena] Plinius (6, 8, 8) *duodecies centena quinquaginta.*

Assyrii Adiabene] MS. *Assyrii Adiabene incipiunt*, non male. Sic et supra dixit: »Epiros autem incipit Acroceraunii montibus.« Gnot. — Sed sic in anterioribus editionibus jam legebatur; cur igitur edidit *ab Adiabene*? De Caspiis portis confer Strabonem (1, p. 64 Casaub. 2, p. 78. 79. 89. 91. 92). De Adiabene autem sic Ammianus (23, p. 270 Lindenbr.): »A *διαβαίνειν*, transire, appellatam esse veteres quidem arbitrantur: nos autem dicimus, quod in his terris amnes sunt duo perpetui, quos transivimus, Diavas et Adiavas, juncti navalibus pontibus, ideoque intelligi Adiavenam cognominatam.« Ceterum noster Solinum exscripsit (46 et 47), amplificata tamen ex Plinio (6, 11, 12) portarum descriptione.

sunt insulae Symplegades, mox regio Margiane sola in eo tractu vitifera, inclusa montibus stadiorum mille quingentorum, difficilis aditu propter solitudines arenosas, quae sunt per centum viginti millia passuum. Regionis praedictae amoenitatem Alexander Magnus delegerat, et ibi primo nominis sui condiderat civitatem, quae excisa est, et ab Antiocho Seleuci filio reparata cum nomine patris ejusdem, cujus circuitus habet stadia septuaginta quinque. Inde Oaxis amnis, qui circa Bactram cum ejus nominis oppido fluvioque; 692
ultra Panda oppidum Sogdianorum, ubi Alexander tertiam Alexandriam condidit ad contestandam itineris prolixitatem; quippe emensi ibi a Libero, dehinc ab Hercule, arae sunt constitutae in testimonium laboris immensi. Illam terrarum partem Jaxartes fluvius secat, qui Tanais putabatur, quem Demodamas dux transcendit aliumque esse perdocuit, et ultra Didymaeo Apollini aras exstruxit.

Symplegades] De his insulis vide fabulam apud Apollodorum (1, 9, 22), Ammianum (22, 8; p. 357 Gron.), Strabonem (1, p. 21 Casaub. 3, p. 149) et Euripidem (in Medea 1265). Noster Plinium (6, 12, 13) ante oculos habuit.

Margiane] Editi vulgo *Mattianae*, libri Norimbergensis margo *Martiana*, codices Darmstattensis et Monacensis alter (A) *Martianae*, alter (C) *Marcianae*, unde orthographia tantum emendata restitui cum Salmasio (ad Solin. p. 985) quod apud Plinium et Solinum legitur. Adde Strabonem (2, p. 73 Casaub.).

Antiocho] Plinius (6, 16, 18): »— in qua Alexander Alexandriam condiderat; qua diruta a barbaris, Antiochus Seleuci filius eodem loco restituit Syriam; nam interfluente Margo, qui corrivatur in Zotale, is maluerat illam Antiochiam appellari.« Antiochiam dicunt et alii (Cellar. T. II, p. 827) et Strabo (11, p. 516); Solinus tamen (48), quem noster sequitur, Seleuciam appellatam ait.

Oaxis] Sic Grotianus codex. Editi *Oaxus*; Reichenauensis *Oxis*. Laudat Grotius Plinium et Servium ad illud Virgilii (ecl. 1, 66):

— »*et rapidum Cretae veniemus* Oaxem.«

Sed dubitat Salmasius (ad Solin. p. 984) an idem sit Oaxis cum Oaxo vel Oxo. Strabonem (2. p. 73 Casaub.) et Ptolemaeum (6, 11) sequi si volueris, *Oxum* (Ὦξον) legere debebis.

cum ejus nominis] Sic scripsi e codice Reichenauensi pro vulgata lectione: »circa Bactram *ejus oppidum nominis* fluvioque.« Plinius (6, 16, 18): »Bactri, quorum oppidum Zariaspe, quod postea *Bactrum a flumine* appellatum est.« Solinus (49): »Bactris praeterea est proprius *amnis Bactros*, unde et oppidum quod incolunt *Bactrum*.«

ibi a Libero] Interposui particulam *ibi* auctoritate Reichenauensis codicis; viditque in suo etiam Salmasius (ad Solin. p. 985).

Jaxartes] Grotius ad marginem *Jaxates*, Reichenauensis *Laxates*; sed Plinius (6, 15 f), Solinus (49, 5), et Ammianus (23, 6; p. 411 Gron.), recte *Jaxartes* cum Strabone (11, p. 507 Casaub.).

[DE PERSIDE.]

693 Hic Persicus limes Scythis jungitur; sed Scythico oceano et Caspio mari, qua oceanum Eoum cursus est, profundae in exordio nives, dehincque longa desertio; post quam Anthropophagi excursus invios reddidere, post quos Seres, qui undis adspergunt arbores suas, ut lanugo, quae sericum creat, possit admitti. Hi aliarum gentium homines aspernantur, et appositione mercium sine colloquio gaudent implere contractum. Hinc Attacorus sinus, Hyperboreis beatitate consimilis, quo incolae gratulantur, qui circuitu vallium auras nesciunt pestilentes.

Persicus limes] Ex Solino (49, 6). Inscriptionem *de Perside* inepto loco interpositam uncis inclusi ut supra (§. 691) *de Assyria*.

Scythico oceano] Ex Plinio (6, 17, 20) et Solino (50).

lanugo] Ammianus Marcellinus (23, 6): »Abinde silvae sublucidae, a quibus arborum fetus *aquarum asperginibus crebris* velut quaedam vellera mollientes ex *lanugine* et liquore mistam subtilitatem tenerrimam pectunt nentesque subtemina conficiunt *sericum*.« Adde Herodotum (3, 106), Strabonem (15, p. 694. 713 Casaub.), Melam (3, 7; p. 58 Voss.), Clementem Alexandrinum (paedag. 2, p. 200 Sylb.), poëtasque Virgilium (georg. 2, 121):

»*Velleraque ut foliis depectant tenuia* Seres«

et Claudianum (cons. Prob. et Olybrii 179):

—»*quod molli tondent de stipite* Seres,

»*Frondea lanigerae carpentes vellera silvae*«

aliosque ejusdem locos (in Eutrop. 1, 226; III cons. Honor. extr.), quae denique supra (§. 114) de *bysso* annotata sunt.

appositione] Ita correxi, emendavique etiam interpunctionem. In editis enim locus sic legebatur: »Hi aliarum gentium homines aspernantur, et *appositionem* mercium. Sine colloquio gaudent implere contractum.« Quae quam falsa sint videbis si fontes unde noster hausit comparaveris (Solin. 50 f. Melam 3, 7. Plin. 6, 22, 24. Ammian. 23, 6; p. 413 Gron. Appulej. in flor. p. 21 Oud.).

Attacorus sinus] Vide Plinium. Gnor. — *Attacenum* omnino Solinus scripsit, qui sinum *Attacenum* ab *Attacis* populis putavit dictum, ut *Astacenus* sinus in Ponto apud Plinium ab *Astaco*. Martianus, qui Solini simius est, ut ipse Solinus Plinii, huic cum sequitur: »Hinc *Attacenus* sinus« cet. Ita scribendum e veteri libro, qui habet *Adtegenus*; nam in vulgatis habetur *Attacorus*. Pliniani tamen libri habent: »Chryse sinus, Cyrnaba flumen, Atianos sinus et gens hominum *Attacorum*.« Vereor ne hic more suo hallucinatus sit Solinus et *Attacorum* ab Attacis populis formatum putarit, atque inde ipse Attacenum sinum formarit. Atqui genitivus ille *Attacorum* ab *Attacorae* descendit, non a recto *Attaci*, οἱ Ἀτταχόραι, idque ipse testatur Plinius statim: »ab Attacoris gentes Thuri.« Ergo Graece sunt Ἀτταχόραι, non Ἀττάκοι. Salmas. (ad Solin. p. 989). — Lectionem *Attacenus* Grotius quoque notavit in margine; corrigere tamen nolui, quia ipsius Martiani error esse videtur ex Plinii verbis male intellectis Solini verbis illatus.

DE INDIA.

Dehinc India; nam Ciconas in medio error adstruxit; sed a Mediis 694
montibus inchoat India; nam in Eoum mare a mediterraneo porrecta, salubris Favonii vegetabilibus flabris, secunda aestate annis singulis vegetatur bisque frugem metit; pro hieme Etesias perfert. Quinque millia habuit oppidorum, et mundi pars tertia credebatur. Liber primus ingressus Indiam triumphavit. In ea maximi fluviorum Indus et Ganges; sed ab Scythicis montibus Ganges venit. Et Hypanis ibi amnis immodicus, qui Alexandri Magni iter inclusit, sicut in ejus ripa locatae testantur arae. Latitudo Gangis, ubi diffusior, viginti millia passuum; ubi angustus, octo millia; profundus pedibus centum. Ibi reges gentiumque diversitas, tam exercitibus quam elephantis copiosa. Ultra Palibotram urbem mons Maleus, in quo hieme in septentriones umbrae, in austros aestate cadunt, senis alternatae mensibus. In eo loco per annum quindecim diebus tantum Septentriones apparent. Homines fusciores; nam 695
Pygmaei montibus habitant, et qui confines Oceano sine regibus degunt. Pandeam gentem feminae tenent, cui prior regina Herculis filia. In eo tractu

qui circuitu] An *quia*? Gnov. — Non necesse.

Ciconas] Solinus (52): »Inter hos et Indiam *gnarissimi* Ciconas locaverunt«, prorsus contrarius nostro, nisi hunc *ignarissimi* legisse conjiciamus cum Salmasio (p. 990).

Mediis] Legendum puto *Emodis*. Vide Plinium lib. 6, c. 17; Ptolemaeum lib. 5, c. 14. Gnov. — Quantum ad rem recte, ut confirmant Dionysius (perieg. 1165), Strabo (15, p. 719), alii; sed inveteratum mendum esse Solini (52) codices ostendunt, qui et ipsi *Medis* legunt teste Salmasio (p. 990), qui recte monet ipsi potius Martiano quam librariis hoc peccatum imputandum esse.

octo millia] Supplevi *millia* ex codice Reichenauensi, Plinio et Solino adstipulantibus; in reliquis alieno loco intrusum legitur post *centum*, ubi tamen jam Grotius in margine notavit ab aliis abesse.

mons Maleus] Vide supra (§. 593).

Pygmaei] De eorum cum gruibus pugna fabella antiquissima est (Homer. Il. γ 6) et a recentioribus saepe repetita (Strabo l. 1, p. 35. 37. 43. l. 2, p. 70. l. 7, p. 299. l. 9, p. 390. 17, p. 821 Casaub. Aristot. hist. animal. 8, 12. Oppian. halieut. 1, 623. Plin. 4, 11. 7, 2. 10, 25. Juvenal. 13, 167. Mela 3, 8. al.). Maximus autem scriptorum dissensus deprehenditur de regione, quam inhabitasse Pygmaeos fabulantur (Herodot. 4, 43. Aristot. hist. animal. 8, 15. Ctesias 11. Plin. 5, 29. 6, 19 et 30. Gell. 9, 4 f. Mela 3, 8. Stephan. v. *Ἱππουζα*. Hesych. v. *Νῶβαι*).

etiam Nysam urbem esse Libero patri sacram, montemque Merum Jovi, unde fabula est eum Jovis femine procreatum. Ibi etiam insulas duas auri argentique metallis ac fetura praedicandas, etiam vocabulis approbatur; nam una
696 Chrysea, Argyrea altera nuncupatur. Omnes Indi comarum fuco decorantur, alii caeruleis, alii crocinis fulgoribus tincti, gemmis comuntur. Funerationes negligunt, elephantisque vehi eximium putant; sed in Taprobane insula majores elephanti quam Indici, ampliores etiam margaritae sunt; quae patet in longitudine stadiorum septem millibus, in latitudine quinque millibus. Scinditur fluvio interfluente, atque Indiae praetenta est; in quam septem dierum iter, ut Romanis navibus approbatum. Illic et illud mare absque canalibus profundis senûm passuum altitudine deprimitur. Ibi Septentriones non apparent, Vergiliae nunquam; Lunam ab octava in sedecimam tantum supra terras
697 vident. Ibi sidus clarissimum Canopos; Sol ortivus in laeva conspicitur. In navigando nullum sidus observant, aviumque volatus sequuntur. Quaternis per annos mensibus navigant. Homines ibi corpore grandiores ultra hominum

Jovis femine] Alludit ad vocem μηρός; Capella autem semper *feminis* dicit, non *femoris*, uti supra diximus (§. 244). Conferendus Plinius, qui ait: »Nec non et Nysam urbem plerique Indiae adscribunt, montemque Merum Libero patri sacrum: unde origo fabulae Jovis femine editum.« Et Solinus: »Mons etiam Jovi sacer Meros nomine, in cujus specu nutritum Liberum patrem veteres Indi affirmant: ex cujus vocabuli argumento lascivienti famae creditur Liberum femine procreatum.« Gron. — Vulgo *semine*; sed veram lectionem jam Grotius conjectura assecutus est, quam confirmant codices Darmstattensis, Vossianus, et vetustissimi duo Lugdunenses (Arntzen. misc. p. 172) claris literis exhibentes *femine*. Adde Strabonem (l. 15, p. 687 Cas.), Melam (3, 7), Curtium (8, 10, 12), et qui nostrum vicissim respexit, Mythographum Vaticanum (p. 248 Bode): »quia ut refert in Cosmographia Martianus, est in quadam regione urbs Nysa Libero patri sacra monsque Merus Jovi sacer; unde et ipsum, inquit, fabula est e Jovis femore procreatum.«

elephanti] Dionysius (in περιήγ. 593):

»Μητέρα Ταπροβανην Ἀδιηγενέων ἐλεφαντων.«

Plura vide apud Plinium (6, 22, 24) et Solinum (55).

margaritae] De iis Plinius etiam aliis locis (9, 35, 54; 32, 11, 53).

Lunam] Sic scripsi ex codice Reichenauensi; vulgo *Luna*. Plinius: »Septentriones Vergiliasque apud nos velut novo coelo mirabantur, ne Lunam quidem apud ipsos nisi ab VIII ad XVI supra terram adspici patentes; Canopum lucere noctibus, sidus ingens et clarum.« Cf. et Diodorum (2, 35).

aviumque] Ita codex Monacenses (A): perperam in editis *avium quas vehunt*.

mensuram, rutilis comis, caeruleis oculis, trucioris soni, nullo linguae commercio genti alteri sociantur; cum negotiatoribus aliis in ripa fluminis merces apponunt, ac vix complacitas mutant. Aetas illi ultra humanam fragilitatem prolixa, ut immature pereat, qui centenarius moritur; nulli per diem somnus; annona eodem semper tenore; aedificia humilia parvaque. Vitem nesciunt; redundant pomis. Herculem colunt; regem eum, qui mitior gravior 698
ac sine prole fuerit, eligunt; et si in regno prolem susceperit, removent, hereditarium formidantes imperium; cum quo tamen alii triginta cognoscunt, et si fuerit provocatum septuaginta judices fiunt. Rex Liberi patris cultu componitur, et si peccaverit, interdicto omni usu et colloquio jugulatur. Culturas et venatus amant, verum tigridum aut elephantorum; piscationibus delectantur, praesertim testudinum, quarum superficie domos familiarum capaces operiunt. Dehinc habitant Ichthyophagi, quos Alexander vesci piscibus vetuit; nec longe 699
insula Solis quae dicitur, et Nympharum cubile rubens, in qua omne animal

hominum mensuram] Reichenauensis codex pro *hominum* exhibet *omnium*, solita confusione.

trucioris] Plinius: »oris sono truci, nullo commercio linguae.« Sic legendum, item apud Martianum: »caeruleis oculis, truci oris sono.« Salmas. (ad Solin. p. 1118). — Invitis codicibus nihil muto, nec mutandi causam video, quum Martianus saepe auctorum suorum verba aliorsum flectat.

negotiatoribus] Id est cum Seribus, ut ex Plinio apparet, quorum consuetudinem supra jam §. 695) narraverat. De Taprobanensium commercio in universum vide Heerenii diss. de Ceylone insula per viginti fere secula communi terrarum mariumque australium emporio (Göttingae 1831. 4).

immature] Codex quidem Monacensis (A) *maturae*, alterque (C) et Darmstattensis *mature* exhibent: sed vulgatam retinui, quia Solinus (55), e quo Martianus plerumque sua habet, de *immatura morte* illud tradit. Utrumque defendi posse Salmasius (ad Solin. p. 1118) evicit. Lucretius (5, 222):

— — »*quur anni tempora morbos*
Adportant? qua re maors immatura vagatur?«

De duplici vi vocabuli *mature* vide Gellium (10, 11). Ceterum pro *illi* vel *illis* vel *illic* legendum videtur, nisi ad *gentem* referamus.

in regno] E codice Reichenauensi; Grotius edidit »in *regnum*«. Solinus (55) »dum reguat«, cui adde Plinium (6, 22 f.), unde haec omnia petita sunt.

tigridum] Solinus (c. 55): »Venationibus indulgent, *nec plebejas* agunt praedas, quippe quum tigres aut elephanti tantum requirantur. Maria quoque expiscantur; marinas testudines capere gaudent.« Grotius »tigridum aut elephantorum piscationibus« junxerat.

Ichthyophagi] Confer Arrianum (in Indic. 31, p. 612) et Strabonem (2, p. 96; 15, p. 720 Cas.).

insula Solis] Pomponius post mentionem Tapro-

vi fervoris absumitur. Mox Hypanis Carmaniae fluvius, a quo primum adspici Septentriones incipiunt. Deinde tres insulae, in quibus hydri marini vicenûm sunt cubitorum. In his Rubrum mare littoribus sinu gemino disparatur; verum ortivus Persicus dicitur propter habitationem Persarum, qui sinus vicies et
700 sexaginta millia circuitu patet; ex adverso alter Arabicus vocatur. Carmaniae quoque Persis adjungitur, quae ab insula Aphrodisia inchoat, quae translata est in Parthicum nomen. Littore quo occasui objacet, millium est quingentorum quinquaginta. Oppidum ibi nobile Susa, in quo templum Dianae. Susa juxta Tarbilo sive Babitace in centum triginta millibus, in qua sunt homines, qui aurum in profunda defodiunt, ne cui sit in usu. Parthici vero regni nongenta quadraginta quatuor millia passuum. Verum omnis Media,

banae statim *insulam Solis* commemorat. Martianus quoque in pari peccato deprehenditur. At deus bone! quam longe tum Ichthyophagi, tum insula Solis illa dissident a Taprobane! Salmas. (ad Solin. p. 1179). — Non recte sentiunt, qui hic mendum esse suspicantur, ac cum Salmasio legunt: »cubile Nympharum unius.« Multo minus credendum, Plinium hic tam ridiculum fuisse interpretem, qualem ipse fingit. Nympharum Oceanitidum cubilia sub Sole oriente et in ipsis insulis Solis. Quidni ejusdem sint coloris atque illa Aurorae? Hujus vero cubile quis nescit modo croceum, modo roseum dici a poëtis? Nec cubile tantum, sed et vultus, vestis, thronus, brachia, omnia denique illic rubere dicuntur. Voss. (ad Melam 3, 7; p. 281).

vicies et sexaginta] Solinus (54) habet »vicies et sexagies centena millia passuum«, ad quae Salmasius (p. 1191): »Non ita loquuntur auctores. Aut igitur legendum »vicies et sexies centena millia passuum«, aut, quemadmodum est apud Martianum, »vicies et sexaginta.« Ita ille de sinu Persico: »qui sinus vicies et sexaginta millia circuitu patet.«

Aphrodisia] Lege *Aphrodisias* ex Plinio. Gnor. — Solinus (54) *Aphrodisia* habet; sed mirum quod codices Reichenauensis, Monacenses (A. C), et Darmstattensis pariter omnes *Frondisia* praebent pro *Aphrodisia*.

littore quo] Male pro *quo* in editis legitur *quoque!* Meliorem quam dedimus lectionem codices praebuerunt Monacenses (A. C), Darmstattensis, et Reichenauensis.

Susa] Lege et distingue: »in quo templum Dianae *Susiae;* juxta« cet. Gnor. — Solinus: »a Susis Carbyle sive Barbyte oppidum.« Quo tutius possis credere ita Solinum scripsisse, en tibi Martianum, qui ex hoc loco ita quoque scripsit: »Susa juxta Carbile sive Barbitace in centum triginta millibus.« Sic etiam omnia ejus exemplaria scriptum exhibent, et vidi antiquissima. *Βαρβυτάκη* Stephano *πόλις Περσική*. Salmas. (ad Sol. p. 1194). — Ad haec et quae sequuntur conferendi sunt Strabo (15, p. 727; 16, p. 745 Cas.) et Plinius (6, 27, 31).

centum triginta millibus] Addit Plinius *quinque*. Gnor. — Ita et Solinus (c. 54 f.).

Parthia, et Persida ab oriente flumine Indo, ab occidente Tigri, a septentrione Tauro Caucasio, a meridie Rubro mari terminantur; quae omnes per longitudinem patent ter decies viginti millia passuum, per latitudinem octingenta triginta.

DE BABYLONIA.

Sed Chaldaeae gentis Babylonia caput est, denique Assyria et Mesopo- 701
tamia propter illius claritatem Babylonia vocatur. Urbs ipsa sexaginta millia passuum muris amplectitur, qui ducentis pedibus alti, quinquagenis lati sunt, nisi quid amplius; nam terni digiti singulis mensurae nostrae pedibus applicantur. Haec interluitur Euphrate; ibi Jovis Beli templum, qui inventor fuit disciplinae sideralis. Haec nunc ad solitudinem rediit exhaustae Seleuciae. Item in hunc usum etiam Ctesiphontem tertio ab ea lapide condidere Parthi, ac nunc caput regnorum est. Habitantur etiam abdita Aethiopiae et adusta 702
Troglodytarum et Ichthyophagorum gentibus; sed primi feras cursu praetereunt; alteri nando marinas beluas vincunt. Sunt et Gorgades insulae, obversae promontorio quod vocatur Hesperion ceras; has incoluisse Gorgonas ferunt, in quas a continenti biduo navigatur. Ultra has Hesperidum insulae, quae

octingenta triginta] In latitudine hac dimetienda auctior denario Plinius. Gnot.

ducentis pedibus] Sic et Plinius (6, 26, 30) et Solinus (56); inepta lectio in margine Grotiana *passibus*.

exhaustae Seleuciae] Lege: »exhausta a Seleucia.« Gnot.— Plinius: »exhausta vicinitate Seleuciae«, quod in textum recepissem, si ullus codex addixisset.

Ctesiphontem] In editis *Tesiphontem*. Lege *Ctesiphontem*. Ita omnes auctores, inter quos Strabo et Plinius. Gnot.— Atque ita in libri etiam Norimbergensis margine notatum, unde recepi.

Gorgades] In editis *Gorgones;* sed jam Grotius restituendum esse vidit *Gorgades*, legiturque in omnibus libris scriptis, Monacensibus (A. C), Reichenauensi, et Darmstattensi; neque aliter apud Plinium (6, 31, 34) et Melam (3, 9 f.), qui sicut noster addunt, has habitatas olim fuisse a Gorgonibus (add. Strab. 1, p. 22; 7, p. 299 Casaub.).

Hesperion ceras] Ita Ptolemaeus et Plinius: male MS. *Hesperonaeras*. Gnot.— Salmasius (ad Solin. p. 1296) apud Plinium et Martianum legi vult *Hesperuceras*, ἑσπέρου κέρας, quemadmodum in Hannonis periplo (p. 3 Boecl.), ad quem confer quod Hugius (in progr. de Hannon. peripl. 1808 p. 30) observavit; sed quum eodem redeat ἑσπέριον κέρας, codicum auctoritatem secutus sum.

in intimo admodum mari sunt. Fortunatas autem insulas in laeva Mauritaniae constitutas inter meridiem occasumque non dubium est; quarum prima Ombriona dicitur, secunda Junonia, tertia Theode, quarta Capraria; alia Nivaria, quae aëre nebuloso et concreto est; mox Canaria, canibus immensae magnitudinis plena. Omnes avibus plenae, nemorosae, palmiferae, nuce pinea, mellis copia, amnibus, ac siluris piscibus abundantes.

ITEM BREVIS REPETITIO.

703 Percursus breviter terrarum situs, licet ignobilia quaeque praetervolans immorari non potuerim, tamen ut orbem terrae mariaque admensa cognoscar, mensuram omnem breviter intimabo. A Gaditano freto per longitudinem di-

quae in intimo] E codicibus Monacensibus (A. C), Darmstattensi, et Reichenauensi supplevi quod in editis omissum est *in*.

Fortunatas] Confer Melam (3, 10), Plinium (6, 32, 37), Strabonem (1, p. 3; 3, p. 150 Casaub.), et Apollodorum (3, 10, 1).

Ombriona] Lege *Embion* ex Solino et Plinio, in cujus tamen codicibus quibusdam *Ombrios* legitur. Eadem haec Latina interpretatione *Pluvialia* dicta. Ptolemaeus in enumeratione harum insularum πλουιτάλα, lege πλουιαλία. Gnot. — In Martiani libris, qui sumsit a Solino, legitur: »*Membrion* dicitur.« Verum itaque *Ombrion*. Ptolemaeo πλουβιαλία. Salmas. (ad Solin. p. 1298) — In codicibus quidem Monacensibus (A. C), Darmstattensi, et Reichenauensi legitur *Membriona*, quod jam Grotius margini adscripsit; sed malui vulgatam *Ombriona* retinere, quae propius certe ad Plinii (6, 32, 37) *Ombrion* accedit.

Theode] Etiam haec *Junonia* dicta, ut ex Plinio colligo. Gnot. — Plinius: »Alteram insulam *Junoniam* appellari — ab ea in vicino *eodem nomine* minorem«; Solinus (36, 15): »Tertia huic proximat *eodem nomine*, nuda omnia«, unde ridiculam ac jocularem nostri hallucinationem fluxisse Salmasius (ad Solin. p. 1313) annotat, qui *Teodem nomine* legerit; sed quid si Plinii potius ac Solini codices corrupti sint, Martianus verum servarit? Duas insulas prope se sitas eodem nomine appellatas esse vix credibile.

Capraria] Ptolemaeus Καπρεπρία, lege Καπραρία: ita enim alii omnes. Gnot.

Nivaria] Haec et ἀπρόβιτος dicta videtur ex Ptolemaeo, quasi per nives inaccessa. Gnot.

mensuram omnem] Ex Plinio (6, 38, 33), sed cum numerorum differentiis, in quibus nec ipsi Plinii codices sibi constant. Nostri nihil variant; Grotius tamen margini adscripsit pro *tricies et ter viginti septem millia quingenta* alios legere *tricies et quater triginta septem millia*; deinde pro *centies octies* alios *centies octuagies*; pro *nongenta* bis *nonaginta*; pro *sexagies ter* potius *septuagies ter*; pro *octies viginti quinque* denique *septies viginti quinque*; quae partim magis cum Plinio conveniunt, sed quum ex hoc correcta esse possint, recipere nolui.

recto cursu ad os Maeotis tricies et ter viginti septem millia quingenta passuum. Universus autem circuitus ab eodem exordio per sinus dictos intra Maeotin lacum centum quinquaginta septem, cum ipsa vero Maeotide centies octies bis nongenta. Europae solius mensura octogies bis nongenta quatuor. Africae longitudo tricies septies nongenta quatuor, latitudo in Cyrenaicam ejus partem nongenta et decem; Asiae vero longitudo sexagies ter septingenta quinquaginta, latitudo ab Aethiopico mari ad Alexandriam juxta Nilum sitam per Meroen et Syenem decies octies viginti quinque millia. Exposita est terrae, quam ipsa peragravi, aequorumque mensura; nunc ad artis praecepta, ut jussum est, veniemus.

Dixerat, at Paphie paulo contractior ore 704
Mora intricante laeditur,
Nixaque mox famulis marcentia terga reclinat,
Magis quod lassa pulchrior.
Hic dudum roseas inter resoluta puellas
Voluptas inquit anxia:
Unde haec tam duris immitis rustica membris
Peregit orbis circulum,
Et tantos montes, fluvios, freta, compita currens
Delere venit taedia?
Hanc ego crediderim sentis spinescere membris,
Neque hirta crura vellere;

Paphie] Sic jam Grotius scribendum intellexit; vulgo *Paphiae* inepte.

magis quod] Lege *quo*. Conferendus hic locus cum illo, qui infra est: »ipsaque relabentem lassitudo decuerat.« Grot. — Non magis hac emendatione opus est, quam lectione ad marginem ab eodem adscripta *lapsa* pro *lassa*.

delere] Si Glossarum expositiones sequamur, legendum esset *differre*; exponunt enim *prolongare*. Nisi forte *telare* malis legere, pro eodem, quemadmodum *protelare* dicimus, ἀπὸ τοῦ τηλόθεν vel τηλοῦ. Vide Festum in voce *Telum*. Grot. — Sensus hic esse videtur, Geometriam *taedii delendi causa* tot terras percurrisse.

vellere] Opprobrat Geometriae rusticitatem, ideoque dicit eam hirsuto esse corpore, neque illam membrorum asperitatem deponere. Solebant enim homines delicatiores crura aliaque corporis loca pi-

Namque ita pulverea est agresti et robore fortis,
Jure ut putetur mascula.

705 Quo dicto Jocus ministris Veneris suscitatur ipsique Cythereae, cui de proximo, susurratim decenter arrisit; quam Arcas nutu hilaro et quo eam solitus intueri propter divûm reprehensiones circumspectus inhibuit. Verum Pronuba

losa psilothro perungere pilosque nascentes evellere, quo laeviore⁊ glabrioresque redderentur. Hinc Juvenalis:

»*Nec vellendas jam praebuit alas.*«

Homines ei operae destinati praesertim in balneis *Alipili*, ii quibus fiebat *Alipilarii* dicuntur; circa alas enim pili maxime crescunt. Glossarium: »*Alipilarius ἀρωπακιστὴς*«; Seneca: »Alipilum cogita tenuem, et stridulam vocem quo sit notabilior subinde exprimentem, nec unquam tacentem, nisi quum alas vellit, et alium pro se clamare cogit.« Dicitur autem ἀρωπακιστὴς a ἀρώπαξ, quod est unguentum quoddam picatum, quo ea in re utebantur. Martialis:

»*Laevis dropace tu quotidiano,*
Hirsutis ego cruribus genisque«;

et alibi:

»*Psilothro faciemque lavas et dropace vulvam.*«

Videndus hac de re Suidas in voce *κεκαλλωπισμένος ἀνὴρ*. Apud Graecos id officium feminis magis quam viris datum, ideoque *παρατιλτρίαι* dictae. Saepe invehitur in has delicias cinaedorum Clemens Alexandrinus, ut quum ait: *διὰ τούτους γὰρ πλήρεις αἱ πόλεις πιττούντων* etc. Item: *οἱ ὄφρᾶς καταπίττουσι, καὶ τὰς τρίχας τοῖς ἀναβαπῶσι πάντα τρόπον παρέχουσι*. Et alibi: *κιναίδους ἐνθάδε πόλλους ἐν ἄστει πεπιττοκοπημένους*. De cruribus vellendis, uti hic Capella, ita et Lucianus: *ἦν γὰρ πιττούμενα τὰ σκέλη καὶ τὸ σῶμα ὅλον*. Depilabant vero quidam etiam obscaenas partes. Martialis:

»*Quum depilatos Cluveste coleos portes.*«

Et haec quidem de depilatione dicta sufficiant *ὡς ἐν παρέργῳ*, quibus conjunge ea quae Wouwerius ad Petronium. Gnot. — Adde Juvenalem (8, 16):

»*Tenerum attritus pumice lumbum*«

et contrarium alio loco (9, 15):

»*Fruticante pilo neglecta et squalida crura*«

quaeque praeterea interpretes ad Persium (4, 36) attulerunt.

putetur] Codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacenses (A. C) *credatur*, sed repugnante metro.

mascula] Masculus firmum fortem audentem designat; Ausonius:

»*Mascula Pieriis Sappho soror addita Musis.*«

Bartii. (advers. p. 1391). — Mihi tamen hoc loco Voluptas simpliciter ad sexum respexisse videtur, non pro femina sed pro viro se Geometriam gerere significans.

Jocus] Hunc Veneri comitem jam Horatius addidit (od. 1, 2, 34):

»*Quam Jocus circumvolat et Cupido*«,

quod an alibi reperiatur, Mitscherlichius se nescire ait.

hilaro] Ita noster saepe (§. 726. 804) cum ceteris serioris aevi scriptoribus (Oudend. ad Apulej. I, p. 194); quamvis hoc loco codices Monacenses (A. C) magis usitatum *hilari* exhibeant.

propter assidens: nihil mirum, inquit, si propere Venus cum deliciis famulitioque tam comi appulsa est lascivire; nam et nuptialiter laeta est, et blanda semper arridente Cyllenio. Et cum dicto Geometria praecipitur ad promissa properare; sed ita, ut summa quaeque perstringens fastidium non suscitet tarditate. Tum illa: omnis mea quae in infinitum propagatur assertio, nu- 706
meris lineisque discernitur, quae nunc corporea tuum incorporea comprobantur. Nam unum est, quod animi sola contemplatione conspicimus, aliud, quod etiam oculis intuemur. Verum prior pars, quae numerorum regulis rationibusque concipitur, germanae meae Arithmeticae deputatur; alia est linearis atque apodictica hujus pulveris erudita cognitio, quae quidem ab incorporeis procreata ac sensim in multiplices formas effigiata tenui ac vix intellectuali principio in coelum quoque subvehitur. Quod quidem incorporeum invisibi- 707
leque primordium commune mihi cum Arithmetica reperitur. Nam monas ejusdem insecabilis procreatio numerorum est, mihique signum vocatur, quod

praecipitur] Vide superiorem locum (§. 41). Mox *summa* reposui ex libris scriptis et anterioribus editionibus pro Grotiano *summae*.

tum illa] *Tum* scripsi e codicibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi pro *tunc* in editis.

propagatur] Lectionem a Grotio in marginem rejectam e codicibus Monacensibus (A. C), Reichenauensi, et Darmstattensi restitui pro *peragratur* in editis.

numeris lineisque] Quinctilianus (1, 10, 34 et 35; p. 229 Spald.), postquam »acui geometria ingenia« observarat, pergit: »Nam quum sit geometria divisa in *numeros et formas*, numerorum quidem notitia non oratori modo, sed cuicunque primis saltem literis erudito necessaria est.«

corporea] Haec duo genera Plato quoque distinguit (republ. 7, p. 525): ὡς ϐφόδρα ἄνω ποι ἄγει τὴν ψυχὴν καὶ περὶ αὐτῶν τῶν ἀριθμῶν ἀναγκάζει διαλέγεϑαι, οὐδαμῇ ἀποδεχόμενον ἐάν τις αὐτῇ ὁρατὰ ἢ ἁπτὰ ϐώματα ἔχοντας ἀριθμοὺς προτεινόμενος διαλέγηται κ. τ. λ. Adde Theonem Smyrnaeum (de arithmetica 3, p. 24).

apodictica] Alii libri *optimae*, quod est *optica*, sed male ni fallor. Grot.

signum] Frontinus (in Goesii rei agrar. script. p. 31) hoc ait esse »suae partis initium, a quo omnia incipiant.« Nimirum idem est quod alias *punctum*, Graece σημεῖον, de quo Aristides Quinctilianus (ap. Meib. de re mus. app. p. 32): σημεῖον δὲ καλεῖται, διὰ τὸ ἀμερὲς εἶναι, καϑὸ καὶ οἱ γεωμέτραι τὸ παρὰ ϐφίϐιν ἀμερὲς σημεῖον προσηγόρευσαν. Adde Diogenem Laertium (3, 107), Sextum Empiricum (hypot. Pyrrh. 3, 18; p. 165; adv. mathem. 7, 100; p. 390), Macrobium (ad somn. Scip. 2, 14), inque primis Euclidem, cujus jam Grotius definitionem attulit: σημεῖόν ἐστιν οὗ μέρος οὐδέν.

utpote incomprehensibile parte nulla discernitur, apud illam dyas lineam facit, mihi linea in longitudinem ducta latitudinis nil prorsus acquirit; superficies item mihi tam longe lateque diffusa sine profunditate censetur, illi numerus, qui cunctis accedere speciebus gregatim singulatimque potest, nisi rebus incidat incorporeus invenitur. Ergo incorporea utriusque principia.

DE PLANIS FIGURIS.

708 Verum primae apud me formandorum schematum partes duae sunt: una quae dicitur planaris, quam *ἐπίπεδον* Graece solco memorare, alia solida, quam *στερεὸν* dicimus; et prioris principium *σημεῖον*, quod punctum vel signum Latialiter appellatur, consequentis superficies, quae *ἐπιφανεία* dicitur. Punctum vero est, cujus pars nihil est, quae si duo fuerint, linea interjacente junguntur. Linea vero est, quam *γραμμὴν* vocamus, sine latitu-
709 dine longitudo. Linearum aliae directae sunt, quas *εὐθείας* dico, aliae in gyrum reflexae, quas *κυκλικάς*, nonnullas etiam *ἑλικοειδεῖς*, alias *καμπύλας*

incidat] Ita pro *accidat* in editis omnes libri scripti, Monacenses (A. C), Darmstattensis, et Reichenauensis. Adde Oudendorpium (ad Appulej. I, p. 501). Praeterea paulo ante *singulatim* scripsi pro *sigillatim* (vide ad §. 27). Spectat autem differentiam *τῶν ἀριθμῶν καὶ ἀριθμητῶν*.

incorporea] Ridet haec Lucianus (in Hermot. 74; T. IV, p. 100 Bip.): *κἀκείνη γὰρ τοὺς ἐν ἀρχῇ ἀλλόκοτά τινα αἰτήσαβα αἰτήματα οὐδὲ δυστῆναι δυνάμενα, σημεῖά τινα ἀμερῆ καὶ γραμμὰς ἀπλατεῖς κἀ τὰ τοιαῦτα, ἐπὶ βαθροῖς τοῖς θεμελίοις τούτοις οἰκοδομεῖ τὰ τοιαῦτα κ. τ. λ.* Adde Ciceronem (academ. 2, 36): »Nam quaero ex his illa initia mathematicorum, quibus non concessis digitum progredi non possunt; *punctum* quod magnitudinem nullam habeat; *extremitatem* et quasi libramentum, in quo nulla omnino crassitudo sit; *lineamentum* longitudinem latitudine carentem« cet.

de planis figuris] Hanc solam iinscriptionem servavi, reliquas, ut (§. 709) *de lineis*, mox (§. 710) *de plano angulo*, deinde (§. 714) *de genere schematis secundo*, denique (§. 715) de *ergasticis schematibus*, sustuli, quia non sufficiebant et singula potius quam universa spectabant.

partes duae] Plato (in Menone p. 76): *τί δὲ ἐπίπεδον καλεῖς τι καὶ ἕτερον αὖ στερεὸν, οἷον ταῦτα τὰ ἐν ταῖς γεωμετρίαις; — κατὰ γὰρ παντὸς σχήματος τοῦτο λέγω, εἰς ὃ τὸ στερεὸν περαίνει, τοῦτ' εἶναι σχῆμα· ὅπερ ἂν συλλαβὼν εἴποιμι, στερεοῦ πέρας σχῆμα εἶναι.* Confer Porphyrium (apud Stob. ecl. phys. p. 354 ed. Heeren.): *σχῆμά ἐστιν ἐπιφάνεια καὶ περιγραφὴ καὶ πέρας σώματος.*

pro obliquitate discrimino. Quae tamen lineae punctis utrinquesecus includuntur, sicuti ipsae quoque superficiem circumcingunt. Superficies est, quae longitudinem et latitudinem tantum habet, profunditate deseritur, ut est color in corpore. Hanc ἐπιφανείαν Graeci dixere, et ut dixi ejus termini sunt lineae sive planae sive sinuosae. Planus autem angulus fit in planitie duabus 711
lineis se invicem tangentibus et non unam facientibus ad alterutrum inclinationem. Quando autem aeque intra se tenent angulum lineae et directae fuerint, directilineus dicitur angulus et Graece ἐνθύγραμμος. Quando autem directa super directam jacentem stans dextra laevaque angulos aequales fecerit, directus uterque est angulus, et illa superstans perpendicularis dicitur, sed Graece κάθετος. Angulus major directo obtusus dicitur, minor directo acutus. Definitio est res, quae alicujus est terminus. Forma est res, quae ex aliquo vel aliquibus terminis continetur. Circulus est planaris figura, quae 712
una linea continetur; haec linea περιφέρεια appellatur, ad quam ex una nota intra circulum posita omnes directae ductae lineae aequales sunt. Punctum autem circuli est circuli media nota. Diametros est directa linea quaedam, per punctum supradictum ducta, quae orbem aequalibus partibus dividit. Hemicyclium est figura, quae diametro et peripheria media, quam eadem diametros distinguit, continetur. Lineae tres directae diversa positione faciunt trigonum, quatuor tetragonum, multae polygonum. Et hae planae figurae dicuntur, quarum sunt genera tria. Quorum unum directis lineis clauditur,

color in corpore] Hoc quoque ex Platone explicandum, cujus haec verba sunt (in Menone p. 75): ἔστω γὰρ δὴ τοῦτο ἡμῖν σχῆμα, ὃ μόνον τῶν ὄντων τυγχάνει χρώματι ἀεὶ ἑπόμενον. Adde Aristotelem (metaphys. 4, p. 112, 8; 7, p. 174, 22; 11, p. 243, 26 Brand.).

planus autem angulus] Euclides: ἐπίπεδος δὲ γωνία ἐστὶν ἡ ἐν ἐπιπέδῳ δύο γραμμῶν ἁπτομένων ἀλλήλων καὶ μὴ ἐπ' εὐθείας κειμένων πρὸς ἀλλήλας τῶν γραμμῶν κλίσις. Gnot.

quando] Haec omnia consequenter usque ad hemicyclii definitionem ex Euclide sunt desumta. Gnot.

et Graece] Sic scripsi e codice Darmstattensi pro *ut Graece* quod in editis erat.

definitio] Graece ὅρος, ut *forma* σχῆμα.

genera tria] Haec quoque jam apud Platonem (Parmen. p. 145): καὶ σχήματος δή τινος, ὡς ἔοικε, τοιοῦτον ὂν μετέχοι ἂν τὸ ἕν, ἤτοι εὐθέος, ἢ στρογγύλου, ἢ τινος μικτοῦ ἐξ ἀμφοῖν.

quod Graeci *εὐθύγραμμον* vocant; aliud quod inflexis, quod *καμπυλόγραμμον* dicunt; tertium quod directis simul curvisque lineis aptatur, quod *μικτὸν* dicunt.
712 *Εὐθύγραμμος* igitur et *τρίπλευρος* et *τετράπλευρος* et *πολύπλευρος* dicitur. *Τρίπλευρος* tres habet formas; nam trigonus est aut *ἰσόπλευρος*, quod Latine aequilaterum dicitur, quod tribus paribus lineis lateribusque concurrit; aut *ἰσοσκελής*, quod ex tribus lineis duas aequales habet, quibus quasi cruribus insistit, denique aequicrurium vocitatur; aut *σκαληνός*, quod omnes tres lineas inter se inaequales habet. *Εὐθύγραμμος* item *τετράπλευρος* quinque species habet: primam, quae quatuor aequalibus lineis et directis angulis sustentatur, quod schema tetragonum dicitur; secunda species, quae directiangula est, non aequilatera, et dicitur *ἑτερομήκης*; tertia aequilatera est, non tamen directiangula, et dicitur *ῥόμβος*; item quae ex adverso sibi latere aequalia et contrarios angulos invicem sibi aequales habet, et neque omnia latera invicem sibi aequalia, neque angulos directos, et dicitur *ῥομβοειδής*; item quae nec latera sibi invicem aequalia nec angulos directos, sed acutos et obtusos, et dicitur *ἀμφίπλευρος*. Extra has formas quidquid quadrilaterum est, *τραπέζιον* vocatur. Parallelae sunt directae lineae, quae in eadem planitie constitutae atque productae in infinitum nulla parte in se incidunt. Dictum de tetrapleuris, quorum similitudo polypleura schemata potest docere; in his autem pentagona, hexagona,
713 et cetera euthygrammi generis continentur. Sequitur secundum schematum genus, quod curvis lineis informatur, quod *καμπυλόγραμμον* appellatur, cujus species duae sunt: una, quae integri circuli rationes tenet, nam integer circulus est, quum ad ejus circumferentiam ab uno centro lineae protentae un-
714 dique aequales sibi sunt; alia, quae obducti circuli diversitates ostendit. Ter-

denique aequicrurium] Forte per transpositionem *indeque aequicrurium*. Gnor. — Sed haec ipsa vis particulae *denique* apud serioris aevi scriptores est, ut consecutionem aliquam significet; quam recte explicavit Handius (in Tursellino T. II, p. 273 sequ.).

integer circulus] Postremam vocem inserui e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi.

centro] Sic codex Monacensis (A). Sine sensu editi habent *centrali*.

obducti] Id est *obliquati*, ut in Ciceronis versu (N. D. 2, 43):

tium genus est planorum schematum, quod partim curvis lineis partim directis includitur, ut est semicirculus, cujus ut supra dixi gyrum curva linea facit, et alia directa, quae linea sicut dixi *διάμετρος* dicitur, Latine distermina, quae si in circulo pleno sit, per centrum ejus ad utramque circumferentiam pervenit. In his generibus planorum alia schemata dicuntur ergastica, alia apodictica. Er- 715
gastica sunt, quae faciendae cujuslibet formae praecepta continent; apodictica, quae probandi quod asseverant afferunt documenta. Verum Graecis nominibus sic appellantur: primus *ὑστατικὸς*, secundus *ἰθυματικὸς*, tertius *ἀνάγραφος*, quartus *ἔγγραφος*, quintus *περίγραφος*, sextus *παρεμβολικὸς*, septimus *προσευρετικός*. *Συστατικὸς* est, qui docet quibus argumentis lineas praecidamus ad imperatum modum. *Ἰθυματικὸς* dicitur, quo docetur, quibus argumentis propositae lineae adjungi et scribi possint. *Ἀνάγραφος* dicitur, quo docetur, quomodo concludendum sit reliquum schema, quod imperatum est. *Ἔγγραφος* est, qui monstrat, quibus argumentis dato circulo verbi gratia imperatum trigonum vel quid aliud in medio possimus convenienter adscribere. *Περίγραφος* tropus est, qui docet, quemadmodum datum circulum verbi gratia quadrato concludamus schemate. *Παρεμβολικὸς* est, qui docet quemadmodum verbi

»*Sub laeva Geminorum* obductus *parte ferutur*«, ubi male nonnulli conjecere *abductus*.

quae linea] Expunxi vocem *est*, quae perperam inserta erat in editis, auctoritate codicum Monacensium (A. C), Darmstattensis, et Reichenauensis.

distermina] Hoc vocabulo quis praeter Martianum sic usus sit ignoro; quod enim apud Silium legitur (5, 399):

»*Audit Tartessos latis* distermina *terris*«,

longe alius generis est.

Ὑστατικὸς] Lege et transpone: »*Συστατικὸς* dicitur, quo docetur quibus argumentis propositae lineae adjungi et scribi (malim *adscribi*) possint. *Τμηματικὸς* est, qui docet, quibus argumentis lineas praecidamus ad imperatum modum.«, Similem errorem Graecae vocis transpositae supra in Rhetorica ostendimus. Gnor. — Monacensis codex (C) pro *ὑστατικὸς* praebet *διστατικὸς*, unde rectam lectionem reposui; reliqua quamvis vere a Grotio emendata esse videantur, invitis codicibus mutare nolui.

ἔγγραφος] Vide Eucl. idem lib. 1 *περὶ τοῦ ἐγγράφεσθαι καὶ περιγράφεσθαι*. Gnor.

dato circulo] Hoc quoque haud scio an ex Platonis Menone (p. 87) petitum sit, ubi haec ipsa quaestio proponitur, *εἰ οἷόν τε ἐς τόνδε τὸν κύκλον τόδε τὸ χωρίον τρίγωνον ἐνταθῆναι*; quo de loco praeter multos alios egit Wexius (de loco mathematico in Platonis Menone, Halae 1825, et in Jahnii Annal. philol. 1830, T. XII, p. 190 seqq.).

gratia dato tetragono immittamus datum trigonum, ut tetragoni spatia crescant, non schema mutetur. *Προσευρετικὸς* tropus est, qui docet, quemadmodum verbi gratia inter datas impares lineas inveniamus mediam, quae tantum cedat majori lineae quantum praecedit minorem. Hi sunt tropi generales ergasticorum
716 schematum. Apodictici autem tropi ideo transeuntur, quum mihi cum Dialectica, quam audistis, communes sint. Sed omnia schemata quinque partibus communibus intexuntur, quae a Graecis sic appellantur: prima *πρόθεσις*, secunda *διορισμὸς*, tertia *κατασκευή*, quarta *ἀπόδειξις*, quinta *συμπέρασμα*. Latine etiam sic possumus interpretari: prima schematis propositum, secunda determinatio quaestionis, tertia dispositio argumentorum, quarta demonstratio comprobatioque sententiae, postrema confinis conclusio. Hoc de generibus planorum dictum sit; nunc ad theorematum membra redeamus. Nam utique
717 membra sunt linea et angulus. Angulorum natura triplex est; nam aut justus est aut angustus aut latus. Justus est, qui directus et semper idem; angustus autem acutus est et semper mobilis; latus vero obtusus mobilisque similiter; nam quum latior fuerit directo sive multum sive exiguum, obtusus tamen erit, et quum moveris in eadem forma permanebit, quae mobilitas in lineis constat, quum majores minoresque formantur. Hujus autem collationis quatuor sunt species: prima dicitur *ἰσότης*, secunda *ὁμόλογος*, tertia *ἀνάλογος*, quarta *ἄλογος*. *Ἰσότης* est, quum collata consentiunt; *ὁμόλογος*, quum duae lineae

lineas] Codex Monacensis (C) *lineam*, quod eodem redit (conf. Lobeck. ad Soph. Ajac. p. 261). Ceterum haec est quam Graeci dicunt *μέσης* vel *δυοῖν μέσοιν ἀνάλογον λῆψιν* (Diog. L. 3, 75. Plut. daem. Socr. 7).

apodictici] Confer Quinctilianum (1, 10, 38; pag. 230): »probationum quae sunt potentissimae *γραμμικαὶ ἀποδείξεις* vulgo dicuntur.«

quinque] Pro *quoque* in editis exhibent codices Monacensis (C), Darmstattensis, et Reichenauensis. Ceterum confer partes orationes (§. 544).

confinis] Supplevi e codice Monacensi (C), quod vulgo aberat, licet insolito significatu usurpatum.

nunc ad theorematum] Omissum in editis *nunc* inserui e codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi.

angulus] Codex Darmstattensis *anguli*, praeter necessitatem.

moveris] Ita anteriores editiones codicesque; Grotius nescio unde *moverit*. Paulo post Monacensis (C) *quia* pro *quae*, et *minoresve* pro *minoresque*, sed nolui vulgatam deserere.

ἰσότης] Vide Euclidem lib. V et VI. Gnor.

pares uni mediae duplo parilive conferuntur; *ἀνάλογος*, quum linea ab alia duplo victa aliam tantundem superat; *ἄλογος* vero est, quae neque aequalitate vel media tertiave parte neque duplo triplove alteri ullave parte consentit. Omnis autem linea aut *ῥητὴ* dicitur aut *ἄλογος*; *ῥητὴ* autem illa est, quae prior 718
proponitur, aut quae propositae lineae communi mensura confertur; *ῥητὸν* autem dicitur quidquid convenit. Proposita autem linea, quamvis collata non sit, tamen quia adhuc non est *ἄλογος* alii collata, et habet quiddam, quod ex se sola perficiat rationabiliter, appellatur *ῥητὴ*; *ἄλογος* autem jam collata linea efficitur, si dissonare per omnia reperitur. Lineas autem quae sibi consentiunt *συμμέτρους* 719
dicimus, quae non consentiunt, *ἀσυμμέτρους*; et non mensura sola, sed et potentia *συμμέτρους* facit, et dicuntur *δυνάμει σύμμετροι*; in mensura autem pares *μεσοσύμμετροι* appellatur. Ergo quum tam mensura quam potentia conferantur, omnes quae vel potentia vel mensura discrepant *ἀσύμμετροι* sunt. Ex his alogae tredecim fiunt, quarum prima dicitur *μέση ἄλογος*; secunda 720
ἐκ δύο μέσων ἄλογος, hujus species sunt sex, quarum prima dicitur *πρώτη ἄλογος*, secunda similiter *δευτέρα*, item *τρίτη* et ceterae deinceps; item tertium genus dicitur *ἐκ δύο μέσων πρώτη ἄλογος*, et similiter ut supra; quartum *ἐκ δύο μέσων δευτέρα ἄλογος*; quintum genus dicitur *μείζων ἄλογος*; sextum *ἐκ δύο μέσων δυναμένη ἄλογος*; septimus *διὰ μέσα δυναμένη ἄλογος*; octavum *ἀποτομὴ ἄλογος*, hujus species sunt sex, prima, secunda, tertia, et deinceps dicuntur

superat] Sic codices Monacenses (A. C) pro *superet* in editis.

συμμέτρους] Vide Eucl. lib. X. Gnor.

alogae tredecim] Totidem enumerat Euclides (10, 111; p. 191 ed. Basil.), sed ut nostrum appareat vel sua vel librariorum culpa insigniter corruptum esse; prima enim illi *μέση*, secunda *ἐκ δύο ὀνομάτων*, tertia *ἐκ δύο μέσων πρώτη*, quarta *ἐκ δύο μέσων δευτέρα*, quinta *μείζων*, sexta *ῥητὸν καὶ μέσον δυναμένη*, septima *δύο μέσα δυναμένη*, octava *ἀποτομὴ*, nona *μέση ἀποτομὴ πρώτη*, decima *μέση ἀποτομὴ δευτέρα*, undecima *ἐλάττων*, duodecima *μετὰ ῥητοῦ μέσον τὸ ὅλον ποιοῦσα*, decima tertia *μετὰ μέσου μέσον τὸ ὅλον ποιοῦσα*: unde qui volet nostrum corrigat; nos codices sequimur.

μείζων ἄλογος] Sic scripsi e codicibus Monacensibus (A. C), qui *μιζον* praebent; vulgo *μικτή*. Sequentibus Grotius in margine adscripsit: »al. additur *ῥητὸν* et *ἄλογον* scribitur«, unde tamen nihil proficimus.

διὰ μέσα] Omissa haec verba sunt in codice

ut supra; nona *μέση ἀποτομὴ πρώτη ἄλογος*; decima *ἀποτομὴ δευτέρα ἄλογος*; undecim *ἐκ μέσων ἄλογος*; duodecima *μετὰ ῥητοῦ μέσων τὸ ὅλον ποιοῦσα ἄλογος*; décima tertia *μετὰ μέσων ὅλον ποιοῦσα ἄλογος*. Hae omnes mixtae ceteris lineis dum aut trahunt suas aut alienas vires accipiunt, diversis rationibus certos spatiorum modos, quos Graeci *χώρας* appellant, demonstrant.

DE SOLIDIS FIGURIS.

721 Haec de planis dixisse sufficiat, nunc de solidis, quae *στερεὰ* dicimus, videamus. *Στερεὸν* schema, quod longitudine, latitudine, altitudine constat, cujus extremum superficies est, ut in planis linea. Subsistit autem solidum schema planorum schematum superficie. Nam subjacenti trigono pyramis im-
722 ponitur, circulo conus aut cylindros, quadro cubus, et cetera similiter. Sphaera sane intrinsecus capax omnium circulis subsistit, in quos resolvitur. Soliditas vero efficit schemata generalia, quae dicuntur a Graecis pyrames; item prisma, id est sectio, quae instar schematis est; item cubus; item conus; item cylindrus; item sphaera. His adduntur nobilia schemata ex his composita, *ὀκτάεδρος*, item *δωδεκαέδρος*, item *εἰκοσαέδρος*, quae cuncta ut ordine suo mon-

Monacensi (C). Legendum esse *δύο μέσα* superiora ostendunt.

χώρας] Haec enim differentia est inter *σχῆμα* et *χωρίον* sive *χώραν* apud Graecos, quod illud *formam* sive figuram significat lineis circumscriptam, hoc autem *spatium* sive *aream*, quae intra eas lineas contineatur, cujusque non tam figura quam magnitudo sive quantitas in censum veniat; confer Wurmium (in Jahnii Annal. 1829, T. IX, p. 223 sequ.) et Fingerum (de primordiis geometriae apud Graecos, Heidelbergae 1831, p. 41).

στερεὰ] Vide Euclidem lib. X. Gnot. — Confer Plutarchum (in plac. philos. 1, 12; p. 882. 2, 6; p. 887), Stobaeum (in eclog. 1, 15, 1; p. 340. 350 Heer.) et nostrum (§. 734) de soliditatis perfectione.

quod longitudine] Recepi *quod* ex margine Grotiana; vulgo aberat.

capax omnium] Plato (Timaeo p. 33): *σχῆμα τὸ περιειληφὸς ἐν αὑτῷ πάντα ὁπόσα σχήματα, διὸ καὶ σφαιροειδὲς, ἐκ μέσου πάντη πρὸς τὰς τελευτὰς ἴσον ἀπέχον.*

nobilia schemata] Haec sunt corpora illa regularia a Platone (in Timaeo p. 54 — 57) tradita dicam an inventa? de quibus confer Boeckhium (diss. de Platonica corporis mundani fabrica, Heidelbergae 1810).

ut ordine] Anteriores editiones cum *ordine*, male.

stremus in pulvere, haec primitus concedenda fas sit. Ab omni signo ad omne signum directam lineam ducere, et terminatam directam per continuum in directam emittere; et omni centro et interstitio circulum scribere; et omnes directos angulos invicem aequales sibi esse; et omnem directam lineam terminatam quantum videtur producere; et si in duas directas lineas directa linea incidet intus et eadem parte duos angulos duobus rectis minores faciat, ex illa parte qua sunt minores duobus rectis directas lineas convenire. Communes animi conceptiones sunt tres: quae eidem aequalia sunt, 725
et invicem sibi aequalia sunt; si aequalibus aequalia addas, tota aequalia esse; et si aequalibus aequalia adimas, aequalia sunt reliqua. Haec quum 724
permissa conspiceret, lineam in abaco rectam ducens, sic ait: Quemadmodum potest super datam directam terminatam lineam trigonum aequilaterum constitui? Quo dicto quum plures philosophi, qui undiquesecus constipato agmine consistebant, primum Euclidis theorema formare eam velle cognoscerent, confestim acclamare Euclidi plaudereque coeperunt. Cujus laudibus etiam ipsa Geometria plurimum gratulata, se per sectantis gloriam sublimari provehique cognoscens ab eodem, libros ejus, quos casu apportari conspexerat, festina corripuit, atque in ceterae adstructionis doctrinaeque documentum Jovi ac senatui coelitum offerens intimavit. Quo facto et doctissima cunctarum et benignissima comprobatur.

ab omni signo] Haec l. I Euclidi *αἰτήματα* vocantur. Grot.

communes conceptiones] *Κοιναὶ ἔννοιαι.* Eucl. lib. I. Grot.— Sunt ex disciplina Stoicorum, quae ab omnibus hominibus pariter verae habentur.

quemadmodum potest] Eucl. lib. I: »*ἐπὶ τῆς δοθείσης εὐθείας πεπερασμένης τρίγωνον ἰσόπλευρον συστήσασθαι.* Grot. — Eadem Quinctilianus (1, 10, 3; p. 210): »quemadmodum in data linea constitui triangula aequis lateribus possint?«

quo dicto quum] Sic codices Monacenses (A. C), Reichenauensis et Darmstattensis. In editis: »*quo dato compluresc*; sed *quo dicto* jam Grotius in margine notavit.

undiquesecus] Sic Monacensis (C) et Reichenauensis; male in editis *secum* (add. Oudend. ad Appulej. T. 1, p. 92).

MARTIANI

MINEI FELICIS

CAPELLAE,

AFRI CARTHAGINIENSIS,

DE

ARITHMETICA

LIBER VII.

Postquam conticuit prudens permensio terrrae,
Innuba, sollertes curam quae instigat in artes,
Sic abacum perstare jubet, sic tegmine glauco
Pandere pulvereum formarum ductibus aequor.
Altera tunc etiam gerularum accire jubetur
Germanam, doctae mundum quae admensa sororis.
Nec mora, digreditur. Tunc rursus dia Voluptas
Ipsius aetherea Cylleni immurmurat aure:
Quum doctas superis admirandasque puellas

Innuba] Palladis epitheton (Lucan. 9, 665. Val. Flacc. 1, 87. Ausonius epigr. 106, 5), item *innupta* (Virg. Aen. 2, 31), Graecis (Eurip. Troad. 536) ἄζυγος. Quod enim Grotius margini adscripsit *incuba*, quae quasi *incumbat* artibus, insolentius atque frigidius dictum foret neque nostris codicibus confirmatur.

altera] Paedia, ut mox (§. 728) apparet; de qua supra (§. 578).

doctae mundum quae] Codex Darmstattensis *doctae mundumque*, male. Significatur Arithmetica, cujus ope Geometria mensuras computat.

aure] Statius (Theb. 1, 532):
»*Imperat acciri tacitaque immurmurat aure.*«

Approbat armipotens, tu optati lentus amoris
Gaudia longa trahis, captumque eludis honorem?
Seria marcentem stupidant commenta maritum.
Talia complacita spectat fastidia virgo,
Nec te cura tori, nec te puer ambit herilis,
Nec mea mella rapis; quaenam haec hymenëia lex est?
In Veneris agro Pallas sibi vindicat usum;
Quam melius thalamo dulcis petulantia fervet!
Casta maritalem reprimit Tritonia mentem,
Et nuptae non aequa venit; poscenda Dione est,
Conveniensque tibi potius celebrare Priapum.

His Atlantiades auditis, licet risum inhibere vix posset, ne infacetus tamen et 726
impar lepidulis haberetur, hilaro susurramine sic respondit:

Licet urgeas, Voluptas,
Thalamos inire suadens,
Tamen exseret peritas

armipotens] Sic Grotius addit confirmatque codex Darmstattensis cum utroque Monacensi; male anteriores *omnipotens*, quod mirum est ipsum Grotium probasse, quasi de Jove sermo esset! Minervam enim intelligi satis patet, quam *armipotentem* dici supra (ad §. 567) abunde probatum est.

optati] Codex Darmstattensis *optata*, contra metrum.

eludis] Grotius in margine: »al. *captum quem laudis honorem*«, sine sensu, quanquam et Reichenauensis codex et Monacensis uterque *laudis* exhibeant.

stupidant] Vide superiorem locum (§. 572 not.).

fastidia] Margo Grotiana et codex Reichenauensis *fastigia*, inepte.

herilis] Amor, filius Veneris, quae Voluptatis hera est.

fervet] Codex Monacensis (C) *servit*; non opus.

Priapum] Priapo in nuptiis sacrificatum Festus docet, idque togis praetextatis; quem illustrabo, eademque opera Martianum nostrum, quibusdam Christianorum scriptorum locis. Arnobius Lib. IV: »Mutunus, cujus immanibus pudendis horrendoque fascino vestras inequitare matronas et auspicabile ducitis« cet. Lactantius: »Mutinus, in cujus sinu pudendo nubentes praesident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videretur.« Augustinus: »Sed quid hoc, quum ibi sit et Priapus nimis masculus, super cujus immanissimum et turpissimum fascinum sedere nova nupta jubetur more honestissimo matronarum?« Gnot.

lepidulis] Lepidula τὰ ἀϐτεῖα, ἀϐτεϐόμοι. Gnot.

peritas] Margo Grotiana *paratas*. *Ambitum* in-

Brevis ambitus puellas:
Demumque nec jugalis
Cessator intricatus
Tardabo fulcra lecti,
Et si quid illa nostrae
Veneris feret voluptas
Nec vobis abnegabo;
Furtis modo allubescat,
Et clam roseta parvae
Liliaque det papillae.
Ne nunc sexus jugalis
Cura ferale morsum
Et vulsa pellis acre
Laceros trahat capillos.

727 Quo dicto renidens et plus solito laetior Voluptas ad Venerem regressa cuncta ejus auribus intimavit; quae deliciosa mollitie et interrumpente genas rubore paene prodidit susurrata, tuncque marcidulis decenter pacta luminibus

telligo de mora, quasi ambages; possit tamen etiam ad orbem disciplinarum, quae hic proponuntur, referri.

furtis] Transtulit ad legitimi tori voluptates, quod alioquin de clandestinis tantum usurpatur.

et clam] Recepi e codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (C), quod jam Grotius in margine ex aliis enotaverat; vulgo *ut*.

ne nunc] Cautissimum duxi locum obscurissimum integrum relinquere, licet codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis uterque longe aliam lectionem exhibeant:

»*Ne nunc* sensus *jugalis*
Feralis *cura morsum*
Et vulsa fellis atro«

quae tamen non minores difficultates continet. Hoc tantum apparet, sermonem esse de contumacia novae nuptae mariti amplexibus renitentis pudicitiamque virginalem defendentis, sive de colluctatione illa Venerea, quam *κλινοπαλὴν* dixisse Domitianum Suetonius (in vita 22) refert.

renidens] Codex Monacensis (C) *renitens*; inepte.

pacta] Hoc Veneri peculiare. Priapeia (36, 4):

»*Minerva flavo lumine est*, Venus pacto.«

Ovidius (in arte amandi 2, 659):

»*Si* pacta *est*, Veneri *similis*, *si flava*, *Minervae*«,

ubi vide Heinsium (T. I, p. 464 Burm.) male corrigentem. Adde Osannum (anal. crit. p. 194).

Majugenam conspicatur et quodam adspectu promittentis illexit; quam Saturnia de propinquo velut deprehendentis castigabat obtutibus. Quae dum 728
geruntur, Paedia, quae egressa dudum, cum alia femina miri decoris ingreditur, cui quaedam majestas nobilissimae vetustatis et ipsius Tonantis natalibus ortuque praecelsior vultus ipsius lumine renidebat; quae etiam miraculis quibusdam capitis reverenda videbatur. Nam primo a fronte uno sed vix intelligibili radio candicabat; ex quo item alter erumpens quadam ex primo linea defluebat; dehinc tertius et quartus, tumque etiam nonus decuriatusque primus, honorum reverendumque verticem duplis triplisque varietatibus circulabant; sed innumerabili radios multitudine prorumpentes in unum denuo tenuatos miris quibusdam defectibus contrahebat. Hujus autem multi- 729
plicem pluriformemque vestem quoddam velamen, quo totius naturae opera tegebantur, abdiderat; digiti vero virginis recursantes et quadam incomprehensae mobilitatis scaturigine vermiculati. Quae mox ingressa septingentos decem et septem numeros complicatis in eos digitis Jovem salutabunda subrexit. Tum Philosophia, ut Tritonidem propter adstabat, quid numero tali Arithmetica intulisset, exquirit. Cui Pallas: proprio, inquit, Jovem nomine salu-

Paedia, quae] Sic scripsi, orthographia tantum et interpunctione mutata, pro *Paediaque*, ut apodosin sententia nanciscceretur, qua in vulgatis carebat.

natalibus] Quia Jupiter *monas* (§. 751), ut ipsius quasi natales in Arithmetica inesse videantur.

candicabat] Utitur et libro I hoc vocabulo: »Ipsius autem canities pruinosis nivibus candicabat.« Gnor.

pluriformem] Alios *plurimiformem* legere margini Grotius adscripsit. Ceterum ex Pythagoreorum haec placitis explicanda sunt, quibus numeri pro ipsa rerum natura erant (Aristot. metaphys. 1, 5).

digiti] Confer superiorem notam (§. 102) nostrumque infra (§. 745 f.) et Procopii anecdota (p. 216 Eichel.). *Vermiculati* dicuntur propter *argutias*, quas Cicero (orat. 18) dicit, id est motus celeritatem minutissimis intervallis distinctam. Barthius (advers. p. 1591 f.): »Apud Lucilium distinctum variis spiris velut sonat, at mobilitatem flexnosorum anguium designat apud Capellam.«

septingentos] Putaveram quondam pro CCCCCCCCXVII legendum CCCCCCXII, ut sit ζεῦς, aut minori mutatione DCCXVI, ut sit χαῖρε; sed revera comperi nihil mutandum, sunt enim hic indicatae hae voces H APXH, idque ad finem Capellae MS. exaratum vidi. Gnor. — Confer palaeographiam meam (III, p. 281).

subrexit] Editiones ante Grotium *surrexit*, male. *Subrigere* idem est quod *erigere*, ut apud Senecam (Herc. fur. 592): »*subrigens* caput.«

tavit. Ac tunc illi radius, qui primus emerserat, colliniatae lucis nitore porrecto ipsius Jovis verticem luminavit. Quibus miraculis radiorum innumera repente multitudine prorumpente, nonnulli tellustres silvicolaeque divi Herculem conspicati, opinantes eam hydreo germine pullulare. Ac tunc oborto terrigenis mussantibus murmure puer ille piceus jussus admonere silentium. Verum feminam Pythagoras, ut inter sapientes adstabat, usque abacum consecutus, idemque jam artem promere cupienti quandam lactei luminis facem officioso consistens munere praeferebat. Tum illa, antequam juberetur quid apportet expromere, sic exorsa:

730 Non ignota coelo, nec rebus mundanis ignorata, quas genui, adveni super vestrum quidem nihil dedignata concilium, quamvis singulos vos universosque recenseam ex meis ramalibus germinare; tuque potissimum, quem principalis ante cunctas procreavit emissio, tuae singularis primigeniaeque

qui primus] Sic ex codice Grotiano, ipso Grotiano suadente, scripsi; vulgo: *radius primus emerserat qui* etc.

tellustres] Codices Monacensis (C) et Darmstattensis *terrestres*, quod tamen quia correctionem olet, nolui recipere; nec licet *tellustris*, quantum equidem sciam, alibi non legatur, analogiae contrarium est. Basilius Faber unde habuerit, quod in Thesauro scripsit, alios legere *terruristres*, ignoro; Grotius margini adscripsit *telluristres*, quod ex *διττογραφία* ortum videtur.

piceus] Id est Harpocrates, quippe Aegyptius (§. 90). Nigros fuisse Aegyptios complures testantur, ut Ammianus Marcellinus (l. 22 extr. p. 377 Gronov.): »homines autem Aegyptii plerique *subfusculi* sunt et *atrati*.« Hinc et Propertius (2, 24, 15):

»*An tibi non satis est* fuscis Aegyptus *alumnis*?«

et Martialis (10, 12, 12):

»Niliaco *redeas tu licet ore* niger.«

Quam Grotius margini adscripsit lectionem *spiceus*, nihili est; ut et in sequentibus *exstabat* pro *adstabat* et *consectatus* pro *consecutus*.

lactei luminis] Id est candidi, indeque splendentis. Supra (§. 14) noster similiter »lactis instar candidaeque lucis« dixerat.

apportet] Sic codices Grotianus, Reichenauensis, Darmstattensis, Monacenses (A. C), aliique apud Burmannum (ad Ovid. III, p. 828) laudati; vulgo perperam *oportet*.

ramalibus] Ovidius:

»Ramalia *arida tecto*.«

Persius:

»*Ut* ramale *vetus vegrandi subere coctum*.«

In Grammatica ipse Martianus: »densis obumbrata *ramalibus*« et lib. I: »*ramale* laureum.« Gnor. — Adde inferiorem locum (§. 917) et confer Saxonem Grammaticum (p. 126 Steph.). In sequentibus pro *germinari* substitui meliorem lectionem e codicibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi.

naturae fontem Jupiter recognosce; nec despicabilem vestrùm omnium matrem Mercuriale quod habeo me faxit officium, quum prosapiam arcanae sortis originisque primordialem vobis studeam comprobare; quae quum in terris exerceor, astrorum populus recognoscat honorandam suae multitudinis genitricem.

DE MONADE.

Prae cunctis igitur affata sacra monas esto, quam ante cuncta vibrantem 731
sociati postmodum numeri principia docuerunt. Quae si species est accidens cuilibet exstantium primo, priusque est quod numerat quam illud numerandum, rite eam ante ipsum, quem principem dixere, veneramur. Nec dissimulabo ex eo, quod monas retractantibus unum est solum, ipsam esse, ab

despicabilem] Glossa Isidori: »dispicabilis, contemtibilis, dispectus«, quo in loco bis I pro E positum. Gron. — Sensus hic est: »neve ideo me vestram omnium matrem contemnite, quia Mercurio servio« cet.

sortis] Retraxi lectionem, quam Grotius in marginem rejecit, adstipulantibus codicibus Darmstattensi, Reichenauensi, et Monacensi utroque (A. C); vulgo *artis*.

de monade] Ad ea quae nunc de singulorum numerorum vi et potestate sequuntur, conferenda sunt inprimis Theologumena Arithmeticae ab Astio edita (Lips. 1817. 8), et quae ex simili Nicomachi libro Photius servavit (bibl. n. 187), praetereaque Camerarius ad Jamblichum (in Nicom. arithm. p. 45 sequ. Tennul.) et Meursius (in denario Pythagorico in Gronov. Thes. T. IX). De ipsa monade speciatim vide Pythagoreos apud Stobaeum (p. 6 sequ. Heer.) et Hermetem (ibid. 1, 11, 15; p. 306), praetereaque Macrobium (in somn. Scip. 1, 6).

vibrantem] Grotius in margine *librantem*, male; radium enim supra dixerat. Sensus autem hic est: »quam sociati postmodum numeri docuerunt ante cuncta principia vibrare«, id est, quam principem omnium esse inde apparet, quia omnes inde numeri per consociationem orti sunt.

quae si] Probat monadem omnium primam, quia primo cuique in quoque genere respondet, deinde etiam, quia numerans numerato prius. Gron. — Distinctionem e Darmstattensi codice correxi, et ex eodem duobusque Monacensibus (A. C) reposui *veneramur* pro *venerantur*.

species] Id est εἶδος, sensu Platonico, *forma*, qua, quidquid ejus nomen gerit, hujus ipsius nominis vim ac potestatem nanciscitur; ut nostro loco quidquid *unum* vel *primum* appellatur, id ipsum ut sit, a *monade* accepit. Adde Tennulium (ad Jamblich. p. 93).

nec dissimulabo] Lego: »Nec dissimulabo ex eo (ita in MS.) quod monas retractantibus unum est, solum ipsam (ita in MS.) esse, ab eaque singula procreari.« Novum argumentum hoc modo: illud quoque, inquit, non est silentio praetercundum, quod vel ex eo satis liqueat monadem solam proprie esse, aliisque esse essentiae causam, quod utcunque revolvatur semper unum manet; semel

eaque singula procreari, omniumque numerorum solam seminarium esse, solamque mensuram, et incrementorum causam statumque detrimentorum; quae tamen ubique pars est, ubique totum, dum per cuncta perpetua; neque enim, quae est ante exstantia et quae post absumta non absconditur, potest non esse perpetua. Hanc igitur patrem omnium Jovem rite esse memoratum; quod quidem idealis illius intellectualisque speciei vis causativa testatur; ad cujus exemplum unum deum, unum mundum, unumque Solem, singularemque Lunam, elementa etiam in quo exstant singula memorari. Licet Aristoteles, unus e sectatoribus meis, ex eo quod unum solum ipsa sit, et se quaeri semper velit, cupidinem asserat nominatam, quod se cupiat; siquidem ultra nihil habeat, et expers totius elationis aut copulae in se proprios detorquet

enim unum unum est. Grot. — Cum hisce conspirant etiam Monacenses (A. C) et Darmstattensis, unde recepi. Vulgo enim ita erat: »nec dissimulabo, quod monas retractantibus unum solum ipsa esse ab ea atque cetera procreari.«

seminarium] Jamblichus (ad Nicom. p. 12 Tennul.): *ἀπ' αὐτῆς γὰρ ὡς ἀπὸ σπέρματος καὶ ἀϊδίου ῥίζης ἑφ' ἑκάτερον ἀντιπεπονθότως αὐξονται οἱ λόγοι κ. τ. λ.*

absconditur] Sensus videtur postulare *absumitur*. Grot. — Idem margini adscripsit alios legere *asceditur*, quod etiam in Monacensi utroque exstat; sed mutandi causa non apparet, quoniam *abscondi* commode explicari potest *perire, occidere, evanescere*. Sensus est, perpetuam esse oportere, ultra quam minuendo procedere non possimus. Confer Moderatum (ap. Stob. T. I, p. 18): *ἥτις μειουμένου τοῦ πλήθους κατὰ τὴν ὑφαίρεσιν παντὸς ἀριθμοῦ στερηθεῖσα μονήν τε καὶ στάσιν λαμβάνει.*

memoratum] Codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis uterque *nominatum*; non necesse.

idealis] *Unus* ille solusque ac summus deus, quem Appulejus ultramundanum appellat, ex doctrina Platonis est *ipsa unitas*, a qua unum quod exsistit progreditur, quae et omne deorum genus progeneravit, tam intelligibile, quam intellectuale, quod supramundanum est, et quod mundanum, coelicolarum nempe deorum. *Unitas* illa ante omnia entia. Ab unitate igitur illa sive ab uno soloque deo profluxere dii primo *νοητοὶ* et *νοεροὶ*, *ὑπερκόσμιοι* et *ἐγκόσμιοι*. Proclus cap. X libri primi: »*ἵνα οὖν συνελόντες εἰπωμεν, τὸ ἓν ὂν πρόεισι μὲν ἀπὸ τῆς ἑνάδος τῆς πρὸ τῶν ὄντων· πᾶν δὲ τὸ θεῖον γένος ἀποτεινᾷ, τό τε νοητὸν, καὶ τὸ νοερὸν, καὶ τὸ ὑπερουράνιον, καὶ τὸ μέχρι τῶν ἐγκοσμίων προελήλυθός.*« Salmas. (epist. ad Menag. p. 21).

unum deum] Unum quidem deum philosophi credebant, sed variis cum nominibus varioque sexu appellabant juxta illum usum Valerii Soranі. Glossa (cod. Monac. E).

ultra nihil] *Nihil* apud Grotium per errorem omissum ipso monente restitui. Ceterum Aristoteles ubi haec dixerit ignoro.

ardores. Hanc quoque alii concordiam, hanc pietatem amicitiamque dixere, quod ita nectatur, ut non secetur in partes; tamen rectius Jupiter nuncupatur, quod sit idem caput ac pater deorum.

DE DYADE.

Denique quum unum facta in quodcunque defluxerit, licet ejus linea 732
insecabilis ac sine latitudinis significatione fundatur, dyadem tamen facit. Quae dyas, quod sit prima procreatio, a nonnullis genesis dicta; quod autem inter eam ac monadem prima conjunctio est consortiumque consimile, Juno perhibetur vel conjunx vel germana praecedentis. Est autem medietatis capax; nam bona malaque participat: eadem discordia, ex qua adversa oriantur, utpote quae prima poterit ab adhaerente separari; in bonis vero eadem justitia, quod duobus aequis gaudeat pariter ponderatis; eademque societas, quod vinculum, quo media connectantur, habeatur utrinque commune. Ab hac numerus auspicatur; et est opinabilis corporatio motusque primi probamentum; elementorum etiam mater, nam de dyade quartus elementorum numerus procreatur; primaque forma paritatis est.

DE TRIADE.

Trias vero princeps imparium numerus, perfectusque censendus; nam 733
prior initium medium finemque sortitur, et centrum medietatis ad initium

tamen rectius] Macrobius: »Haec monas principium finisque omnium, non ipsa principii aut finis sciens, ad summum refertur deum.« Et Synesius episcopus Platonicus saepe deum *μονάδ' ἀρρήτην* nominat. Igor.

defluxerit] Sic recte anteriores; de monade enim, quae *unum* facta est, sermo est; Grotius nescio unde *defluxerint*.

quae prima] In codice Darmstattensi *qua* est pro *quae*; male.

justitia] Theologumena Arithmeticae (p. 12, 4): *ἀπὸ δὲ τῆς εἰς δύο τομῆς Δίκη οἱονεὶ δίχη*. Justitia autem Pythagoreis erat *τὸ ἀντιπεπονθὸς* (Aristot. Magn. Mor. 1, 34).

elementorum] Ineptum est quod alios legere Grotius margini adscripsit *aliorum*.

perfectus] Theon (arithm. 32, p. 72 extr.): *λέγεται δὲ καὶ ὁ τρία τέλειος, ἐπειδὴ πρῶτος ἀρχὴν καὶ μέσα καὶ πέρας ἔχει*. Adde eundem de musica (40, p. 137), Plutarchum (qu. sympos.

finemque interstitiorum aequalitate componit. Denique Fata, Gratiarumque germanitas, et quaedam virgo, quam dicunt coeloque ereboque potentem, huic numero colligatur. Ex eo etiam perfectus, quod perfectos gignit senarium novenariumque; cujus auspicio preces tertio ac libamina repetuntur. Tres symphonias continet harmonia, id est diapason, hemiolion, diatessaron. In tria se spatia temporis cursus alternat, ideoque tribus divinatio memoratur. Idem mundana perfectio est; nam monadem fabricatori deo, dyadem materiae procreanti,

9, 3; p. 738), Laurentium Lydum (de Martis p. 32 sequ. Roeth.), Stobaeum (ecl. phys. 1, 2), Justinum Martyrem (op. p. 24), Boëthium (de musica 3, 5), Ausonium (idyll. 11), et quae olim (in palaeogr. crit. III, §. 267 sequ.) larga manu dedi. Nonnulla et ipse noster jam supra (§. 105) attulit.

interstitiorum] Codices Monacenses (A et C) et Darmstattensis *interstitionum*; male (vide §. 581).

aequalitate] Codex Darmstattensis e *qualitate*; Monacenses (A. C) *aequalitatem*, quod jam Grotius margini adscripsit; male utrumque.

Fata] Parcae (vide ad §. 360).

coeloque] E Virgilio (Aen. 6, 567); Hecate igitur, scilicet *triformis* (Hor. od. 3, 22, 4) sive *tergemina* (Virgil. Aen. 4, 511). Ausonius (in grypho ternarii numeri v. 18):

»*Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianae,*

Tres Charites, tria Fata« — —

tertio] Confer palaeographiam meam (III, §. 269). Spectat huc et proverbium *τὸ τρίτον τῷ σωτῆρι*.

hemiolion] Id est *diapente* (§. 107. 934).

divinatio] Ita infra (§. 893) »tripodem« scribit »trini cursus praesagia polliceri, exstantis, instantis, et rapti.« Sed jam Homerus (Iliad. *α*, 70) Calchantis vatis artem ita describit, ut tres temporis partes comprehendat:

Ὃς ἤδη τὰ τ' ἐόντα τὰ δ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

idem] Nempe *numerus*. Darmstattensis quidem codex exhibet *item*; sed praefero vulgatam.

mundana perfectio] Vulgo *praefectio*, sed recepi lectionem a Grotio in margine notatam. Ausonius (idyll. 11, 48):

»*In physicis tria prima, deus, mundus, data forma.*«

Seneca (epist. 65): »Haec omnia mundus quoque, ut ait Plato, habet. Faciens hic deus est; ex quo fit haec materia est; forma hic est habitus et ordo mundi quem videmus, exemplar scilicet, ad quod deus hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit.« Confer Platonem ipsum (in Philebo p. 23 — 27 Steph.).

fabricatori] *Δημιουργῷ*, ut apud Platonem est (Phileb. p. 27; Tim. p. 68).

materiae] Theologumena (p. 7, 18): *ἔτι τὴν ὕλην τῇ δυάδι προσαρμόττουσιν οἱ Πυθαγόρειοι· ἑτερότητος γὰρ ἐκείνη μὲν ἐν φύσει, δυὰς δὲ ἐν ἀριθμῷ κατάσχει*, ubi plura Astius (p. 162).

triadem idealibus formis consequenter aptamus; animam vero rationis et iracundiae cupiditatisque distribuere trigario.

DE TETRADE.

Quid tetradem dicam? in qua soliditatis certa perfectio; nam ex lon- 734
gitudine ac profunditate componitur, decasque plena his quatuor numeris gradatim plicatis integratur, id est uno, duobus, tribus, quatuor. Item hecatontas a decade quaternario cumulatur, id est decem, viginti, triginta, quadraginta, qui sunt centum; et item a centum quatuor numeri reddunt mille, id est centum, ducenti, trecenti, quadringenti. Sic decem millia ceteraque excrementa complentur. Quid quod quatuor anni tempora, frontesque coeli, elementorumque principia esse non dubium est? Hominum etiam quatuor aetates, quatuor vitia, quatuorque virtutes. Hic numerus quadratus ipsi Cyllenio deputatur, quod quadratus deus solus habeatur.

DE PENTADE.

Sequitur pentas, qui numerus mundo est attributus. Nam si ex qua- 735

trigario] In editis erat *tricario*. Forte *trigario*, ut supra *fulcida* pro *fulgida*. Libro musico: »demum *trigarium* supplicantis semper germanitatis adveniat«; ubi de *λιταις* sermo. Gnot. — Spectant illa Martiani ad Platonis doctrinam, qua anima dividitur in *λογιστικὸν*, *θυμοειδὲς*, et *ἐπιθυμητικὸν* (de R. P. 4, p. 436; 9, p. 580; Tim. p. 69; Phaedr. p. 240; de Legibus 9, p. 863; adde Diogenem 3, 90).

soliditatis] Cave *τὰ στερεὰ* (§. 721) intelligas, ut *latitudo* in sequentibus excidisset; sed de *quadrato* loquitur, quod et ipsum perfecti et omnibus numeris absoluti vim gerit; confer inprimis Aristotelem (rhetor. 3, 11): *τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα φάναι εἶναι τετράγωνον μεταφορὰ· ἅμφω γὰρ τέλεια*. Plura dabit Astius (ad Platon. Protag. in oper. edit. T. IX, p. 151).

plicatis] Male in editis *plicitis*. Nostram lectionem dedit codex Monacensis (A). De tetracty Pythagorica supra jam egimus (ad §. 107).

Cyllenio] Hoc quoque supra (§. 100) jam attigimus. Adde Plutarchum (qu. symp. 9, 3; p. 738): *Ἑρμεῖ δὲ μάλιστα τῶν ἀριθμῶν ἡ τετρὰς ἀνάκειται· πολλοὶ δὲ καὶ τετράδι μηνὸς ἱσταμένου γενέσθαι τὸν θεὸν ἱστοροῦσι*: et Macrobium (Saturn. 1, 19): »Pleraque etiam simulacra Mercurii *quadrato* statu figurantur — quippe significat hic numerus vel totidem *plagas mundi*, vel quatuor *vices temporum*, quibus annus includitur« cet.

tuor elementis ipse sub alia forma est quintus, pentade est rationabiliter insignitus; qui quidem permixtione naturali copulatur. Nam constat ex utriusque sexus numero; trias quippe virilis est, dyas femineus aestimatur. Etiam apocatàsticus dicitur, et sive cum aliis imparibus sive cum suo genere sociatus se semper ostendit. Nam quinque per quinque habes viginti quinque, et quinquies terni quindecim, et quinquies septeni trigies quinquies, et quinquies noveni quadragies quinquies. Item zonae terrae quinque; in homine sensus quinque, totidemque habitatores mundi generibus, ut homines, quadrupedes, reptantes, natantes, volantes. Hunc numerum quis neget esse diametrum? Nam decadis perfectio circulusque hujus hemisphaerio dissecatur.

DE HEXADE.

736 Senarium vero perfectum analogicumque esse quis dubitet, quum suis partibus impleatur? Nam et sextam sui intra se continet, quod est unus;

quintus] Codices Cantabrigiensis, Reichenauensis, Darmstattensis *quintum*; sed mutandi causam non video, modo ad *mundum* referatur. Neque enim de Aristotelis *quinta essentia* Martianus loquitur, sed de *dodecaëdro* Platonis, quod universi formam refert (Tim. p. 55 c); quanquam hoc quoque multi pro aethere acceperint (vide Boeckhium in Philolao p. 162; Astium ad Plat. Epinom. p. 601). Adde Strabonem (15, p. 713 Casaub.): *πρὸς δὲ τοῖς τέτταρσι στοιχείοις πέμπτη τίς ἐστι φύσις, ἐξ ἧς ὁ οὐρανὸς καὶ τὰ ἄστρα κ. τ. λ.*

utriusque sexus] Unde etiam *ἀνδρογυνία* et *γάμος* appellabatur a Pythagoreis (Plut. de Ei apud Delphos 8, p. 387).

apocatasticus] Nisi corrupta lectio est, per syncopen dictum pro *ἀποκαταστατικῷ*, qui semper ad se recurrit, in se ipsum revertitur, ut ait Nicomachus (instit. arithm. 2, 17; p. 131 Ast.): *ὅσαις γὰρ ἂν αὐξήσεσιν αὐξήσω, εἰς τὸ αὐτὸ συμπέρασμα τελευτήσει πάντως.* Adde Jamblichum (p. 12 Tennul.) et Theonem Smyrnaeum (arithm. 21, p. 61).

zonae] Vide nostrum supra (§. 602).

quadrupedes] Sic codex Darmstattensis; vulgo *quadrupedesque*. Ceterum confer Platonem (in Timaeo p. 91. 92).

diametrum] Simili de causa *ἡμίθεον* appellant Theologumena (p. 32), *ὅτι τοῦ δέκα θείου ὄντος ἡμίσειά ἐστιν.*

vero] Sic codices Monacenses (A. C), Darmstattensis, et Reichenauensis pro *autem* in editis.

perfectum] Isidorus Hispalensis: »Senarius suis partibus perfectus est.« Macrobius: »Senarius vero, qui cum uno septenarium facit, variae ac multiplicis religionis ac potentiae est. Primum, quod solum (malim *solus*) ex omnibus numeris, qui infra decem sunt, de suis partibus constat« cet. Gnor. — In meo Macrobii exemplari (somn. Scip. 1, 6)

et tertiam, quod duo; et medietatem, quod tria. Item naturalia officia, sine quibus esse nihil potest, sunt sex: magnitudo, color, figura, intervallum, status, motus. Item motus totidem differentiae sunt; nam movemur prorsum retrorsumve, dextra laevaque, sursum deorsumque; nam ille aeternus quidam motus est circuli. Hic autem numerus Veneri est attributus, quod ex utriusque sexus commixtione conficitur, id est ex triade, qui mas, quod impar est numerus, habetur, et dyade, quae femina paritate; nam bis terni hexas fit. Solida etiam figura quadrati sex superficies habet. Totius harmoniae toni sunt sex, id est quinque toni et duo hemitonia. Idem per primum 737
motum, hoc est dyadem, collatus duodecim facit; inter quos duos numeros duo medii inveniuntur, id est octo et novem. Quorum unus ex meo nomine regulaque censetur, nam arithmeticus memoratur, id est novenarius; eodem enim numero superatur a duodecim, quot numeris superat senarium, id est tribus. Alius autem numerus, id est octo, musica ratione confertur. Ea enim parte superatur a duodecim, qua ipse superat sextum, id est tertia; nam sexti tertia duo sunt, duodecimi tertia quatuor. Quod geometrica ratione

solus legitur, non *solum*. Alio etiam loco idem Macrobius (Sat. 7, 15) ex Aegypto refert »senarium numerum omnifariam plenum, perfectum, atque divinum esse.« Adde Vitruvium (3, 1), Lydum (de Ven. 10, p. 68 Roeth.), Censorinum (de die natali 11, 4).

motus totidem] Sex motus genera praeter orbicularem etiam Plato enumerat (Tim. p. 34 Steph.). Adde Macrobium (in somn. Scip. 1, 6 f. Saturn. 7, 9). Sed alia sunt quae Aristoteles statuit, licet totidem numero (Categ. 11; confer Sext. Empir. adv. mathem. 10, 37; p. 640).

Veneri] Nicomachus (apud Photium p. 240 Hoeschel.): *καὶ κυρίως αὕτη μᾶλλον Ἀφροδίτη ζυγία τε καὶ γαμηλία καὶ ἀνδρογυνία θεολογεῖται.* Hinc etiam Pythagoras Veneri sexto mensis cujusque die sacra fieri jussit, teste Jamblicho (de vita Pythag. 28, 152), ubi Kusterus (p. 128) lectores ad Tennulium (ad Jambl. in Nicom. arithm. p. 131) remisit. Plura dabit Astius (ad Theologum. p. 177).

hexas fit] Grotius margini adscripsit alios legere *sexis faciunt*, male.

id est novenarius] Sic scripsi e codicibus Grotiano et Reichenauensi; vulgo *idem novenarius*. De utraque ratione arithmetica et musica sive harmonica vide quae ad Platonis Timaeum (p. 36 Steph.) observavit Boeckhius (in Daubii et Creuzeri studiis T. III, p. 36), Astiumque ad Theologumena (6, p. 178), quae eodem hoc nomine hexadem praedicant.

componitur. Ea enim possunt per collationem media, id est octo per novem, quae extrema, id est sex per duodecim; nam utraque faciunt septuaginta duo. Item in majoribus numeris media extremorum rationibus componuntur sub praedicta senaria ratione. Nam sexies septuagesies dipondius facit quadringentos trigies dipondius; similiter octies septuagesies dipondius quingentos septuaginta sex; item novies septuaginta duo faciunt sexcentos quadraginta octo; similiter duodecies faciunt octingenta sexaginta quatuor; quae media inter se multiplicata reddunt numeros extremorum inter se convenientium. Hic primus numerus, id est senarius, harmonias ostenditur genuisse; quippe sex ad duodecim est symphonia diapason; sex ad novem hemiolios; sex ad octo epitritos, id est symphonia diatessaron; unde Venus Harmoniae mater perhibetur. Item hic senarius quadrato et solido quaternario sociatus horas diei noctisque dimetitur; nam quater seni viessis quadrussis faciunt.

per collationem] Grotius margini adscripsit *post*; male. *Collatio* hic multiplicationem sive potentiam significat eodem usu quo Festus (s. v. ocius) comparationis gradus *collationum* vocabulo appellat.

utraque] Sic codices Monacenses (A. C) et Darmstattensis; vulgo *utraeque* sine sensu.

dipondius] Grotius per errorem ut videtur cudit *dispondius*, quod correxi; sed ipsi huic vocabulo locus hic nullus est, ut e nota tantum male intellecta ortum esse videatur; quanquam invitis codicibus nihil muto. Ceterum sensus hic est, proportionem geometricam, quam modo proposuit:

$$6 : 8 = 9 : 12$$

cujus extrema aeque ac media secum collata faciunt 72, etiam si omnia septuagesies bis augeas, eandem manere:

$$432 : 576 = 648 : 864.$$

id est senarius] Haec pro glossemate tollenda censet Grotius; sed si demseris, unus e majoribus potius numeris, qui antecedunt, intelligendus fuerit.

hemiolios] Grotius *hemiolos*, quod e codicibus correxi.

Harmoniae] Hyginus: »Ex Venere et Marte Harmonia et Formido.« Harmonia autem, quanquam Capella suo modo aliter interpretatur, est Hermione. Gnor. — Nescio quid contra communem fabulam (Apollodor. 3, 4, 2. Diodor. 5, 48 f.) Grotius sentiat. Pro *mater* alius legere *major* idem margini adscripsit; inepte.

viessis quadrussis faciunt] Forte *vicessis* vel *vigessis*, ut *sexis*, *septuagessis* et similia huic auctori usurpata. Gnor. — *Sexis* supra (§. 305) et infra (§. 767) legitur. Codices Monacenses (A. C), Darmstattensis, et Reichenauensis habent *vies quartis*, quod jam Grotius margini adscripsit, ut supra *tries* pro *trigies*; praterquaque Reichenauensis praebet *facit* pro *faciunt*. Procul dubio numeri librariorum inscitia vel scribendi compendiorum ignorantia sunt corrupti, legendumque hic »viginti quatuor«, et supra »sexies septuaginta duo faciunt quadringenta triginta duo« cet.

DE HEPTADE.

Quid autem te heptas veneranda commemorem? quae quod naturae 738
opera sine feturarum contagione conformas, inter deos Tritoniae virginis vocabulum possedisti. Nam quum omnes numeri intra decadem positi aut gignant alios aliisque gignantur aut procreentur; hexas, octas generantur tantummodo; tetras autem et creat et creatur; at heptas, quod nihil gignit, eo par virgini perhibetur; sed quod a nullo nascitur, hinc Minerva est, et quod ex numeris tam masculinis quam femininis constet, Pallas virago est appellata. Nam ex tribus et quatuor septem fiunt; qui numerus formam Lunae complectitur; nam primo est corniculata, quam *μηνοειδῆ* Graeci vocant;

heptas] De praestantia numeri septenarii praeter Theologumena conferendi sunt Gellius (3, 10), Macrobius (in somn. Scip. 1, 6), Philo (op. T. I, p. 80). Quanquam fortuitam potius censet Aristoteles (metaphys. 14, p. 305 Brand.): *ἑπτὰ μὲν φωνήεντα, ἑπτὰ δὲ χορδαὶ ἢ ἁρμονίαι, ἑπτὰ δὲ αἱ πλειάδες, ἐν ἑπτὰ δὲ βάλλει ὀδόντας ἑνιά γε, ἕνια δ' οὔ· ἑπτὰ δὲ οἱ ἐπὶ Θήβας· ἆρ' οὖν ὅτι τοιοῦδί ὁ ἀριθμὸς πέφυκε, διὰ τοῦτο ἢ ἐκεῖνοι ἐγένοντο ἑπτὰ ἢ ἡ πλειὰς ἑπτὰ ἀστέρων ἐστίν; ἢ οἱ μὲν διὰ τὰς πύλας ἢ ἄλλην τινὰ αἰτίαν, τὴν δὲ ἡμεῖς οὕτως ἀριθμοῦμεν, τὴν δὲ ἄρκτον γε δώδεκα κ. τ. λ.*

veneranda] Nam (teste Macrobio) *ἑπτὰς ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι* dicta. Veteres enim *σεπτὰς* dicebant, idque comprobatur ex isto fragmento Jonis apud Euclidem in Harmonica, a patre meo elegantissime correcto et concinnato:

»*Τὰν δεκαβάμονα τάξιν ἔχεις ἀεὶ ἐν τετραχόρδῳ,*
Τὰς ξυμφωνούσας ἁρμονίας τριόδους.
Πρὶν μὲν σεπτάτονον ψάλλον διατείσασθαι πάντες
Ἕλληνες σπανίαν μοῦσαν ἀειράμενοι.« Gnor. — Adde Appulejum, qui (met. 11 ab init.) »cum numerum«, inquit, »praecipue religionibus aptissimum esse divinus Pythagoras prodidit«; et quos Astius laudat (ad Theologumena p. 184. 185) et Creuzerus (ad Olympiodori comm. ad Platon. Alcibiadem p. 158).

conformas] Lege *conformaris*. Gnor. — Neutiquam.

Tritoniae] Confer superiorem locum (§. 568 not.).

par virgini] In MS. *pervirgo*, hoc est valde virgo Gloss. Gnor. — Vulgata sana. Hierocles (in Pythag. aur. carm. p. 226): *ἡ δὲ ἑβδομὰς ὡς ἀμήτωρ καὶ παρθένος — οὔτε γὰρ γεννᾶται ἐξ ἀριθμοῦ τινος τῶν ἐντὸς δεκάδος — οὔτε γεννᾷ τινα τῶν ἐντὸς δεκάδος.* Plura dabit Astius (ad Theologumena p. 181).

Lunae] Theologumena (p. 45): *Ἑπτάωρος οὖν αἱ τέσσαρες σελήνιακαὶ φάσεις ὑπάρχουσαι συμπληροῦσιν εὐλόγως τὸν τοῦ ἀστέρος τούτου μῆνα, ἡμερῶν ὄντα ἐγγιστα κθ. Συλλογίσασθαι δὲ δεῖ καὶ τὰς ἑπτὰ σχηματικὰς*

deinde medilunia, quam dicunt *διάτομον*: dehinc dimidiato major, quae dicitur *ἀμφίκυρτος*: mox plena, quae dicitur *πανδέληνος*: item tres formas praedictas deficiens repetit. Hic numerus Lunae cursum significat; nam unum, duo, tria, quatuor, quinque, sex, septem, viginti octo faciunt. Item septem sunt circuli, et tot planetae, tot dies, totque transfusiones elementorum; nam ex informi materie primus ignis, ex igni aër, ex aëre aqua, ex aqua terra; item fit adscensio, et ex terra aqua est, ex aqua aër, ex aëre ignis; ex
739 igni in materiem incomprehensam jam non poterit perveniri. Quid? omnium natura nonne huic probatur numero deservire? In principio septimani partus

μορφὰς τῆς σελήνης τετράδι, μηνοειδῆ, διχότομον, ἀμφίκυρτον, πανδέληνον, πάλιν ἄλλον ἀμφίκυρτον, ἐκ θατέρου μέρους φωτιζομένης αὐτῆς, καὶ πάλιν διχότομον κατὰ ταὐτὰ, καὶ ἄλλην μηνοειδῆ. Similia apud Macrobium leguntur.

μηνοειδῆ] Sic legendum pro *μονοειδῆ* in editis. Gnot. — Immo ex ipso Martiano (§. 863 f.) corrigendum erat.

πανδέληνος] MS. *πληροσέληνος*. Gnot. — Eodem redit.

tot dies] Hinc satis liquet non tam novum esse hunc morem, quo dies numerare solemus per septimanas et planetarum nomina, quam quidam volunt. Gnot. — Profecto non erat, cur Martianum adhiberet ad hujus moris antiquitatem probandam, quem multo antiquiorem esse, et perperam a planetarum nominibus nomina dierum repeti, alio loco (palaeogr. crit. III, §. 514 sequ.) demonstravi. Adde Senecam (ap. Augustin. de civ. dei 6, 11) et quae doctus Anglus nuper attulit (in Museo philologico Cantabrigiensi T. I. p. 1—75).

transfusiones elementorum] Ovidius (metam. 15, 245):

— — »*resolutaque tellus*
In liquidas roresci aquas; tenuatus in auras
Aëraque humor abit, demto quoque pondere rursus
In superos aër tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo;
Ignis enim densum spissatus in aëra transit,
Hic in aquas; tellus glomerata cogitur unda.«

Adde Platonem (Tim. p. 49), Chrysippum (apud Stobaeum 1, 12, 16; p. 312 sequ.), Lucretium (1, 783 sequ.), Ciceronem (N. D. 3, 12), Heraclidem Ponticum (alleg. Homer. p. 439 Gale), Manilium (1, 149 sequ.), Diogenem Laertium (9, 9; p. 555 Meibom.). Paulo aliter Theologumena (p. 50): *ὅτι εἰς τέσσαρα τὰ πάντα στοιχεῖα, τρεῖς δὲ αὐτῶν αἱ μεταξύτητες, ἑβδομὰς ἂν κάνταῦθα ἐπικρατοίη τῶν ὅλων.*

omnium natura] *Πάντων φύσις.* Eleganter et proprie a nascendo *naturam* dixit pro *generatione*; nam et apud Gellium Varro »ad homines nascendos vim numeri istius porrigi pertinereque« ait; et Macrobius: »denique est numerus, qui hominem concipi formari« etc. Gnot. — Videtur tamen universam hominis naturam significare, eo sensu quo Macrobius (in somn. Scip. 1, 6 f.) septenarium numerum »totius fabricae dispensatorem ac dominum« appellavit; qui quidem omnino ad sequentia conferendus est.

hominem absolutum perfectumque dimittunt. Dehinc ideo homo septem meatus habet in capite sensibus praeparatos, duos oculos, auresque et nares totidem, et os unum. Dehinc mense septimo parvulis dentes emergunt, ac septimo anno mutantur; item secunda hebdomas pubertatem movet gignendique possibilitatem; tertia florem genarum; quarta incrementa staturae finiuntur; quinta juvenalis aetatis plena perfectio est. Septem etiam natura abstrusit membra vitalia, linguam, cor, pulmonem, lienem, jecur, et duos renes. Item septem

septimani partus] Explica ex verbis istis Varronis apud Gellium: »Illam quoque vim numeri hujus observatam refert, quod ante mensem septimum neque masculus neque femina salubriter ac secundum naturam nasci potest.« Paulus quoque jurisconsultus ait: »Septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis« (ff. de statu hominum, l. Septimo). Et id intelligendum de mense septimo incipiente liquet ex l. 3 in fine ff. de suis, ubi Ulpianus docet similiter ex Hippocratis auctoritate justo tempore natum videri eum, qui centesimo octogesimo secundo die natus est. Est autem Hippocratis locus lib. Epid. 3, sect. 270. Censorinus quoque ait: »Septimo partus jam maturus est, eo quod in omnibus numeris septenarius plurimum possit.« Vide Plinium libro septimo cap. quinto, et Plut. lib. V de philosophorum placitis cap. XVIII. Gron. — Diodorus tamen (1, 25) ζωογονεῖσθαι οὐκ εἰωθέναι τὸ τοιοῦτον ait, ubi vide Wesselingium (T. I, p. 27).

septem meatus] Favonius p. 16: »ministros eidem sensus septem velati fenestris emitti manifestum est.« Septem notarunt foramina veteres, ex quibus sensus humani operentur. Alcimus Avitus pulcre:

»*Dehinc arcem capitis sublimi in vertice signat*
Septiformem vultum rationis sensibus aptans.«

Barth. (advers. p. 222. 225).

os unum] Transposita in editis haec erant verba; sed codicum Reichenauensis et Darmstattensis lectionem praetuli.

pubertatem] Alii *ubertatem*, teste Grotio in margine; male.

gignendi possibilitatem] Utitur hoc vocabulo et ipse alibi, sed et Arnobius, Isidorus, aliique patres; ipse quoque Justinianus in confirmatione digestorum. Et sane quemadmodum hi omnes *possibilitatem* pro *potentia* dixere, ita Fulgentium *impossibilem* pro *impotenti* dixisse puto. Locum, quia singularis et eximius quodammodo est, adscribo. Is est μυθολογικ. lib. II, de Caco et Hercule: »Triplici etiam modo nocet malitia, aut in evidenti, ut potentior, aut subtiliter, ut falsus amicus, aut occulte, ut *impossibilis* latro.« Quod autem hic ait anno bis septimo pubertatem incipere censeri, congruit cum constitutione ista imperatoris Justiniani ad Mennan praetorio praefectum missa quae hodie est l. 3 C. Quomodo tutores vel curatores esse desinant, cujus sententia repetita est hist. (?) Quibus modis tutela finitur in principio, quos locos confer cum Macrobio. Gron. — Adde Lipsium (ad Sen. de benef. 7, 1, p. 367).

septem etiam] E Darmstattensi codice pro *septima* in editis.

duos renes] MS. ἀρχαϊκῶς »duo renes.« Gron. — Ita et Monacenses (A. C).

corporis partes hominem perficiunt: caput tenus imo collo, pectus, venter, duae manus, totidemque pedes. Totidemque stellae in vertice axis coelestis.

DE OCTADE.

740 At octonarius numerus primus cubus est et perfectus, Vulcano dicatus; nam ex primo motu, id est dyade, quae Juno est, constat. Nam dyas per dyadem facit tetradem; at bis ducta facit octadem. Perfectus item, quod a senario tegitur; omnis enim cubus sex superficies habet. Item ex imparibus consecutis impletur. Nam primus imparium trias, secundus pentas; ambo octadem faciunt. Item cubum, qui a triade venit, id est viginti septem, sequentes impares reddunt, id est heptas, enneas, et hendecas, qui omnes

tenus imo collo] Recepi lectionem a Grotio in margine notatam; vulgo *tenus imum collum*.

venter, duae manus] Sic scripsi e codice Darmstattensi pro *ventrem duas manus*; sed quod pro sequentibus *totidemque pedes* in Reichenauensi exstat *pedesque* recipere nolui. Ceterum confer Theologumena paucis mutatis eadem tradentia (p. 50): *ὀπλάγχνα τε γὰρ τὰ λεγόμενα μέλη ἑπτὰ κατ' αὐτὴν ἐμπέφυκεν ἡμῖν· γλῶττα, καρδία, ἧπαρ, πνεύμων, σπλὴν, νέφροι δύο· καὶ τὰ καθολικὰ μέρη τοσαῦτα, ἅπερ ἐστί κεφαλή, θώραξ, χεῖρες δύο, πόδες δύο, καὶ αἰδοῖον· κατὰ μέρος δὲ διατρήσεις ἐν μὲν τῷ προσώπῳ ἑπτὰ, ὀφθαλμῶν δύο, ὠτῶν δύο, ῥινῶν δύο, στόματος ἕν κ. τ. λ.*

Vulcano] Alii Neptuno dicatum tradunt, ut Plutarchus (in vita Thesei extr.): *ἡ γὰρ ὀγδοὰς, κύβος ἀπ' ἀρτίου πρῶτος οὖσα καὶ τοῦ πρώτου τετραγώνου διπλασία, τὸ μόνιμον καὶ δυσκίνητον οἰκεῖον ἔχει τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως, ὃν Ἀσφάλιον καὶ Γαιήοχον προσονομάζομεν.*

octadem] Lege *ogdoadem*. Grot. — Neutiquam: promiscue enim noster hisce vocibus utitur, et illa quidam tam superiori loco (§. 738) quam inferiori (§. 745). Nicomachus etiam apud Photium *ὀκτάδα* apellat.

a senario] Sic codices Monacensis (C), Reichenauensis, Darmstattensis, et Grotianus; nec refragatur alter Monacensis (A) qui habet *in senario*; vulgo enim *septenario*.

imparibus consecutis] Confer Nicomachum (arithm. 2, 20 f.): *οἱ κύβοι τριχῇ διαστατοὶ ὄντες καὶ ταυτότητος ἐπὶ πλέον δοκοῦντες μετέχειν ἔργον εἰδὶ περισσῶν, ἀλλ' οὐκ ἀρτίων — ἐκτεθέντων γὰρ τῶν ἀπὸ μονάδος ἐπ' ἄπειρον συνεχῶν περισσῶν ἐπισκόπει οὕτως· ὁ πρῶτος τὸν δυνάμει κύβον ποιεῖ, οἱ δὲ δύο μετ' ἐκεῖνον συντεθέντες τὸν δεύτερον, οἱ δὲ ἐπὶ τούτοις τρεῖς τὸν τρίτον, οἱ δὲ συνεχεῖς τούτοις τέσσαρες τὸν τέταρτον κ. τ. λ.*

secundus] Vulgo *secundum*; ego codices Darmstattensem, Reichenauensem, et Monacensem utrumque secutus sum.

faciunt viginti septem. Item tertius cubus, qui a tetrade venit, id est sexaginta quatuor; nam quater quaterni sunt sedecim, hoc quater sexaginta quatuor fiunt, et hic ex imparibus quatuor, qui superiores sequuntur, id est, tredecim, quindecim, septendecim, undeviginti, fiunt simul sexaginta quatuor; et sic omnes cubi per imparium incrementa inveniuntur sui duntaxat numeri. Sane hic octonarius cubus ita omnium cuborum primus est, ut monas omnium numerorum. Cubus autem omnis etiam matri deûm tribuitur, nam ideo Cybele nominatur.

DE ENNEADE.

Enneas quoque perfecta est, et perfectior dicitur, quoniam ex triade 741
perfecta forma ejus multiplicata perficitur; deinde quod primi versus finem

fiunt] E codice Monacensi (A); prave in editis *fit*.

Cybele] Solidum, unde Cybele. Nihil enim terra solidius. Glossa (cod. Mon. B).— Codex Reichenauensis *Cybebe* sollemni varietate. Rei ipsius fons apud Platonem (Tim. p. 55) quaerendus est, qui terrae, quam matris deorum nomine appellatam esse constat, cubicam formam assignavit; conferenda tamen acutissimi Boeckhii annotatio (in comm. de Plat. corp. mund. fabr. p. 31): »Tiedemannus quidem (in Graeciae antiquissimis philosophis p. 418 ex Nicomacho apud Phot. bibl. 187) Pythagoricam horum commentorum originem demonstrare inde conatur, quod cum mythologica Pythagoreorum doctrina de numeris consentiant, veluti quum cubus octo angulos habens terra est, numerus autem octonarius Cybele appelletur, — verum quis obsecro sponderit, mythica haec numerorum cognomenta apud antiquos et primitivos Pythagoricos jam obtinuisse neque demum a Nicomacho, ingenioso nimis nugatore, inventa esse?«

perfectior dicitur] Lego *perfectio*. De enneade talia habes apud Plurnutum, ubi de Musis agit: ἐννέα δὲ εἰδὶ διὰ τὸ τετραγώνους ὡς φηδί τις (Simonidem innuit ut puto) καὶ περίττους (ita enim lego, non πέρίττου) προσήκοντας αὐταῖς ἀποτελεῖν· τοιοῦτος γάρ ἐστιν ὁ τῶν ἐννέα ἀριθμὸς συνιστάμενος κατὰ τὸ ἐφ' αὑτὸν γεννᾶσθαι, καὶ τὸ τοῦ πρώτου τῆς τελειότητος κατά τινας μετέχειν δοκοῦν ἀριθμοῦ, quae mire ad hujus auctoris expositionem faciunt. Gr. —Vide Galeum (opusc. p. 157). Sed Grotii correctio necessaria non est, ut ex nota sequenti apparebit.

perfecta] Inscite vulgo legitur »ex triade perfecta forma.« Dicere enim vult triplicatam triadem hunc terminum primi versus facere. Lego pro *perfecta* potius *ter facta*. Barth. (ad Statii Theb. 4, 451).— Vulgatam retinui codicum omnium auctoritate firmatam. Nihil aliud vult Martianus, nisi *perfectiorem* esse debere, quae ex triade jam *perfecta* per multiplicationem sive collationem (v. §. 757) oriatur. Hinc *perfectissimus* dicitur LXXXI apud

tenet; et ideo Mars appellata, a quo finis omnium rerum. Quadratus quoque finis est eorum, quae per collationem augentur. Nam et harmoniae ultima pars est; ad enneadem enim ab octade collatio percussionis sonus efficitur. Non minus novem Musas dixere. In mundo etiam novem sunt zonae, id est sphaerae, et deorum septem, et terrae.

DE DECADE.

742 Decas vero ultra omnes habenda, quae omnes numeros diversae virtutis

Senecam (epist. 58), »quem novem novies multiplicata componunt.«

primi versus] Favonius Eulogius (ap. Barth. in Papin. Stat. T. II, p. 1090): »Inter coelum et terram novem intervalla ipse considerare licet, sic: quoniam *primi versus* absolutio novenario numero continetur; neque ipsa decimum circulum natura requirebat.« Adde haec Servii (ad georg. 4, 480): »quia qui altius de *mundi* ratione quaesiverunt, dicunt, intra *novem* hos *mundi* circulos inclusas esse virtutes« cet.

Mars] Forte *Mors*. Sed sane non facile alteram lectionem quis rejiciat, qui consideret Martis epitheta *βροτολοιγὸς*, *μαιφόνος*, *αἱμοψαρὴς* et similia. Gnot. — Non dubitare debebat de Marte tollendo et Morte restituendo doctissimus Grotius. Generalis enim Mors omnium, Mars aliquorum tantum interfector. Numeri autem ratio ad omnino omnes pertinet. Bartii. (ad Statii Theb. 4, 451; T. II, p. 1089. 1091). — Apud Nicomachum (in Photii bibl. p. 240 Hoesch.) inter plurima alia *Ἐννεαλίου* quoque cognomen *ἐννεάδι* tribuitur, quare nihil muto.

sonus efficitur] Macrobius (in somn. Scip. 2, 1): »Epogdous est numerus, qui intra se habet minorem et insuper ejus octavam partem, ut novem ad octo — hic numerus *sonum* parit, quem *tonon* musici vocaverunt.« Vide et supra (§. 108).

id est sphaerae] Lege *id est sphaera*. Sphaera *κατ' ἐξοχὴν* dicitur *ἀπλανέων ἄστρων*. Gnot. — Ad sensum recte; sed inconsideratius correxit, quum sequantur alii genitivi *deorum* et *terrae*. Nec melius pro *deorum* codices Reichenauensis et Monacensis (A) praebent *deorsum*; planetas enim pro diis habitos esse quis ignorat? Ceterum zonas appellat noster, quae cunctae alias *sphaerae* dicuntur, ut apud Macrobium (in somn. Sc. 2, 4): »Ergo universi mundani corporis *sphaerae novem* sunt; prima illa stellifera, quae proprio nomine coelum dicitur et *aplanes* apud Graecos vocetur — subjectae septem quas *vagas* dicimus — nona *terra* sine motu.« Adde Appulejum (doctr. Plat. p. 203 Oudend.).

ultra omnes] Clemens Alexandrinus (strom. β. p. 656): »*ἡ δεκὰς ὁμολογεῖται παντέλειος εἶναι.*« Sed de hoc numero omnino conferendi Ovidii (fast. 3, 121) hi versus:

»*Annus erat, decimum quum Luna repleverat orbem.*
Hic numerus magno tunc in honore fuit;
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus,
Seu quia bis quino femina mense parit,
Seu quod adusque decem numero crescente venitur;

ac perfectionis intra se habet; quae licet primi versus finis sit, secundae monadis implet auxilium. Haec primi versus numerorum regulas, analogias, genera, species, differentias, perfectiones et imperfecta concludit, daturque Jano, quamvis eam plurimi apocatastasim memorarint.

Principium spatiis sumitur inde novis.« Plures ejus praestantiae causas exponit Vitruvius (3, 1) et Philolaus (in Stob. ecl. 1, 2, 3; p. 8 Heer.), ad quem confer Boeckhium (p. 138. 146).

omnes numeros] Decadem eos intra se habere dicit, vel quia denarius pro omni ponitur (Barth. advers. p. 2287 f.), vel potius, quia decas omnes simplices ab I usque ad IX continet. Laurentius Lydus (in excerpt. 15, p. 16 Roeth.) »decas«, scribit, »plenus numerus est, unde et perfecta vocatur, quippe quae omnes reliquorum numerorum et rationum atque proportionum consonantiarumque ideas complectatur« cet. Et porro (de mensib. 2, p. 82): »Orbis omnis numeri et finis decas est: circum illum enim sese torquentes et convertentes quasi circum flexum currunt numeri.« Unde Porphyrius (in vita Pythag. p. 48 Rust.) *δεκάδα οἷον δεχάδα* dictam esse ait. Plura dabit Astius (ad Theologumena p. 199).

primi versus finis] Versus dicunt arithmetici ordines numerorum. Hoc ita capiendum, ut finis versus semper sit X. Nam XX duo versus sunt et ita deinceps; p. 15 Favonii Eulogii commentarioli in somnium Scipionis. Bartu. (advers. p. 222). — Adde Camerarium (ad Nicomachi arithm. p. 55).

secundae monadis] Hoc est, auxilio secundae monadis est, ad construendum alias: nam secunda monas non prima dicitur, sed undecima, itaque, licet prima sit alterius versus, e praecedentis tamen ultima habet auxilium. Favonius p. 15: »quia ut monas in primo versu, sic in secundo decas obtinet fundamentum.« Bartu. (advers. p. 222). — Breviter, sed aperte Lydus (de mensib. 2, p. 82): »A monade usque ad decadem solam si numeravimus atque substitimus, rursus ad ipsam monadem revertimur.« Adde Philoponum (ap. Tennul. p. 129 ad Jambl. arithm.) qui scribit: »Perfectus numerus est denarius, quippe omnem in se numerum comprehendit. Postquam enim ad denarium pervenerunt, ad eos numeros, qui sequuntur, rursus ad monadem recurrunt.«

Jano] Quippe *clavigero* (Ovid. fast. 1, 228), ut ipsa *κλειδοῦχος* appellabatur (Theologum. p. 60).

apocatastasim] Recte *δεκὰς* dicitur *ἀποκατάστασις*. Est enim *ἀποκατάστασις* nihil ferme aliud quam in pristinam formam restitutio et restauratio ejus quod ante fuit, unde Gregorius de Baptismo: *καὶ ταῦτα οὐκ οὔσης δευτέρας γεννήσεως, οὐδὲ ἀναπλάσεως, οὐδὲ εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀποκαταστάσεως. Εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀποκατάστασιν* vocat in integrum restitutionem. Eodem modo Plutarchus aliique complures circuitus siderum, quae anno suo vertente ad idem signum redeunt, *ἀποκαταστάσεις* dici produnt. Sic etiam monas primo numeri versu terminato quasi redintegratur in decade. Supra quoque pentada *ἀποκαταστικὴν* dictam docuit, an *ἀποκαταστατικὴν* voluerit dubitem sane, qua ratione nescio, nisi quod forte (ut ipse docet) dyas et trias numeri tum paris tum imparis principia, in quinario restaurentur intercedente tetrade: semper enim ad *ἀποκατάστασιν* intervallum requiritur. Grot. — Vide nos supra (ad §. 736).

QUID SIT NUMERUS.

743 Dictum breviter, qui numerus primum versum facit, quos deorum contineat quasque virtutes; jam nunc quid ipse numerus sit, quasve inter se analogias servet et formas, breviter intimabo. Numerus est congregatio monadum, vel a monade veniens multitudo, atque in monadem desinens. Sunt autem numeri simplicis regulae quatuor: prima est, quae appellatur a paribus par, secunda a paribus impar, tertia ab imparibus par, quarta ab
744 imparibus impar, quas inferius memorabo. Sunt etiam qui primi numeri appellantur, qui a nullo numero dividi possunt, nisi a monade tantum non dividi, sed componi videntur, ut puta septem, undecim, tredecim, septendecim et cetera similia; nullus enim eos numerus dividere uno ordine potest, quapropter primi appellantur, quoniam a nullo numero exoriuntur nec aequis portionibus discernuntur. A semet igitur nati alios ex se creant numeros, quoniam ab imparibus paria fiunt, a paribus impar fieri nullo modo potest;
745 ergo et primi numeri necessario habendi pulchrique. Sed omnes numeros

qui numerus] Codices Reichenauensis et Monacenses (A. C) *quis;* non necesse (vide Beierum ad Cic. Lael. p. 36; Kritzium ad Sallust. Catil. p. 202; Waltherum ad Tac. ann. 1, 48).

numerus est] Sollemnis haec definitio est apud Pythagoreos et qui eorum vestigia sequuntur, ut Nicomachum (arithm. 1, 7), Butherum (apud Stob. ecl. phys. I, p. 12 Heer.), Aristoxenum (ibid. p. 16), inque primis Moderatum (ibid. p. 18), cujus ipsa verba noster expressisse videtur: *ἔστι δὲ ἀριθμὸς ὡς τύπῳ εἰπεῖν σύστημα μονάδων, ἢ προποδισμὸς πλήθους ἀπὸ μονάδος ἀρχόμενος καὶ ἀναποδισμὸς εἰς μονάδα καταλήγων.*

primi numeri] Cassiodorus (Op. p. 570 edit. Gen. 1603): »Qui numerus *secundum se* consideratur, putatur esse, qui e nullo numero *dividi* potest, nisi a monade tantum, quum tamen *componi* posse videatur: ut puta VII. XI. XIII. XVII. et cetera. Quapropter ejusmodi numeri appellantur *primi*, quoniam a nullo numero nascantur, nec aequis analogiis distinguantur. Qui vero numeri ab ejusmodi fluunt, et ab illis exoriuntur. Ab imparibus enim paria fiunt, nec a pari impar fieri potest.« Haec ille: et facile perspicies eum nostrumque, modo vera apud Cassiodorum lectio, eadem via procedere. Sed differt Benedictina editio: in ea enim (p. 554 Garn.) idem locus sic legitur: »Primus et simplex numerus est, qui monadicam mensuram solam recipere potest, ut verbi gratia III, V, VII, XI, XIII, XVII et his similia.«

eos numerus] Posteriorem vocem vulgo omissam inserui e codice Reichenauensi; pariterque paulo post ex anterioribus editionibus restitui *numero*, quod apud Grotium nescio utrum consilio an casu exciderat.

primi versus sub his regulis retractemus: monas quidem numerus non est; dyas par est; trias et ordine et virtute primus; tetras a paribus par; pentas primus; hexas a paribus impar et ab imparibus par, unde et perfectus nominatur; heptas primus; octas a paribus par; enneas ab imparibus impar; decas ab imparibus par. Sicut in primo versu ita et sequentibus hae regulae colliguntur. Primus igitur versus est a monade usque ad enneadem; secundus a decade usque ad nonaginta; tertius vero ab hecatontade usque ad nongentos; quartus, qui et ultimus, a mille usque ad novem millia, licet nonnulli Graeci et *μυριὰ* adjecisse videantur. Mihi vero solus numerus approbatur, qui 746
digitis coërcetur; alias quaedam brachiorum contorta saltatio fit, ut numeros germanae praecedentis formis ac lineis concinnamus. Nam mihi in primo versu monas, illi in signo principium, quod non habet partes; in secundo versu a decem numeri velut linea distenduntur; in tertio versu quadrati ex centum reliquisque fiunt, quae velut latitudo primae longitudini sociatur; in quarto versu jam cubi sunt, ideo ex mille reliquisque soliditas. Finis

monas quidem] Idem apud Jamblichum legitur (ad Nicom. arithm. p. 18 Tenn.): *καὶ τὸ θαυμασιώτατον καὶ μονάδος ἴδιον καὶ συμβιβαστικὸν τοῦ μήπω ἀριθμὸν αὐτὴν εἶναι κ. τ. λ.* Quippe *ἀρχὴ ἀριθμοῦ* habebatur (vide Aristoxenum apud Stob. ecl. p. 16). Adde Macrobium (in somn. Scip. 1, 6): »Unum autem, quod *μονὰς* id est unitas dicitur, et mas idem et femina est, par idem atque impar; ipse non numerus, sed fons et origo numerorum.«

digitis] Non decem primi tantum, ut aliquis opinari possit, sed omnes potius numeri a monade inde usque ad novem millia digitis coercentur; quod quo pacto fiat, e libris hac de re scriptis et tabulis aere incisis, a me alibi (pal. crit. III, §. 230) laudatis, disci potest. E quibus praesertim conferas velim Bedam (de indigitat. in Oper. I, p. 132) addasque superiorem notam (ad §. 102).

brachiorum] Decem enim millia jam non digitis solis indicari possunt, sed alia quadam corporis parte opus esse ad hunc et sequentes numeros exprimendos Noviomagus (ad Bedae op. I, p. 133) docuit. *Saltationem* autem non pedum modo esse sed omnem quam nos dicimus *gesticulationem* significare notum est (vide Boettigerum in Sabina I, p. 317).

numeros] In MS. fuit *numeris*: recte, si pro *concinnamus* legas *concinamus*. Gnot.— Martianus ipse hic aliquid turbasse videtur; quos enim ait numeros lineares, quadratos, et cubicos, cum denariis, centenariis et millenariis nihil commune habent. Ceterum confer ipsum supra (§. 707).

distenduntur] Ita in codicibus Monacensibus (A. C), Reichenauensi, ac Darmstattensi: male in editis *discinduntur*, quod ad lineae proprietatem minus bene convenit.

ergo vel limites mihi sunt monas, decas, hecatontas, et mille; geometriae vero nota, linea, figura, soliditas. Nam monas ita individua est, ut nota; decas vero in numeris, ut linea longitudinis solius; hecatontas quadratus, qui est superficies, et in latitudinem longitudinemve dividitur. Item decas per
747 decas fit centum quadratus; hoc per decem fit cubus mille. Omnis impar progressus a monade per singulas positiones necessario quadratos efficit. Prima ipsa monas; adde triadem, facit quatuor, primum quadratum; associas quinque, fecisti secundum quadratum novem; junge septem, implesti quadratum sedecim; adjicis item nonas ad sedecim, et perficis quadratum viginti quinque. Eodem modo progreditur ratio usque in infinitum. Sed ad superius divisa regrediar. Omnem numerum aut parem, aut imparem esse, aut utroque finiri certum est; quidquid numero adjiciatur finito, finitum adjici; neque ex finitis finitum fieri posse.

DE PARI ET IMPARI EX IISQUE COMPOSITIS.

748 Omnis vero numerus aut par aut impar est. Par est, qui in duas

latitudinem] Adde ex MS. *longitudinemve*. Gnot. — Sic etiam Reichenauensis, unde recepi, quanquam jam ante Grotium in editis erat *et in longitudinem*. Cassiodorus (Op. p. 535 Garn.): »*Superficialis* numerus est, qui non solum longitudine, sed et latitudine continetur, ut trigonus numerus, quadratus numerus, quinquangulus numerus, circularis numerus, et ceteri, qui semper in superficie continentur.«

decas per decas] MS. »id est decus per decus.« Forte *decussis per decussim* vel *decas per decem*. Gnot.— Hic quoque librarii numerorum notas intellexisse non videntur; sed contra codices nihil muto.

associas] MS. *associatis*. Gnot. — Male! Dictum est pro *si associas*, ut apud Auctorem ad Herennium (3, 14): »strenue aliquid volumus ostendere factum, celeriuscule dicemus«, et saepissime apud oratores et philosophos Graecos (vide Schaeferum ad Lamb. Bosium de ellips. p. 758, et ad Demosth. T. II, p. 351). Ceterum spectant haec doctrinam Pythagoricam de gnomonibus, de qua erudite, ut solet, Boeckhius (in Philolao p. 142 sequ.).

junge] MS. *adjungas*. Forte *adjungis*, ut conveniat cum eo quod sequitur *adjicis*. Gnot.

nonas] Lege *novem*, ut supra *decem* pro *decas*. Gnot.

ad sedecim] Haec verba negligenter in editis omissa supplevi e Darmstattensi codice.

certum est] Omissa haec in editis supplevi e codicibus Monacensibus (A. C).

de pari et impari] Haec omnia nota; qui plura cupiat, adeat Theonem Smyrnaeum (arithm. 5, p. 29),

aequas partes dividitur, ut duo, quatuor, sex; impar, qui in duas aequas partes dividi non potest, ut tria, quinque, septem. Deinde ex imparibus quidam ex imparibus tantum impares sunt, ut tria, quinque, septem; quidam etiam multitudine constant, ut novem, quindecim, viginti unus, quos *περισσάκις περισσοὺς* Graeci appellant. At in his, qui pares sunt, plura discrimina sunt; at pares sunt, et dividi possunt. Ceteri vel ex paribus pares, vel ex paribus impares, vel ex imparibus pares; et illos Graeci *ἀρτιάκις ἀρτίους*, vel *περισσάκις ἀρτίους*, vel *ἀρτιάκις περισσοὺς* nominant. Pares ex paribus 749
sunt quatuor, quia ex bis binis, octo, quia ex bis quaternis constant. Pares ex imparibus sunt, qui pares impari multiplicatione fiunt, ut bis terni sex, aut quinquies quaterni viginti, quod genus Graeci *περισσάκις ἀρτίους* vocant; et hi qui imparem numerorum multitudinem pari multiplicatione consummant, ut quum bis ter in sex, et quater quinque viginti fiunt, quod genus *ἀρτιάκις περισσόν* Graeci vocant; qui numeri quamvis idem sunt, rationes tamen in crescendo diversas recipiunt. Atque ex his ipsis quidam in duas partes divisi protinus in pares numeros recidunt, quidam semel saepiusve per pares replicati citra singularitatem in impares resolvuntur; nam duodecim et viginti semel per pares dividi possunt, at quadraginta octo nimirum bis vicenos quaternos, inde bis duodenos, deinde bis senos omnes adhuc pares efficiunt, novissime in ternos impares decidunt. Itaque nemo longius procedere simili multiplicatione potest, quin ut duplicatione revoluta adscenditur, sic per replicationes item in plures partes digeritur. Nam viginti et bis dena sunt, et quinquies quaterna, et decies bina, et quater quina.

DE QUATUOR SPECIEBUS NUMERORUM.

Quatuor deinde species numeros excipiunt. Quidam enim sunt per 750

Nicomachum (arithm. 1, 7—10), Jamblichum (ad Nicom. p. 41 Tennul.), Cassiodorum (de arithm. in op. p. 554 Garn.) cet.

ex imparibus] Codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacenses (A. C) *ex impari*, male; ut etiam in sequentibus *περισσάκεις* pro *περισσάκις*.

bis senos] Inserui *bis* ex Monacensibus moxque *quinquies* dedi pro *quinque* ex Darmstattensi.

se incompositi, quidam per se compositi, quidam inter se incompositi, quidam inter se compositi; ex quibus duo priores primi numeri, duo sequentes secundi nominantur. Sed ea res quo facilius addisci possit, planius indicanda est. Prima et minima omnis numeri mensura singularitas est, quia nullus numerus non in singula dividi potest; deinde cum etiam aliae mensurae excipiunt, ut duplicationes, quae duplo, triplicationes, quae triplo increscunt. Quum hoc ita sit, quibusdam numeris in singularitate sola mensura est, qui nisi in singula digeri non possunt, quales tres sunt tres; quidam tantum in pares, quidam in impares, ut sunt quatuor et novem; nam bis bina quatuor, ter terna novem sunt; ita illa duplicatione, haec triplicatione metimur. Ac saepe non una quidem talis mensura numeros habet, sed plures, siquidem octo metiri et quadruplicatione et duplicatione facile est, quum et quater bina et bis quaterna octo sint; itemque evidens est, quidquid aliqua multiplicatione metimur, metiri nos etiam singularitate posse; sed non ubicunque singularitatis mensura est, esse alicujus etiam multiplicationis. Ita singularitas omnibus
731 mensura communis, quibusdam unica est. Et quum hoc ita sit, per se incompositi numeri dicuntur, qui nullam mensuram habent, nisi singularitatis; per se vero compositi, quos metiri non tantum singularitate, sed alia quoque multiplicatione licet; et haec quidem singulorum numerorum aestimatio est.

quatuor deinde species] Theo Smyrnaeus (de arithmet. 6, p. 31. 32): *τῶν δὲ ἀριθμῶν οἱ μὲν πρῶτοι καλοῦνται ἁπλῶς καὶ ἀσύνθετοι, οἱ δὲ πρὸς ἀλλήλους πρῶτοι καὶ οὐχ ἁπλῶς· οἱ δὲ σύνθετοι ἁπλῶς, οἱ δὲ πρὸς αὐτοὺς σύνθετοι· πρῶτοι μὲν ἁπλῶς καὶ ἀσύνθετοι οἱ ὑπὸ μηδενὸς μὲν ἀριθμοῦ, ὑπὸ μόνης δὲ μονάδος μετρούμενοι κ. τ. λ.* Adde Nicomachum (arithm. 1, 11), Jamblichum (ad Nicom. p. 36 Tennul.) et Boëthium (arithm. 1, 14).

quidam tantum] Correxi locum quem corruptissime vulgo edi jam Grotius vidit, e codicibus Monacensibus (A. C); vulgo enim ita sonabat: »quaedam tantum impares, quaedam in impare 6.« Ex iisdem in sequentibus quoque inserui *non* et *sed*, quum vulgo ita legeretur: »ac saepe una quidem talis mensura numeros habet plures«, moxque scripsi *itemque* pro *inter quae*, in utroque adstipulante etiam Darmstattensi et in superiore Reichenauensi codice.

multiplicatione licet] Mutavi non modo interpunctionem, quam Grotius quoque vulgo vitiosam esse intellexit, qua *licet* cum sequentibus *et haec quidem* jungebatur; sed etiam lectionem, quae ex ipsa illa distinctione corruptionem traxerat, ut *sit* legeretur pro *est*, quod codices Reichenau-

Bini vero pluresve juncti inter se incompositi esse dicuntur, qui nullam communem mensuram nisi singularitatis habent, ut tres et quatuor; neque enim interest an quatuor dupli mensuram habeant, quum eadem illa in tribus non sit; at inter se compositi sunt, quibus alia quoque quam singularitatis mensura communis est, ut novem et duodecim, quorum utrumque licet triplicatione metiri, quum ter terna novem, ter quaterna duodecim fiant. Quum 752
vero alii numeri in singula tantum, alii etiam in aliquos solidos numeros dividantur, ut re ipsa discreti sunt, sic etiam in vocabulis discernam, ne qua indiligentibus confusio oriatur, et cujusque numeri membra nominabo solidos numeros, in quos is deduci poterit, ut in duodecim fiunt; at singula, et si qui etiam solidi numeri immixti singulis inserentur, partes appellabo, ut in septem, vel totidem singula, vel etiam bis terna singulo adjecto.

DE NUMERIS PERFECTIS ET IMPERFECTIS ET PLUSQUAMPERFECTIS.

Ex numeris quidam perfecti sunt, quidam ampliores perfectis, quidam 753
imperfecti; *τελείους* et *ὑπερτελείους* et *ὑποτελείους* Graeci appellant. Perfecti sunt qui partibus suis pares sunt; ampliores perfectis, qui plus in partibus suis quam in se ipsis habent; imperfecti, in quorum partibus minus quam in

ensis, Darmstattensis, et Monacenses (A. C) praebuerunt.

neque enim interest an quatuor] Haec verba apud Grotium per incuriam omissa restitui.

in vocabulis] Praepositionem in editis omissam supplevi e Darmstattensi codice; et paulo post reposui e Reichenauensi *indiligentibus* pro *inde legentibus*, cui jam Grotius in margine alteram lectionem adscripserat.

solidos numeros] Alibi *cubici* ita appellantur, ut apud Cassiodorum (p. 555 Garn.); sed hic *fractis* opponi videntur.

deduci] Malim *diduci*, ut in lib. I pro *deditum* est *diditum*. Gnot.

at singula] Codex Monacensis (A) *ad*, sollemni confusione. Sensus est, *partes* appellari, unde per *additionem* numerus aliquis ortus sit, *solidos*, unde per *multiplicationem*.

de numeris perfectis] Haec quoque doctrina communis est arithmeticis antiquis, Euclidi (7, 22), Theoni Smyrnaeo (32, p. 70), Nicomacho (1, 14), Jamblicho (ad Nicom. p. 40), Cassiodoro, Boëthio, reliquis. De senario vide nostrum supra (§. 736. 745).

ipsis est. Exempli causa sumamus sex. Hi et in singula dividi possunt et in bina et in terna, quum et sexies singula, et ter bina, et bis terna fiant sex. Ergo partes ejus sunt unum, duo, tria. Nunc in unum eae conferantur, fiunt sex. Hoc est esse parem partibus suis, et hoc numeri genus in aliqua virtute est; cetera in vitio, vel ex superante, vel ex deficiente. Ut puta sumamus duodecim. Et duodecies singula, et sexies bina, et quater terna, et ter quaterna, et bis sena duodecim sunt; itaque ejus partes sunt unum, duo, tria, quatuor, sex, quae junctae in unum sedecim efficiunt. Hic amplior perfecto numerus est. At sedecim fiunt junctis singulis sedecies, octonis bis, binis octies, quater quaternis; neque pariter has si facias ulla ejus numeri mensura est; collati autem in unum unus, duo, quatuor, octo non ultra faciunt quam quindecim, minus eo, ex quo orti sunt. Hic imperfectus numerus est.

DE PLANIS ET SOLIDIS NUMERIS.

754 Alii etiam plani numeri sunt, alii crassitudinem quoque in se habent. Planum numerum esse Graeci dicunt, qui a duobus numeris continetur. Id ejusmodi est: in ratione mensurarum tantum de norma contineri, quantum a toto quadrangulo, cujus pars in ea norma sit, existimant. Item ad numeros planos referuntur, qui in duo latera ordinantur, sic ut rectum angulum

eae conferantur] Haec pro *hae conferuntur*, et mox *fiunt* pro *fiant* in editis, e codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensibus (A. C) restitui.

ex superante] Sic codex Reichenauensis; in editis *exuperante* erat. Monacenses (A. C) *exuberante*, quam lectionem jam Grotius in margine notavit, confusione simili qualem apud Persium (3, 89) invenimus.

et quater terna] Omissa haec in editis supplevi e codicibus Monacensibus (A. C), Reichenauensi, et Darmstattensi.

pariter has] Legendum esse *praeter has* luce clarius est, sed vel aperta menda invitis codicibus corrigere non sustineo.

a duobus numeris] Theo Smyrnaeus (arithmet. 7, p. 34): *τῶν δὲ συνθέτων τοὺς μὲν ὑπὸ δύο ἀριθμῶν περιεχομένους καλοῦσιν ἐπιπέδους, ὡς κατὰ δύο διαστάσεις θεωρουμένους καὶ οἷον ὑπὸ μήκους καὶ πλάτους περιεχομένους· τοὺς δὲ ὑπὸ τριῶν στερεοὺς, ὡς καὶ τὴν τρίτην διάστασιν προσειληφότας· περιοχὴν δὲ καλοῦσιν ἀριθμῶν τὸν δι' ἀλλήλων αὐτὸν πολυπλασιασμόν.*

planos] Ita Reichenauensis, Darmstattensis et Monacensis (A). Perperam in editis *plani*.

faciant et normae similitudinem repraesentent. Igitur si in alterum latus quatuor, in alterum tria porriguntur, hi duo numeri lege eorum duodecim capiunt, planumque eum numerum nominant. At crassitudinem ajunt a tribus numeris. Sint in alterum puta latus quatuor, in alterum tria, supra deinde quatuor adjiciuntur. His numeris altitudinem quoque super inferiorem normam impleri dicunt, includique viginti quatuor. In quibus obscuritate ex supervacuo quaesita evidentissimum est planum esse numerum sic singulis junctis, ne quid super alterum sit, crassitudinem fieri numeris super numerum impositis. Ipsa 755
autem planities varias formas habet, numeris ad similitudinem aliquarum figurarum ordinatis; quae incipiunt a linea, tum vel triangulae fiunt, atque eae, quae quatuor angulos habent, vel quadratae sunt, vel altera parte longiores, quas ἑτερομήκεις Graeci appellant; praeterea plures quoque anguli possunt interdum et inaequalia numeri latera esse; et quum deinde crassitudinem insurgat, figurasque plures efficiat, tessera perfectissima esse inter eas videtur. Est autem triangulus in paucissimis tribus, quadratum in paucissimis quatuor; id autem quod imparia latera habet, in paucissimis quinque, altera parte longius quadrangulum in paucissimis sex; crassitudo item, quae tessera, in paucissimis octo. Nam duo simplicem ordinem faciunt; tres sic componi possunt, ut totidem angulos habeant; quatuor in quadrum positi in omnem partem binos habent; quinque sic colligantur, ut in altero latere duo, in altero

at crassitudinem] Variantem lectionem in margine Grotius notavit: »ad crassitudinem junctam tres numeri sint: in alterum« etc., sed vulgata recte se habet.

ex supervacuo] Pro *et supervacuo* in editis reposui e codice Monacensi (C).

quae incipiunt] Male in editis sic: »quas incipiunt. Aliae etiam vel triangulae fiunt«; quae correxi e margine Grotiana, codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi adstipulantibus. Boëthius: »Nunc autem nobis de his numeris sermo futurus est, qui circa figuras geometricas et earum spatia dimensionesque versantur, id est de linearibus et de triangularibus vel quadratis ceterisque, quos sola pandit plana dimensio.« Adde Nicomachum (arithmet. 2, 6).

ἑτερομήκεις] Ita codices Monacensis (A) et Reichenauensis pro corrupto in editis ἑπαρομήκεις. Rectius supra (§. 712). De hoc numerorum genere vide Theonem (13, p. 39) et Nicomachum (2, 17) cum nota Astii (p. 295).

deinde crassitudinem] Lege *in crassitudinem*. Gnot. — Ne corrigas! Afros verbum *insurgere* cum quarto casu sine praepositione usurpasse testis est Appulejus (met. 1; p. 17 Oudend.).

tres sint; sex quadrangulum faciunt, quod in duobus lateribus binos, in duobus ternos habet; ac si quatuor ponuntur, et crassitudo oritur, et paria omnia latera in planitiem atque altitudinem sunt, binis in omnem partem
756 ordinatis. Simile autem plani numeri sunt, quorum latera eandem rationem habent, ut sex et sexcenta, quum illis in altero latere duo et in altero tria, his in altero ducenta, in altero latere trecenta sint; eodemque modo similes etiam in crassitudine numeri sunt, quorum latera sub eadem ratione sunt, ut viginti quatuor et nonaginta sex. Nam ut in illis alterum latus quatuor, alterum tria habet, quo fit, ut planities duodecim, crassitudo viginti quatuor capiat; sic in his alterum latus octo, alterum sex recipiat, quo fit, ut planities quadraginta octo, crassitudo nonaginta sex comprehendat. Quod est autem inter duo et tria, hoc inter ducenta et trecenta; ratio quae est inter tria et quatuor, haec est inter sex et octo. Manifestum erit simulatque rationes, quae inter numeros sunt, subjecero. Omnis enim numerus pars est alicui numero majori.

QUO MODO FIAT MAJOR MINORI NUMERUS.

757 Major aut multiplicatione procedit, aut ratione membrorum aut partium, aut simul et multiplicatione et ratione membrorum vel partium. Ratio membrorum in uno membro pluribusve, ratio partium in una parte pluribusve est; minor vero numerus aut replicatione minuitur, aut ratione membrorum vel partium; interdum etiam simul replicatione et ratione aut membrorum

colligantur] Sic codices Darmstattensis et Reichenauensis pro *colliguntur* in editis.

in altero] Sic codices Darmstattensis et Monacenses (A. C). In editis erat *altero in latere*. Ceterum insignem Martiani errorem, quo sexcenta ex ducentis et trecentis per multiplicationem effici putavit, periti ipsi animadvertent.

sic in his] Ita codices Monacenses (A. C), Grotianus, et Darmstattensis, pro *sed* in editis.

quadraginta octo] Sic codices mei omnes recte; apud Grotium erat 47.

subjecero] Pro *subjacere* in editis codices Monacenses (A. C), Reichenauensis, et Darmstattensis.

major minori] Vide ne legendum sit *major minorve*. Sed horum titulorum auctoritas omnino valde ambigua est.

membrorum aut partium] Vide infra (§. 759). Prius pertinet ad *superparticulares*, qui dicuntur, posterius ad *superpartientes*. »Majoris vero inaequalitatis«, inquit Boëthius (1, 22), »quinque partes sunt; est enim una, quae vocatur *multiplex*, alia *superparticularis*, tertia *superpartiens*, quarta *mul-*

aut partium; neque ulla ratio numeri ad numerum, quae non intra haec est. Graeci multiplicatos numeros *πολλαπλαβίους*, replicatos *ὑποπολλαπλαβίους*, membro membrisve antecedentibus *ἐπιμερίους* appellant, binis deinde nominibus utuntur in his, in quibus binae rationes sunt. Quum hoc ita sit, numerus 758
comparem rationem habet aequalitatis, quam *ἰσότητα* Graeci vocant, ut duo ad duos, tres ad tres, quae ratio etiam perfecto numero ad suas partes est, ideoque is numerus potior ceteris habetur; quid enim aequo esse melius potest? At ubi alter numerus major, alter minor est, protinus inter eos distantia est, quod in omnibus fit, qui ratione membrorum vel partium aut antecedunt aut antecedeuntur; ideoque hi numeri pejores sunt, inter quos partesque eorum aliquid discrimen est. Sed ut distantia inter duos numeros majorem minoremque eadem est, sic ratio inter eosdem contraria est; tantundem enim distat inter tria et quatuor, quantum inter quatuor et tria, at ratio inter hos ipsos diversa est; eaque quae sit, infra patebit.

DE MULTIPLICI VEL SUBMULTIPLICI NUMERO, ET DE RATIONE NUMERORUM VEL PARTIUM.

Quum posuerim vero, primas in multiplicatione rationes esse, multi- 759

tiplex superparticularis, quinta *multiplex superpartiens*.« Adde Cassiodorum (opusc. p. 555 Garn.), Graecosque fontes Nicomachum (inst. arithm. 1, 17) et Jamblichum (ad Nicom. p. 50 sequ.).

ὑποπολλαπλαβίους] Restitui quod jam Grotius scribendum intellexerat; vulgo *ὑποπλαβίους*.

antecedentibus ἐπιμερίους] Ex varianti scriptura et juvante ex parte MS. lego et suppleo: »membro membrisve antecedentes *ἐπιμερίους*, membro membrisve inferiores *ὑπομερίους* appellant.« Gnot. — Locum corruptum esse apparet; Grotii tamen emendatione nihil profecto lucramur, quae nec linguae Graecae neque loquendi usui convenit. Graece enim superparticulares *ἐπιμορίους*, superpartientes *ἐπιμερεῖς* appellari satis constat (cfr. Astium ad Nicomach. p. 248 et Boeckhium in Creuzeri stud. T. III, p. 50), minores autem membrorum partiumve ratione *ὑπεπιμερεῖς* et *ὑπεπιμόριοι* dicuntur. Satius igitur duxi vulgatam quamvis mendosam intactam relinquere.

perfecto numero] Perfectus enim numerus appellatur, qui suis ipse partibus aequalis est, ut senarius (vide supra §. 756. 755). Veterum testimonia larga manu congessit Lindenbrogius (ad Censorin. de die natali c. 11).

pejores] Sic scripsi e codicibus Grotiano meisque; vulgo absurde *priores*.

ratione numerorum] Legendum esse *membrorum*

plicationis ratio est senioni ad ternionem, octonario numero ad quaternarium; contra replicationis ternioni ad senionem, quaternario numero ad octonarium. Membrorum vero ratione vincit is numerus, qui solido membro membrisve antecedit, qualis est novenarius ad senarium; ternione enim vincit, quae eadem bis in senario numero invenitur; contraque membrorum ratione vincitur senarius a novenario. At partium ratione vincit, qui in se et ipsum minorem numerum habet et aliquam partem ejus partesve, ut si septem cum quatuor conferantur; siquidem in septenario numero et quatuor sunt et horum tres partes; contra ergo partium ratione vincuntur quatuor a septem. At idem numerus et multiplicatione et membrorum ratione antecedit, ut puta si octo junguntur et tria; nam octo et bis terna habent, et praeterea membrum in duobus. Et multiplicatione vero et partium ratione vincunt quinque, si conferantur cum duobus; nam in quinque bis bina sunt et praeterea duorum pars una. Contra in his ipsis numeris minores a majoribus simul et replica-
760 tione vincuntur et aut membrorum ratione aut partium. Sed ut genera rationum inter numeros haec sunt, sic species in singulis plures. Nam ut ad multiplicationem primum replicationemque veniamus, inter hos aut dupli ratio est aut tripli aut quadrupli, ac procedere quoque ultra multiplicatio potest, per eosdemque rursus gradus idem numerus replicatur. Ergo rationem habent duplo majorem duo ad unum, quatuor ad duo, octo ad quatuor; duplo minorem unus ad duos, duo ad quatuor, quatuor ad octo. Item triplo majorem tres ad unum, novem ad tres; triplo minorem unus ad tres, tres ad novem; quadruplo majorem quatuor ad unum, sedecim ad quatuor; qua-

ex ipso contextu patet; sed ne in titulis quidem codicum auctoritatem deserere volui.

posuerim] Alius *proposuerim* legere Grotius margini adscripsit.

bis] In editis erat *vis* e simili literarum B et V pronunciatione (§. 25. 582. 608). Melius codices Monacenses (A. C) et Darmstattensis, quos secutus sum.

senario] Pro *senarii* in editis reposui codicum Darmstattensis et Monacensis (C) auctoritate.

tres partes] Lego: »et horum partes tres.« Gnor. — Necessaria quidem haec correctio non est.

in his ipsis] Praepositionem vulgo omissam ex codicibus meis supplevi.

quatuor ad octo] Sic priores editiones; mire Grotius *septem*, licet *octo* scribendum esse intellexerit.

druplo minorem unum ad quatuor, quatuor ad sedecim; eademque in ulterioribus multiplicationibus et incrementi et diminutionis ratio est.

DE SUPERPARTICULARI.

At ubi inter majores minoresque numeros ratio membrorum est, major 761
aut superdimidio vincit, quem *ἡμιόλιον*, aut supertertio, quem *ἐπίτριτον*, aut superquarto, quem *ἐπιτέταρτον* Graeci vocant, et sic ad superquintum, supersextum, ulterioresque ratio procedit. Superdimidius est, qui ipsum aliquem numerum et dimidium ejus habet, supertertius, qui ipsum aliquem et tertiam ejus, superquartus, qui ipsum aliquem et quartam ejus; eademque in ulterioribus ratio est; contra ex iisdem numeris minor majori aut subdimidius est, quem *ὑφημιόλιον*, aut subtertius, quem *ὑπότριτον*, aut subquartus quem *ὑποτέταρτιν* Graeci appellant. Superdimidii rationem habent tria ad duo, trecenta ad ducenta, quorum supra facta est mentio; contra subdimidii duo ad tria, ducenta ad trecenta; at supertertii quatuor ad tria, octo ad sex, qui ipsi quoque supra positi sunt; subtertii tria ad quatuor, sex ad octo; superquarti quinque ad quatuor, decem ad octo; subquarti quatuor ad quinque, octo ad decem.

DE SUPERPARTIENTE.

Partium vero ratio proxima in quibusdam numero supertertio est, in 762
quibusdam superquarto, idque procedere ultra potest. Supertertio similis est, ubi major numerus minorem ipsum et aliquas ejus tertias partes comprehendit; superquarto, ubi et illum ipsum et quartas ejus. Sumamus quinque ad tria et decem ad sex. Antecedit quinarius ternionem, quod et illam ipsam et ejus duas tertias habet; item in decade sunt et sex et de sex duae tertiae. At

ἡμιόλιον] Legendam putem *ἐφημιόλιον*, idque verum esse ipsa vox *superdimidii* ostendit. Gnor. — Puerilis haec annotatio, cujus ipsum Grotium certo postea puduit.

subtertius] E codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (C) pro *supertertius* in editis.

item in decade] MS. et alii *decus*. Forte *in decussis*. Ita enim saepe Capella. Decussis autem

proxima superquarto ratio est inter septem et quatuor, inter quatuordecim et octo. In septem et ipsa quatuor sunt et ejus tres quartae. Atque ut ea ratione, quae supertertiae et superquartae proxima est, majores in his numeris vincunt, sic ratione proxima subtertiae et subquartae minores cum majoribus habent. Illo neminem decipi convenit, ut aliquam partium rationem superdimidiae similem putet. Nam si numerus aliquis numerum aliquem et dimidium ejus habet, superdimidius est; si numerum aliquem et ejus duo dimidia habet, pars est. Nam ut duae quidem tertiae rationem supertertio proximam habent, sic duae quartae rationem superquarto proximam recipiunt. Nam si quis ipsum et ejus duas quartas habet, superdimidius ejus est; ut si sint sex ad quatuor: in sex enim et quatuor sunt et ejus duae quartae; contra vero, ut ea ratione, quae supertertiae et superquartae proxima est, majores in his numeri vincunt, sic rationem proximam subtertiae et subquartae minores cum majoribus habent; eademque ratio procedit, sicut superquintae ulterioribusve similis est.

DE MULTIPLICI SUPERPARTICULARI ET SUPERPARTIENTI.

765 Hinc rursus plura discrimina oriuntur, siquidem unus numerus potest duplo generari aut superdimidio aut supertertio aut superquarto ulterioribusve et multiplicationum et membrorum rationibus. Ponamus quatuor et decem. Ex his decem duplo et superdimidio aucti sunt. Nam his quaterna octo sunt, deinde dimidium quatuor est in duobus. Apponamus quatuor et quatuordecim; ex his quatuordecim triplo et superdimidio aucti sunt; nam ter quaterna duodecim sunt; deinde dimidium quatuor est in duobus. Progrediamur ultra usque quatuor et duodeviginti. Ex his duodeviginti quadruplo et superdimidio increverunt; nam quater quaterni sedecim sunt, deinde dimidium quatuor

et similia esse ἄπτωτα ipse in grammatica docuit. Grot. — Praestat vulgata.

numeris vincunt] Ita margo Grotiana codicesque Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacenses (A. C) pro *numerum* in editis. Praestaret tamen *numeri*, quod infra in eadem phrasi legitur.

sunt in duobus. At si sint tria et septem, ex his septem duplo aucti sunt et supertertio; nam bis terna sex sunt, deinde pars tertia trium est in uno. Sint tria et decem; ex his decem triplo increverunt et supertertio; nam ter terna novem sunt, et deinde pars tertia trium est in uno. Ponantur tria et tredecim; ex his tredecim quadruplo aucti sunt et supertertio; nam ter quaterna duodecim sunt; deinde pars tertia trium est in uno. Accipiamus nunc quatuor et novem; ex his novem et duplo plus habent et superquarto; nam bis quaterna octo sunt; deinde quarta pars est in uno. Quatuor vero et tredecim tripli et superquarti ratio est. Item quatuor et septendecim quadrupli et superquarti ratio est; idemque in ulterioribus numeris fit, perindeque numeri minores ex his et replicationes alicujus et subdimidii vel subtertii vel subquarti vel alicujus ulterioris rationis cum majoribus habent. Ut apparere 764
autem ex his potuit, multiplicatio a minima ratione incepit et subinde ad majores majoresque transit ratio; membrorum vel partium replicatio a maxima ratione incipit, et subinde ad minores minoresque transit. Major ratio dicitur quae plus, minor quae minus adjicit; ergo major ratio tripli quam dupli, major quadrupli quam tripli est; contra minor dupli quam tripli, minor tripli quam quadrupli est. Incipit igitur multiplicatio a duplo; inde ad triplum, 765
ad quadruplum, semperque ad majores rationes transit; at ratio membrorum incipit a superdimidio, deinde supertertium, superquartum, semperque ad minus et minus pervenit. Quae omnes rationes inter duos [inter rationem membrorum et partium, vel inter duos numeros] fines sunt ita: numeri sunt, utputa dupli ratio est inter duo et unum, tripli inter tria et unum, quadrupli inter quatuor et unum; et sub iisdem nominum rationibus fines minimi

perindeque] Pro *per quae* in editis e Grotiano codice reposui.

quae omnes rationes] Corruptus locus, cujus menda omnia tollere non ausim; illud tamen patet, sermonem esse de binis ὅροις sive finibus, quibus omnes numerorum rationes includuntur, ut ratio sesquialtera (2 : 3) binario et ternario, supertertia (3 : 4) ternario et quaternario, et sic porro; quare illud certe mihi indulsi, ut novem verba, quae et sensum turbant, et a codicibus Monacensibus (A. C) et Darmstattensi prorsus absunt, uncis secluderem, interpunctionemque, quae vulgo ante *ita* erat, transponerem.

suaque comparatione multo minores, vel sub duplo quam duo et unum, vel sub triplo quam tria et unum, vel sub quadruplo quam quatuor et unum possunt; super hos deinde quantumlibet iisdem rationibus solius fines his numeris augentur. Ideoque eas fines, quae minime eunt, Pythagoricus Thermacides nominat, quod ut vas super suum fundum sic numeri rationis
766 ejusdem super istos adjunguntur. Idemque etiam ratione membrorum; minimi enim fines sunt superdimidii inter duos et tres, supertertii inter tres et quatuor, superquarti inter quatuor et quinque, tum deinde sub iisdem rationibus numeri complentur. Neque alia conditio est, quae ipsa incipit a tertia parte, sicut membrorum ratio de media, deinde primum minimas fines comprehendit,
767 tum ad majores transit. Ex his autem verisimile est primam multiplicationem esse inventam, deinde rationem membrorum, tum partium. Neque enim difficultas ad duplum, deinde ad triplum et quadruplum apparuit; tum ex duplo superdimidii facta conditio, ex triplo supertertii, ex quadruplo superquarti est, idemque in ulterioribus incidit. Nam qui duplum videbat, hoc ipso coepit intelligere dimidium; quia ut duplum quatuor duorum sunt, sic dimidium quartae rationis duo; ut igitur duobus adjiciendo quatuor fecit, sic rursus quaternioni duos adjiciendo fecit superdimidium, utque ex duobus

Thermacides] Hunc neque Fabricius in catalogo Pythagoricorum numerat neque aliunde notum habemus, unde corruptelae suscipio, quae toti loco inhaeret, etiam magis augetur. In codicibus nihil subsidii est, quodque alios legere margini adscriptum est *ideas* pro *ideoque eas*, a tota sententia prorsus abhorret. Ceterum si conjectura uti liceret, locum ita fere refingi posse arbitramur: »eos fines qui minimi sunt, πυθμένας nominant«, quod etiamsi ipsa scriptoris verba non restituat, ad sensum tamen proxime accedit. Illud enim luce clarius est, Martianum loqui de rationibus illis primariis, quae Graece πυθμένες, quasi *fundamenta* vel *radices* appellabantur (Theo Smyrn. de mus. p. 115), quo reliquas omnes per replicationem redire constat; ut verbi causa ratio binarii numeri ad ternarium radix est omnium numerorum, qui ratione sesquialtera conjunguntur; quod qui recte intellexit, non opinor dubitabit, quin vocabulum πυθμήν aliquo modo apud nostrum restituendum sit. Eodem utuntur Plato (R. P. 8, p. 546), Nicomachus (inst. arith. 2, 19), alii; cfr. et Boeckhium (in stud. p. 51).

de media] MS. *demilia*, unde facio *dimidia*, vel quod aptius *hemiolia*. Gnot. — Vulgo *de hemiolio*; sed codicem Monacensem (C) sequi malui. Rem ipse noster supra jam (§. 762 med.) explicavit.

ad triplum] Particulam inserui e codice Monacensi (C).

triplo sexis implevit, sic senario numero duos adjiciendo supertertium invenit, idemque in ulterioribus incidit. Deinde quum incurrerent numeri sine judicii quidem rationibus positi, quaesitum est, quot quotaeve partes alterius numeri in altero essent, et his eo ventum est, ne cujus numeri non aliqua ratio ad alium numerum exploratis ultima sit; post haec non difficillima animadversio gemina ratione in numeris fluxit.

ITEM DE PARI ET IMPARI ET EX HIS COMPOSITIS.

Quoniam genera numerorum rationumque inter eos orientium exposui, 768
rursus ad ea singula revertar, et quae in quoque animadversiones sint indicabo. Incipiam de paribus et imparibus. Par omni multiplicatione sic procedit, ut par maneat: duplo augentur duo, quatuor, octo, sedecim; triplo duo, sex, duodeviginti; quadruplo quatuor, sedecim, sexaginta quatuor, et ducenta quinquaginta sex; idemque in ulterioribus fiet. Impar pari multiplicatione protinus interit, et in numerum parem recidit. Impar impari multiplicatione increscere potest, ut impar maneat. Nam bis terna sex, item bis quaterna octo fiunt, eodemque modo quater terna duodecim, quater quina viginti; at ter terna novem, et ter novem viginti septem; item quinquies terna quindecim, quinquies quina viginti quinque; idemque in omnibus multiplicationibus evenit, quo fit, ut sive par sive impar parium numerorum multitudo est, id quod consummatum est par sit; ut duo, quatuor, sex, octo, quae par numerorum multitudo est, fiunt viginti; duo, quatuor, sex, quae impar numerorum multitudo est, fiunt duodecim; ambo numeri pares. Item par imparium 769

quot quotaeve] Sic correxit e suo codice Grotius verba *quotquot eae* in editis. Mox vide ne pro *exploratis ultima* legendum sit *exploratissima*.

post haec] Hoc comma, quod vulgo male in sequentis sententiae initio positum erat, in locum convenientem retraxi.

par numerorum] Ita codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (A) pro *impar* in editis. Observa, non numeros I, IV, VI, VIII a nostro appellari pares, neque sequentes II, IV, VI appellari impares; sed numerorum multitudinem, quae in illis quatuor, in his tres, nempe II unum, IV duo, VI tres, ternarium, imparem ergo efficiunt numerum.

numerorum multitudo pares facit, ergo tres et quinque fiunt octo, qui pares sunt; impar tantummodo imparium multitudo impares servat. Nam tria et quinque et septem fiunt quindecim, illi quoque impares. Eadem de causa quoties par numerus vel parem vel imparem multiplicat, is qui efficitur par est. Nam duplicatio sive multiplicatio, sive duo multiplicavit, fecit quatuor, sive tria, fecit sex, ambos pares. At impar numerus, si parem multiplicat, facit parem, si imparem, tum demum imparem reddit; nam triplicatio si duos multiplicat, efficit sex, ipsos quoque pares, si tres, efficit
770 novem, qui impares sunt. Tum si pari par adjicitur, par manet, ut si duobus quatuor adjiciantur, sunt sex; si impari impar adjicitur, fit par, ut si tribus quinque adjiciantur, sunt octo; uno autem modo impar numerus procedit, si numero numerus non adjicitur ejusdem generis, sed par impari, et impar pari. Nam sive quatuor quis adjectis tribus auxerit, sive tria adjectis quatuor, fient septem, qui impares sunt. Deinde numero pari, quale demitur, tale superest; numero impari contrarium est, ne quod demitur supersit. Ergo si pari par demitur, id quod superest, par est, ut si ex octo duo au-

par imparium] Sic codices Monacenses (A. C), Darmstattensis, et Reichenauensis pro *pari imparium*, quod in editis erat.

eadem de causa] Grotius haec verba cum antecedentibus continuaverat addito *pares*, unde haec sententia exierat: »illi quoque impares eadem de causa pares«; ipse tamen in notis intellexit *pares* tollendum esse, quod quum ab anterioribus quoque editionibus absit, ejicere non dubitavi, mutataque interpunctione locum intricatum integritati suae reddidisse mihi videor.

nam duplicatio] Voces illae »sive multiplicatio« in MS. inductae, et recte. Pro *duplicatio* vero legendum censeo *duo*. Notarum error. Sicuti et statim pro »nam *triplicatio*« legendum »nam *tres*« vel »nam *tria*.« Gnot. — Ego vero vulgatam servavi lectionem.

impar pari] Vulgo *par pari*, quod ex codice Darmstattensi correxi.

ergo si pari] Haec omnia in MS. sic leguntur: »Ergo si pari par demitur, id quod superest par est, ut si ex octo duo auferantur supersunt sex. Si numero pari impar demitur, id quod superest impar est, ut si ex VI. III. auferantur, supersunt III. Si numero impari par demitur, id quod superest impar est, ut si ex VII. II. auferantur, supersunt V. Si numero impari impari demitur, id quod superest par est, ut si ex VII. tria auferantur, supersunt IV. Par deinde« etc. Locus mehercule optime et auctus et restitutus. Gnot. — Haec ut plurima alia testimonio esse possunt, textum nostri a librariis passim inversum atque interpolatum esse, vel etiam mutilatum; utrum enim singulis locis factum sit, discerni vix poterit in scriptore, qui

ferantur, supersunt sex; si numero impari impar demitur, id quod superest par est, ut si ex septem tria auferantur, supersunt quatuor; si numero impari par demitur, id quod superest impar est, ut si ex septem duo auferantur, supersunt quinque. Par deinde ex paribus est numerus, quisquis 771
dimidium par habet, ut est in duodecim, quorum dimidium in senario est numero, ipso quoque pari. Item par ex paribus est, quisquis a duobus duplo increvit, ut quatuor, octo, sedecim; aut quisquis ab aliis sic increvit, ut recidere in parem possit; quod evenit etiam quadruplo vel octuplo similibusque auctis. At quisquis numerus dimidium impar habet, par ex imparibus est, ut senio, cujus dimidium in tribus est. Si quis vero neque duobus per duplicationem increvit, nec dimidium impar habet, par quidem ex paribus est, oritur tamen ab eo qui par ex imparibus est, ut duodecim. Hic enim numerus neque per duplicationem a duobus ortus est, neque dimidium impar habet, sed a senario numero per duplicationem increvit; ille autem par ex imparibus, id est ternis, est.

DE INCOMPOSITIS NUMERIS.

Transeamus nunc ad numeros incompositos, quos etiam primos secun- 772
dosque nominare proposui. Incompositi per se numeri nulli pares sunt, exceptis, ut supra posui, duobus; ceteri quicunque per se incompositi sunt, omnes impares sunt, ut tria, quinque, septem, novem, tredecim, septendecim, undeviginti, similesque. Per se vero compositi numeri sunt omnes pares, qui vel ex paribus vel ex imparibus sunt. Nam et quatuor atque octo duplicatione metimur, quorum alter numerus in binos, alter in quaternos replicatur; et idem facere in sex aut decem facile est, quum ille in ternos, hic in quinos resolvatur. Praeter hos multi impares per se compositi sunt,

rerum magis quam verborum causa per medium quod dicitur aevum tot exemplaribus divulgatus est; quare in vulgata lectione acquievi.

supra posui] Margo Grotiana *exposui*, fortasse melius.

novem] Sine dubio legendum *undecim*, XI pro IX.

id est qui cum impari numero multiplicantur. Nam sive ternio sive quinarius numerus, sive quis alius impar impares numeros multiplicavit, qui sic effectus, impar est et per se compositus. Multiplicet ternio se ipsum, fiunt ter terna novem; multiplicet quinarius numerus se ipsum, fiunt quinquies quina viginti quinque; at multiplicet vel ternio quinarium numerum vel quinarius numerus ternionem, fiunt quindecim; omnesque hi numeri, novem, quindecim, viginti quinque, per se compositi sunt, et quicunque impares partis ejusdem
773 sunt. Inter se vero incompositi nulli duo pares, sive ex paribus sive ex imparibus sunt, quia nulli non aliam quam communem mensuram habent. Nam ut sumamus duos pares numeros, alterum ex paribus, alterum ex imparibus, id est quatuor et sex, tamen inter se compositi sunt, quia communis his duplicatio est, qua bis bina quatuor, bis terna sex sunt. At impares primum omnes, qui per se incompositi sunt. Neque enim possunt aliquam communem mensuram praeter singularitatem habere, qui ne propriam quidem ullam habent. Ergo tres, quinque, septem, similesque omnes, ut per se, sic etiam inter se incompositi sunt; et in eadem sorte is quoque numerus est, qui par sub eodem jure est, id est duo; nam ne hic quidem cum tribus aut quinque
774 aut cum similibus componitur. Tum quisquis ex his numeris, qui per se incompositi sunt, jungitur cum altero numero, quamvis per se composito, efficit ut hi duo numeri inter se incompositi sint, ut si tres et quatuor jungantur. Quid enim interest, si in alterius mensura aliqua pars, et eadem singularitate sit, si alteri non est? Ac licet etiam duo pluresve numeri non per se tantum, sed etiam inter se compositi sint, incompositus efficit, ut

compositi sunt] Dele *nulli* ex Veicentino aliisque codicibus. Gnot. — Edidit enim »compositi *nulli* sunt«; sed ineptum hoc additamentum jam ab anterioribus editionibus aberat.

quia nulli non] Sic scripsi e codicibus Monacensibus (A. C) et Reichenauensi pro *nonnulli* in editis; tamen ne sic quidem locus sanus, nisi etiam *aliquam* scribatur pro *aliam quam*. Sed omnino plura hic ab inscitis librariis turbata esse vel inde apparet, quod paulo superius pro *incompositi* alios *compositi* legere Grotius margini adscripsit.

quia bis bina] Codex Reichenauensis *qua*, male.

primum omnes] Scil. inter se incompositi sunt.

incompositi sint] Sic scripsi e codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi altero (A); vulgo *sunt*.

omnes inter se incompositi sint; quia quamvis aliqua mensura pluribus communis, nulla tamen omnibus praeter singularitatem. Quod evenit, si quatuor, sex, octo, et quotlibet similes ponantur, adjiciantur deinde duo, sive tres; nam quamvis tres priores numeri inter se componi possint, tamen quatuor hi inter se non componuntur. Non tantum vero adjectio ejus numeri, qui per se incompositus 775
est, efficit ut plures numeri inter se non componantur, sed potest etiam evenire, ut qui per se compositi sunt, in unum dati inter se incompositi sint, ubi quamvis aliquas mensuras, diversas tamen recipiunt; idque evenit et inter impares duos numeros, et inter parem atque imparem. Sumamus novem et viginti quinque; horum uterque per se compositus est; habet enim mensuram novenarius numerus in ternione, habet viginti quinque in quinario numero; inter se tamen ii non componuntur, quia neque novem quinarii numeri mensuram neque viginti quinque terniones admittunt. Idem fit inter octo et novem, parem atque imparem numerum; nam neque duplicatione aut quadruplicatione novem, neque ternione octo metiri possumus. Itaque per se etiam inter se incompositi sunt; qui per se componuntur non protinus etiam inter se componi possunt.

DE COMPOSITIS.

Compositi vero inter se sunt omnes pares, ut apparere supra quoque 776
potuit, quicunque vel ex paribus vel ex imparibus sunt; deinde quidam impares, ut novem et quindecim, quum uterque numerus in ternos recidunt;

quod evenit] Grotius *quid*, licet anteriores veram lectionem praebuissent.

quotlibet] Sic codices Darmstattensis et Monacensis alter (A); Grotius *quodlibet*.

tamen quatuor hi] Martiani oscitantiam, qua eandem inter duos et quatuor quam inter tres et quatuor rationem esse credidit, quia duo pariter atque tres per se incompositi sint, verbo tetigisse sufficiat. Aliam lectionem praebet margo Grotiana: »tamen hi duo inter se componuntur« sed quae sano sensu etiam magis careat.

viginti quinque] Sic editiones anteriores et codex Reichenauensis; Grotius incredibili oscitantia *quindecim*.

tum quidam pares et quidam impares, ut novem et duodecim, siquidem his quoque triplicatio communis est, ter terna novem, ter quaterna duodecim sunt. At illud animadversione dignum est, quod cum impari numero nunquam is par componi potest, qui ex paribus, sed qui ex imparibus ortus est; adeo mutata quoque sorte juris tamen aliqua societas superest. Ergo novem neque cum quatuor, neque cum octo, neque cum sedecim, neque cum ullo simili numero componi possunt; componuntur vero cum
777 duodecim et viginti quatuor, quae a tribus initium sumserunt. Ac ne cum omnibus quidem, qui pares ex imparibus sunt, componi potest omnis impar numerus, qui per se compositus est; quia potest non in eandem mensuram recidere. Ergo novem et quinquaginta componi non possunt, quia quinquaginta nullam triplicationem recipiunt, quae novenario numero sola praeter singularitatem mensura est; evenit autem hoc, quia ne viginti quinque quidem, quae duplicata quinquaginta fecerunt, ternionem recipiebant. Ergo si quando impar numerus, ex quo par factus est, eandem mensuram, quam alter impar tenet, habuerit, tum demum cum illo impari par, qui ex hoc factus, componi potest; ubi illud non antecessit, ne hoc quidem sequitur. Ideo novem et quinquaginta inter se non componuntur, at novem et triginta inter se componuntur; orta enim sunt triginta duplicatis quindecim, jam autem novem et quindecim inter se componi poterant, quum communis mensura his in ternione esset. Et ex his cetera oriuntur, quae ad hoc numerorum genus pertinent.

DE DUOBUS NUMERIS INTER SE INCOMPOSITIS ET PER SE COMPOSITIS.

778 Ex duobus numeris inter se incompositis, sive uterque sive alter per

quidam impares] Restitui *quidam* a Grotio neglectum e codice Reichenauensi et editionibus ante illum.

at illud] Sic ex codice Darmstattensi; vulgo *at* abest.

quae a tribus] Codices Monacensis (C) et Darmstattensis *quia*, fortasse melius.

in ternione esset] Sic codex Reichenauensis pro *est* in editis. Praeterea Grotius per errorem *terniones*.

se compositus est, mensura alterius cum altero non componitur. Sint quatuor et novem; hi per se compositi sunt, inter se incompositi sunt; mensura autem quatuor in duobus, novem in tribus est, neque duo vero cum novem, neque tres cum quatuor componuntur. At si sint quinque et quatuor, alter per se incompositus, mensuram quaternio habet in duobus; duo autem et quinque non componuntur. Si duo numeri inter se incompositi sunt, et alter ex his se ipsum multiplicaverit, is qui sic effectus est cum priore illo non componitur. Sint tres et quatuor; hi inter se incompositi sunt; sive ternio se multiplicarit, novem et quatuor, sive quaternio idem fecerit, sedecim et tres inter se incompositi erunt. Si duo numeri inter se incompositi se ipsos multiplicarint, qui ex his fient inter se incompositi erunt; ut si eosdem tres vel quatuor sumserimus, et uterque se multiplicarit, novem quoque et sedecim inter se incompositi erunt. Si duo numeri inter se incompositi sunt, 779
et alter ex his se multiplicabit, effectusque sic numerus rursus ipse se multiplicabit, qui sic effectus est numerus cum altero illo non componitur. Sint duo et tres; uterlibet numerus se multiplicet, fiunt bis bina quatuor, ter terna novem; rursus hos numeros iidem multiplicent, fient bis quaterna octo, ter novem viginti septem; sumantur nunc duo et viginti septem, vel duo et novem, aeque inter se incompositi sunt. Si duo numeri inter se incompositi sunt, et uterque se multiplicaverit, deinde effectum ex se rursus multiplicaverit, hi quoque, qui sic effecti sunt, ut in his ipsis qui supra positi sunt. Nam ex duobus octo, ex tribus viginti septem sic facti inter se non componuntur. Si duo numeri inter

incompositis] Hoc codices omnes et anteriores habent editiones, pro quo Grotius primus substituit *compositis*, contra sui etiam codicis fidem. Causam, nisi summa negligentia fuerit, ignoramus.

si duo] Duorum horunce primorum aphorismorum, ut ita loquar, principia MS. auctoritate ita sunt construendi, ut in principio pro *compositi incompositi* legatur; idque sensus flagitat. Gnot. — Recte; accedit et Reichenauensis codex. Sed in anterioribus editionibus sic jam legebatur, cur malam ipse Grotius substituit lectionem? Paulo post e Darmstattensi codice reposui *multiplicaverit* pro *multiplicabit*.

iidem] In editis erat *idem*, nempe I simplici pro duplici, ut saepe (v. §. 95. 295. 725. 787). Moxque e Reichenauensi codice reposui *fient* pro *fiunt*.

positi sunt] Vide ne per homoeoteleuton exciderit *inter se incompositi sunt*.

se incompositi sunt, et in unum junguntur, hic numerus, qui sic effectus est, componi cum alterutro ex prioribus non potest. Si tres et quinque in unum junguntur, fiunt octo; hi neque cum quinque neque cum tribus componi
780 possunt. Si numerus in duos inter se incompositos divisus est, componi cum alterutro eorum non potest. Dividantur novem in quatuor et quinque; neque cum quatuor neque cum quinque componi novem possunt. Si duo numeri cum tertio juncti sic fuerint, ut omnes inter se incompositi sint, deinde ex duobus alter alterum multiplicet, qui sic effectus erit cum eodem illo tertio componi non poterit. Sint duo numeri quatuor et octo; adjiciantur his tres, inter se incompositi sunt; multiplicent duo priores alter alterum, quatuor octo aut octies quaterna fiunt triginta duo; hi et tres inter se incompositi erunt.

DE PER SE INCOMPOSITIS.

781 Omnis numerus, qui per se incompositus est, componi cum altero non potest, nisi cujus ipse mensura est. Ergo componuntur tres ad novem, quinque ad quindecim, quia ter terna novem, quinquies terna quindecim sunt; in quo numero, quod ejus non habebunt, cum eo componi non poterunt. Si duobus numeris positis minor e majore detrahitur, et is qui superest non est mensura ejus, qui proximus ante cum demtus est, hi numeri inter se incompositi sunt. Sint tres et octo; tollantur ex majore numero terni quoties possunt, supersunt duo; in his trium mensura non est; ergo tres quoque

multiplicet] Sic pro *multiplicat* codex Darmstattensis, cujus etiam auctoritate inter *erit* et *cum* delevi vocem *uterque*.

quatuor octo] Lege *quater octo*. Gnot. — Omnino sic rectius scripsissent librarii.

incompositi erunt] Melius haec quam *sunt* in editis praebuerunt codices Monacenses (A. C) et Darmstattensis.

componi cum altero] Delevi particulam *et*, quae ante haec vocabula contra anteriorum editionum fidem apud Grotium legebatur.

non poterunt] Nimirum *tres* non poterunt componi cum *quinque*, quod in *quindecim* continetur, sed aliunde quam a *tribus* petitum est.

detrahitur] Sic melius codex Darmstattensis, quam *detrahatur* in editis: sequitur enim *est*, non *sit*.

et octo inter se incompositi sunt. Si tres juncti sunt ex omnibus, qui sub eadem ratione sunt, ex his duo quilibet in unum dati cum tertio non componuntur. Sint tres numeri novem, duodecim, sedecim; horum insequens semper priori supertertius est, nec ulli tres minores duo juncti reperientur. Confundantur in unum novem et duodecim, fiunt viginti unus; hi cum sedecim non componuntur. Si impar numerus cum aliquo componi non potest, 782
nec cum duplicato quidem eo componitur. Sint quinque et octo; hi inter se incompositi sunt; duplicentur octo, fiunt sedecim; nec cum his quidem quoque componi possunt. Si duo et alteri duo numeri ponuntur sic, ut neuter ex prioribus cum alterutro ex insequentibus componi possit, nec is quidem, qui de duobus prioribus factus est, componi cum alterutro insequentium potest. Sint duo numeri quatuor et octo, item alii duo quinque et septem, neuter ex prioribus componi cum alterutro insequentium potest; confundantur in unum quatuor et octo, fiunt duodecim, ne hi quidem cum quinque aut septem componuntur. Minimi numeri ex his, qui sub eadem ratione sunt, 783
inter se incompositi sunt; ut in dupli ratione minimi sunt duo et quatuor, in triplici duo et sex, hique inter se non componuntur. At quamvis magni numeri sumantur, qui inter se incompositi sunt, minimi sunt ex omnibus qui sub eadem ratione sunt. Sint, ut in duo ad unum, ducenti et centum; hi inter se non componuntur; est autem inter eos partium ratio, quod ducenti et centum et uno dimidio et nonaginta novem partibus antecedunt. Neque id esse inter ullos minores numeros potest. Quum vero mensurae ratio efficiat, 784
ut quidam per se incompositi compositive, quidam inter se compositi incompositive sint, non alienum videtur documentis protinus subjicere. Omnis numerus

si tres] Scil. numeri, non numerus ternarius. Juncti autem ex omnibus, qui sub eadem ratione sunt, dicuntur ii, qui ex duobus cujuslibet rationis terminis et secum et inter se multiplicatis orti sunt, ut novem, duodecim, sedecim, ex ter ternis, ter quaternis, quater ternis, et quater quaternis.

ex his] Grotius *et his*, contra anteriorum fidem.

quidem quoque] Immo *quinque*, non *quoque*.

in triplici] Legendum puto *in tripli*, subaudita ἐκ τοῦ κοινοῦ voce *ratione*. Gnot. — Vulgata ex Graeco λόγος τριπλάσιος defendi potest.

documentis] Codices Monacenses pro hac voce

aut per se incompositus est, aut si per se compositus est in aliquo per se incomposito mensuram habet, ut tres, quique ab eo per triplicationem increscunt, novem in tribus, item quindecim in quinque. Sed eorum, qui pares ex paribus sunt, minima mensura in duobus est; eorum autem, qui pares ex imparibus aut etiam impares sunt, potest minima mensura etiam in majoribus numeris esse, omnibus tamen imparibus. Unius autem compositi mensura vel minima vel maxima facile reperitur; replicatio enim numero proxima mensura maxima, ultima minima est. Ut puta sint quinquaginta, hi replicentur; dimidia pars eorum viginti quinque, in his mensura maxima est. Rursus animadvertamus, quas inferiores mensuras habeat. Sunt autem decies quina quinquaginta, item quinquies dena, item bis quina vicena, nec ulla ex his minor est ea quae ex duobus est; haec igitur minima mensura
783 quinquagenarii est. At si duo numeri inter se compositi sunt, major et minor, quomodo reperiatur communis his maxima minimaque mensura quaeri potest. Oportet autem majori numero minorem detrahere, quoties potest; deinde quantum ex priore superest, tantundem demere ex minore, quoties potest; qui sic intererit numerus, is eorum erit numerorum mensura maxima. Sint enim duo numeri trecenti quinquaginta et centum; demantur ex trecentis quinquaginta quoties possunt centeni, id est ter, reliqui sunt quinquaginta; ex altero centenario numero detrahantur quinquaginta, supererunt ex eo quinquaginta; hic numerus trecentis quinquaginta et centenis communis mensura maxima est. Nam quinquagies bina centum, quinquagies septena trecenti quinquaginta sunt. Ex hoc etiam illud apparet, quod quisquis numerus minor maximum in supradictis numeris metitur, minimam quoque eorum

alter (A) *tamen is*, alter (C) *tamen his* praebent, Darmstattensis eam prorsus omittit; sed mutandi causa vix apparet, nisi *documenta his* legere placuerit.

tres quinque] Alios *quatuor* legere, alios omittere in margine traditur; male utrique.

minor est ea] Alios legere *quam ea* Grotius in margine notavit; sed non necesse est nisi perspicuitati consulere quis velit.

intererit] Haec Monacensis (C) lectio melior quidem, quam *interierit* in editis; sed intelligendum *supererit* vel *reliquum erit*.

mensuram metietur. Minima autem mensura eorundem numerorum sic invenitur: ubi maxima reperta est, illius ipsius minima quaeritur; eadem etiam prioribus numeris communis minima est. Ut hic quoque minima quinquagenarii mensura in duobus est; igitur eadem etiam priorum numerorum minima mensura est. At trium numerorum, qui inter se compositi sunt, 786
maxima minimaque mensura sic invenitur: duorum mensura maxima quaeritur; si ex tertio quoque eorum minimo communis, repertum id quod desideratum est; si non est, medii minimique maxima mensura eodem modo requiritur, eaque tribus omnibus communis est. Sint tres numeri trecenti quinquaginta, centum, septuaginta quinque; quae sit mensura maxima communis his, qui trecenti quinquaginta, et his qui centum sunt, repertaque sit in quinquagenario numero, consideremus an hic tertium illum, qui septuaginta quinque habet, metiatur. Si metiretur, omnibus tribus communis esset; non metitur autem, ergo jungamus centum et septuaginta quinque, et horum maximam mensuram requiramus. Demo ex centum septuaginta quinque, supersunt viginti quinque, hos quoties possum demo ex eo numero, qui septuaginta quinque habet, id est bis, supersunt viginti quinque; hic numerus maxima mensura est communis his qui centum et his qui septuaginta quinque sunt. In his etiam omnium trium numerorum maxima mensura communis est; nam vicies quinquies terna septuaginta quinque sunt; vicies quinquies quaterna centum; vicies quinquies quaterna dena, trecenti quinquaginta. Consideremus nunc horum viginti quinque quae minima mensura sit; ea pervenire neque ad duos, neque ad tres, neque ad quatuor potest, sed est in quinario numero, et haec eadem mensura minima communis omnibus tribus superioribus numeris reperitur. Nam duo qui et trecentos quinquaginta et centum metiuntur, septuaginta quinque non metiuntur; tres, qui septuaginta quinque metiuntur,

quinquagenarii] Sic Darmstattensis codex. Anteriores editiones *quinquagenorum*, quod etiam rectum: sed omnino corruptum Grotii est *quinquagenum!*

si ex tertio] Alios *sic* legere, alios *et*, margini adscriptum est; sed luce clarius est veram lectionem esse *si ea tertio*.

trecentos quinquaginta et centum non metiuntur; quatuor centum metiuntur, qui rursus trecentos quinquaginta et septuaginta quinque non metiuntur; quinque primum omnes illos metiri possunt, quia quinquies quina dena septuaginta quinque, quinquies vicena centum, quinquies septuaginta trecenti quin-
787 quaginta sunt. Duobus vero numeris datis, quem minimum illi metiantur, sic invenitur. Sint dati numeri duo et tres, hi inter se incompositi sunt. Ex his alter alterum multiplicet. Bis terna vel ter bina fiunt sex. Hic minimus numerus est, quem illi duo metiuntur. Maximum quem metiri possint, nemo dixerit; sed omnem iidem numeri metientur, quicunque senario numero multiplicato fiet. Addantur duo numeri inter se compositi novem et duodecim; simili multiplicatione eodem non pervenitur, quia potest etiam minor numerus, quam qui sic efficitur, in his mensuram aliam habere; alia igitur via re-
788 periundum est. Videamus, qui minimi numeri sub eadem ratione qua hi sint. Est autem in novenario numero minimus rationis ejusdem in tribus, in duodenario in duobus. Nunc multiplicet ex minoribus numeris uterlibet non suum numerum, sed alienum, id est vel tria duodecim, vel duo novem. Ter duodena triginta sex, bis novena duodeviginti. Ex his consideremus, an minor numerus, qui est duodeviginti, mensuram habeat et in novem et in duodecim. Habet autem in novem, et in duodecim non habet; dimittatur igitur et major apprehendatur, qui est triginta sex; hic minimus est, quem metiri et novem et duodecim possint. Eadem ratione omnem numerum, qui-
789 cunque triginta sex multiplicatis fiet, iidem illi duo numeri metiuntur. Tribus autem numeris datis numerus, quem minimum illi metiantur, sic invenitur. Sint dati tres numeri duo, tres, quatuor. Summus is numerus, qui minimus et in duplicatione et in triplicatione mensuram habet, is est senarius numerus. Consideremus an hic etiam tertium ex tribus, id est quaternionem, metiatur. Si metiretur, repertum id esset; quod requisitum est, nunc non metitur;

maximum quem metiri] Alios praemittere *duo* Grotius in margine notat; non necesse.

qua hi] Sic codices Monacenses (A. C), Reichenauensis, et Darmstattensis pro *qui hi* in editis.

adspiciamus ergo, quem minimum quatuor et tres metiantur. Is est duodecim; ergo is est minimus, quem omnes illi tres metiri possunt. Nam et bis sena, et ter quaterna, et quater terna, duodecim fiunt; et hic quoque omnem numerum, qui duodecim multiplicatis fiet, iidem illi numeri tres metiuntur. Ubi duo numeri numerum aliquem metiuntur, qui minimus in illis duobus 790
mensuram habet, ejusdem illius numeri mensura est. Sint dati duodecim, hos et duo et tres metiuntur; minimus autem numerus, quem illi duo metiuntur, senarius est; atquin iisdem etiam duodecim metitur, nam sexies bina duodecim sunt. Idem fit in eo numero, quem tres aliqui metiuntur. Nam hic quoque metitur, qui minimus in illis tribus mensuram habet. Ponantur viginti quatuor: hos et duo et tres et quatuor metiuntur, minimus autem numerus, qui est duodecim, in iisdem illis tribus mensuram habet; atquin hic quoque eos qui viginti quatuor sunt metitur, nam duodecies bina viginti quatuor sunt. Si binis numeris majores minoresque ponuntur sic ut eadem 791
ratio inter majores minoresque sit, quoties major majorem, toties minor minorem metitur. Sint numeri duo et tres, deinde octo et duodecim; eadem inter majores minoresque numeros ratio est; nam et tres duobus et duodecim his qui octo sunt superdimidii sunt. Metiuntur autem tres eos qui duodecim sunt quater, nam ter quaterna duodecim sunt; atqui duo quoque eos qui octo sunt quater metiuntur, nam quatuor bina octo sunt. Quoties singularitas aliquem numerum metitur, toties alius numerus eam etiam 792
metietur. Eveniet ut, quoties singularitas ex secundis ulteriorem numerum metietur, toties is, qui ante in singularitatis mensuram venerit, ulteriorem numerum metiatur. Sint unum et quinque et sex et triginta. Singularitas quinarium numerum quinquies metitur; idem facit senio in triginta; rursus ipsos sex singularitas sexies metitur; at quinarius quoque numerus sexies

tres metiuntur] Sic codices Monacensis (C.) et Darmstattensis, melius quam *metiantur* in editis.

atquin iisdem] Codex Darmstattensis *atque*; sed mutare nolui, quum infra iterum *atquin* recurrat.

major majorem] Sic necessario reponendum erat ex codice Darmstattensi, vulgo *major minorem*.

eam etiam metietur] Locus corruptus.

793 metitur eos qui triginta sunt. Si duo numeri alter alterum multiplicant, eum vero numerum qui sic effectus est aliquis qui per se incompositus est metitur, idem necesse est etiam utrumque ex prioribus metiatur. Multiplicet decas octonarium numerum, fiunt octoginta; hos duo metiuntur, nam bis quadragena octoginta sunt; atquin iidem octo quoque et decem metiuntur, quum
794 bis quaterna octo, bis quina decem fiant. Quotiescunque numeri proportionis ejusdem, quam ἀναλογίαν Graeci vocant, in ordinem ponuntur, primus si ultimum metitur, secundum quoque et deinceps omnes metietur; si secundum metitur, ultimum quoque et medios metietur; si quemlibet denique unum metietur, omnes metietur. Contra si ultimum non metitur, ne secundum quidem, neque quemquam alium; si secundum non metitur, ne ultimum quidem aliumve; si quem medium non metitur, ne alium quidem. Sint tres et novem et viginti septem et octoginta unus et ducenti quadraginta tres; inter hos omnes tripli ratio est. Ternio autem metitur eos, qui ducenti quadraginta tres sunt; ter octogena singula ducenti quadraginta tres sunt; idem ergo metitur novenarium numerum, quum ter terna novem sunt, et quia hunc metitur, etiam ultimum, et quia utrumlibet, etiam ceteros, et quia medium quemvis ex illis, et priores quoque et ulteriores. At duo quia non metiuntur ducentos quadraginta tres, ne novem quidem aut medios; quia novem non metiuntur, ne ducentos quadraginta tres quidem aut medios; quia nullum ex mediis metiuntur, ne ulteriores quidem.
795 Si quotlibet ab uno numero conveniunt proportionis ejusdem, quot per se incompositi numeri ultimum numerum, totidem etiam eum qui ab uno proximus est metientur. Sint numeri, qui duplo increscunt, unum, duo, quatuor, octo, sedecim; ex his eos qui sedecim sunt duo, et iidem se ipsos me-

proportionis] Sic et hic et infra correxi vulgatam *portionis* e codicibus Monacensibus et margine Grotiana; eo magis, quod ipse Martianus supra (§. 289) ἀναλογίαν Latine *proportionem* reddiderat.

unum metietur] Codex Monacensis (A) *unus*, male.

quia hunc] Sic codex Monacensis (C); vulgo *qui hunc*.

quotlibet] Sic anteriores editiones hic et in sequentibus (§. 790. 797), ubi Grotius male semper *quodlibet*.

tiuntur. At sint duodecies centum quadraginta quatuor in mille septingentis viginti octo. Sunt per se incompositi numeri duo tres, quia bis octingenta sexaginta quatuor in MDCLX sunt; itemque ter quingenta septuagena utile; atquin idem duo et tres et duodecim quoque, qui ab uno proximi sunt, metiuntur, quum bis sena, et ter quaterna duodecim sint. Si quotlibet ab uno numeri proportionis 796
ejusdem sunt, minor numerus majorem semper per aliquem aliorum, qui sub eadem ratione sunt, metitur. Sint unum, duo, quatuor, octo, sedecim, triginta duo, sexaginta quatuor. Ex his duo eos qui quatuor sunt, quatuor eos qui octo sunt, octo eos qui sedecim sunt, sedecim eos qui triginta duo sunt, triginta duo eos qui sexaginta sunt, duplicatione metiuntur. At duo eos qui octo sunt quadruplicatione metiuntur; eadem eos qui sedecim

MDCLX] Locum insigniter corruptum reliqui, qualem Grotius ediderat, satisque habeo variantes codicum lectiones enotare, quarum plurimas jam in Grotii margine inveni. Ac primum in Monacensi (C) legitur: »At sint I. XII. CXL. MDCCIV sunt per se incompositi numeri II et III, qui ab his octingenta L bina MDCCIV sunt. Itemque ter D sexaginta VIII.« In altero autem (A): »At sint I. XII. C. LX. II a. a. CC. IIII sunt per se incompositi numeri II, quia bis DCCC quinquagena bina M. DCC. IV sunt. Itemque ter quingenta sexagena octogena.« Porro in Reichenauensi: »At sint I. XII. CXLII. a CCIV sunt per se incompositi numeri II. III, quia ab his octingenta quinquagena bina in MDCCIIII sunt. Itemque ter quingenta septuagena utile.« Absurdum istud *utile*, quod et Grotius edidit, pro eo quod verisimiliter scriptum erat *sex*. In Darmstattensi denique idem locus sic se habet: »At sint I. XII. C. XLII. M. septingenti IIII per se incompositi numeri II et III, qui ab his octingenta quinquagena bina M. DCCIIII sunt; itemque ter quingenta sexagena octona.« Mille in hoc codice semper scriptum est hac nota $\overline{\text{I}}$, qua interdum et *in* significatur. Saepe etiam ij (duo) et *ii* (litera I gemina) confunduntur. Sensus denique hujus loci esse videtur: »omnia membra seriei geometricae dividi possunt per eundem numerum«; id est »omnia illa membra iisdem utuntur factoribus, quibus id quod proximum est a monade.« Scripserit igitur fortassis noster: »Sint I, XII, CXLIV, MDCCXXVIII: sunt per se incompositi numeri II, III, quia bis DCCCLXIV in MDCCXXVIII; itemque ter DLXXVI. Atqui iidem II et III metiuntur quoque XII, qui ab I sunt proximi.« Nempe omnia membra seriei 1, 12, 144, 1728 dividi possunt per 2 et 3, quia simplicissimi hi sunt factores duodenarii numeri, quippe $2^2 \times 3 = 12$.

ex his duo] Grotius ita edidit: »*Ex his* duo eos qui 4 sunt: 4 eos qui octo sunt et eae duplicatione metiuntur. At 2 eos qui octo sunt quadruplicatione metiuntur. Eadem eos qui sedecim sunt metiuntur 4. Itemque« cet.; reliqua ego e codicibus Monacensibus (A. C) restitui.

sunt metiuntur quater; itemque octuplicatione metiuntur duo eos qui sedecim sunt, quatuor eos qui triginta duo sunt, octo eos qui sexaginta quatuor sunt; neque invenitur numerus, qui non et majorem metiatur, et
797 nulla alia mensura id facit, quam quae in iisdem numeris est. Si quotlibet ab uno numeri proportionis ejusdem sunt, et is qui ab uno proximus est per se incompositus est; maximus ex his in mensuram non veniet, nisi qui ejusdem proportionis erit. Sint unum, tres, novem, viginti septem; inter hos tripla proportio est, et uni proximus numerus per se incompositus est; igitur eos, qui viginti septem sunt, nullus numerus metiri potest, nisi aut tres, aut novem, quia sub eadem proportione sunt, quod non ita evenit, si quando ab uno proximus numerus compositus est. Sint unum, quatuor, sedecim, sexaginta quatuor, proximus ab uno numerus per se compositus est; ergo ultimus, qui est sexaginta quatuor, alias quoque mensuras quam quae in hac serie sunt admittit, et duo, et octo, et triginta duo, quum bis tricena bina, octies octona, bis et tricies bina, sexaginta quatuor faciant. Quem minimum numerum duo per se incompositi metiuntur, cum nullus alius per se incompositus metietur. Sumatur quinque et septem; nullum minorem numerum triginta quinque metiuntur, nam quinquies septena et septies quina triginta quinque sunt; atque nullus alius numerus per se incompositus hunc metiri potest, non duo, non tres, non undecim, non tredecim, non sep-
798 tendecim; multo vero minus ulteriores numeri. Si quadratus numerus quadratum metitur, in latere quoque ejus alterius mensura est. Sint duo quadrati numeri quatuor et sedecim; metitur eos qui sedecim sunt quaternio; quater enim quatuor sedecim; atqui in latere quatuor duo sunt, in latere eorum qui sedecim sunt quatuor sunt; duo metiuntur quaternionem, bis enim bina quatuor sunt. Ex hoc etiam illud apparet, ex duobus quadratis numeris, si in alterius latere mensura est, in ipso quoque quadrato numero
799 alterius quadrati mensuram esse. Si quadratus numerus quadratum non metitur, ne in latere quidem alterius mensura est. Sint quadrati numeri quatuor

et novem; quaternio novenarium numerum non metitur; ergo ne duo quidem, qui in latere quaternarii sunt, tres, qui in latere novenarii numeri sunt, metiuntur. Ex hoc etiam illud apparet, ex duobus quadratis numeris, si in alterius latere alterius lateris mensura non est, ne in altero quidem quadrato numeri alterius quadrati mensuram esse. Si tessera tesseram metitur, in latere 800
quoque alterius lateris mensura est. Sint duae tesserae octo et sexaginta quatuor; eos qui sexaginta quatuor sunt octo metiuntur, siquidem octies octo sexaginta quatuor sunt; atqui si in latere ejus tesserae, quae octo habet, duo sint, in latere ejus, quae sexaginta quatuor habet, quatuor sunt, duo quaternarii mensura sunt. Ex hoc etiam illud apparet: si ex duabus tesseris duo alterius latus, alterius mensura est lateris, ejus quoque tesserae alia tessera mensura est; atqui si tesseram tessera non metietur, ne in latere quidem apparens lateris alterius mensura est. Sint duae tesserae octo et viginti septem; eos qui viginti septem sunt octo non metiuntur; ergo quum in latere ejus tesserae, quae octo habet, duo sint, in ejus, quae viginti septem habet, tres sint; duo ternionem non metiuntur. Ex hoc etiam illud apparet, quod si in latere tesserae non est mensura, ne ea quidem tessera eam tesseram metitur. In omni vero numero, qui mensuram in aliquo numero habet, 801
ex eodem et mensurae nomen acquirit, qui mensuram facit. Sint novem, hos ternio metitur, et est etiam novenarii numeri tertia pars in tribus; sint sedecim, hos quaternio metitur, et est quarta eorum qui sedecim sunt quaternio; idemque in ceteris omnibus numeris reperitur. Sequitur autem, ut

alterius mensura est] Vocem *mensura* a Grotio omissam ex anterioribus editionibus restitui, Reichenauensi quoque codice adstipulante.

ergo ne duo] Omisit Grotius *duo*, quamquam anteriores et Reichenauensis id habeant. Paulo post pro *quadrati* in editis e codicibus Monacensibus (A. C) et Grotiano legendum erat *quaternarii*.

altero] Ita codex Darmstattensis; male Grotius *alio*, nec melior ante eum lectio erat *aliquo*.

ejus quae] Verbum *tesserae*, quod inter illas voces insertum in editis erat, expunxi codicis Darmstattensis auctoritate.

etiam illud apparet] A Grotio quidem omissum *illud*; sed editiones anteriores et Reichenauensis codex id habent.

si numero membrum sit, in eo numero mensuram is habeat, cui cum eo membro communĕ nomen sit; ut novenarii numeri membrum in ternione est, eumque tres metiuntur.

802 Hos sat erit cursim numeros memorasse modosque;
Cetera Cecropias aequum perhibere cathedras,
Si tamen ullus inest nostris super halitus aris,
Aut rite in veterem cultum replicantur abollae.
Me spatium admonuit jam claudere fatibus orsa,
Ne superùm nostri capiant fastidia coetus,
Et vetus astrigero pellar Numeraria coelo.
Sic ait, ac reticens propiori adjuncta sorori est.

hos sat erit] Codices Grotianus et Darmstattensis *nos*, sed opposita vulgatam confirmant.

aris] Alios legere *alis* margini Grotius adscripsit.

Numeraria] *Numeraria ἀριθμητικὴ*. Sic glossa Isidori: »Arithmeticus, numerarius.« Gnot. — Deam olim fictam fuisse *Numeriam*, quae *numerare* doceret, Augustinus (de civ. dei 4, 11) docet. Totius carminis argumentum hoc est: »Cetera philosophos artiumque magistros ipsos persecuturos esse spero, modo sacra nostra etiam nunc aliquo modo colantur et antiqua sapientiae studia rite maneant; me tempus est reticere, ne superorum coetus fastidio mei capiatur omniumque deorum matrem (§. 730) turpiter e coelo dejiciat.«

MARTIANI

MINEI FELICIS

CAPELLAE,

AFRI CARTHAGINIENSIS,

DE

ASTRONOMIA

LIBER VIII.

Quae dum geruntur, et deorum sacer senatus illos numerorum con- 805
cinentium repugnantiumque admiratur anfractus, ipsamque feminam quadam venerabilis excellentiae celsitudine reverendam non cassum parentem superûm creditum recognoscit; multitudo etiam quae jussa constiterat sapientum, praesertimque Pythagoras cum sectatoribus cunctis, Platoque Timaei sui caligosa discriminans, arcanis eam laudibus venerantur; nupturamque virginem saepius conspicabunda Pallas quid super dotalis eruditione feminae comprobaret exquirit, et ipsa nutum admirantis associans, Cyllenius autem nullius magis alumnae splendore ac luculentia gloriatus hujus se feminae evehit granditate:

Astronomia] Codex Reichenauensis *de Astrologia*, neque negari potest, duo haec vocabula inter se commutari; attamen jam Sexti (adv. mathem. 5, 1; p. 258) temporibus videmus illud discrimen factum esse, ut Astronomia siderum situs motusque contemplaretur, Astrologia autem themata genethliaca erigeret, de quibus quum Martianus hoc libro non loquatur, vulgatam servare aptius visum est.

creditum] Lege *creditam*. Gnot. — Miror codices non addicere; quorum tamen consensus quum vulgatae lectionis auctoritatem tueatur, ita construendum erit: »recognoscit non cassum creditum (esse) feminam parentem superûm« scil. esse.

jussa] Lege *justa*, id est *juxta*. Non. Gnot. — Ingeniosa correctio, cui vellem codices adstipularentur; nunc vulgatam tueor.

sic Phoebo diutule aliam dotalium intromittere remorante, ne prioris proferae
804 admiratio laberetur, sacrum paululum fuit reverendumque silentium. Silenus interea, ut Evan consecutus pone victus atque acclinis adstabat, seu marcore confectus aetatis, sive anxia inter doctae vocis miracula intentione comprehensus, an alias poculis turgens tunc etiam nuptialis gratiae nomine prolectatus inundantis se temeti infusione proluerat, jam dudum laxatus in somnos, forte repente blandum stertens ranae sonitum desorbentis increpuit. Quo terrore et

sic Phoebo] *Sic* in apodosi vel apud Ciceronem legimus (ad divers. 13, 70): »quia non est obscura tua in me benevolentia, *sic fit* ut multi per me tibi velint commendari.«

proferae] Legendum puto *propere*, cui respondet *diutule commorante*, nisi forte *profera* a *proferendo* sive *προφέρειν* dicatur. Gnor. — Mutandi causam non video, licet adeo unica vox sit, ut in Forcellini lexico ne locum quidem invenerit. Schellerus recepit, sed nescio quo argumento deam aliquam ignotam dixit, quam Arithmeticam esse luce clarius est.

paululum] Sic codices Reichenauensis et Darmstattensis pro *paulum* in editis, quod hic auribus minus est acceptum.

an alias] Forte an melius: »an ut alias a poculis turgens.« Virgilius eodem modo de eodem:

»*Hesterno inflatus venas ut semper Jaccho.*«

Gnor. — Ovidius (met. 11, 90) Silenum pariter atque noster appellat »titubantem annisque meroque«; alioque loco (met. 4, 26) hisce eum describit versibus:

»*Quique senex ferula titubantes ebrius artus*
Sustinet et pando non fortiter haeret asello.«

Grotii correctura opus non esse sponte apparet. De illo particulae *an* usu post *sive* confer simillimum locum Taciti (ann. 14, 59): »Plautum ea non movere, *sive* nullam opem providebat inermis atque exsul, *seu* taedio ambiguae spei, *an* amore conjugis et liberorum«; plura dabit Oudendorpius (ad Appuleji met. 5, p. 373).

proluerat] Virgilius (Aen. 1, 738):

— — »*ille impiger hausit*
Spumantem pateram et pleno se proluit auro«;

Horatius (Sat. 2, 4, 27):

— — »*leni praecordia mulso*
Prolueris melius«;

Persius (prolog. 1):

»*Nec fonte labra prolui caballino*«;

Prudentius (in Symmach. 1, 126):

»*Atque avidus vini multo se proluit haustu.*«

blandum] In MS. *glandum* fuit, postea correctum est *clandum*. Clarissimus autem juvenis Fr. Tiliobroga in MS., quo ille usus est in Germania, qui plerumque cum meo consonat, testatur invenisse *clangum*. Sane in Glossario veteri lego: »clangu et clangor, *ἦχος θαλπιγγος*.« An ibi *clangum* legendum sit nescio, hoc scio ita accipi posse, quemadmodum *tonitrum* et *tonitru* dicimus, et si qua similia. Gnor. — Codices etiam Monacensis (C) et Darmstattensis *glandum* exhibent, quod tamen quum sensu careat, vulgatam retinere satius duxi, qua jocus Martiani ingenio locique colore non indignus continetur.

rapiduli sonitu raucitate concussi eodem se quamplures convertere divi, senisque proflantis somnum atque humentis crapulae exundatione conspecta, risus circumstantium eo maxime quo claudebatur excussus. Tunc quoniam credita jocos nuptialis licentia non vetare, famulitium Veneris vernaculaeque Bromiales tantos cachinnos concussis admodum tulere singultibus, ut quamplures alios connisos cohibere risum hoc maxime in petulantis proruptionis sonitum effusique cachinni libentiam provocarint. Denique, ut semper impatiens atque inverecundus, procax ac protervus assultibus ad eum alacer Cupido atque hilarus accucurrit, atque ut depile rubellumque calvitium senex baculum acclinatus affixerat, palmae verbere percrepantis apploso eoque sonitu reclamantis, risum velut etiam permissum paene omnibus suscitavit.

Tunc vix senex reclusis 805
Creperum videns ocellis

rapiduli] Heinsius (apud Drackenborch. ad Silium Ital. p. 568) pro more suo audacior *aviduli* legi vult; quo jure, docti videant. Nec Grotii conjectura opus esse videtur, qua paulo ante *strepore* legendum pro *terrore* suasit, licet et codex Monacensis (C) pariter atque illius MS. *sterope* exhibeat.

proflantis] Virgilius (Aen. 9, 326):

— — — »*toto proflabat pectore somnum.*«

Ceterum *somno* pro *somnum* requiri quivis videt.

exundatione] Alios *exudatione* legere margini adscriptum est, quod *exsudatione* esse conjicio; magis tamen placet ob majorem vim vulgata.

in petulantis] Vulgo *impetulantis*, cujus in locum quod jam Grotius scribendum esse intellexerat ex codice Reichenauensi restitui.

libentiam] Sic et margo Grotiana et codices Leidenses teste Oudendorpio (ad Appul. 1, p. 32). Vulgo *licentiam*, quod etsi ferri possit, tamen illa lectio exquisitior videtur. Plautus (Stich. 2, 1, 3): »itaque pectus onustum porto *lubentia* laetitiaque.«

inverecundus] Codex Reichenauensis *inverecundis*, male.

accucurrit] Sic codices Monacensis (C) et Reichenauensis, melius quam praesens in editis, quia *suscitavit* sequitur.

calvitium] Hoc antiquitus in stultitiae signum acceptum esse monent interpretes ad Persium (1, 56).

baculum] Primo adspectu magis arridet lectio in margine posita *baculo*; verumtamen vulgatam retinui, quia accusativus pariter atque post *insurgere* (§. 755) ab *affigere* pendere posse videbatur. Multo etiam minus *afflixerat* legendum ex margine pro *affixerat*.

reclamantis] Nimirum *palmae* verberis vehementia quasi *resonantis*. Construe: »apploso verbere palmae percrepantis eoque sonitu reclamantis.«

creperum] Vide supra (§. 2. 116). Ceterum conferenda egregia crapulantis descriptio apud Rutilium Lupum (2, 7; p. 101), ubi plura Ruhnkenius.

Circumspicit ridentes,
Ictuque suscitante
Stupidum dolens tuetur,
Frictuque palmulari
Madida detergit ora.
Tunc motus increpante
Baculum rapit Lyaeo,
Ac dum movere gressum
Cupit avocante Lyde,
Tandem recepta luce
Superûm videt senatum.
Percellitur repente,
Silicerniumque nutans
Tentat celerare cursum;
Tunc motibus negatis
Magis involutus adstat,
Cessimque formidantes
Abeunt pedes tremore,
Titubansque moliensque

Lyde] Uxorem Sileni ait glossa in codice Darmstattensi, neque habeo quod melius afferam. Tamen *avocante* pro *advocante* scribere ausus sum e margine Grotiana et codice Reichenauensi, quia sensus hic esse videtur, abire molientem a Lyde revocatum esse.

silicernium] Apud Terentium (adelph. 4, 2, 48) ipse senex *silicernium* appellatur; quare haud scio an optime *silicernium nutare* intelligatur de homine, qui senili more vacillet. Fulgentius (de serm. antiqu. p. 271 Munck.): »Silicernios dici voluerunt senes jam incurvos, quasi jam sepulcrorum suorum silices cernentes.«

celerare] Pro hoc, quia contra metrum peccat, Oudendorpius (ad Appulejum) reponi voluit *ciere*, Heinsius (ad Valer. Flacc. p. 652 Burm.) *citare*, qui idem mox etiam *labant* pro *abeunt*, et *vergens* pro *turgens* substitui jussit. In codicibus nihil subsidii, nec quod anteriores editiones habent *celere* pro *celerare*; metro medetur; facillimum tamen erit, servatis omnibus vocibus scribere: »celerare tentat cursum.« Reliquis conjecturis facile supersedemus. *Turgentis* vocabulum corporis vastitati optime convenit, neque *abeunt* offendit, modo jungas *cessim abeunt*, id est *labando*, non *retro*, ut docte ostendit Handius (in Turscllino II, p. 30).

Haeret, redit, recurrit;
Tunc victa palpitansque
Turgens cadit senectus.
Fit major inde risus,
Nec scit modum voluptas,
Donec jubente Baccho
Satyrus rapit jacentem,
Scapulisque dat supinum,
Uvidumque quadrimembrem
Colloque complicatum
Utribus parem reportat.

Hac jocularis licentiae alacritate fervente, Satura illa, quae meos curae 806
habuit informare sensus: ne tu, ait, infelix vel Capella vel quisquis es, non

nec scit] Ita e margine Grotiana scripsi pro *nescit* in editis.

quadrimembrem] Quidam codices habent *hiantimembrem*, alius *quadrimembrem*, quae lectio magis placet, ut intelligatur, brachia ad crura complicata habuisse, quod ipsum ex sequentibus duobus versibus explicatur:

»*Colloque complicatum*
Utribus parem *reportat*«,

et tametsi quaedam exemplaria habent *darem*, ita ut ad *Darem* illum Virgilianum possit videri alludere, multo tamen magis probaverim hanc lectionem »utribus *parem*« id est »similem utri complicato« atque ita hodie Hispani hominem ebrium vocant utrem: hoc est *una bota*, ut ipsi loquuntur. Utribus enim pro vasis utuntur ob commoditatem vecturae. Neque enim vasa majora montuosis in locis et quibus navigari non potest jumentis vehi possunt. Vulcan. — Absurdissima lectio *Jacchi membrum*: verior illa *hiantimembrem*; sed nec improbo illam *quadrimembrem*, quemadmodum dicimus »quadrupedem constringere.« Membra autem κατ' ἐξοχήν pedes, uti et γυῖα Graecis, unde ἀμφιγυήεις. Gnor. — Darmstattensis codex *et hiati membrem* habet, atque *darent* pro *parem*; sed unice vera est lectio quam equidem dedi quamque jam Vulcanius Grotiusque probarunt, licet eam ad marginem rejecerint et ineptam *Jacchi membrum* in textu servarint.

ne tu ait infelix] Lege cum MS.: »ne tu ait *Felix*«; quanquam neque male ad *Felicis* nomen per ἀντίφρασιν allusum videri possit. Gnor. — Recte posterius; lusum in nomine esse sequentia quoque produnt, ubi videlicet genitivi *sensus* et *nominis* ad *infelix* referendi sunt, ut apud Silium (12, 432):

»Infelix fidei, *miseraeque secunda Saguntо*«

vel »Mincius *infelix ausi*« apud eundem (9, 627). Hinc *pecudalis* quoque ad *nominis* retuli, nimirum *Capellae*, licet etiam ad *joci* trahi potuisset.

minus sensus quam nominis pecudalis, hujus incongrui risus adjectione desipere vel dementire coepisti? An tandem non dispensas in Joviali cachinnos te movisse concilio, verendumque esse sub divûm Palladiaque censura assimu-
807 lare quemquam vel cerritulum garrientem? At quo etiam tempore Cupido vel Satyrus petulantis ausus procacitate dissiliunt? Nempe quum virgo siderea pulchriorque dotalium in istam venerabilem curiam ac deorum ventura conspectus! Apagesis nec post haec nugales ausus lege hymenaea et culpae velamine licentis obnuberis! Saltem Prieniae ausculta nihilum gravate sententiae: *Μὴ ὄνος λύρας καιρὸν γνώθω.* Tam tristibus asperisque Saturae alioquin lepidulae verberibus demulctatis, cum excusamentis admissi velut procacis

dementire] Recepi, quod Grotius in margine posuerat, pro *dementare* dubiae auctoritatis vocabulo. *Dementit* est apud Lactantium (instit. 4, 27); adde Stephanium (ad Saxon. p. 135).

an tandem] Lege »ain tandem.« Sursius (in Gurl. an. P. 4, p. 10). — At vero in nullo codice ita legitur, sensusque vulgatae satis intelligitur. Melior ejusdem conjectura est, qua mox *velut* pro *vel* legendum suasit; sed codices nihil mutant.

at quo] Forte legendum *ac quo.* Sursius (ibidem). — Grotii lectio *at quo* eodem redit; anteriores editiones *a quo* habebant.

post haec] MS. *post id haec*, lege *postidhac. Postidhac* dicimus quemadmodum *antidhac*, quae vox restituenda fragmento illi, quod citat Nonius in voce *Virgindemia.* Legendum enim:

»*Quid tristiorem video te esse quam* antidhac, *Lampadio?*«

Hodie *ante ad haec* in plerisque codicibus legitur. Gnor. — In meo Nonii exemplo (1, p. 187. Par. 1614 Merc.) *antidhac* legitur. Simili varietate nostro in loco Grotius *post ad haec* scripsit, in margine *post id haec* notavit, codex autem Reichenauensis *post haec* exhibuit, quod recepi.

nugales] Reduxi quod in marginem Grotius rejecerat; vulgo *jugales*; at ex Saturae sententia Martiani ausus ne jugali quidem sive nuptiali lege defendi possunt, sed merae nugae sunt.

saltem] Lego totam hanc periodon, et feliciter (ni fallor) restituo: »Saltem Prieniae ausculta nihilum gravatus sententiae, et *εἰ μὴ ὄνος λύρας εἶ καιρὸν γνῶθι*«, vel cum MS. »et ni *ὄνος λύρας*« etc. Tribuit sententiam Bianti, quam alii Pittaco, quemadmodum illam *γνῶθι σαυτὸν* quidam Chiloni, quidam Soloni ascribunt, ut et illam *τέλος ὁρᾶν βίου.* Vid. Aus. Lud. Sap. in Ludio. Gnor. — Locum dubium et aliquatenus certe corruptum reliqui, qualem in editis inveni. De ipso proverbio *ὄνος λύρας* vide Erasmum (in adag. 1, 4, 35; p. 115).

demulctatis] Lege *demulcatus*, quomodo emendavit similem Taciti sui locum Lipsius, cui encomium non addo, ne plus laudibus detraham quam addam. Gloss. Isidori: »commulcat, conculcat, colludit«; et alibi: »mulcat pugnis vel calcibus caedit.« Gnor. — Alios *demulgatis*, alios *divulgatis* legere idem margini adscripsit; quarum tamen omnium lectionum optima est quam ipse proposuit, modo

involutus, tandem quae puellarum intromittenda paratur inquiro. Ac sic illa nondum stomacho senescente, quo in me invehebatur, exorsa:

Astrigerae jam sedis iter cursumque polorum, 808
Et sacra multivagos qua tollunt sidera flexus,
Dicere tempus adest; video splendescere pulsu
Icta corusciferi subito laquearia coeli:
Illic bis septem solitus servare Triones
Pastor Hyperborea resplendet luce Bootes;
Hinc qua devexo tellus subducitur axe,
Ignoto Canopos sese infert fulgidus astro;
Phoebeos pariter currus rapidosque meatus,
Et toties variae flammantia cornua Lunae,
Quin etiam medios quos nectunt culmina circos,
Oblique et rutilis quo se rapit orbita signis,
Cernere jam videor; tu fingere ludicra praestas,
Viliaque astriloquae praefers commenta puellae!

Talia adhuc canente Satura, vetitus ille ac durissime castigatus denuo 809 me risus invasit. Euge, inquam, Satura me ante poëtriam fecit colere! Coe-

codices addicerent. Miro contra modo textum corrupit in sequentibus per lectionem *involuntur*, cujus in locum non dubitavi anteriorum editionum lectionem *involutus* restituere. *Involutus* dicit eodem sensu quo Horatius (od. 3, 29, 54): »mea virtute *me involvo*«, id est *tueor, defendo*, ut commode ad deprecationem quoque trahi possit.

senescente] Nondum sedata ira. VULCAN.

subito] Codex Darmstattensis *ubi tunc*, contra metrum.

pastor] Meliorem lectionem, quam Grotius ad marginem rejecit, praetuli, adstipulantibus codicibus Monacensi (C), Darmstattensi, et Reichenauensi. Vulgo *plaustro*.

Canopos] Vide nostrum supra (§. 593. 608. 696) et infra (§. 838).

currus] Grotius edidit *cursus*, quod improbat Burmannus (anthol. Lat. II, p. 697 f.) et certe anteriores editiones habebant *currus*.

oblique] Alia lectio in margine est *obliquet*, contra metrum pariter ac sensum. De aequatoris et ecliptices circulis loquitur Martianus, quos medios culmina nectunt, id est qui in punctis aequinoctialibus cohaerent, licet ecliptice cum zodiaco obliquum situm habeat.

praestas] Id est: »tu melior, aptior es ad ludicra fingenda.«

ante poëtriam] Fortasse *artem poëticam*.

pistine Permessiaci gurgitis sitire fontes? Jamne fulgores praevides et vultus deorum? Sed ubi illud repente discessit, quod irrisoria semper lepidaque versutia inter insana semper deridebas vatum tumores, dicabulis cavillantibus saleque contenta, nec minus poëtarum rhetorumque cothurno inter lymphatica derelicto; quod rabido fervebas cerebrosa motu, ac me Sileni somnum ridentem censorio clangore superciliosior increpabas? Ergone figmenta dimoveam et nihil leporis jocique permixti taedium auscultantium recreabit? Peligni de cetero juvenis versiculo resipisce, et ni tragicum corrugaris, ride, si sapis,
810 o puella ride! His me Saturaque mea alterna diutule objurgatione rixatis, aliam dotalium virginum Delius intromissurus egreditur. Et ecce globus quidam lucis aethereae, et concava perspicui ignis aggestio, ut apparebat, intra se quandam virginem claudens, miti vertigine sensim volutus illabitur. Quo candore luminis propinquantis plures irradiati refulsere divi, fatalesque maxime, quorum etiam habitus motusque et quidquid in his ignotum credebatur emicuit; tunc et ipsa extimi coeli contextio ejusdem lucis fulgoribus revibravit. Quo miraculo stupefacti aërii, terrestres, marinique divi, et si quos clausa tel-

Permessiaci gurgitis] Id est *Musarum*. Servius (ad Virgil. ecl. 10, 12): »Callimachus *Aganippen* fontem esse ait *Permessi* fluminis«, unde et Claudianus (de laude Seren. 8):

»*Fons* Aganippea Permessidos educat *unda*«

Boeotiae fluvium fuisse Heliconi vicinum ex Strabone (9, p. 407 Cas.) discimus. Alii *Parnessum* scribunt, quocirca Mutzellius (de emend. Theog. Hesiod. p. 55) nihil dubitat, quin apud nostrum quoque ex antiquissimorum librorum fide *Parmessiaci* legendum sit.

vatum tumores] Non dubito quin Persii (sat. 5, 1) potissimum locum Martianus respexerit:

»Vatibus *hic mos est, centum sibi poscere voces*« etc.

rabido] Sic Grotius: anteriores *rapido*. minus commode.

ergone] Recepi lectionem a Grotio in margine notatam, quae unice sensui convenit; vulgo *ergo nec*.

Peligni] Epigrammatographus:

»*Ride, si sapis, o puella, ride*
Pelignus, puto, dixerat poëta.«

Gnot. — Epigrammatographi nomine Martialem (2, 55) intelligit, qui Ovidii patriae iterum (1, 62, 6) meminit verbis: »Nasone *Peligni* sonant.«

aggestio] Sic libro II de sphaera Lunae: »triformis etiam discolorque *vertigo* terribili quadam majestate rutilabat; quae licet cornigera et aspera videretur *aggestionibus*« cet. Gnot.

miti vertigine] Leni volatu. Vulcan. — Immo *rotatione*. Claudianus (in Eutrop. 2, 339):

»*Quis melius vibrata puer* vertigine molli
Membra rotet« cet.

luris operiunt, Astraeamque Uranien certe Libyssam apparuisse rati, locum consessionis honoratissime praebuere. Et ecce subito prosilit quaedam gemmata, 811
nec minus totis artubus decenter oculea. Huic sidereus vertex, vibrantesque crines; verum alae cum pennis hyalinis et volitandi per mundum remigia crebrius aurata crispantur. Gestabat in manu cubitalem fulgentemque mensuram, in alia librum, in quo praemetata divûm itinera et cursus recursusque siderei cum ipsis polorum cardinibus praenotati ex metallis diversicoloribus apparebant. Quae ubi in medium quam pluribus sibi diis arridentibus venit, ceteris pulchritudinem splendoremque ejus admirantibus, ita coepit: Multae 812
admodum rationis nec ejusdem despicabilis temnendaeque contuitu me, si qua sunt industriae nostrae opera, convenerat reticere. Haec enim verecundae arbitror probitatis, motus cursusque proprios ipsis edisserere qui moventur, docereque deos velle quod faciunt; tum etiam, quod per immensa spatia seculorum, ne profana loquacitate vulgarer, Aegyptiorum clausa adytis occulebar. Quippe quadringenta ferme annorum millia illic reverenti observatione delitui; atque utinam post diluvialis consternationis excursum,

Astraeamque] Forte si vestigia Basileensis liceat sequi: »Astraeamque, aut Uranien certe Libyssam apparuisse rati.« Astraea enim astris a quibusdam praeesse putatur, ut Uranie (quam ob Atlantem Libyssam vocat) coelo: idque nomina docent. Gnor. — Sed cur male edidit *astreantemque*? Anteriores enim editiones jam *Astraeamque* habebant, quod non nisi epitheton Uraniae esse superior locus (§. 28) docet, ubi legimus Uraniam prae ceteris Musis sibi attribuisse »*stellantis* mundi sphaeram extimam.«

oculea] Vide superiorem notam (ad §. 66), ubi etiam de hyalino colore, quem sequentia memorant, dictum est.

contuitu me] Forte ex lituris MS.: »Multae admodum rationis nec ejusdem despicabilis temnendaeque *contuimine*, si quae« cet. Gnor. — Ipse enim *contuitus* ediderat; ablativo restituto nihil difficultatis, opinor, manebit.

qui moventur] Alios *moverunt* legere margini Grotius adscripsit; at haec correctio est scioli, qui ignoraret Martiano deos ipsos pro sideribus sive astris esse (vide §. 93. 97. 125).

Aegyptiorum] De Aegyptiis astronomiae inventoribus vide quae alio loco (in palaeogr. crit. III, §. 134) disputavi; quibus adde Platonem (epinom. p. 986 Steph.).

quadringenta] Alii, teste Grotio in margine, *quadraginta*.

diluvialis] Imitatus nostrum Saxo Grammaticus (in praef. p. 4 f. Steph.) »post diluvialis inundationis excursum« scripsit. Ceterum apparet Martianum hic ad Platonis Timaeum (p. 22. 23) respicere, ubi non modo de diluviis antiquis, sed etiam de

Athenarumque urbem longa intercapedine restitutam, nullae me in Graecia terrestres illecebrae, nec jactantes crinitorum scopas palliolos non tegendam potius quam divulgandam cognovissent! Nunquam profecto itineris rationes reditusque vestri in notitiam hominum ac mortalium curarum illuviem per-
813 venirent. Sed quoniam utcunque in Grajam notitiam errabunda perveni, sufficere oportuit quidquid ab Eratosthene, Ptolemaeo, Hipparcho, ceterisque vulgatum, ne me ultra loquendi necessitas ingravaret. Tamen quia me alumnantis erudientisque Cyllenii reticere non permittit officium, nostrique studii secreta discludere sollertia quoque nubentis invitat; apud vos, superi coelestesque, qui vestra recensebitis meacula, non tacebo.

DE MUNDO.

814 Mundus igitur, ex quatuor elementis iisdemque totis in sphaerae modum

Athenarum antiquitate sermo est, quae vel ipsam Aegyptum aequet omnemque diluviorum memoriam longe superet; licet non eodem quo postea loco sed in Boeotia ad Copaïdem lacum sitae fuisse dicantur, ubi quum Ogyge rege diluvio haustae essent, post longum temporis intervallum restitutas esse tradunt (conf. Strabo 9, p. 407 Cas. Pausan. 9, 24, 2. Müller Orchom. p. 129 seq.). Quod igitur alios legere in margini Grotius notavit *maternarum* pro *Athenarum*, nihili esse patet.

crinitorum scopas] Forte: »nec jactantes crinitorum scopae palliolis non tegendam« etc. Utinam, inquit, ne post diluvium quidem nullae me philosophorum (quos crinitos eleganter vocat) speculationes seu theoremata (*σκοπαὶ*) cognovissent divulgandam potius quam palliolis (quibus utebantur sapientes) tegendam. Gnot. — Locum impeditissimum integrum servare quam corrigendo etiam magis turbare malui, praesertim quum in codicibus nihil praesidii sit, nisi quod Darmstattensis *tegenda* et *divulganda* exhibet. Sensum partim jam perspexit Grotius, in eo tantum lapsus, quod *divulgandam potius quam tegendam* dixit, quum Martianus *tegendam potius quam divulgandam* velit; quare si quid conjecturae dandum, *contegendam* legerim pro *non tegendam*.

Grajam notitiam] In editis additum erat *hominum*, ad quod Grotius: »Dele *hominum* cum MS. Error ex eo natus quod supra in *notitiam hominum* dixerit.« Omisi igitur illam vocem.

meacula] Recte sic margo Grotiana et codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C). Pessime in editis erat *metacula*. Oudendorpius (ad Appulej. I, p. 807) etiam rectam lectionem in vetustissimis reperiri codicibus testatur.

iisdemque totis] Huc pertinet in primis Platonis locus (in Timaeo p. 32): *τῶν δὲ δὴ τεττάρων ἓν ὅλον ἕκαστον εἱλῆχεν ἡ τοῦ κόσμου σύστασις· ἐκ γὰρ πυρὸς παντὸς ὕδατός τε καὶ ἀέρος καὶ γῆς ξυνέστησεν αὐτὸν ὁ ξυνιστάς,*

globatus, terram in medio imoque defixam aeternis coeli raptibus circumcurrens circulari quadam ratione discriminat. Quanquam auscultare physicis in ipso adstruendi limine non dedigner, qui subtilium corporum teneritudinem suis coactibus circumductam in quasdam sectas vias et circulorum intercapedines non aestimant disparari, sed suis fluctibus adhaerentes naturas undiquesecus globoso ambitu orbibusque diffundi. Quarum circa medium, quod dixere centron, aquae primum, aërisque sequens, tertium ignis cyma commemorant; et tunc quinto quodam corporeae substantiae temperamento aethereos circumvolare fulgores, quo loco Solis Lunae ac siderum signiferique orbis se obliquitas circumducit, quod *κυκλοφορητικὸν κῦμα* gymnasia retulerunt; cujus naturae

μέρος οὐδὲν οὐδενὸς οὐδὲ δύναμιν ἔξωθεν ὑπολιπὼν κ. τ. λ.

globatus] Restitui anteriorum editionum lectionem; Grotius nescio unde *globatis*.

in medio imoque] Vide superiores notas (§. 584. 599).

discriminat] Conjicere quis possit *discriminatur*; sed recogitandum est eosdem in terra quos in mundo circulos a physicis statui.

fluctibus adhaerentes] In hanc sententiam disputat Aristoteles (de coelo 2, 8 sequ.). Plura dabit Achilles Tatius (ad Arat. 4 in Petav. Uranol. p. 126). Adde vitae Pythagorae scriptorem (p. 60 Rittersh.).

undiquesecus] Codex Ettenheimmünsteriensis *sectus*; perperam (§. 599. 601. 622. 724. 863).

commemorant] Sic codex Grotianus; vulgo *commemorat*.

tunc quinto] Vulgo *nunc*, quod correxi ex codicibus Ettenheimmünsteriensi, Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi altero (C); sed quod mox Ettenheimmünsteriensis praebuit *quinto loco quosdam*, librarii manum interpolatricem redolet.

κυκλοφορητικὸν κῦμα] *Cido foreticus cyma*, locus corruptissimus. Neque quid haec monstra vocabulorum velint scio, nisi conjunctis duobus prioribus, et *d* in *cl*, qui facilis lapsus fuit, commutato, ita legas: »cyclophoreticum cyma«, Graece *κυκλοφορητικὸν κῦμα*. Vulcan. — Vir clarissimus B. Vulcanius legit *cydo foreticon cyma*, quicum consentit meus manuscriptus; quod ut intelligatur sciendum est physicos Graecos elementa *λεπτομερῆ*, ignem, aërem, aquamque, sed et ipsum aethera *κύματα* vocasse. Sic supra *ignis cyma commemorant* (ita enim ibi lego cum MS. non *commemorat*) quod et elegantissime observavit vir incomparabilis Hermolaus Barbarus. Voce autem *κυκλοφορητικῷ* utitur Athenagoras, et quisquis ille tandem est doctissimus libelli de mundo auctor. Gnot. — Reichenauensis codex rectam praebet lectionem, tametsi Latinis scriptam literis, quam recepi. Idem est *κυκλοφορητικὸν σῶμα* apud Sextum Empiricum (hypotyp. Pyrrh. 3, 4, 31), ubi vide Fabricium (p. 136), quaeque nos ipsi pluribus locis de quinta essentia sive aethere ex mente Aristotelis disseruimus.

gymnasia] Id est *philosophorum scholae*, ut apud Ciceronem (de orat. 1, 13). Aristotelem enim notum est in Lyceo docuisse.

tranquillitas etiam illum extimum tenet ambitioremque cursum, qui ex eo,
815 quod nullis sideribus occultatur, ἄναστρος perhibetur. Si igitur sui similis omnis circumagentium naturarum ambitus reperitur, nulli possunt aethereum tractum circuli variare. Nos igitur circulos non ita dicemus, ut linquentis naturae discrimina corpulenta fingamus, sed ut adscensus descensusque ad nos errantium demonstremus. Neque enim vel axem polosque, quos in sphaera aenea, quae κιρκωτὴ dicitur, ad intelligentiae compendia affixere mortales, ego robori mundanae rationis apponam, quum nihil solidius terra sit, quod eam valeat sustinere; deinde quum poli velut perforatae exterioris sphaerae cavernis

occultatur] Fortean *oculatur*. Sic supra: »nec minus totis artubus decenter *oculea*.« Sive quod astra oculis comparantur, ut quemadmodum Plinius lib. XXXIV capite octavo »statuam erectam *oculatissimo* in loco« testatur. Gnot. — Ingeniosa conjectura, praesertim quum aliis in libris legi videatur *occulatur*, ut ipse Grotius edidit; attamen antiquiorum editionum lectionem restituere non dubitavimus, quippe adeo elegantiorem, quum per *prolepsin* occultari dicatur, quae nullis sideribus illustretur.

ἄναστρος] Ita et Aristides Quinctilianus (de musica l. 3, p. 133 Meibom.): »Septem enim« inquit »planetis octavus est zodiacus; nona vero quae stellis carens (ἄναστρος) sphaera appellatur.«

naturarum] Reposui ex antiquioribus, quod apud Grotium per errorem, ut videtur, in *naturam* corruptum erat.

linquentes] Salmasius (ad Solin. p. 823) corrigit *liquentis*, explicatque »*liquentem naturam* aetheream sive coelestem, in qua nulla corpulenta ac solida discrimina, ut sunt circuli qui in sphaera aenea quae κιρκωτὴ dicitur, adfingi solent«; sed invitis codicibus nihil muto, neque mutari quidquam necesse erit, nisi *linquentis* id est *vacuae naturae* iterum per prolepsin dixisse Martianum conjiciamus. Potest tamen etiam vulgata ita explicari, ut *circulos discrimina corpulenta naturae linquere*, id est quasi naturam ipsam singularum sphaerarum discrimine dirimere intelligamus.

κιρκωτὴ] Manuscriptus *tricote*, lego *cricote*. Aulus Gellius lib. 3, c. 10 de circulis quibusdam loquens ait: »sed eos in sphaera, quae κρικωτὴ dicitur, propter brevitatem non inesse.« Dicta a κρίκος, quod circulum significat. Glossa: »Circulus, κύκλος ἢ κρίκος.« Gnot. — Ediderat scilicet *circite*. Sed codex Monacensis (C) habet *circote*, cujus lectionem omnibus illis meliorem recepi. Quod enim reliquis Graecis κρίκος, id Doriensibus κίρκος (v. Gregor. Corinth. de dialect. p. 360 Schaef.), neque reliquos Graecos eo abstinuisse ostendit Aeschyli locus (in Prom. v. 74): ὀκέλη δὲ κίρκωβον βίᾳ. Permulta esse verba, in quibus illarum literarum transpositio advertatur, Maittaire (de dial. Gr. p. 4) et Matthiae (in gramm. p. 40) ostenderunt, quorum exemplis addere licet *Corcodilus* et *Crocodilus*. Ceterum male codex Ettenheimmünsteriensis omisit vocem *aenea*; spectatur enim illa sphaera artificiosa ab Archimede inventa, de qua supra (§. 585).

sustinere] Egregie Manilius (1, 168) de terra: »*Idcirco manet stabilis, quia totus ab illa*

emineant, et hiatus quidam cardinesque fingantur, quod utique subtilibus aethereisque accidere non potuisse compertum. Sicubi igitur intelligentiae 816
edissertandique proposito vel axem vel polos vel circulos perhibebo, ideali quadam prudentia, non diversitate coeli discreta, sed spatiorum rationibus dispensetur; sicque habeatur quum evexum devexumque mundum dixero, quum similis cunctis suis partibus sit, sublimeturque vel lateat pro conditione horizontis positioneque terrarum.

DE QUINQUE PARALLELIS.

Hoc igitur praemonito illud insinuo, quod quidam Romanorum, non 817
per omnia ignarus mei, stellas a standO, sidera a considendo, astra ab Astraeo

Tantundem refugit mundus: fecitque cadendo
Undique ne caderet — — —

et paulo post (194):

»*Nec vero tibi natura admiranda videri*
Pendentis terrae debet: quum pendeat ipse
Mundus et in nullo ponat vestigia fundo«.

Ita et Ausonius (ecl. 1, 29):

»*Telluris, medio quae pendet in aëre, libra est.*«

Confer et Platonem (in Phaed. p. 109) et Ciceronem (de N. D. 2, 45).

aetherisque] Adjectum est *corporibus* in codice Ettenheimmünstericnsi, quod tamen quum glossematis speciem referat, recipere dubitavi. Consulto potius omisisse Martianus videtur, quum *aetheream* naturam a *corpulenta* sedulo distinguat. Neque in sequentibus erat, cur ex eodem illo codice reciperem *sic igitur ubi*, quod et ipsum pravae librarii sedulitati deberi videtur.

ideali] Similiter Manetho (apotelesm. 2, 30):

»*Τῷδέ τε πάντων εἰδὶ πανέξοχοι ἐννέα κύκλοι*
Ἄνω μὲν προδίοπτοι ἠδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρατοί·
Οἱ δ' ἄλλοι μήτι μερόπων πραπίδιν τε νοητοί,
Ἔνθ' ἀϊδεῖς μὲν ἔασιν ἰδ' ἐν φρεδὶ μοῦνον ὁρητοί« cet.

Confer et Macrobium (in somn. Scip. 1, 15), Appulejum (de dogm. Plat. p. 290 Oud.), et Proclum (de sphaera c. 2 extr.): *μόνος γὰρ ἐν τῷ κόσμῳ κύκλος ἐστὶν αἰσθητὸς ὁ τοῦ γάλακτος, οἱ δὲ λοιποὶ λόγῳ μόνον θεωροῦνται.*

dispensetur] Aliam lectionem *depensetur* Grotius in margine apposuit, sed pravam.

parallelis] Parallelos vocat circulos arcticos, tropicos et aequinoctialem. Gnor. — Plura dabunt Geminus (elem. astron. 4 in Petavii Uranol. p. 14 sequ.), Achilles Tatius (ibidem p. 143. 147 sequ.), Cleomedes (*κυκλ. θεωρ.* 2), Proclus (de sphaera 2), Macrobius (in somn. Scip. 1, 15), Hyginus (astr. 1, 6; p. 551 Munck.) cet.

quidam Romanorum] Varronem fortasse significat, licet in iis illius libris, qui ad nos pervenerunt, una tantum harum etymologiarum exstet (de l. Lat. 6, 14; p. 76), ubi *sidera* dici vult *quae insidant*. Alteram communem habet noster

dicta fuisse commemorat, fabulosisque commentis Graji complevere coelum. Ego praecepta potius edisseram disciplinae, ac decem dici mundi circulos asseveró; quorum alii paralleli, quos aequidistantes Latine possumus memorare, eosdem polos habent, quos ipse mundus. Poli enim sunt, qui a centro circuli linea usque in circumferentias ducta medietatis sectae mensuram aequa
818 ratione discriminant. Verum ex parallelis primus is est, qui et semper apparens et contingens confinia finitoris nunquam mersus assurgit; qui septentrionalis circulus perhibetur ex eo, quod cum ceteris, quae promentur,
819 etiam gemina sidera Septentrionis includit. Secundus autem ex parallelis maximus solstitialis est, ad quem Sol aestivus accedens solstitii fine repulsus
820 abscedit. Tertius aequinoctialis medius maximusque cunctorum, per quem Sol secundo, vel quum in aestivam flagrantiam surgit, vel quum in hiberna descendit, quadam mundi medietate pervectus mensuram noctis lucis aequa-
821 litate compensat. Huic propinquus brumalis, in quem hiemali fine perveniens
822 in aquilonem denuo repulsus assurgit. Quintus autem idemque ultimus au-

cum Isidoro (etym. 3, 71, 4), qui et ipse *stellas* dictas ait a *stando*, eo quod fixae stent semper in coelo nec cadant; *sidera* tamen idem a *considerando* potius derivat. Tertium *Astraeum* invenies apud Aratum (phaenom. 97):

— — »ὃν ῥά τέ φασιν
Ἄστρων ἀρχαῖον πατέρ' ἔμμεναι« —

praeeunte scilicet Hesiodo (theogon. 382). At longe aliam originem proponit Nicomachus (in manuali harmonices 1, 3, 4; p. 6 Meibom.), ab ἀϐτάτως nomen *astri* ducens, οἷον ϐτάϐεως ἐϐτερημένος καὶ ἀεὶ ϑέων, παρ' ὃ καὶ ϑεὸς καὶ αἰθὴρ ὠνοματοπεποίηται.

praecepta potius] Inverso ordine codex Ettenheimmünsteriensis, male; ut et in sequentibus *commemorare* pro *memorare*, et *atque* post *linea* perperam omissum.

quorum alii] »Circulorum enim sphaerae«, ut Procli verbis utar, »alii paralleli sive aequidistantes sunt, alii obliqui, alii per polos ducti. Aequidistantes sunt, quibus iidem cum mundo poli sunt« cet.

finitoris] Id est *horizontis*, de quo jam supra (§. 605). Ceterum Septentriones aequatorem versus vel infra horizontem mergi ipse noster in Geometria monuit (§. 694. 696).

Sol aestivus] Isidorus (etym. 3, 44, 2): »Secundus circulus ex eo ϑερινὸς τροπικὸς dicitur, quia in eo circulo Sol aquilonis finibus aestatem facicus ultra eum circulum non transit, sed statim revertitur, et inde tropicus appellatur.« Sed haec omnia ille pariter atque noster ex Graecis astronomis transtulit, quorum ipsorum paene in singulis verbis concentus est, quare exscribendis illis non praeter necessitatem immorabimur.

secundo] Vide ne *bis* scribendum sit, numeri nota a librariis male intellecta.

stralis quique antarcticus perhibetur; hic mersus ac vix altiore circuli extremitate horizontis defixa contingens tanti tamen spatii quanti septentrionalis circulus ratione monstratur, ei etiam invenitur oppositus.

DE COLURIS.

Consequens reor coluros demonstrare: quorum pars desuper, quaedam 823
alia in imo versatur occulta, de quibus non nescio scriptorum variare definita. Nam alii a septentrionali cardine in meridianum duci circulum perhibent, exindeque sub terras meantem denuo in arcticum apicem sublimari; alii vero contra a cardine meridiano inchoamenta circuli perhibentes, eundem per arcticum verticem unde ortus denuo retulerunt; qui quidem alium ab

horizontis defixa contingens] Africanum scriptorem cognoscas, cujus patria tam prope jam ad aequatorem accedat, ut sphaeram multo obliquiorem quam nos conspiciat; utque supra septentrionalem circulum horizontis confinia attingere dixit, ita consentaneum est oppositum quoque ad ipsum prope horizontem pertinere. Quanquam haud scio an non tam suae ipsius observationi, quam alii auctori haec omnia debeat, fortasse Aegyptio, unde omnem subtiliorem astronomiae notitiam ad veteres transiisse constat. Prorsus similiter Proclus: *Ἀνταρκτικὸς δέ ἐστι κύκλος — ἐφαπτόμενος τοῦ ὁρίζοντος καθ' ἓν σημεῖον καὶ ὅλος ὑπὸ γῆν ἀπολαμβανόμενος.*

coluros] Geminus (p. 19) et Proclus (c. 10) iisdem fere verbis: *Διὰ τῶν πόλων δέ εἰσι κύκλοι οἱ ὑπό τινων κολουροὶ προσαγορευόμενοι, οἷς συμβέβηκεν ἐπὶ τῶν ἰδίων περιφερειῶν τοὺς τοῦ κόσμου πόλους ἔχειν. Κολουροὶ δὲ καλοῦνται διὰ τὸ μέρη τινὰ αὐτῶν ἀθεώρητα γίγνεσθαι. Οἱ μὲν γὰρ λοιποὶ κύκλοι κατὰ τὴν περιστροφὴν τοῦ κόσμου ὅλοι θεωροῦνται· τῶν δὲ κολουρῶν κύκλων μέρη τινά ἐστιν ἀθεώρητα τὰ ὑπὸ τοῦ ἀνταρκτικοῦ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα ἀπολαμβανόμενα. Γράφονται δὲ οὗτοι οἱ διὰ τῶν πόλων διὰ τῶν τροπικῶν καὶ ἰσημερινῶν σημείων καὶ εἰς τέτταρα μέρη ἴσα διαιροῦσι τὸν διὰ μέσων τῶν ζωδίων κύκλον.* Adde Manethonem (2, 43):

»*Τοὺς δὲ μέσους τέμνουσι δύω κύκλοι ἄξονος αὐτοῦ*
Ἄκρης ἀρχόμενοι κορυφῆς· αὐτοί γε μὲν ἄμφω
Ἀλλήλους ἄχρις νοτίου τέμνουσι πόλοιο
κ. τ. λ.

et Macrobium (in somn. Scip. 1, 15): »Praeter hos alii duo sunt coluri, quibus nomen dedit imperfecta conversio. Ambientes enim septentrionalem verticem, atque inde in diversa diffusi, et se in summo intersecant, et quinque parallelos in quatuor partes aequaliter dividunt, zodiacum ita intersecantes, ut unus eorum per Arietem et Libram, alter per Cancrum atque Capricornum meando decurrat; sed ad australem verticem non pervenire creduntur.«

ortu circulum decussantes in quatuor quadras mundi ambitum discreverunt.
824 Verum ego, quod Hipparchus meus scriptorum veritate complexus, hos dico a signis zodiaci cycli venientes, et tam inter se secundo conjunctos, quam omnes parallelos angulis aequales persecantes in cardines pervenire. Nam unus ab Arietis octava parte natus ambito mundo per polorum vertices ad eandem recurrit; alius simili complexu mundum a Cancro exortus includit, quod planius postmodum faciemus.

DE OBLIQUIS.

823 Verum nunc obliqui sunt edicendi. Quorum signifer duodecim discriminibus interstinctus, ex parallelis duos solstitialem brumalemque contingens, aequinoctialem medium secat secundo, nec ad pares angulos aut findit aut
826 finditur; qui Soli Lunaeque iter praebet cum quinque sideribus. Galaxias

ambitum] Sic dedi ex codicibus Reichenauensi et Darmstattensi pro *ambitu*, quod in editis erat; non autem recepi *decursantes*, quod pro *decussantes* in margine Grotius notavit (vide supra §. 37 not.), neque infra *varietate* pro *veritate* ex eadem.

secundo] Grotius *secundae*, anteriores tamen editiones et codices longe plurimi *secundo* praebent, quod restitui, licet hic etiam temperare mihi nequeam, quin ut supra (§. 820) et infra (§. 825. 872) per librariorum errorem pro *bis* scriptum esse putem.

octava parte] Martianus *partes* intelligit, quos nos *gradus* appellamus. Delambre (l. c. p. 511) eum reprehendit in eo, quod Manethonem hic secutus sit neglecto Hipparcho, quem tamen suum appellarit. Varias astronomorum sententias circa puncta solstitialia et aequinoctialia in signis refert Achilles Tatius (p. 146 Petav.).

a Cancro] Alii codices, quos inter Monacensis (C) et Reichenauensis, *a Leone*; sed vulgatam lectionem veriorem esse, inferior locus (§. 855), quem respicit noster, docet.

nec ad pares] Sic margo Grotiana, et codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis (C); vulgo *nunc* sine sensu. Proclus (c. 11) et Geminus (p. 20): *λοξὸς δὲ κέκληται ὁ ζωδιακὸς κύκλος διὰ τὸ λοξῶς τέμνειν τοὺς παραλλήλους κύκλους*, id est ex Linacri interpretatione: »quod aequidistantes ad *inaequales angulos* intersecet.« Obliquitatem autem zodiaci mature veteribus innotuisse constat, cujus inventionis laudem alii ad Pythagoram, alii ad Anaximandrum (Plin. hist. nat. 2, 6), alii ad Oenopidem Chium (Plut. plac. phil. 2, 12; Macrob. Saturn. 1, 17) referebant, ut taceam anonymum vitae Pythagorae scriptorem (p. 61 Rittershus.), qui Aristotelem demum eam reperisse tradit.

Galaxias] Viam lacteam inter maximos circulos olim relatam esse multi veterum loci ostendunt. Macrobius (in somn. Scip. 1, 15): »Est autem

vero lacteus obliquorum multo majore ambitu porrectus etiam visibus approbatur. Nam confinio septentrionalis circuli natus, in finitorem antarcticae regionis acclinans, paene totum videtur permeare coelum; quem quidem mihi desipere videntur qui circulum negaverunt. Superest jam unus e circulis, quem quidem, quod locis momentisque omnibus variatur, dubito quid appellem. Hic tamen novissima supernaque discriminans, atque undique in superficiem telluris lineae flexu ambientis incumbens, horizon vel finitor perhibetur.

DE SEPTENTRIONALI CIRCULO.

Sed quoniam expositi circuli breviter claruerunt, nunc eorum spatia, 827

lacteus unus e circis qui ambiunt coelum et sunt praeter eum numero decem — de hoc lacteo multi inter se diversa senserunt, causasque ejus alii fabulosas, naturales alii protulerunt.« Philosophorum de eo placita exstant apud Aristotelem (meteor. 1, 8), Plutarchum (3, 1; p. 892), Stobaeum (ecl. 1, 28; p. 573 Heer.); nos hic Proclum potissimum audiamus (de sphaera 18): *λοξὸς δέ ἐστι κύκλος καὶ ὁ τοῦ γάλακτος· οὗτος μὲν οὖν μείζονι πλάτει λελόξωται τῷ τροπικῷ κύκλῳ, συνέστηκε δὲ ἐκ βραχυμερίας νεφελοειδοῦς, καὶ ἔστιν ἐν τῷ κόσμῳ μόνος θεωρητός· οὐχ ὥρισται δὲ αὐτοῦ τὸ πλάτος, ἀλλὰ κατὰ μέν τινα μέρη πλατύτερός ἐστι, κατὰ δέ τινα στενότερος, δι' ἣν αἰτίαν ἐν ταῖς πλείσταις σφαίραις οὐ καταγράφεται ὁ τοῦ γάλακτος κύκλος· ἔστι δὲ καὶ οὗτος τῶν μεγίστων κύκλων, μέγιστοι γὰρ ἐν σφαίραις λέγονται κύκλοι οἱ τὸ αὐτὸ κέντρον ἔχοντες τῇ σφαίρᾳ.* Adde Aratum (468), Manethonem (2, 53), Isidorum (etym. 3, 46; p. 152 Arev.), inque primis Hyginum (poët. astr. 1, 6; p. 351 Munck.): »Qui lacteus vocatur, contrarius aequinoctiali, ubi oportet ut eum medium dividere et bis ad eum pervenire videatur, semel in eo loco ubi Aquila constituitur, iterum autem ad ejus signi regionem, quod *Προκύων* vocatur. Duodecim signorum partes sic dividuntur: quinque circuli, de quibus diximus (paralleli), ita ut unusquisque eorum dividatur in partes duodecim, et ita ex eorum punctis lineae perducantur, quae circulos significent factos, in quibus duodecim signa describantur.« Nonnulla et ipse noster supra (§. 97. 207) et infra (§. 833).

quid appellem] Lege *qui appellem*. Gnor. — Grotii mentem profecto non intelligo; ambigit Martianus, quid eum circulum esse dicat, qui, ut ait Macrobius (l. c. 1, 15), »certum locum habere non possit, sed pro diversitate circumspicientis habitantisve varietur«, neque ultra quadringenta stadia, si Proclum sequimur (de sphaera 15) idem maneat.

horizon vel finitor] Alios interserere *vel criens* margini Grotius adscripsit, quod et in anterioribus editionibus et in codicibus Reichenauensi et Ettenheimmünsteriensi legitur; sed rectius Grotius omisit, quum omni sensu careat nec nisi ex male intellecta voce *ὁρίζων* per *διττογραφίαν* ortum esse videatur.

unde primo coeperam, perhibebo. Ac prius ad septentrionalis circuli redeam granditatem; in quo more geometrico duo primo signa composui ad circulum perducendum, id est unum quod centron, aliud quod peripherian demonstraret. Itaque in ipso mundi cardine posui clarius sidus, atque ab eo ad Draconis caput, quod jam notaveram usque ad finitoris circulum pervenire, lineam duxi; quam postea manente centro mente circumagens circulum designavi, atque ab omni parte spatium aequale complexa per haec sidera peripheria circumducta pervenit: a capite Draconis et dextro pede ejus qui appellatur Engonasis ad medium Cephei pectus, tunc ad pedes priores majoris Ursae, inde rursus ad Draconis caput.

DE SOLSTITIALI.

828 Huic circulo confinis solstitialis, quem itidem lineari dimensione a cardine mundi in octavam Cancri partem ducta, quo Sol accesserat solstitio, reperimus eundem circulum ambitu potiorem per haec tamen signa curvari: incipit ab

coeperam] Grotius in margine: »al. *conceperunt*.« Non necesse.

lineam duxi] Lege cum MS. *lineam dixi*. Gnor. — Fefellit Grotium prava distinctio, qua *pervenire* cum verbo *dixi* jungendum arbitraretur; qua correcta omnia jam plana vulgatamque unice sanam esse apparebit.

peripheria] Sic codices Grotianus et Ettenheimmünsteriensis; vulgo *per sphaeram*.

a capite Draconis] Hyginus (astr. poët. 4, 6; p. 468 Munck.): »Arcticon igitur orbem sustinet caput Draconis cum reliqua corporis parte; Cepheus autem pectore suo circulum jungit. Eodem orbe nituntur et pedes majoris Ursae, praeterea sedile Cassiepeiae cum pedibus ejus nititur ipsi circulo, sinistro pede genuque dextro et pedis prioribus digitis ejus qui Engonasin vocatur; et manus sinistra Bootis exteriori parte circuli convenit conjuncta.«

ambitu potiorem] Codices Monacensis (C) et Darmstattensis *potiore*, cui Ettenheimmünsteriensis adjungit *porrectum*, ut supra (§. 826); sed haud scio an haec mera correctio sit a librario profecta.

per haec] Vide Aratum (480) et Hyginum (4, 2; p. 465): »In aestivo circulo haec signa sive partes eorum conspiciuntur: capita Geminorum, Aurigae genu utrumque, Persei crus et humerus sinister; Andromeda autem a pectore sed manu sinistra dividitur — — Praeterea in eodem circulo pedes equi Pegasi positi videntur, et caput a reliquo corpore dividitur Oloris — Ophiuchus humeris ut circulum sustinere videtur; Virgo prope contingens a capite inter hunc et aequinoctialem circulum collocata est — Leo a pectore ad lumbos dividitur, ut

octava parte Cancri, cujus omne corpus in longitudinem secat, ad Leonis pectus ac ventrem; inde ad Ophiuchi humeros, deinde ad caput Cygni, deinde ad ungulas Equi, ac protinus ad dextram Andromedae manum, deinde ad sinistrum Persei crus ejusdemque sinistrum humerum, inde ad utraque Heniochi genua, et proxime ad Geminorum capita, a quibus rursus ad octavam Cancri ipsius partem.

DE AEQUINOCTIALI.

Aequinoctialis demum circulus bis admensus a poli termino circum- 829
actus, tam in Arietem quam in Libram linea permeante, per haec signa circulum cludit: ab octava parte Arietis per totum corpus ejusdem ad reductum Tauri pedem, inde ad mediam Orionis alvum, deinde per edictas curvationes Hydri Crateraque et Corvum ad octavam Librae partem inter duas lucidas signi illius stellas; inde ad utraque Ophiuchi genua, ac tum per Aquilam ad Pegasi caput, a quo rursus ad octavam Arietis partem.

DE BRUMALI.

Brumalem vero circulum similiter signo in octava Capricorni parte defixo 830
per haec meare comperimus: ab octava parte Capricorni per totum corpus

caput ejus et corporis superior pars inter hunc et arcticum circulum videatur — Cancer autem sic dividitur medius, ut inter duos oculos ejus circulus trajectus existimetur.«

cludit] Sic codices Monacensis (C) et Darmstattensis; vulgo *includit*, codex Ettenheimmünsteriensis *concludit*, quod correctionem olet.

Arietis] Hyginus (4, 3; p. 465): »Secundus ab aestivo aequinoctialis est circulus, in quo haec signa et partes eorum perspici possunt: Aries totus omnibus pedibus innixus videtur — — in eodem Tauri genua ut fixa perspiciuntur, etsi nonnulli ita finxere, ut uno genu, hoc est dextro nixus sinistro prope contingere videatur — in eodem circulo zona Orionis, ut ipso circulo praecinctus existimetur; Hydra flexu a capite primo, ut cervicibus erectis Cancrum attingere videatur, et ex inferiore corpore Hydrae Crater cum Corvo velut fixus esse circulo conspicitur. Item paucae stellae Chelarum eodem adjunguntur; Ophiuchi genua eodem circulo a reliquo corpore dividuntur; Aquila sinisteriore penna paene contingens figurata est, eodemque circulo caput Pegasi cum cervicibus nititur.«

per haec meare] Hyginus (4, 4; p. 467): »Me-

ejus ad pedes Aquarii; inde ad Ceti ultimam caudam, ac dehinc ad Leporem prioresque Caniculae pedes; inde per Argo tergusque Centauri ad Scorpionis aculeum, deinde per Sagittae ultimam partem ad octavam Capricorni partem circulus revocatur.

DE ANTARCTICO.

831 Ultimus ex parallelis, qui vocatur antarcticus, tantundem spatii quantum septentrionalis includit. Quem quidem meantem, quibus sideribus circuletur, ego poteram memorare; neque enim mihi ulla coelestis globi portio habetur incognita; sed quoniam per ignota superioris partis visibus hominum distenditur, dicere praetermitto, ne incomperta falsitatem admiscere videatur assertio.

ITEM DE COLURIS.

832 Melius coluros demonstremus, licet ipsi quoque aliquid curvationis abdentes non se totos visibus repraesentent, tamen quia conjectura non errat, poterunt demonstrari. Atque ita eorum primus, qui ab aequinoctiali parte sumit auspicium, ab octava Arietis parte contingens ultimum Deltotos angulum, ac mox summum contingens Persei caput dextrumque ejus brachium, proxime manum secans per septentrionalem circulum ad cardinem mundi pervenit; a

dium Capricornum dividens et pedes Aquarii per caudam Pistricis ut trajectus videtur; dividit etiam Leporem fugientem a cruribus et quadam parte corporis, et Canis sequentis pedes, et Navis ipsius puppim, Centaurique cervices ab reliquo corpore dividit. Scorpionis extrema cauda, quod acumen vocatur, eodem circulo conjungitur; Sagittarii arcus eodem orbe deformatur.«

quibus sideribus] Nonnulla commemorat Hyginus (4, 6; p. 469): »Ad antarcticon autem circulum pervenit extrema navis Argo, pedesque Centauri posteriores adjunguntur; priores autem prope contingere et Ara videtur prope affixa, Eridanique fluminis extrema significatio.«

per ignota] Recepi lectionem a Grotio in margine notatam, adstipulantibus codicibus Reichenauensi et Ettenheimmünsteriensi; vulgo *per ignotas superiores partes visus*, quod corrigendum vidit et Bondamus (var. lect. p. 60).

abdentes] Grotius nescio unde *addentes*, quod falsum esse apparet (§. 823).

Deltotos] Lege *Deltotou*. Sic in Geometria *Isthmou* legendum docuimus et infra *Diarhodou*. Grot. — Equidem ut supra (§. 655) *Isthmos* ser-

quo per caudam Draconis ad sinistrum Arctophylacos proximeque ad Bootis stellam ductus dextrum Virginis pedem sinistrumque contingit, in quo octava pars Librae est; unde ad dextram manum Centauri, qua pantheram tenet, divisus haud procul ab eo loco, quo sinistram Centauri ungulam tetigit, in regionem inconspicuae nobis partis obruitur; unde emersus infra Cetum per corpus ejus aversique cervicem ad caput atque inde ad octavam partem Arietis redit. Alter autem colurus, qui etiam tropicus dicitur, ab octava parte Cancri 833
consurgit ad sinistrum ex prioribus Ursae pedem per ipsum pectus ejus cervicemque; inde ad cardinem pervenit mundi, at inde per clunes minoris Ursae et bis per Draconem ad sinistram alam Cygni cervicemque perductus ultimum Sagittae spiculum et proxime rostrum Aquilae contingit, a qua ad octavam partem Capricorni descendit; inde haud procul mersus in regionem inconspicuam infra Argo resurgit, cujus et gubernaculum et rectam puppim secans ad octavam partem Cancri redit.

DE SIGNIFERO.

Duos jam superesse circulos dubium non habetur, quos quidem obliquos 834

vari, ita et hic codicum lectionem deserere nolui, qui Martiani quoque error esse poterat.

contingens Persei] Codex Ettenheimmünsteriensis omittit vocabulum *contingens*, fortasse quia jam antea legebatur; sed quum in his descriptionibus astronomicis summa perspicuitate opus sit, ut appareat utrum circulus, de quo agitur, *contingat* tantum an *secet* aliquod sidus, Martianus consulto verbum iterasse videtur.

Bootis stellam] Arctophylax hic a Bootis stella discernitur, quod quo pacto fieri potuerit ignoro. Cicero (N. D. 2, 42):

»Arctophylax *vulgo qui dicitur esse* Bootes.«

Fortasse *Booten* dixit qui alias *Arcturus* appellatur, maximam Arctophylacis stellam, quum proprie Arcturus et Arctophylax non magis diversi fuerint, quam Arctophylax et Bootes. Conf. J. H. Vossium (ad Aratum 91), nostrumque infra (§. 838).

inconspicuae] Veram lectionem anteriores jam habebant, unde Grotius suam correxit; sed cur perperam edidit *conspicuae*? Eadem res infra (§. 853).

at inde per clunes] Codex Ettenheimmünsteriensis *ac*, quod tamen aeque recipere dubitavi, atque infra *ductus* pro *perductus*, mox *Aquilae rostrum* pro *rostrum Aquilae*, et *inde ad octavam* pro *a qua*; pariterque causam non vidi cur lectiones a Grotio in margine notatas *et inde* pro *et bis*, et *verticesque* pro *cervicemque* vulgatis praeferrem.

rectam puppim] Alii, teste Grotio in margine, *erectam*, haud male, nisi is potius sensus esse videretur, colurum puppim *recto angulo* secare.

dici superius memoravi. Quorum unus signifer non ut ceteri, quos linealiter feci, sed latissimus omnium comprobatur; quem quum in duodecim spatia discernerem, singulis triginta partes non nescia rationis adscripsi. Verum ejus latitudinem circuli tetendi in duodecim portiones, ut tantundem spatii habeat latitudo, quantum longitudini duodecim partes attribuunt; quod cur factum sit, facile est loco eo, quo de Sole loqui coepero, demonstrare, qui per
853 mediam circuli ejusdem lineam solus fertur. Cujus circuli ambitum per duodecim signa admodum clara circumagi dubium non habetur. Nam galaxias

signifer] Proclus (de sphaera 11): *λοξὸς δέ ἐστι κύκλος ὁ τῶν δώδεκα ζωδίων, αὐτὸς δὲ ἐκ τριῶν κύκλων παραλλήλων συνέστηκεν, ὧν οἱ μὲν τὸ πλάτος ἀφορίζειν λέγονται τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου, ὁ δὲ διὰ μέσων τῶν ζωδίων καλεῖται· οὗτος δὲ ἐφάπτεται δύο κύκλων ἴσων καὶ παραλλήλων, τοῦ μὲν θερινοῦ τροπικοῦ κατὰ τὴν τοῦ καρκίνου πρώτην μοῖραν, τοῦ δὲ χειμερινοῦ τροπικοῦ κατὰ τὴν τοῦ αἰγοκέρωτος πρώτην μοῖραν· τὸ δὲ πλάτος τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου ἐστὶ μοῖραι δώδεκα.* Plura de zodiaco in Palaeogr. crit. Vol. III et IV exposui.

feci] Ita anteriores editiones: perperam Grotius *fecit*.

latitudinem] Manilius (astron. 1, 679):

»*Et* ter vicenas *partes patet atque* trecentas
In longum; bis sex latescit *fascia partes*.«

Adde Hyginum (poët. astr. 4, 5 extr.): »Priores enim astronomici quum omnes res ad *duodecim partes* revocarent, ut menses et horas et *latitudinem signorum*, itaque et signa, per quae res omnes significantur, duodecim voluerunt esse.«

galaxias] Clarius ejus cursum exposuit Manilius (astron. 1, 682 sequ.):

»*Alter in adversum positas succedit ad Arctos,*
Et paulo a Boreae gyro sua fila reducit,
Transitque inversae per sidera Cassiepiae;
Inde per obliquum descendens tangit Olorem,
Aestivosque secat fines Aquilamque supinam
Temporaque aequantem gyrum zonamque ferentem
Solis equos, inter caudam qua Scorpius ardet,
Extremamque Sagittari laevam atque sagittam;
Inde suos sinuat flexus per crura pedesque
Centauri alterius, rursusque adscendere coelum
Incipit Argivamque ratem per aplustria summa
Et medium mundi gyrum Geminosque per ima
Signa secans subit Heniochum, teque unde profectus,
Cassiepia, petens super ipsum Persea transit.«

Adde Hyginum (4, 7): »Reliquum est nobis definire quem supra lacteum orbem demonstravimus. Ipse enim dividit Oloris extremam sinistram pennam, quae extra aestivum pervenit finem; deinde transit manum dextram Persei, et ab humero sinistro Aurigae perveniens sub manum ejus dextram et Geminorum genua et pedes ejus signi quod Procyon vocatur; hic dividens aequinoctialem et aestivum circulum tangit extremum finem mali qui in Argo nave defixus videtur; deinde rursus revertens genua Centauri dividit a reliquo corpore et extremam caudam terminat Scorpionis et arcum medium Sagittarii et Aquilae dimidiam partem, per ejus transiens pennas.«

non magis ratione quam oculis approbatur; cujus ultra regulam et plerumque deficiens latitudo a Cassiopeae astro in Scorpionis aculeum longitudine compensatur.

DE HORIZONTE.

Superest circulus solus finitor, qui ex eo, quod semper surgentis deme- 856
antisque mundi diversitatibus varietur, certum astrorum ordinem non poterit retinere.

QUID SIT SPATII INTER CIRCULOS.

Jam nunc inter circulos universos quid interstitii vel spatii intercapedo 857
naturalis immiserit, aequum explicare. Nam inter septentrionalem circulum, quem in spatia octo resecavi, et inter solstitialem interpatet tantundem, quantum interest inter octo et sex. Nam idem interjectus spatiis similibus continetur, in quo fit, ut major sit circulus ab eodem interjectu pari spatio et ejusdem tertia portione. Alia intercapedo inter solstitialem aequinoctialemque circulos

longitudine] *Latitudine*, quod legitur in editis, apertum esse videtur mendum; veram lectionem codex Ettenheimmünsteriensis praebuit, quam ut intelligas, tenendum est dimidiatam tantum circuli longitudinem apparere. Possit tamen fortasse vulgata quoque defendi Achillis Tatii loco (isag. in Aratum c. 25, p. 144 Petav.), ubi pariter zodiaci *latitudo* (πλάτος) appellatur τὸ ἀπὸ αἰγοκέρωτος μέχρι καρκίνου διάστημα, quibus verbis ipsa ejus dimidia pars significatur; cui adde Geminum (p. 28 Petav.).

immiserit] Sic pro *immerserit*, quod nihili est in editis, margo Grotiana codicesque Reichenauensis, Ettenheimmünsteriensis, et Darmstattensis. Praeterea paulo post in Ettenheimmünsteriensi legitur *aequum est* pro *aequum* in editis, cujus tamen mutandi causa non erat.

inter octo et sex] Praepositionem a Grotio neglectam ex anterioribus editionibus, adstipulantibus etiam codicibus omnibus, restitui. Ceterum diversa haec Martiani ratio est a reliquis, qui quum meridianum circulum in sexaginta partes dividant, senas partes inter polos et circulos polares, quinas inter polares et tropicos, quaternas inter tropicos et aequinoctialem constituunt; ut Manilius (1, 568 sequ.), Achilles Tatius (isag. in Arat. p. 150 Petav.), Proclus (de sphaera 9), Hyginus (astr. poët. 1, 6; p. 349 sequ.), atque etiam Pseudo-Hipparchus ad Aratum (p. 265 Pet.), qui trecentas sexaginta partes facit; ex Martiani ratione hemisphaeriis singulis tricenae senae, universo igitur meridiano septuaginta duae partes tribuuntur.

interjectus] De hoc vocabulo vide Stephanium (ad Saxon. p. 19).

minor est a superiore interjectu, quantum quatuor numeri ad sex; ab aequinoctiali ad brumalem similis; a brumali autem ad austrinum talis est, qualis illa, quae inter septentrionalem solstitialemque circulos interjecta; circulusque ipse austrinus tantum habet ad cardinem suum, quantum septentrionalis ostendit.

DE FIXIS SIGNIS.

838 Peracta jam spatiorum circulorumque breviter ratione, cetera quae appellantur inerrantia percurramus. Dubium enim non est triginta quinque signis omne coelum splendescere, nisi forte velit quis eorum gestamina sociare, licet animalium vocabulis censeantur; ut capram, quae Heniocho superposita, aut haedos qui ejus humeris sustinentur, vel serpentem quem Ophiuchus tenet, aut pantheram quam Centaurus gestat, quae sidera velut partes ha-

similis] Codex Ettenheimmünsteriensis addit *proportio*, quo tamen additamento facile supersedemus, si *intercapedinem* ex antecedentibus repetimus.

austrinum] Alios et hic et ubique *australem* legere Grotius in margine notavit; sed utroque pariter optimi auctores utuntur.

spatiorum circulorumque] Codex Ettenheimmünsteriensis inverso ordine: *breviter spatiorum circulorumque*; moxque *totum coelum* pro *omne*.

inerrantia] Ita jam Cicero appellavit quae Graece ἀπλανεῖς dicuntur (N. D. 2, 21), ne ambiguitatem formae Martiani culpae tribuas.

triginta quinque] Hyginus pariter atque personatus Eratosthenes in Catasterismis quadraginta duo numerat, comprehensis nimirum zodiacalibus, quae noster seorsim habet, ut triginta tantum praeterea relinquantur. Corvum videlicet et Cratera cum Hydro jungit, Coelulum autem sive Coronam australem prorsus omittit; plures nec ipse noster habet, nec unde triginta quinque absolvam scio, nisi Aquam addiderim et Canopum, quae extremo posuit, sed ut ipse partes potius signorum quam signa ipsa esse intelligeret. De reliquis, nisi quid peculiariter monendum fuerit, lectores commode ad illorum alterutrum praetereaque ad Aratum atque Manilium ablegabimus.

velit quis] Ita codices Ettenheimmünsteriensis et Grotianus pro *velit quisque* in editis.

capram] Apud Grotium errore expressum erat *capra*, quod correxi. Ceterum confer Geminum (elem. astr. c. 2, p. 13 Petav.): *ὁ δὲ ἐν τῷ ἐνωνύμῳ ὤμῳ τοῦ Ἡνιόχου κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ Αἴξ προβαγορεύεται· οἱ δὲ ἐν ἀκρᾳ τοῦ αὐτοῦ χειρὶ κείμενοι ἀστέριςκοι δύο Ἔριφοι καλοῦνται.*

pantheram quam] Sic codex Ettenheimmünsteriensis; vulgo *quem*, quod *panthera* antea scribi postularet. Ceterum simpliciter *θηρίον* appellat Aratus (phaenom. 441), unde *bestiam* Vitruvius (9, 4 s. 7); Hyginus autem (2, 38. 3, 37) *hostiam*, quam supra aram tenens immolare videatur. Adde

bendae sunt potiorum. Haec igitur quinque et triginta signa circuli interjacentis ambitu discernuntur: nam alia sunt aquilonia, alia austrina; a regione quippe zodiaci quae Septentriones versus depicta sunt aquilonia perhibentur, interius autem numerantur austrina. Aquilonis igitur habent partem utraque Septentrio, Draco qui inter utramque flexuosus illabitur, Arcturus quem alii Booten appellant, Corona Ariadnes, Nisusque quem alii Engonasin dicunt, Lyra, Cygnus, Cepheus, Cassiopea, Perseus, Deltoton, Heniochus, Andromeda, Pegasus, Ophiuchus, Delphinus, Aquila, Sagitta. Austrina autem haec sunt: Hydrus, Crater, Corvus, Procyon, Orion, Canicula, Lepus,

Eratosthenem (cataster. 40): ἔστι δὲ τὸ θηρίον ἐν ταῖς χερσὶ πλησίον τοῦ θυτηρίου, ὃ δοκεῖ προσφέρειν θύσων — — τινὲς δὲ ἀσκὸν φασιν αὐτὸ εἶναι οἴνου, ἐξ οὗ σπένδει τοῖς θεοῖς, quocum convenit scholiastae ad Germanici vel Caesaris Domitiani Arateorum fragmenta.

nam alia] Eandem distributionem invenimus apud Geminum (p. 12 Petav.), Vitruvium (9, 3 et 4), Manilium (1, 318 sequ.), alios, quos enumerare longum est.

interius] Legendum videri possit *inferius*, nisi sphaeram artificiosam ante oculos habuisse Martianum appareret, cujus notum est alteram partem semper eminere, alteram recedere et quasi delitescere.

Nisusque] Lege *Nixusque* cum MS. meo et membranis. Nixus est ὁ ἐν γόνασιν, ὁ γνὺξ Arato. Manilius »nixam genu speciem« appellat. Apud Vitruvium male *Nessus* legitur, emenda *Nixus*. *Gnixum* a *generibus* (hoc est *genubus*, sic Cicero: »*Quae* genus *ad laevam* Nixi *delapsa resedit*«) dici Festus testatur: nos literam unam elidimus, ideoque Arnobius, Appulejus aliique »genu nixum« dixere, sive a *nitendo*, sive a Graeco γνὺξ. Cicero etiam in loco citato *Nixum* simpliciter dixit de eodem astro. Gnot. — Monacensis (C) quoque *Nixus*, Darmstattensis *Nixos*; vulgatam tamen mutare nolui, quia utraque participii forma pariter in usu est, adeoque *nisus* praefert Drakenborchius (ad Silium 2, 125), alteram *nixus* antiquam et obsoletam habitam esse probans ex Servio (ad Aeneid. 1, 144), cui tamen obloquitur Orellius (ad Cic. orat. pro Plancio c. 27, p. 159).

Cygnus] Correxi quod apud Grotium scriptum erat *Sygnus*, quum anteriores editiones omnesque scripti libri veram praebeant lectionem.

Hydrus] Aratus (443) Ὕδρην, Cicero (455) et Hyginus (2, 40 et 3, 39) *Hydram* hoc signum appellant; at Geminus (2, p. 13), ut noster: »Ὕδρος, Κρατήρ, Κόραξ«, pariterque Hipparchus (ad Aratum 2, 1; p. 238 Petav.) et alii.

Crater] Alios *cratera* ubique scribere Grotius in margine notavit; qua de forma vide quae supra monui (ad §. 31) in voce *bupaeda*.

Procyon] Cicero (in Arateis 466):

»*Antecanis*, *Graio* Procyon *qui nomine fertur*.«

Accuratius tamen Geminus signum distinguit a stella splendida, quae in ipso cernatur eodemque nomine *Procyon* dicatur.

Eridanus qui ab Orionis pede defluit, Cetus, Centaurus, navis Argo, Piscis austrinus, Coelulum, Ara. Nam et aquam, quae ex cratere Aquarii fluit, melius partem signi credimus, et stellam, quam quidam Canopum, quidam Ptolemaeum appellant, quae superioribus inconspicua in confinio Alexandriae
859 incipit apparere, ut partem Eridani fluminis aestimabo. Haec discernit zodiacus, qui quidem aequales duodecim signorum integrat portiones, sed undecim habet signa; Scorpius enim tam suum spatium corpore quam chelis

Coelulum] In Glossis est: »Caelulum thuribulum a caelando«, sed male, nam ara et thuribulum idem sunt. Gnot. — A nonnullis anteriorum editionum abest, fortasse quia eodem errore cum Ara confunderent; sed recte Munckerus (ad Hyginum p. 412) monet *Coelulum* Latine dictum esse quem Graece a nonnullis *οὐρανίσκον*, ab Hipparcho autem *Caduceum* appellari Geminus docuit, nimirum *Coronam austrinam*, quam plerique ante pedes Sagittarii ut ludentis abjectam videre sibi visi sunt; de qua conferri jubet Scaligerum (ad Manilium p. 411) et Theonem (in Aratum p. 61 ed. Lond.). Vide etiam infra (ad §. 842).

aquam] Geminus hanc quoque inter signa austrina proprio loco numerat.

quidam Canopum] Non *quidem*, ut in editis, codices praebent Ettenheimmünsteriensis, Reichenauensis, Monacensis (C), et Darmstattensis. Ipsius stellae supra jam (§. 595. 608. 696.) saepius mentio facta est; adde Vitruvium (9, 4 s. 7): »Hujus autem rei index est stella Canopi, quae his regionibus est ignota, renunciantibus negotiatoribus, qui ad extremas Aegypti regiones proximasque ultimis finibus terrae terminationes fuerunt«; et Lucanum (8, 181):

— — »inde *Canopos*
Excipit australi coelo contenta vagari,
Stella timens Boream. —

Ptolemaeum tamen qui praeter nostrum appellatum referat, non novi; neque Eridano, sed Argo navi annumerat Geminus: *ἐν ἄκρῳ τῷ πηδαλίῳ τῆς Ἀργοῦς κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ Κάνωβος ὀνομάζεται.*

chelis] Id est *brachiis* sive *forcipibus* suis, quare minuscula initiali exprimendum curavi; nominis enim vim postea demum habet, ubi Martianus, quam nos *Libram* dicamus, Grajos quosdam *Chelas* dixisse narrat; nunc illud tantum vult, Scorpium et suum spatium (in zodiaco) corpore, et Librae (spatium) chelis suis occupare, certe majorem ejus partem, nam superioris Librae partis nonnullas stellas ab aliis ad Virginis pedes referri. Notum enim est multos Libram omnino non numerasse inter signa zodiaci, quorum noster quoque partes sequitur, dum undecim tantum signa statuit, pariter ut Hyginus (poët. astr. 4, 5): »etsi nulla sunt signa *duodecim* sed *undecim* ideo quod Scorpio magnitudine sui corporis duorum locum occupat signorum, e quibus prior pars *Chelae*, reliqua autem Scorpio vocatur.« Unde Manetho (apotel. 2, 136):

Χηλαὶ δ' ἅς καὶ δὴ μετεφήμισαν ἀνέρες ἱροὶ
Καὶ Ζυγὸν ἐκλήϊσσαν ἐπεὶ τ' ἐτάνυσσ' ἑκάτερθεν,
Οἷαί περ πλάστιγγες ἐπὶ ζυγοῦ ἑλκομένοιο:

occupat Librae; cujus superiorem partem pedes Virginis occupant, majorem vero Scorpius; denique Chelas, quam Libram dicimus, quidam dixere Graji. Horum ergo signorum duodecim nomina, quod vulgo nota sunt, praetermitto.

QUOD DIVERSIS CIRCULIS DISTRIBUANTUR QUORUNDAM PARTES SIGNORUM.

Intelligo ordinis hoc fuisse, ut quo circulo spatiove quae signa sint de- 840
monstrarem; sed et magnam partem adstructionis exquirit contra propositum brevitatis, et quod mediatenus tertiave parte quaedam signa defixa circulis diversis sua membra discerpant, hanc obscuram caliginem derelinquo. Quippe, ut cetera transeamus, manus interior Arcturi intra septentrionalem circulum ponitur, reliquumque corpus parti alteri deputatur; Cephei corpus mediatenus septentrionali, thorace partito et diversis circulis attributo; Nisus vero si-

et Macrobius (Saturnal. 1, 21 f): »Scorpius totus, in quo Libra est.« Plura dabunt interpretes ad Virgilii locum (georg. 1, 33):

»*Qua locus Erigonen inter Chelasque sequenteis*« inprimis Servius, cujus haec nota est: »Aegyptii duodecim esse asserunt signa; Chaldaei vero undecim, nam Scorpium et Libram unum signum accipiunt; chelae enim Scorpii Libram faciunt. Iidem Chaldaei volunt aequales esse partes in omnibus signis; sed pro qualitate sui aliud signum viginti, aliud quadraginta habere; quum Aegyptii tricenas esse partes in omnibus velint. Modo ergo secundum Chaldaeos locutus est, dicens posse cum habere locum inter Scorpium et Virginem. Nam Erigone ipsa est Virgo.«

quod diversis circulis] Hac de re accurate egit Pseudo-Hipparchus (ad Aratum p. 257 Petav.): *λοιπὸν μεταβατέον ἐπὶ τοὺς τέμνοντας κύκλους καὶ τὰ τεμνόμενα ὑπ' αὐτῶν ζώδια* etc.

defixa] Pro *defixis* hoc Bondami (in var. lect. p. 60) codex praebuit, e quo etiam correxi *discrepant* in editis substituto *discerpant*.

Cephei corpus] Vox *septentrionali* deest in MS. et merito, est enim hic *ἀπροσδιονύσῃ* et ex superioribus aut subsequentibus inepte repetita. Gnor. — Interpunctione mutata integram servavi vulgatam lectionem, quam non modo Bondamus (var. lect. p. 60. 61) conjecturis tentavit, sed librarii quoque varie interpolarunt; siquidem codices etiam Bondami et Ettenheimmünsteriensis omittunt *septentrionali*, Monacensis (D) autem inter *partito* et *diversis* inserit *cetero toto*. Jam vero intelliges omnia recte procedere, modo suppleas: »Cephei corpus mediatenus septentrionali« scil. parti deputatur. Ceterum confer Pseudo-Hipparchum (p. 258): *ὁ μὲν οὖν ἀρκτικὸς κύκλος τέμνει ζώδια δύο, Βοώτου μέσον ἀγκῶνα καὶ Ἡηφέως στῆθη, οὐκ εἴρηκε δὲ περὶ τούτου Ἄρατος.*

nistro pede septentrionalis Draconis verticem calcans, capite solstitialem circulum adscendit, unum brachium Lyrae, alterum dans Coronae; et alia hujusmodi non minus insuavia quam morosa.

QUIBUS SIGNIS SURGENTIBUS QUAE ORIANTUR QUAE OCCIDANT.

841 Illud potius attendendum, quibus surgentibus signis quae ortum faciant occidantque. Nam oriente Cancro occidunt Corona Ariadnes, et austrini Piscis pars dimidia, Ophiuchus a pedibus usque humeros, serpensque quem detinet praeter fauces caputque totum, Bootis etiam medietas; oriuntur vero Orion totus Eridanique principium, et in lingua Caniculae lucida stella. Quum

septentrionalis Draconis] Id est Draconis, qui intra septentrionalem circulum est. Pedem eundem quem noster nominat etiam Hyginus (3, 5; p. 422): »Hic positus inter duos circulos, arcticum et aestivum, utrisque pedibus et dextro genu arcticum circulum finit, ita tamen ut dextero pede prioribus digitis circulum terminet, *sinistro* autem toto caput *Draconis* opprimere conetur«; rectius quam Aratus (70):

Δεξιτεροῦ ποδὸς ἄκρον ἔχει σκολιοῖο Δράκοντος,

quem ideo reprehendit Hipparchus (ad phaenom. 1, 7; p. 181 Petav.).

quibus surgentibus signis] Caput hoc optime convenit cum eo quod apud Hyginum est libro quarto. Gnot. — Recte, sed melior auctor Aratus est (568 sequ.) cum Hipparcho (ad phaenomena lib. 2), neque spernenda comparatio cum Pseudo-Hipparcho (ad eadem p. 258—260 Petav.), qui etiam eundem cum nostro ordinem sequitur, quum Hyginus ab Ariete ordiatur.

oriente Cancro] Grave mendum intactum adhuc dum remansit, jam tamen eximendum. »Oriente Cancro« inquit »occidunt« cet. Excerpta nostra *occidit*, quod in eam te facile opinionem adducet, omnino scripsisse nostrum »occidit Coronae Ariadnes — pars dimidia.« Oriente enim Cancro tota si occidat Ariadnes Corona, quomodo oriente Leone »Coronae reliquiae« sive uti rectius MS. »Coronae reliqua« conteguntur? Haec sane non cohaerent, si vulgata lectio recte se habeat. Et de veritate emendationis ne dubites, en tibi Hyginum, qui claris verbis (poët. astr. lib. 4, cap. 12): Cancer exoriens« inquit »obscurat dimidiam partem Coronae.« Adde Ciceronis haec ex Arateis v. 598 ed. Grotii:

»*Jam simul ut supero se toto lumine Cancer*
Extulit, extemplo cedit delapsa Corona,
Et loca convisit cauda tenus infera Piscis,
Dimidiam retinens stellis distincta Corona
Partem etiam supera, atque alia de parte repulsa est.«

Bonn. (var. lect. p. 61. 62).— Arati rationem probat etiam Hipparchus (2, 5; p. 214); tamen non tanta apud me est Bondami excerptorum auctoritas, ut inde Martianum corrigam, quum videam pari incuria etiam Pseudo-Hipparchum loqui (p. 259): *δύνει δὲ στέφανος· ἰχθύος τὸ ἥμισυ ἕως ἐπὶ ῥάχιν κ. τ. λ.*

autem Leo oritur, Coronae reliqua conteguntur, austrinusque Piscis, et Ophiuchi, serpentis, Bootisque partes, itemque Aquila, Nisique pars dextra; oriuntur vero Hydri caput, Lepus et Procyon, Caniculaeque pars prima. Oriente autem virgine occidunt Lyra, Delphinus, Sagitta, Cygnique pars potior, Eridanique pars ultima, et caput cervixque Pegasi; oriuntur autem Hydri pars prior usque ad Craterem, Caniculaque tota, et navis Argonis puppis. Libra surgente occidunt Pegasi et Cygni reliquae portiones, Andromedaeque 842
caput, Cepheique humeri, Cetus, et flexus fluminis Eridani; oriuntur Coronae medietas, Nisi dexter pes, et Bootes, et Hydri reliquum praeter ultimam caudam, Centaurique pars, quae in equi speciem figuratur. Scorpione autem nascente occidunt Andromedae pars reliqua, item Cephei pars, quae extra septentrionalem circulum posita, et Cassiopeae et Orionis pars; eodem tempore oriuntur Ariadnes Corona tota, et caput Ophiuchi, Nisique corpus omne praeter sinistram manum, Hydri cauda ultima, et Centaurus totus praeter priores pedes. Sagittario nascente mergitur Orion, et Canicula, et Heniochi pedes; oriuntur vero totus Ophiuchus et Nisi sinistra manus, et Lyra, et Cephei caput humerique, et Centauri pedes priores. Capricorno oriente 843
occidunt Heniochus totus, et ejus capra haedique, Persei pars sinistra, et

Coronae reliqua] Sic anteriores editiones; Grotius *reliquiae*.

Argonis] Lege cum MS. *Argus* Graeca declinatione. Gnot.— Sed pluribus etiam vulgata lectio codicibus nititur, ita ut quartus quoque casus *Argonem* (§. 830. 833) in Monacensi (C), Darmstattensi et Ettenheimmünsteriensi legatur. Plura aliorum exempla affert Schneiderus (lat. Form. p. 146).

flexus] Codex Ettenheimmünsteriensis *confluxus*; sed praefero vulgatam. Aratus etiam *καμπαὶ* habet.

Ariadnes Corona] Errat Capella, Ariadnes Coronam appellans eam, quae cum Scorpione oritur. Corona Ariadnae est *στέφανος βόρειος*, uti loquitur Tzetzes ad Hesiod. p. 95 ed. Heins. Munck. (ad Hyg. astr. 4, 12; p. 475).— Hyginus enim eam Coronam appellat, quae ante Centauri pedes jacere existimetur, quae est austrina (vide ad §. 838); in eademque sententia etiam Scaliger erat (ad Manilium p. 372); sed Aratus (638) indistincte:

Ἡ μὲν ἀρ' εἰς ἑτέρην φέρεται, τὰ δὲ νειόθεν ἄλλα
Οὐρανὸς ἀντιφέρει στεφάνοιό τε δεύτερα κύκλα,

quem docte animadvertit Vossius (ad v. 400) Coronam austrinam nondum cognovisse.

caput Ophiuchi] Restitui ex codice Ettenheimmünsteriensi, quod Hygini et Pseudo-Hipparchi consensus postulabat; vulgo *Eniochi*.

Argonis puppis, et Procyon; invicem oriuntur Cygnus, et Aquila, et Sagitta, et Altarium. Aquario oriente occidunt Centauri pars equina, Hydri caput; oritur et equus Pegasus. Piscibus ortis occidunt Hydrus totus, et Centauri pars reliqua, et Crater; praeterea oriuntur Andromedae pars dextra, et Piscis austrinus. Arietis signo surgente occidunt pedes Centauri, et Altarium; oriuntur vero Andromedae sinistra pars, et Persei caput usque ad alvum, et Deltoton. Signo Tauri oriente occidunt Bootis pedes, Ophiuchus a pedibus ad genua usque; oriuntur autem Ceti pars reliqua, et sinister Orionis pes. Geminis orientibus occidit Serpentarius usque ad genicula; oriuntur vero Fluvius, Cetus, Orion.

QUIBUS TEMPORIBUS ORIANTUR AUT OCCIDANT.

844 Temporum quoque ipsorum, quibus oriuntur aut occidunt, habenda distantia est. Nam quae transversa oriuntur et recta occidunt, celeriores ortus habent, quam occasus; contra autem, quae recta oriuntur et transversa conduntur, tardius oriuntur quam occidunt. Nam Cancri signum recte oritur

Altarium] Pro *altari*, cui similia et alia apud alios, ex nominativi forte pluralis similitudine nata. Gnor. — Saxo Grammaticus: »Parentem altario honoratum«; ad quae Stephanius (p. 247) non solum nostrum laudat, sed addit etiam Salviani verba: »Christum in altario dimittimus«, ad quae Rittershusius: »Vetus glossarium judicat formam nominis esse diminutivam *altare*, ἐπίβωμις, et *altarium* βωμιδκάριον. Sed promiscue tamen reperio usurpatum *altarium* pro *altari*.« Id quod exemplis probatur Pauli Diaconi, Angelomi, et Hildeberti Cenomanensis; quibus adde Severum Sulpicium et Hieronymum a Schellero laudatos.

genicula] Codices Monacensis (C) et Ettenheimmünsteriensis *genucula*, quod eodem redit.

recta occidunt] Vulgo *recte*, quod correxi ex codicibus Monacensi (C) et Ettenheimmünsteriensi.

tardius oriuntur quam occidunt] Idem docet Geminus (elem. astr. p. 28 Petav.): τοιαύτης δὲ τῆς ἐγκλίσεως ὑπαρχούσης τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου συμβαίνει καὶ τὰ δωδεκατημόρια ἴσα ὄντα κατὰ τὸ μέγεθος ἀνίσοις χρόνοις τὰς ἀνατολὰς καὶ τὰς δύσεις ποιεῖσθαι· ὅσα μὲν γὰρ ὀρθοῦ γινομένου τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου τὴν ἀνατολὴν ποιεῖται, ἐκεῖνα τὰ ζώδια ἐν πλείονι χρόνῳ τὴν ἀνατολὴν καὶ τὴν δύσιν ποιεῖται, ὀρθὰ γαρ παρὰ τὸν ὁρίζοντα παραπίπτει, ὥστε καθ' ἓν ἕκαστον σημεῖον τοῦ ζωδίου τὴν ἀνατολὴν γίγνεσθαι, διὰ δὲ τοῦτο πολὺν χρόνον ἀναλίσκεσθαι τῆς ἀνατολῆς καὶ τῆς δύσεως· ὅσα δὲ πλαγίου γινομένου τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου πρὸς τὸν ὁρίζοντα τὴν ἀνατολὴν ποιεῖται, ἐκεῖνα ἐν ἐλάττονι χρόνῳ ἐπαναφέρεται, πλάγια

inclinatumque mersatur; licet hoc in Capricorno parva inflexione curvetur; oritur autem duabus horis et duodecima parte horae, et hora occidit ac deunce; minima in isto distantia est. Leo autem oritur duabus horis et tertia parte horae, occidit vero hora semis et sexta parte horae. Virgo oritur horis duabus et dimidia et sexta parte horae; similiter Libra; occiduntque hora et tertia parte. At Scorpius diminuit ortum et auget occasum; oritur enim horis duabus et tertia parte, occidit hora semis et sexta parte horae. At Sagittarius oritur horis duabus et duodecima parte horae, occidit hora et deunce horae. At invicem quae transversa oriuntur et recta occidunt, breviores ortus oc- 845
cupant quam occasus. Denique ex his est signum Capricorni, quod oritur hora et deunce, occidit duabus horis et duodecima parte horae. Aquarii vero proximum signum oritur hora et dimidia et sexta parte horae, occidit horis duabus et tertia parte horae. Sequens hos Piscium signum oritur hora et tertia parte horae, occidit duabus horis et dimidia et sexta horae parte. Eandem mensuram Aries utriusque temporis servat. Taurus oritur hora et dimidia et sexta parte horae, occidit duabus horis et tertia parte horae. At Gemini oriuntur hora et deunce, occidunt duabus horis et duodecima parte horae.

QUOD PRO DIVERSITATE SIGNORUM DIERUM NOCTIUMQUE FIAT INAEQUALITAS.

Haec est inaequalitas, quae dierum spatia noctiumque discriminat. 846
Nam quum Solis lumen eorum signorum principium, quae tardius oriuntur,

γὰρ παραπίπτει καὶ τὰ ζώδια πρὸς τὸν ὁρίζοντα, ὥστε κατ' ἄλλα πολλὰ μέρη ἅμα τὴν ἀνατολὴν ποιεῖσθαι, διὰ δὲ τοῦτο καὶ ταχεῖαν τὴν ἀνατολὴν συμβαίνει γίγνεσθαι.

similiter] Ita codices Monacensis (C), Darmstattensis, Reichenauensis, et Ettenheimmünsteriensis; quorum consensum secutus sum, licet eodem rediret vulgata: »occiditque hora et tertia parte; similiter Libra.« Rem confirmat Geminus (p. 30): *ἐν ἴσῳ χρόνῳ ἀνατέλλουσι Παρθένος καὶ Ζυγός, καὶ ἐπεὶ ὀρθώτατος γίγνεται ὁ τῶν ζωδίων κύκλος Διδύμου καὶ Ἁρκίνου μεσουρανούντων, ἐν πλείστῳ χρόνῳ ἀνατέλλουσι Παρθένος καὶ Ζυγός*: quem etiam de reliquis consulere licet.

dierum spatia] Hac de re accurate agunt Cleomedes (*κυκλ. θεωρ.* 1, 6) et Geminus (elem. astr. c. 5, p. 22 sequ.), quos vide.

ingreditur, dum sequentia signa nascuntur, diei prolixitas procuratur; ubi vero haec intrarit, quae cito orta tardius demersantur, diebus exiguis noctes efficit grandiores. Denique haec ratio et illis respondet, qui velut miram efficiunt quaestionem, talia proponentes: Si spatiis aequalibus omnia signa percensentur, ac necesse est diebus noctibusque cunctis sena signa supra terras esse, omnes dies noctesque pares esse debuerunt. Sena autem signa superstare non dubium est, totidemque delitescere, dies quoque noctesque variari diversitatibus spatiorum. Nam solstitialis dies habet aequinoctialis mensurae horas quatuordecim et sextantem; brumalis vero horas novem et dimidiam ac tertiam portionem; vicissim brumales noctes solstitialis diei temporibus porriguntur, cujus lucis tempora suscipit nox aestiva. In tanta varietate diversitateque temporum
847 illud profecto colligitur, signa aequalia non habenda. Cujus conclusioni et rerum veritas et nostra regula refragatur. Multiplici enim clepsydrarum appositione monstratum omnia signa paria spatia continere. Quum enim diversa spatia in ortu habeant atque occasu; tamen si omnium ortus occasusque com-
848 penses, videbis ad plenum collata mensuris aequalibus respondere. Verum

sena signa] Aratus (552) de Zodiaco:

Τοῦ δ' ὅσσον κοίλοιο κατ' Ὠκεανοῦ διανεῖται,
Τόσσον ὑπὲρ γαίης φέρεται, πάσῃ δ'ἐπὶ νυκτί
Ἓξ αἰεὶ δύνουσι δυωδεκάδες κύκλοιο,
Τόσσαι δ' ἀντέλλουσι· τόσον δ'ἐπὶ μῆκος ἑκάστη
Νὺξ αἰεὶ τετάνυσται, ὅσον τέ περ ἤμισυ κύκλου
Ἀρχομένης ἀπὸ νυκτὸς ἀείρεται ὑψόθι γαίης.

Adde Vitruvium (9, 1. s. 4). Quaestionem, quam hic noster tangit, expedit Geminus (p. 28 sequ.).

horas novem] Alios legere *octo* Grotius in margine notavit, videlicet ad alius situs vel climatis naturam, qua dierum noctiumque spatia variari jam supra noster recte monuit (§. 595); sed hic certum aliquem auctorem eumque *Alexandrinum* ante oculos habere videtur, quare etiam mox nolui e codicibus Darmstattensi, Ettenheimmünsteriensi, et Grotiano corrigere *cui conclusioni* pro *cujus*.

profecto] Alii *perfecte*, teste Grotio in margine.

veritas] Pro *varietas* in editis praebent codices Reichenauensis, Darmstattensis, Monacensis (C), et Grotianus. Vide etiam supra (§. 824).

quum enim diversa] Codex Ettenheimmünsteriensis perspicuitatis gratia inserit *signa*, quo tamen additamento non magis indigemus, quam quod mox Bondamus (in var. lect. p. 62) e codice suo suppleri voluit *ad invicem* ante *respondere*.

hac quaestione submota, alia subtilior de spatiis imparibus objectatur. Dicunt enim: Si spatia signorum aequalia sint, aut Sol tardiore cursu quaedam signa transcurrit, aut dierum ratio diversitate mentitur. Sed constat Solem Geminorum signum triginta et duobus diebus excurrere, Sagittarii autem duodetriginta, ceterisque signis aut adjici aut detrahi aliquas portiones; quod profecto non fieret, si aut Sol aequali cursu ferretur, aut signa spatiis paribus tenderentur; Sol autem eadem ac perpetua celeritate festinat; relinquitur, ut signis spatiorum aequalitas denegetur. Sed hunc quoque errorem nemo sapientum 849
sed opinio inveterata composuit, quam omnes hactenus credidere, quemadmodum ipsi mundo sphaeraeque postremae centron esse terram, ita et solaris circuli eandem centron esse, quod omnino falsum esse non dubium est. Nam ut diversa spatia sunt coelestis ambitus circulique medialis, ita et diversis centrorum signis punctisque torquentur, quo fit, ut terra solaris circuli centrum non sit, sed eccentros habeatur. Per vices enim propinquitates descensusque ad terras solaris orbita cursusque summittit, itemque pro signorum conditionibus sublimatur; et quum medietatem linearem in latitudinem zodiaci Sol libratus excurrat, orbem tamen Solis obliquitas meatus aut imprimit aut extollit. Quis enim dubitet Cancrum Geminosque verbi gratia in mundi ardua sublimari, rursumque Sagittarium Capricornumque pererratis deflexibus infimari? Quod quum ipse zodiacus signaque coelo cohaerentia tantundem a terris un-

submota] Sic codices Reichenauensis et Ettenheimmünsteriensis, nec Grotianus refragatur, qui habet *summota;* vulgo *consummata.*

aut dierum] Vulgo *aut in dierum*, quod ex codice Ettenheimmünsteriensi correxi.

duodetriginta] Alii XXIX, teste Grotio in margine.

nemo sapientum sed] Inserui haec tria verba vulgo omissa Grotio auctore, qui ita in membrana legi testatur, multoque concinniorem eam lectionem esse recte monet. Rem ipsam accurate exposuit Geminus (apud Petavium p. 3 sequ.), quem totum exscribere nunc non possumus, et Cleomedes (*κυκλ. θεωρ.* 1, 6); vide et infra (§. 853).

quod quum ipse] MS. *quotquot cum*, sed optime optimae membranae *quanquam enim;* nam sequitur infra *Solis tamen.* Gnor. — Optimarum membranarum lectionem pro correctione tantum habeo librarii, qui nec *quum* sciret haud raro pro *etsi* usurpari, nec *quod* saepissime concludendi causa particulis praemitti; quare vulgatam servavi.

diquesecus interstitii detineant, solaris tamen circulus, qui subtermeat, aut evehitur aut descendit. Hinc venit ut a Sole signa cum dierum transcurri diversitatibus videantur.

DE PLANETARUM ORBIBUS.

850 Transcursa ratio est signorum coelestium atque etiam circulorum; nunc planetarum orbes edisseram, quos quidem non ab erroribus suis — nam iisdem Solis rationibus commeantes nihil licere patiuntur erroris — sed quia diversa varietas mortalibus caligines intentionis offundit, non planetas sed planòntas,

cum dierum] Alios legere *cum variis* in margine Grotius notavit, idque etiam in codicibus Monacensi (C) et Darmstattensi exstat, ut anceps sit optio; sed eam ipsam ob causam vulgatam servare malui.

transcursa] In nonnullis codicibus Bondamus (var. lect. p. 47) invenisse se testatur *transcursa ratione signorum*, quod et Ettenheimmünsteriensis noster habet placetque Arntzenio (ad panegyr. II, p. 741); at vulgata nostri usui accommodatior videtur.

edisseram] Hanc lectionem, quam ex codice Ettenheimmünsteriensi recepi, jam Oudendorpius (ad Appul. I, p. 451) duorum codicum auctoritate commendaverat. Vide et supra (§. 817).

patiuntur erroris] Codices Ettenheimmünsteriensis et Grotianus *erroribus*; sed vulgata non minus bona, modo genitivum jungas cum *nihil*.

caligines intentionis] Sic Martianus multo elegantius quam librarius Ettenheimmünsteriensis, qui *caliginosas intentiones* scripsit.

sed planòntas] Id est qui non tam ipsi errent quam homines in errorem ducant; hoc enim est πλανᾶν, ut apud Sextum (adv. mathem. 10, 98): διορίζεται δὲ ἐν τούτοις ὁ Διόδωρος καὶ παρ' ἀμφιβολίαν βούλεται ἡμᾶς πλανᾶν. *Planetas* enim dictos esse constat ἀπὸ τῆς πλάνης, ut ait Isidorus (orig. 3, 70, 20), id est ab *errore*, quia, ut Macrobii (ad somn. Scip. 1, 14) verbis utamur, »et cursu suo feruntur et contra sphaerae maximae id est ipsius coeli impetum contrario motu ad orientem ab occidente volvuntur«, unde factum est, ut vulgus hominum nullis legibus adstrictos per coeli spatia vagari existimaret. Sed cum errorem jam Plato impugnat (de legg. 7, p. 821), aequalis scilicet Eudoxi, quem primum horum siderum motus ex Aegypto in Graeciam transtulisse testatur Seneca (quaest. nat. 7, 3), in eoque postea omnes consentiunt; unde Cicero (de divin. 1, 11):

»*Quae* verbo *et falsis Grajorum vocibus* errant,
Re vera certo lapsu *spatioque feruntur*«

et alio loco (2, 71): »Astrologi motus errantium stellarum notaverunt; inventus est ordo in iis stellis, qui non putabatur«; confer et haec (N. D. 2, 20): »Maxime vero sunt admirabiles motus earum quinque stellarum, quae *falso* vocantur *errantes*; nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus reliquosque motus constantes et ratos.«

sicut orator asserit, memorabo, licet eos propriis nominibus insignitos etiam aliis nominibus appellarint. Nam Saturnum Phaenona vocant, Jovemque Pha- 851
ëthonta; Pyroenta Martem, Venerem Phosphoron, Mercurium Stilbonta nominarunt; Soli vero Lunaeque diversitas gentium innumera vocabula sociavit. Horum igitur septem illa eo maxime cum fixis sideribus habenda distantia, quod illa coeli tantummodo cursibus commoventur propria statione ornata, hi vero tam mundanis raptibus auferuntur quam propriis cursibus commoventur. Nam quantum eos retulit diei noctisque rotatio, tantum nituntur 852

orator] MS. *Strator*, forte *Straton*; meminit hujus mathematici Strabo. Gnor. — Servavi vulgatam, qua meliorem non habebam; quam enim margini adscripsit Grotius lectionem *Aratus*, eam licet etiam codex Ettenheimmünsteriensis praebeat, recipere nolui, quia non solum correctionem olet, sed ipsius Arati libris ne confirmatur quidem, qui de planetis omnino non agunt; nisi forte ejusdem *canonem* Martianus respexit, cujus id argumentum fuisse videtur (confer Grauertum in Niebuhrii Mus. Rhenan. T. I, p. 341).

aliis nominibus] Eadem exstant apud Ciceronem (N. D. 2, 20), Plutarchum (de plac. phil. 2, 15; p. 889), Eusebium (praep. evang. 15, 46; p. 846), Cleomedem (κυκλ. θεωρ. 1, 5), Appulejum (de mundo p. 293 Oudend.), Ausonium (idyll. 18, 12), Achillem Tatium (isag. 17, p. 136 Petav.), Hyginum (poët. astr. 2, 42. 4, 15 sequ.), Isidorum (3, 70, 20; p. 164 Arev.), alios, saepissimeque leguntur apud Manethonem in apotelesmatis; sed quae a diis repetita sunt, jam apud Platonem exstant (Tim. p. 38; epinom. p. 987).

Pyroenta] Codices Reichenauensis et Ettenheimmünsteriensis male *Pyroin*.

cum fixis] Sic scripsi ex margine pro *confixis*, quod apud Grotium erat, quia sententiae nexus hic est: »illa distantia habenda est horum septem cum fixis sideribus«, id est: »hi septem eo maxime a fixis differunt.« Praepositionem *cum* in discrepantia quoque significanda adhiberi ostendit v. c. Cicero (acad. 2, 47): »*cum* Cleanthe — Chrysippus *dissidet*« et alio loco (Brut. 49): »doctis hominibus *cum* populo *dissensio* fuit.«

hi vero] Membrana *haec vero*, subintellecta voce *sidera*; et *quantum ea*, non *eos*. Gnor. — Male, de planetis sermo est; neque illud offensionem habet, quod *hi* ad remotiores spectat, quum id potius significet, de quo potissimum disseratur, qua de re vide quos laudat Otto (ad Cic. de senect. 19, p. 177). De re ipsa conferatur Macrobius (ad somn. Sc. 1, 18): »Solem ac Lunam ac stellas quinque, quibus ab errore nomen est, praeter quod secum trahit ab ortu in occasum diurna conversio, ipsa suo motu in orientem ab occidente procedere, non solum literarum profanis, sed multis quoque doctrina initiatis abhorrere a fide ac monstro simile judicatum est; sed apud pressius intuentes ita verum esse constabit, ut non solum mente concipi, sed oculis quoque ipsis possit probari«; et Seneca (quaest. nat. 7, 21): »Omnibus autem stellis in eandem partem cursus est, id est contrarius mundo; hic enim ab ortu volvitur ad occasum, illae ab occasu in ortum eunt, et ob hoc duplex his motus est, ille quo eunt et hic quo auferuntur.«

diversis compensare temporibus, id est aut mense ut Luna, aut anno ut Sol, aut triginta annis ut Saturnus, et ceteris temporibus pro spatiorum quae
853 circumeunt latitudine aut brevitate. Quae cuncta sidera licet in ortum pergere videantur, non tamen adversum mundum rigido motu, sed obliquo per zodiaci defixa moliuntur; alioquin ex contrario partium suarum motu mundus stare non posset. Denique etiam peripateticorum dogma contendit, non adversum mundum haec sidera promoveri, sed celeritate mundi, quam sequi non potuerunt, praeteriri. Quod quidem, etiam ut verum sit, meis non poterit rationibus obviare. Sive enim Saturnus nimia cum mundo celeritate concertans vix exiguis cursibus superatur, ac Luna, quod tardius incedat, intra tricesimum diem a mundi parte eadem praeteritur; sive contra mundum nitentibus ideo celerior quia breviore ambitu orbem circuit Luna, tardiusque Saturnus propter latitudinem orbis effusi; utrum velis, meis regulis non
854 obsistit, siquidem suus motus istorum rationibus dispensatur. Quibus tamen

nituntur diversis] Claudianus (de cons. Mall. Theod. 103):

»*Sidera cur septem retro* nitantur *in ortus*
Obluctata polo« —

Ovidius (metam. 2, 72):

»Nitor *in adversum*, *nec me qui cetera vincit*
Impetus, *et rapido* contrarius *evehor orbi*«;

unde etiam apparet meliorem esse paulo ante vulgatam lectionem *rotatio* quam *ratio*, quod apud Grotium in margine legitur; sic enim ibidem Ovidius:

»*Adde quod assidua rapitur* vertigine *coelum*,
Sideraque alta trahit celerique volumine torquet.«

Eadem varietas redit infra (§. 855).

ceteris temporibus] De variis temporum spatiis, quibus singuli planetae cursus suos perficiant, amplius conferendi sunt Cicero (N. D. 2, 20), Vitruvius (9, 1 s. 4), Plinius (histor. nat. 2, 8), Plutarchus (de plac. phil. 2, 32; p. 892), Eusebius (praep. evang. 15, 54; p. 849), Achilles Tatius (isag. 18, p. 137 Petav.), Geminus (ibid. p. 4), Cleomedes (1, 3), Stobaeus (eclog. phys. p. 262 Heer.), Macrobius (in somn. Scip. 1, 19).

latitudine] Grotiana margo: »al. *longitudine*.«

in ortum] Diurnum nimirum sive mundi, qui Soli Lunaeque cum toto coelo communis est, quum proprii planetarum meatus menstrui vel annui contrariam viam teneant, qua de re omnibus nota pluribus agunt Plato (in Timaeo p. 36), Vitruvius (9, 1 s. 4), Seneca (de constantia 14), Geminus (elem. 10, p. 42 Petav.) et alii quos enumerare longum est.

mundus stare non posset] Margo Grotiana *mundum sustinere non possunt*; male.

praeteriri] Accurate hanc sententiam examinat Geminus (loco citato p. 43 sequ.).

obviare] Sic codices Ettenheimmünsteriensis et Darmstattensis. In editis legitur *obviari* pro *objici*; sed passivum in illo verbo aegre admittitur.

septem sideribus unus est communis motus, quod omnes ortum petunt; alius quod temporum omnes diversitatibus atque accidentibus variantur. Nam ex his quinque sidera stationes recursusque patiuntur, Sol vero Lunaque cursu continuo rapiuntur; item haec lumina vicibus obscurantium occultantur, quinque vero sidera nesciunt obumbrari; tria item ex his cum Sole Lunaque orbem terrae circumeunt, Venus vero ac Mercurius non ambiunt terram.

QUOD TELLUS NON SIT CENTRUM OMNIBUS PLANETIS.

Licet generaliter sciendum, cunctis orbibus planetarum eccentron esse 855
tellurem, hoc est non tenere medium circulorum; quoniam mundi centron esse non dubium; et illud generale septem omnibus advertendum, quod quum mundus ejusdem ductus rotatione unimoda torqueatur, planetae quotidie tam loca quam diversitates arripiant circulorum. Nam ex his nullum sidus ex eo loco unde pridie ortum est elevatur. Quod si est, dubium non est, centum 856
octoginta tres circulos habere Solem, per quos aut ab solstitio in brumam redit, aut ab eadem in solstitialem lineam sublevatur; per easdem quippe mutationes commeat circulorum. Sed quum Sol praedictum numerum habeat, Mars duplos circulos facit, Jovis stella duodecies exercet, octies vicies cumulatur

ex his quinque] Codex Ettenheimmünsteriensis *ex eis*; non necesse.

stationes recursusque] Cicero (N. D. 2, 20): »Quod eo est admirabilius in his stellis, quas dicimus, quia tum occultantur tum rursus aperiuntur, tum adeunt tum recedunt, tum antecedunt tum subsequuntur, tum celerius moventur tum tardius, tum omnino ne moventur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt.«

Venus vero ac Mercurius] Quapropter hos jam Cicero (in somn. Scip. 4) Solis cursum *ut comites* consequi dixerat. Plura vide infra (ad §. 857).

eccentron] Vide supra (§. 849) et plura apud Ptolemaeum (Almagest. 3, 4), qui hoc placitum ab Hipparcho inventum diligentius excoluit; cfr. Bailly (hist. de l'astr. T. I, p. 87 et 470). Nihili est quod tradit Jamblichus (de vita Pythag. 31) jam Pythagoram τὰς ἐκκεντρότητας indagasse.

quoniam mundi] Recepi lectionem a Grotio in margine notatam; vulgo *quod mundi* minus clare. Vide nostrum superius (§. 584. 599) et Cleomedem (l. l. 1, 9).

non dubium] Codex Ettenheimmünsteriensis addit *est*, quod tamen eodem quo supra (§. 857) jure omitti posse censui; neque magis necessarium duxi paulo post ejusdem *arripiunt* pro *arripiant*.

exercet] Recepi codicis Ettenheimmünsteriensis lectiones et hic et in sequentibus, ut mutata simul

Saturnus, eos circulos qui paralleli dicuntur circumcurrens; qui motus om-
857 nium cum mundo proveniunt, et terras ortibus occasibusque circumeunt. Nam Venus Mercuriusque licet ortus occasusque quotidianos ostendant, tamen eorum circuli terras omnino non ambiunt, sed circa Solem laxiore ambitu circulantur; denique circulorum suorum centron in Sole constituunt, ita ut supra ipsum aliquando, infra plerumque propinquiores terris ferantur, a quo quidem signo uno et parte dimidia Venus disparatur; sed quum supra Solem sunt, propinquior est terris Mercurius, quum infra Solem, Venus, utpote quae orbe

interpunctione tolerabilis certe sensus exsisteret; vulgo enim ita edebatur: »Jovis stella duodecies *excrescere* octies vicies *cumulatus*. Saturnus eos circulos, qui paralleli *etiam dicti sunt*, circumcurrens.« Editi ante Grotium *cumulatis;* Grotianae lectioni favent codices Monacensis (C) et Darmstattensis. Sed apparet respici varios singulorum planetarum annos, quibus cursum suum absolvant; consentaneum enim erat tanto plures eos habere circulos diurnos, quanto dierum numero ipsorum circuitus annum solarem excederent; quum igitur Sol, cujus annus trecentorum sexaginta quinque dierum esset, circulos haberet centum octoginta tres, dimidium videlicet numerum, quia adscendentis descendentisque iidem meatus sunt (§. 872) — eandem rationem necesse erat in Martis stella obtinere, cujus cursus quum fere duos annos solares aequaret, circulorum etiam numerum duplicem esse sequebatur. Unum illud offendit, quod quum ipse Martianus supra (§. 852) Saturno triginta annorum cursum tribuerit, hic viginti octo tantum narrat; sed sive hic librariorum sive ipsius auctoris error sit (vide et inferius §. 864 f.) reliqua certe egregie sibi constant.

centron in Sole] »Il n'y a de vraiment remarquable dans ce passage que ce qui concerne Mercure et Venus, dont les orbites ont le Soleil pour centre commun et se trouvent dans la position que nous leur assignons aujourd'hui. On dit que c'est ce peu de lignes qui a été pris par Copernic pour le sujet de ses méditations, et qui l'a conduit a son système du monde; en ce cas Martianus aurait rendu a l'astronomie plus de services, que des astronomes bien plus habiles, et nous devons lui pardonner son verbiage, ses bévues et son galimathias. Delambre (l. c. p. 512). — Plura dabit Benzenberg (Versuche über die Umdrehung der Erde p. 461).

infra plerumque] Revocavi anteriorum editionum lectionem, quam Grotius ad marginem rejecerat scripseratque *intra*, quod multo minus commodum est. Confer Macrobium (in somn. Scip. 1, 19): »Circulus, per quem Sol discurrit, a Mercurii circulo ut inferior ambitur; illum quoque superior circulus Veneris includit, atque ita fit ut hae duae stellae, quum per superiores circulorum suorum vertices currunt, intelligantur supra Solem locatae, quum vero per inferiora commeant circulorum, Sol eis superior aestimetur.«

Venus disparatur] Grotiana margo pariterque codices Monacensis (C) et Ettenheimmünstericnsis *Mercurius*, ut haud improbabilis sit conjectura, utriusque a Sole distantiam olim in hoc loco lectam esse. Plura vide infra (§. 881. 882).

castiore diffusioreque curvetur. Nam Luna, quae propinquior terris est, per 858
quos feratur anfractus, interius memorabo; post cujus orbem alii Mercurium Veneremque, alii ipsius circulum Solis esse concertant; deinde Martis, Jovis ac Saturni, quos omnes ut suis amplitudinibus metiamur, quod non facile astrologi voluere, ab uno geometriae concesso assertio est inchoanda; quod et ipsa suggerit in praesenti, et ab Eratosthene Archimedeque persuasum, in circuitu terrae esse quadringenta sex millia stadiorum et decem stadia; ita ut ab hoc indubitatis rationibus approbetur, Lunae circulum centies terra esse majorem, qui idem circulus ipsa Luna sexcenties potior invenitur. Quae duo ex defectibus Solis assiduis, quantum umbrae Luna subjecta red- 859
diderit, et ipsius umbrae collatione cum ipso Lunae corpore vera dimensione monstrantur; quae nisi morosa sint, quemadmodum dimensa sim, demonstrabo. Crebro in climate Diameroës proveniens Solis defectus ejusdem ex omni parte totum obumbravit orbem; sed propinquo climati, id est Diarhodu, portio obscurationis apparuit, in climate vero Diaborysthenis

castiore] Primo adspectu apparebit legendum esse *vastiore*; quid enim castitati cum Venere? sed invitis codicibus nihil muto.

alii Mercurium] Uberius hac de re disputavi in Palaeographia (§. 284, p. 338). Confer Plutarchum (de placit. philos. 2, 15; p. 889) et Macrobium (in somn. Scip. 1, 19 et 21).

ab Eratosthene] Codex Ettenheimmünsteriensis *Aristotele*, quod tamen facile apparebit falsum esse, quum ipse Martianus lectores suos ad libri sexti locum remittere videatur (§. 596), ubi terrae circuitum ex sententia Eratosthenis declaravit. Quanquam insignis est numerorum inter utrumque locum diversitas, ut jure miretur Bernhardyus (in Eratosthenicis p. 62), unde suam sapientiam Martianus elicuerit, quum reliqua testimonia omnia *ducenta quinquaginta millia* tradant.

ita ut ab hoc] Restitui anteriorum editionum lectionem, adstipulantibus codicibus Monacensi (C), Ettenheimmünsteriensi, et Darmstattensi; quum apud Grotium legeretur »ob hoc ergo indubitatis rationibus approbetur«, praemisso titulo: »quod circulus Lunae major sit quam tellus«, quem continuata cum antecedentibus sententia retinere non potui. Nostram lectionem margo quoque Grotiana exhibet, sed addito *ergo*, quod codices nostri non confirmant.

qui idem] Sic codex Reichenauensis; vulgo *qui quidem*.

quantum umbrae] Alii *terrae*, teste Grotio in margine; fortasse utrumque conjungendum.

in climate] De his climatibus pluribus noster agit infra (§. 876).

id est Diarhodu] Sic codex Reichenauensis; vulgo apud Grotium *Diarhodon*, in anterioribus vero *Diarhodii*, ubi verae lectionis vestigia facile

nulla obsistente parte Sol totus eluxit. Unde, quoniam clima Diarhodu quot stadia contineat manifestum est, reperi duodevicesimam partem terrae umbram quam Luna fecerat continere. Sed quoniam majus corpus ejus est, quo umbra metaliter jacitur, quam ipsa umbra, ex climatibus, quibus pro parte Sol obscurabatur dextra laevaque, compertum est triplo majorem esse ipsam Lunam umbra sua; ergo collectum est Lunam sexies minorem orbe terrae praedictis rationibus inveniri.

QUOD LUNA MINOR SIT ORBE SUO.

860 Luna autem minor est orbe suo sexcenties, quod clepsydris intelligi

apparent; pessime codex Ettenheimmünsteriensis *Diarhodis.*

portio obscurationis] Simile exemplum invenies apud Cleomedem (*κυκλ. θεωρ.* 2, 5), quem omnino vide. In universum Geminus (p. 40 Petav.): *Δι' ἣν αἰτίαν οὐδ' ἴσαι πάλιν αἱ ἐκλείψεις γίγνονται, ἀλλὰ κατὰ τὰς τῶν κλιμάτων διαφορὰς μεγάλαι παραλλαγαὶ γίγνονται περὶ τὰ μεγέθη τῶν ἐκλείψεων. Κατὰ γὰρ τὸν αὐτὸν χρόνον οἷς μὲν ὅλος ὁ ἥλιος ἐκλείπει, οἷς δὲ τὸ ἥμισυ, οἷς δὲ τὸ ἔλαττον τοῦ ἡμίσεως, οἷς δὲ τὴν ἀρχὴν οὐδὲν μέρος τοῦ ἡλίου ἐκλελοιπὸς θεωρεῖται.* Adde Achillem Tatium (isag. 19, p. 139 ibid.).

duodevicesimam] Sic codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C); vulgo *duodevigesimam.*

metaliter] Plinius (hist. nat. 2, 8 s. 11): »Defectus Lunae magnitudinem ejus haud dubia ratione declarat, sicut terrae parvitatem ipsa deficiens. Namque quum sint tres umbrarum figurae, constetque, si par lumini sit materia, quae jactat umbram, columnae effigie jaci nec habere finem; si vero major materia quam lumen, turbinis recti, ut sit imum ejus angustissimum et simili modo infinita longitudo; si minor materia quam lux, *metae* existere effigiem in cacuminis finem desinentem, talemque cerni umbram deficiente Luna palam sit« etc. Graece est *κωνοειδῶς*, vide Cleomedem (2, 6).

sexies minorem] Varias hac de re sententias vide apud Plutarchum (de facie in orbe Lunae 19, p. 932 sequ.).

Luna autem minor est] Hoc caput in MS. ita legitur: »Luna autem minor est orbe suo sexcenties, quod clepsydris fusile imponas, atque emersa omni subtrahas primum, et aliud vas apponas donec nocte alia renascatur, adjecto ad circuli spatia, et quod excurrit partibus, et ipso item Lunae corpore, quoniam de circulo, hoc quoque esse non dubium est: invenies sexcenties aquam excrescere, unde colligas circulum ejus toties esse majorem. Si ergo ipsa Luna major sexies terra, sexcenties circulus ejus major Luna, vides lunarem circulum centies majorem esse tellure.« Utrumque conjungit Veicetinus, Lugdunensis, et Basileensis codices. Sane haec lectio quam adscripsi imperfecta est, ni legas: »quod clepsydris intelligi potest.« Viri docti et harunce rerum gnariores, quid hac de

potest. Duobus enim vasis aeneis fusilibus positis, inferius vacuum, aliud superius aqua plenum pone. Observa autem Lunae ortum, et stellam fixam simul cum ea orientem; et quum coeperit corpus Lunae ex superiore parte supra terras apparere, cito superioris vasis aqua videlicet pleni centrum aperi, ut simul cum incipiente Luna oriri aqua fluere in vas inferius incipiat, et donec totum corpus appareat fluat. Quum autem tota supra terras apparuerit Luna, statim primum vas in quod aqua fluxerit subtrahas, et aliud apponas in quod aqua fluat, donec nocte alia renascatur illa stella, quae in priore nocte cum Luna oriebatur, et quum illa orta fuerit, superius vas unde aqua fluxerat tollas. Deinde metire aquam, quae in spatio viginti quatuor horarum fluxerat, ad mensuram illam primam, quae cum corpore Lunae prius in primum vas fluxerat, et invenies sexcenties aquam excrescere, quod in Lunae circulo fieri non dubium est, id est sexcenties superare spatium corpus Lunae; unde colligas circulum ejus toties esse majorem Luna. Vides lunarem circulum centies majorem esse tellure.

re judicandum sit videant: nobis satis erit breviter discrimina librorum, quos summa diligentia congessimus, indicasse. Grot. — Atque alias equidem addam lectiones; nam codex Monacensis (C) post verba *orbe suo sexcenties* sic pergit: »si clypsydris fusile ponas atque emersa omni subtrahas primum, et aliud vas apponas, donec alia renascatur adjecto ad circuli spacia, et quot excurrit partibus, et ipso item Lunae corpore quoniam de circulo hoc quoque esse non dubium est.« Darmstattensis autem post verba *quod clepsydris* haec habet: »fusile imponas, atque emersa omni subtrahas primum at aliud vas apponas donec nocte alia renascatur. Adjecto ad circuli spatia et quot excurrit partibus et ipso«, cetera ut in Monacensi. Ettenheimmünsteriensis denique verbis extremis apud Grotium »vides lunarem circulum centies majorem esse tellure« omissis reponit: »si ergo Luna est minor sexties terra, triplo majorem esse umbra sua ipsam Lunam. Ergo collectum est Lunam sexies minorem sexcenties circuli ejus est major ipsa Luna. Vides lunarem circulum centies minorem esse tellure.« Nos ad sensum in vulgata lectione nihil desideramus, apparet tamen non tantam hujus esse auctoritatem, ut genuinam Martiani manum tenere nos confidamus.

fusilibus] Id esse *ex aere fusis*, superior locus (§. 17) docet. Vitruvius (8, 5) de aquarum experimentis memorat »vas Corinthium, sive alterius generis quod erit *ex aere* bono.« Sed simillimus est locus Macrobii (in somn. Scip. 1, 21), quem totum contulisse operae pretium fuerit. De clepsydris veterum exstant dissertationes Petermanni (Lips. 1671), et G. C. Drandii (1732).

spatium corpus] Codex Monacensis (C) *corporis*, inepte; sensus enim est, spatium circuli superare corpus Lunae.

QUORUM PLANETARUM ORBES LUNAM SUPERCRESCANT.

861 Quo monstrato alios videamus. Sed quis dubitet solarem circulum duodecies quam Lunae esse majorem, quum quod illa mense, ille duodecim currat? Martis vero circulus vicies quater potior invenitur, Jovis centies et quadragies quater, Saturni trecenties tricies et sexies; unde si numerus interjectionibus supputetur, et quot stadia Saturni circulus habeat, et quota ejus portio omnis terra sit, invenitur XXII stadiorum quingenti quinquaginta sex stad. et pass. XIIII. Nam si centies Lunae circulus major est terra, Lunae autem circulo trecenties tricies sexies major Saturni; major est igitur Saturni circulus omni terra tricesies ter millies et sex centies.

DE LUNAE MEATU.

862 Nunc jam Lunae meatum, quae terrae propinquior est, videamus; quam quidem menstruum habere lumen physicorum assertione persuasum est, quum quod sit semper pleni orbis esse non dubium est. Nam si ab illa parte qua se subjicit Soli, omni hemisphaerio collustratur, etiam quum nobis tricesima nullum lumen ostendit superne, qua Solem spectat pleno lumine relucescit; denique quum discedens a Sole a latere eum coeperit intueri, pro parte etiam inferius lumen acquirit, donec e regione posita ab
863 hac parte quae nobis est visibilis collustretur. Circuit enim ejus globum un-

interjectionibus] Grotianae membranae *attentionibus*; editi *intentionibus*. Nostram lectionem codex Ettenheimmünsteriensis praebuit. *Interjectiones* sunt *ὑμπληρώματα*, ut apud Timaeum (p. 96 b Steph.).

XXII stadiorum] Omissa sunt in codice Ettenheimmünsteriensi verba »XXII stadiorum quingenti quinquaginta sex stad. et pass. XIIII«, neque injuria, quum corruptissima esse appareat; sed rectam lectionem inveniri eo difficilius est, quia ipse Martianus sibi in terrae circuitu computando non constat (vide §. 858) Mox in eodem codice legitur *terties ter milesies et sex centies*, errore aperto.

qua se subjicit] Sic codices Grotianus et Darmstattensis et excerpta Bondami (in var. lect. p. 62); editi *quae se subjicit* vel deterius etiam *quae subjicit* apud Grotium.

spectat] Margo Grotiana *exspectat*, moxque *lucescit* pro *relucescit*, male utrumque.

quae nobis est] Codices Grotianus, Ettenheimmünsteriensis, et Darmstattensis *qua*, non male.

diquesecus Solis nitor, et ei parti, quam totam tunc adspicit, lumen indulget, cujus luminis radii in terras quoque luculentiores perveniunt, ut si quis ex speculo lumine repercusso effigiem lucis excipiat. Quae quidem Luna, quum cum in orientis partibus comprehenderit, obscuratur, et quum in occasu deseruerit, lucescit. Cujus primi luminis effigies quibusdam velut cornibus 864
circulata μηνοειδὴς dicitur; quum vero nonaginta partibus a Sole discedens orbem ejus mediatenus idem radius luminarit, διάτομος perhibetur; sed praedictis partibus quum alias quadraginta quinque adjecerit, perhibetur ἀμφίκυρτος, id est major dimidia, minor plena; quum vero centum octoginta partibus a Sole discesserit contrario posita totamque partem qua terris opponitur illuminat, πανδέληνος perhibetur; ac dehinc deficiens servat cum praedictis partibus nomina memorata. Quae quidem tredecim orbis sui partes die noctuque transcurrit, quum pro latitudine circulorum, quos obeunt, eodem interstitio Sol unam integram, Mars dimidiam, Jupiter duodecimam unius partis, Saturnus vicesimam octavam unius portionis excurrat. Verum Luna circuit totum signife- 865
rum diebus viginti septem et besse; sed Solem undetriginta diebus et media dici

luculentiores] Alii, teste Grotio in margine, *luculbrandiores*, monstrum vocabuli!

ex speculo] Eadem comparatione utitur Plutarchus (de facie in orbe Lunae 17, p. 926 sequ.), quem vide. Adde Cleomedem (κυκλ. θεωρ. 2, 4) et Achillem Tatium (isag. 21, p. 142).

μηνοειδὴς] Septem Lunae φάσεις jam supra (§. 758) Martianus attigit, ubi vide notam nostram. Easdem commemorant Cleomedes (2, 5), Geminus (elem. astron. 7, p. 39 Petav.), Achilles Tatius (isag. 21, p. 141), Ammianus Marcellinus (20, 3; p. 237 Gronov.), Macrobius (in somn. Scip. 1, 6), Laurentius Lydus (de mensib. p. 108 Roetheri), Isidorus (in orig. 3, 55; p. 155 Arev.), alii; res enim in vulgus nota est; accuratius tamen Aristides Quinctilianus (de musica 3, p. 136 Meibom.) viginti octo apparitiones distinguit.

totamque partem] In editis erat: »totam partem quam terris opponit«; at in codice Ettenheimmünsteriensi: »totamque partem qua ceteris opponitur«; unde quod melius esse videbatur, assumsi.

cum praedictis] Sic codex Ettenheimmünsteriensis. Editi habent *tum*, codex Darmstattensis *tunc*, male utrumque.

orbis sui] Codex Ettenheimmünsteriensis *sui circuli*; sed vulgatam deserere sine causa nolui.

Sol unam integram] Supplevi ex codice Ettenheimmünsteriensi, licet etiam pro additamento librarii haberi possit.

vicesimam octavam] Vide quae superius dixi (ad §. 856).

et besse] Grotius per errorem *bisse*, quod ex anterioribus correxi; gravius videri possit, quod alios legere idem in margine annotavit, *octo horis*,

noctisque parte consequitur, quod ideo tardius provenit, quia quum suum peregerit circulum, ipse Sol ab eodem loco, quo ei lumen dederat, excurrerit, et in signo proximo aut etiam altero reperitur. Nam si in Librae aut Scorpii aut Sagittarii ultima parte lumen acceperit, non eum in sequenti signo, sed in altero consequetur; haec enim tria signa aliquando transcurrit, quemadmodum his contraria plerumque bis invenit. Nam quoniam ibi Sol triginta diebus et in Geminis triginta duobus moratur, Luna, quae undetriginta diebus
866 et dimidia parte eum consequitur, ibi utique poterit invenire. Verum eadem Luna aliquando quatuordecim diebus, aliquando quindecim, plerumque sedecim plenum perficit lumen; ita tamen, ut in eodem deponendo compenset. Nam si decimo quarto die lumen impleverit, quindecim diebus amittit, ut dierum ratio integra concludatur. Verum eadem Luna implet annum suum trecentis

nisi eadem *bessis* significatio esset, nimirum *octo partes ex duodecim;* nam ne *sedecim* horas ex *viginti quatuor* indicari existimes, confer Plinium (2, 6): »Proxima igitur cardini idcoque minimo ambitu, vicenis diebus septenisque et *tertia diei parte*, peragit spatia eadem quae Saturni sidus altissimum triginta annis.« Pariter Geminus (l. c. 1, p. 4): *κατωτέρω δὲ πάντων φέρεται ἡ σελήνη ἐν ἡμέραις κ καὶ ζ καὶ τρίτῳ διαπορθμευομένη τὸν ζωδιακὸν κύκλον.* Plura dabit Lindenbrogius (ad Censor. de die nat. 22).

sed Solem] Minus accurate Macrobius (in somn. Scip. 1, 6), sed ut abunde illustret nostrum: »Luna octo et viginti prope diebus totius zodiaci ambitum conficit; nam etsi per triginta dies ad Solem unde profecta est remeat, solos tamen fere viginti octo in tota zodiaci circuitione consumit, reliquis Solem, qui de loco quo eum reliquit abscesserat, comprehendit.«

ipse Sol] Meliorem hanc nostram lectionem Ettenheimmünsteriensis praebuit. Grotius edidit *ex quo* Sol ipse ab eodem loco quo ei lumen dederat *excurrerit*« male; frustra enim sic apodosis quaeritur, quae illi *quum* respondeat.

altero] Margo Grotiana *in tertio*, fortasse melius.

consequetur] Sic codices Monacensis (C) et Darmstattensis; vulgo *consequitur*, cui praetuli futurum propter antecedens *acceperit*.

ibi Sol] Codex Darmstattensis *ubi*, quod tamen non magis recipiendum erat quam mox ex Ettenheimmünsteriensi et Reichenauensi *Lunaque* pro *Luna quae*. De re ipsa vide superius (§. 848) et Censorinum (de die natali 22, 4), inprimis autem Macrobium (in somn. Scip. 1, 6): »Inde fere nunquam in eodem signo bis nascitur nisi in *Geminis*, ubi hoc nonnunquam evenit, quia dies in eo Sol duos supra triginta altitudine signi morante consumit.«

implet annum] De anno lunari accurate agit Geminus (elem. astr. 6, p. 31 Petav.), cui adde Censorinum (l. l. 18 sequ.), Macrobium (Saturn. 1, 13), et Theodorum Gazam (de mensibus c. 9 et 10 in Petavii Uranol. p. 292 sequ.), ubi etiam de intercalationibus plura leguntur.

quinquaginta quatuor diebus; nam duodecim ejus coitus hoc numero peraguntur; sicque fit, ut annus solaris diebus undecim major habeatur, quod intercalationum diversitatibus compensatur.

DE DUODECIM PARTIBUS LATITUDINIS ZODIACI.

De latitudinis partibus, per quas Luna commeat, edicamus. Nam in 867
zodiaco duodecim esse latitudinis partes superius intimavi, per quas diversis modis sidera spatiantur. Nam alia per tres partes, alia per quatuor, alia per quinque, alia per octo, quaedam per omnes duodecim feruntur. Sol enim in nullam excedens partem in medio libramento fertur absque ipso Librae confinio; nam ibi se in austrum aquilonemve deflectit ad dimidium fere momentum; Luna autem per omnes duodecim currens nunc in aquilonem provehitur, nunc in austrum deveniens infimatur, utrinque momentis excurrens, sicut Hipparchus quoque consentit. Denique obliquitati ejus voca- 868
bulum constitutum, ut fere ἑλικοειδὴς dicatur, ita tamen ut descendens adscendensque ipsam solarem lineam, quam mediam inter senas utriusque lateris partes esse monstravi, aut acutis aut spatiosis angulis secet; nec possit tamen ad idem, hoc est ita ut est posita, eodem mense eadem parte sic ad Solem reverti eadem latitudinis portione, nisi mense ducentesimo tricesimo

latitudinis] Vide superius (§. 854).

alia per quinque] E Monacensi (C) addidi haec verba omissa in editis.

absque] Id est *excepto* (Hand. Tursell. I, p. 69).

ibi se] Grotiana margo *ubi*, perperam. Praeterea delevi quod in editis sequebatur *aut*, quia non iteratur, et reposui pro *aquilonemque* ex Ettenheimmünsteriensi, Darmstattensi, et Monacensi (C) codicibus *aquilonemve*.

excurrens] Ea loca, ubi ultra zodiacum Lunae meatus excurrunt, *caput* et *cauda* ab astronomis appellantur, vel uno vocabulo *nodi*, de quibus agit Ptolemaeus (Almagest. 4, 9).

constitutum] Ita margo Grotiana et codices Reichenauensis, Ettenheimmünsteriensis, Monacensis (C), et Darmstattensis pro *constructum* in editis.

ἑλικοειδὴς] Anteriores editiones ἡλιοειδὴς, Grotius ἡλικοειδὴς, sed correxit in notis. Vide superius (§. 709). Hinc περιὴν ἑλικόδρομον Lunam appellat Maximus philosophus (περὶ κατ. 61). Plura de ejus evolutione (ἐξελιγμοῦ) dabit Geminus (l. l. 15, p. 61 sqq.).

quinto, hoc est anno undevicesimo. Nam ut sub eadem die atque iisdem propinquitatibus siderum inerrantium ad idem redeat, faciunt anni quinquaginta quinque; ut vero etiam planetarum iisdem rationibus sub eadem specie contingat,
869 anni magni prolixitas spectanda. Verum eadem Luna quum secans solarem lineam in aquilonem scandit, vocatur ὕψος ὑψουμένη; quum ab aquilone ad

undevicesimo] Ita necessario scribendum erat vel propter antecedentem mensium numerum, licet apud Grotium 29 exstet; est enim haec notissima illa Metonis periodus ἐννεακαιδεκετηρὶς, de qua conferendi sunt Geminus (l. l. 6, p. 58) et Censorinus (de die nat. 18); plura dabit Ideler (Handbuch der Chronologie T. I, p. 47. 298. 313).

quinquaginta quinque] Vide ne legendum sit *quinquaginta novem*; tot enim annorum periodus ab antiquis vel Philolao vel Oenopidi tribuitur, de qua conferendi sunt Boeckhius (in Philol. p. 134) et Ideler (Chronol. I, p. 302).

iisdem rationibus] MS. *hisdem radiationibus*. Non male. Gnor.

anni magni] Macrobius (in somn. Scip. 2, 11): »Mundani ergo anni finis est, quum stellae omnes omniaque sidera, quae aplanes habet, a certo loco ad eundem locum ita remeaverint, ut ne una quidem coeli stella in alio loco sit, quam in quo fuit, quum aliae omnes ex eo loco motae sunt, ad quem reversae anno suo finem dederunt; ita ut *lumina* quoque cum *erraticis quinque* in iisdem locis et partibus sint, in quibus incipiente mundano anno fuerant; hoc autem, ut physici volunt, post annorum quindecim millia peracta contingit.« Alii alios numeros tradunt, quos afferunt Davisius (ad Cic. N. D. 2, 20), Lipsius (ad Sen. p. 739), et J. H. Vossius (ad Virgil. ecl. 4, 5); adde Achillem Tatium (isag. 18, p. 137) et Plotium (bibl. 249, p. 440).

spectanda] Lege *exspectanda*. Gn. — Non necesse.

verum eadem] Legendum puto »vocatur ὕψος ὑψωμένη et deinde ὕψος ταπεινουμένη: et post ταπεινὸς ταπεινουμένη et infra ταπεινὸς ὑψωμένη: vel sane quod magis Graece dicetur ὑψόδε ὑψωμένη, ὑψόδε ταπεινουμένη, ταπεινῶς ταπεινουμένη, ταπεινῶς ὑψωμένη. Similia sunt illa in arithmeticis: »ἀρτίακις ἀρτία, ἀρτίακις περισσὰ, περισσάκις περισσὰ, περισσάκις ἀρτία.« Gnor. — Martiani Capellae locus egregius de his Lunae motibus ita legendus est: »Verum eadem Luna quum secans solarem lineam in aquilonem scandit, vocatur ὕψος ὑψουμένη: quum ab aquilone ad solarem lineam redit, dicitur ὕψος ταπεινουμένη: quum a solari linea in austrum descendit, ταπείνωμα ταπεινουμένη: quum deinde rediens ad Solem resurgit, ταπείνωμα ὑψουμένη. Plinius degredi ea dicit quae ab altitudine descendunt, pro quo multis locis *digredi* perperam editum est cap. XVII lib. II. Salmas. (ad Solin. p. 754). — Equidem Salmasii lectionem praefero, quia cum codicibus Grotiano, Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (C) congruit tam in verbis *quum secans* pro *consecans* quam in voce *aquilonem* pro *aquilone*. Quod ad ὕψος, omissum in editis, id quoque Monacensis (C) praebet, nisi quod corruptum sequatur *ινου*. Denique ubi Grotius legi jubet ταπεινὸς, sive ταπεινῶς, Salmasii lectio iterum cum Monacensi codice convenit, in quo ταπινομα legitur. Vulgo inepte ταπεινὸς ὑπομένην. Vox ταπείνωμα etiam apud Plutarchum et Cleomedem occurrit.

solarem lineam redit, dicitur ὕψος ταπεινουμένη; quum a solari in austrum descendit, ταπείνωμα ταπεινουμένη; quum deinde rediens ad Solem resurgit, ταπείνωμα ὑψουμένη. Sed idem adscensus descensusque faciunt utriusque luminis obscurationem. Nam quum Luna scandens descendensque in solarem lineam inciderit, si tricesima est, hoc est omni corpore subjecta Soli, obscurationem Solis terris facit; suo enim corpore subter se positis obscurat, aliis partibus terrae Sole qua non tegitur relucente. Quam obscurationem eadem non cunctis mensibus facit, quia non semper tricesima in eadem solari linea reperitur, sed aut sursum aut deorsum posita ne possit obstare transmittit.

DE DEFECTU LUNAE.

Item Lunae defectus fit, quum in contrario Luna posita, hoc est 870
decima quinta, in eadem linea Solis umbra terrae metaliter infuscatur. Nam Sol umbram terrae in suam lineam mittit, quam si Lunae corpus intrarit, quoniam videre lumen Solis terra obstante non poterit, luminis soliti ademtione furvescit; alias quum in superiore aut inferiore latitudinis loco fuerit, pleni luminis effigie relucescit. Denique ideo intra sextum mensem defectus non 871

descendensve] Sic codices Monacensis (C) et Darmstattensis pro *descendensque* in editis. Mox reposui etiam e Reichenauensi *tricesima* pro *trigesima* duobus locis.

aliis partibus] Vide superius (ad §. 859).

obscurationem eadem] Alios *idem* legere Grotius in margine annotat, sed rectius ad Lunam referetur. Plinius (2, 7): »Stati autem atque menstrui non sunt utrique defectus, propter obliquitatem signiferi Lunaeque multivagos ut dictum est flexus, non semper in scrupulis partium congruente siderum motu.« Adde Ammianum (20, 3; p. 256 Gronov.): »Ac licet utriusque sideris conversiones et motus in unum eundemque finem lunari cursu impleto perenni distinctione conveniant, tamen Sol non semper his diebus obducitur, sed quum Luna e regione velut libramento quodam igneo orbi et adspectui nostro opponitur medis.«

Lunae defectus] Vide Plutarchum (de plac. phil. 2, 29; p. 891), Plinium (2, 8 sequ.), Cleomedem (κυκλ. θεωρ. 2, 6), Geminum (elem. astr. 9, p. 41 Petav.), Ptolemaeum (Almagest. l. VI), Hyginum (poët. astr. 4, 14; p. 492 Munck.), alios; rem hodie vel pueris notam esse constat.

metaliter] Vide superius (§. 859).

quam si Lunae] Codex Ettenheimmünsteriensis *quae umbra si*, profecto male, quum sequentibus quoque verbis *poterit* et *furvescit* non *umbra* sed *corpus Lunae* subjectum sit.

intra sextum] Plinius (2, 10): »Intra ducentos

potuerunt iterari, quia aut decima quinta aut prima [in eadem Solis linea per duodecim partium latitudinem spatiatur, deinde non poterit inveniri. Unde si ab aquilone rediens ad Solem in latere proximo posita non obsistit, *παραλλαξαμένην σύνοδον* facere perhibetur; quae si a latere septentrionis transcurrens coit nec obsistit, *παραλλαξαμένη βορείῳ συνόδῳ* memoratur; si ab austro veniens nec obsistens lumen acceperit, *παράλλαξιν ἐν συνόδῳ νοτίῳ* fecisse dicitur; si autem ad solarem circulum veniens ab austro obstiterit Soli, *ἀναβιβάζοντα σύνδεσμον* fecisse dicitur. Hae species diversitatesque Lunae superae mutabilitatis varietate confunduntur.

DE CURSU SOLIS.

872 Nam Solem gemino diximus meare motu; quippe ab ortu aut cum mundo corripitur, aut ipse suum circulum contra mundum per obliqua distendit.

annos Hipparchi sagacitate compertum est, et Lunae defectum aliquando *quinto mense* a priore fieri, Solis autem septimo.«

inveniri] Nimirum ab umbra terrae; expressisse videtur Graecum verbum *καταλαμβάνεσθαι*.

παραλλαξαμένην] Grotius hic et infra *παραλληλιζομένην*: equidem locum aperte corruptum emendavi maximam partem Salmasii (ad Solin. p. 754) auctoritatem secutus, ita tamen ut ubi is *παράλλαξιν ἐν συνόδῳ* scribendum censeret, leniore mutatione codicum vestigia sequerer, quos *παραμαξάνην* legere Grotius in margine notavit, pervulgata confusione literarum *M* et *ΛΛ*, quam alio loco (in palaeogr. crit. III, p. 211) multis exemplis illustravi. Infra demum eundem secutus *παράλλαξιν ἐν συνόδῳ νοτίῳ* scripsi, quum Grotius inepte *παραλληλιζομένην συνόδῳ νοτίῳ fecisse* edidisset, pariterque antea *coit nec obsistit* pro *coit et obsistit*, et infra *ἀναβιβάζοντα σύνδεσμον*, ubi Grotius *ἀνάβασιν συνδέσμου* nescio unde, in margine autem *ἀναβιβάζων*. Accedit codicum meorum auctoritas, quorum Darmstattensis et Reichenauensis *ἀναβιβάζων σύνδεσμον* praebent, et constans loquendi usus apud astronomos, quem etiam sequitur Ammianus Marcellinus (20, 3; p. 257 Gronov.): »Ad summam tum Sol occultatur splendore suppresso, quum ipse et lunaris globus, astrorum omnium infimus, parili comitatu obtinentes circulos proprios salvaque ratione altitudinis interjectae junctim locati, ut scienter et decore Ptolemaeus exponit, ad dimensiones venerint, quos *ἀναβιβάζοντας* et *καταβιβάζοντας ἐκλειπτικοὺς συνδέσμους*, *coagmenta* videlicet *defectiva*, Graeco dictitant sermone«; ubi videatur Valesius.

hae species] Ita anteriores editiones; Grotius *haec*, quod apertum est erratum. Paulo post idem in margine notavit pro *superae mutabilitatis* alios legere *sub mortalitatis*, inepte.

diximus meare] Vide superius (§. 852) et Hyginum (poët. astr. 4, 13).

corripitur] Codex Ettenheimmünsteriensis *vol-*

Verum ex ea parte, qua cum mundo volvitur, quotidie ortus sui lineam mutat, et quoniam omnes ductus per quos volvitur circulos appellamus, centum octoginta tres eosdem esse dubium non habetur. Nam sive a Cancro descendat, per eosdem usque ad brumalem circulum currit, sive a bruma in solstitium veniat, per ipsos denuo revolvitur, qui quidem secantes secundo zodiacum contrariis signis perpetuo lineantur. Nam primus Arietis circulus primus est Librae, item tricesimus Arietis tricesimus est Librae; item Tauri prior Scorpionis est primus. Sic igitur trecentis sexaginta sex partibus fiunt centum octoginta tres circuli, quos omnes parallelos appellamus; et ex contrario, ut dixi, signa iisdem partibus secant. Ergo hos circulos annuos trecentis sexaginta quinque diebus et quadrante diei peragit, sive ad solstitialem circulum tendat, sive oxinde revertatur. Illud etiam non tacendum, quod quum duo 873
sint hemisphaeria, unum ab aequinoctiali circulo in septentrionem, aliud in austrum ab eodem aequinoctiali, tamen Sol diversa utrumque ratione discurrit, quum ut dixi paria sint signa partis utriusque; verum id quod ad solstitialem consurgit centum octoginta quinque diebus et quadrante diei noctisque, id autem quod ad brumalem deprimitur centum octoginta diebus peragitur; quod utique illa res facit, quod eccentron Solis circulo dixi esse tellurem, et in superiore hemisphaerio altius tolli, in inferiore ad terrae confinia appropinquare.

vitur id est corripitur, quo tamen additamento non egemus.

mutat] Alii teste Grotio in margine *metat*, inepte.

centum octoginta tres] Vide superius (§. 856).

in solstitium] Codex Ettenheimmünsteriensis *in solstitialem*, quod tamen non magis necessarium est quam quod pro *veniat* alios legere Grotius in margine notavit *eveniat*.

secundo] Id est *bis*, ut supra (§. 820).

quadrante] Alii teste Grotio in margine *triente*, male; vide Censorinum (de die natali 18) et Geminum (6, p. 31 Petav.), si omnino testimoniis opus est in re lippis et tonsoribus nota.

sint hemisphaeria] Codex Ettenheimmünsteriensis interponit *paria*, quod tamen necessarium non est, quum inferius sequatur, paria esse signa partis utriusque; neque magis necesse erat recipi quod idem mox praebuit *septentrionalem* pro *septentrionem*, errore paene puerili, quum hemisphaeria vel ultra circulos arcticos ad polos usque pertineant.

diversa utrumque] Vide superius (§. 848).

appropinquare] Sic codex Ettenheimmünsteriensis; vulgo *propinquare*.

Dubium autem non est citius transcurrere breviorem sinum tardiusque diffusum.
874 Verum Sol, quum ad Cancrum ab aequinoctiali parte conscendit, aestatem praestat hominibus, quos inter solstitialem septentrionalemque vivere dubium non habetur; quum ab eodem Cancro in aequinoctialem Libram descenderit, auctumnum facit; quum vero ad brumalem lineam recedit, hiems habetur, propterea quod calore dimoto torpor invadit. Rursum quum a Capricorno hiemali in aequinoctialem Arietem surgit, vernum tempus arridet; ex hinc denuo in Cancro aestas torrida renovatur. Sed e contrario perferre omnia non dubitatur antipodas; quorum aestatem Capricornus facit, hiemem Cancer, Sol tenens aequinoctia utrique parti temperiem.

DE ACCESSU DEFECTUQUE DIERUM AC NOCTIUM.

875 Jam illud superfluum puto, noctium accessus defectusque memorare, quum pares pro rata sint aestivis diebus hiemis noctes, et hiemalibus diebus noctes aestivae, unaque aequinoctialis nox, quae bis anno contingit, par sit diei suo. Nam quum ab aequinoctio verno in Cancrum Sol meat, omnes dies majores sunt noctibus suis; item ab auctumnali aequinoctio usque ad brumam minores dies noctibus dilatatis.

DE CLIMATIBUS OCTO.

876 Minimus autem anni dies brumalis est, qui habet horas novem; maximus autem solstitialis habet horas quindecim, licet hoc pro climatum ratio-

antipodas] Vide librum sextum (§. 606 seqn.) et Cleomedem (*κυκλ. θεωρ.* 1, 2).

pro rata] Lege *pro rata* scil. *proportione*, quod mihi quidem multo aptius videtur quam *pro rata* pro ratione Solis cum glossis exponere, quanquam non nesciam etiam Graecis Solem *δίσκον* appellari. Gron. — Codex Ettenheimmünsteriensis *pernotae*, sed longe praestat Grotiana lectio. Vitruvius (9, 6; p. 283 Bip.): »Sol per siderum spatia vadens *dilatat contrahitque* dies et horas.« Plura dabit Cleomedes (l. l. 1, 5 et 6).

horas novem] Restitui anteriorum editionum lectionem cum codice Ettenheimmünsteriensi, quum Grotius *horas* 8 edidisset; pariterque ex eodem codice *horas* 16, quas Grotius solstitiali tribuit, mutavi in *quindecim*, ut sibi constaret ratio, quum

nibus varietur. Nam climata octo sunt: sed proximum solstitiali Diameroës; deinde alterum Diasyenes; tertium Dialexandrias, quod ducitur per Cyrenas in Africam Carthagini ab austro adjacentem; quartum et medium ex omnibus Diarhodu, quod per mediam Peloponnesum Siciliamque ductum ad ostium Baetis pervenit; quintum est Diarhomes per Macedoniam et alteram partem per Gallias et Lusitaniam ad Tagum descendens; deinde sextum per Hellespontum Thraciamque et confinem Germaniae Galliam; septimum Diaborysthenis per Ponticum mare et ab altera parte Germaniam Britanniamque praecidens; ultimum est ultra Maeotis paludes et infra Riphaeos montes.

DE AEQUINOCTIALIBUS DIEBUS SECUNDUM CLIMATA.

Ergo secundum climata dies dicuntur. Diameroës maximus dies habet 877
aequinoctiales horas tredecim, minimus dies undecim; Diasyenes maximus dies horas habet quatuordecim, minimus decem; Dialexandrias maximus horas quatuordecim et dimidiam cum tricesima, minimus novem et dimidiam demta

anteriores editiones *horas XIIII* haberent, quod ita tantum excusari possit, ut minutiores partes neglectas esse a Martiano dicamus (vide superius §. 846). Grotianae lectioni unus favet Monacensis (C), sed facilis conjectura est, quum Martianus diversissimis in terris scholarum in usum describeretur, eos numeros ubique positos esse, qui unius cujusque regionis climati convenirent.

climata octo] De his accurate egit Eratosthene duce Strabo (2, p. 131 sequ. Casaub.), quem omnino vide; plura dabit Cellarius (geogr. antiq. I, p. 21 sequ.).

Diarhodu] Grotius *Diarchodon*, sed codex Reichenauensis et anteriores editiones ut supra (§. 859).

Baetis] Sic recte margo Grotiana; vulgo inepte *Betlis*.

Lusitaniam] Grotiana margo codicesque Ettenheimmünsteriensis, Darmstattensis, et Monacensis (C) pro *Lusitaniam ad Tagum descendens* habent *Lusitaniam attingens*, male. Sed in vulgata quoque lectione displicet *alteram partem*, cui libens *altera parte* substituissem, si codices addixissent.

dies dicuntur] Fortasse *dicantur*. Ceterum conferendus etiam Geminus (apud Petavium p. 22).

dies undecim] Darmstattensis codex maximo XII, minimo X horas tribuit; similique errore mox Reichenauensis in climate Diasyenes minimo horas XI; numeri omnino varie turbati.

horas quatuordecim et dimidiam] Vulgo: »maximus horarum 14, minimus 9«; restitui locum quomodo potui, ad Bondami (var. lect. p. 62. 63) inprimis codicem, nisi quod is et ipse vitiose *horarum* exhibet pro *horas* et minimo dici perperam *decem* tribuit pro *novem*; sed tales certe errores Martianus committere non potuit. *Horas* confirmat et codex Ettenheimmünsteriensis.

tricesima; Diarhodu maximus horas quatuordecim et besse, et minimus novem; Diarhomes maximus quindecim, minimus novem; Diahellespontu maximus horas quindecim, minimus octo et besse; Diaborysthenis maximus horas quindecim et besse, minimus octo et trientem; Diariphaeon maximus horas sedecim, minimus octo. Deinde quum prope cardinem accesseris, longior dies semper breviorque nox fiet; denique colligitur sub ipso vero cardine semper
878 diem esse. Interea his climatibus quibus crescunt decrescuntque luces, sciendum a bruma ita dies accrescere, ut primo mense duodecima ejusdem temporis quod additur aestate accrescat, secundo mense sexta, tertio quarta, et quarto mense alia quarta, quinto sexta, sexto duodecima. Illud quoque manifestum, quod zodiacus circa Cancrum Capricornumque flexior aequinoctialem paene directum secat.

DE STELLA MERCURII.

879 Hactenus de Sole; nunc planetarum cursus convenit intueri, eorumque praecipue qui circa Solem peragratione mundana volvuntur. Nam Stilbon paene anni circulum ducens per octo latitudinis partes alterna incitus diversitate

et besse] Reliqui lectionem aperte corruptam eam tantum ob causam, quia duae emendandi viae patebant, ut vel *et bessem* scriberem vel *cum besse*. Ceterum codices Darmstattensis et Reichenauensis et *bessem* et *trientem* prorsus ubique negligunt.

quindecim cum besse] Sic codex Ettenheimmünsteriensis, vulgo *sedecim* contra rationem, nec melius Darmstattensis *septem* pro *octo*.

accesseris] Ita omnino legendum cum anterioribus editionibus, Bondami (p. 63) codice aliisque; Grotius nescio unde *accesserit*.

interea] MS. »Interea *hic* climatibus *quibusque* crescunt decrescuntque luces. Sciendum« cet. Gnot. — Locus mutilus videtur esse, quapropter nihil mutare ausus sum.

duodecima] Ettenheimmünsteriensis *septima*.

directum] Malim *directim*. Gnot.

circa Solem] Vide superius (§. 854. 857) et adde Vitruvium (9, 4; p. 263 Bip.): »Mercurii autem et Veneris stellae circum Solis radios, Solem ipsum uti centrum itineribus coronantes, regressus retrorsum et retardationes faciunt.«

paeni anni] Ettenheimmünsteriensis codex *anno*, male. De re vide superius (ad §. 852).

octo latitudinis partes] Plinius (hist. nat. 2, 13 s. 16): »Ab his Mercurii stella laxissime, ut tamen e duodenis partibus (tot enim sunt latitudinis) non amplius *octonas* pererret, neque has aequaliter, sed duas medio ejus, et supra quatuor, infra duas.«

discurrit. Hujus Venerisque circulos epicyclos esse superius memoravi, id est non intra ambitum proprium rotunditatem telluris includere, sed de latere quodammodo circumduci; qui ut oriri subinde occidereque videantur, mundani motus raptibus involvuntur. Sed idem Stilbon, licet Solem ex diversis circulis 880
comitetur, ab eo tamen nunquam ultra viginti tres partes poterit aberrare, nec duobus signis absistere; nunc praeteriens, nunc consistens, aut certe regrediens. Qui quidem diversis schematibus variatur; nam licet exiguo parvique temporis spatio faciat, tamen et ortus facit et occasus. Quippe ubi radiis solaribus conditione partium liberatus ante emergentis splendorem jubaris vibrabundus apparet, ultra terrarum horizontem sublevatus; nam acronycho ortu hic

superius memoravi] Grotiana margo *superioribus; quo facile caremus.* De *epicyclis* confer Ptolemaeum (Almagest. 3, 3 et 9, 5 sequ.), unde videbis, quod noster *superius* se de his egisse dicat, locum de eccentricitate terrae intelligi (v. §. 855).

comitetur] Codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Ettenheimmünsteriensis pariter atque margo Grotiana habent *contineat;* sed nostram lectionem recte tuetur Oudendorpius (ad Appul. I, p. 74). De re ipsa confer superiorem locum (§. 25).

viginti tres partes] Restitui ex Plinio (2, 8 et 14), quod facili errore apud Grotium in 32 abierat.

praeteriens] Plinius (2, 12): »Inferiores autem duae — a longissimis distantiae suae metis Solem insequuntur, adeptaeque occasu matutino conduntur et *praetereunt*; mox eodem intervallo vespere exoriuntur — ab his retrogradiuntur ad Solem et occasu vespertino delitescunt.«

consistens] Plinius (2, 14): »Mercurii rursus stella — consecuto Sole ad quindecim partium intervallum *consistit* quatriduo prope immobilis; mox ab altitudine descendit retroque graditur ab occasu vespertino usque ad exortum matutinum.«

regrediens] Grotiana margo *pergrediens*, inepte; confer Plinium (2, 8): »modo ante Solis exortum, modo post occasum splendens«, et Ciceronem (N. D. 2, 20): »quae anno fere vertente signiferum lustrat orbem, neque a Sole longius unquam unius signi intervallo discedit, tum antevertens tum subsequens.«

spatio] Vocabulum a Grotio omissum ex codicibus Darmstattensi et Ettenheimmünsteriensi inserui; sed quod alter ex his mox affert *eorum* ante *ortus*, merito sprevisse mihi videor.

liberatus] Reichenauensis codex a secunda manu *libratus*, fortasse ob similitudinem superioris loci (§. 25), sed longe diversa utriusque ratio est. Illic enim sensus est, Mercurium eo quasi libramento a Solis cursu pendere, ut nec semper cum sequi nec tamen longius diutiusve unquam discedere ab illo velit; hic autem apparet planetam significari, qui radiis Solis non amplius tegatur, sed jam sui juris factus proprio fulgore resplendescat. Nonnunquam enim perpetuum signis quatuor cum Sole esse Mercurium auctor est Hyginus (poët. astr. 4, 16). Similiter de Venere Vitruvius (9, 4): »quum est *liberata* ab impeditione radiorum Solis.«

acronycho] Male Grotius *a Chronico*, et ante-

nunquam poterit elevari. Quippe nisi in diametro Solis positis non potest evenire sideribus; diametrum in signo septimo perhibetur; ita fit ut iste, qui ultra signum et alteram exiguam portionem sequentis abesse non poterit,
881 non illi contingat ortu acronycho sublevari. Denique nec contrarium eidem novit occasum, sed ortum vespertinum facit, quum post occasum Solis luminis sui libertate clarescit. Item occasus duos habet, unum quum ante Solem parere solitus claritate radii supervenientis occulitur, alium quum itidem retrogradatione sua viciniae Solis admotus idem patitur in occasu. Ab eo quippe Solis lumine intra viginti momenta abesse non poterit, licet majoribus partibus aberrarit, qui ultra secundum signum non poterit inveniri. Et has tamen

riores a *Cronico*; melius Darmstattensis *acronico*, unde nullo negotio veram lectionem restitui. Nicander (theriac. 761):

Ἡνώδαλα φαλαίνῃ ἐναλίγκια, τὴν περὶ λύχνους
Ἀκρόνυχος δειπνητὸς ἀπήλασε παιφάσσουσαν,

ubi scholiasta: *ἀκρόνυχος δὲ ἤγουν ἑσπερινός*. Alii, ut Firmicus (math. 2, 8), *acronyctas* dicunt stellas, quae tunc oriuntur quum Sol occidit. Plura vide infra (§. 887).

quippe nisi] Recepi lectionem codicis Grotiani, quum vulgo sine sensu legeretur: »quippe in diametro Solis posse positis evenire sideribus«; sed quod idem mox ex codice attulit post *perhibetur* inserendum: »aut in quadrato partibus XC aut in triquetro partibus CXX aut in adverso partibus CLXXX«, licet in Ettenheimmünsteriensi quoque invenerim, textui intrudere nolui, quum glossematis speciem referre videatur.

illi] Sic codices Reichenauensis, Monacensis (C), Ettenheimmünsteriensis, et Darmstattensis pro *illic* in editis; neque in tanto librorum consensu recipere dubitavi, licet anacoluthia cum antecedenti *iste* inde exsisteret, quum reliquae constructioni apprime conveniat. Quod autem mox in uno Ettenheimmünsteriensi legebatur *sublimari* pro *sublevari*, librario illi relinquendum duxi.

sed ortum] Secutus sum codices Darmstattensem et Ettenheimmünsteriensem; vulgo enim minus commode legebatur: »denique nec contrarium eidem novit occasum *vel ortum: sed ortum itidem* vespertinum« cet.

parere] Pro *apparere*, ut in rhetorica *signare* pro *assignare*, *firmare* pro *affirmare*. Sic lib. Geom.: »ejectae fragmentorum reliquiae parent.« Virgilius:

»*Cui fibrae pecudum, coeli cui sidera* parent«,

ad quem locum Servius: »id est, a quo fibrae et sidera cernuntur.« Martialis:

»*Ad portum quoties* paruit *Hermogenes.*«

Et jurisconsultorum frequens illa in condictionibus formula: »si *paret* dare oportere.« Ad quem alludens arbiter leporum:

»*Jurisconsultus* paret, non paret *habeto*,
Atque esto quidquid Servius et Labeo.« Gnot.

retrogradatione sua] Sic codex Reichenauensis; vulgo *sui*. In fine paragraphi malim *ostendit* pro *offendit*.

obscurationes ortusque perspicuos quarto quoque mense nec id tamen semper offendit.

DE STELLA VENERIS.

At Venus, quae ab aliis Phosphoros nominatur, a Pythagora Samio 882
cum suis ostensa est terris rationibus pervestigata, et ipsa circa anni confinium ambire circulum proprium perdocetur. Nam trecentis diebus et aliquot, latitudinis vero partibus duodecim Lunae similis pervagatur, quinquaginta momentis a Solis orbe discedens, licet plus quadraginta sex partibus aberrare non valeat. Et tamen in suo posita circulo cum varia diversitate circumdat, quia aliquando cum transcurrit, aliquando subsequitur nec comprehendit, aliquando superfertur, nonnunquam subjacet, quippe quae non annis omnibus revocet cursum. Tunc 883
etiam quum retrograditur, ultra anni circulum tardior collustrat orbem, quum

Pythagora] Pythagorae meritum declarat Diogenes Laertius (8, 14): *πρῶτον Ἑσπερόν τε καὶ Φωσφόρον τὸν αὐτὸν εἰπεῖν*, ubi Menagius laudat Stobaeum (ecl. phys. 1, 25; p. 520 Heer.) et Plinium (2, 8): »Infra Solem ambit ingens sidus, appellatum *Veneris*, alterno meatu vagum ipsisque cognominibus aemulum Solis ac Lunae. Praeveniens quippe et ante matutinum exoriens *Luciferi* nomen accipit, ut Sol alter diem maturans; contra ab occasu refulgens nuncupatur *Vesper*, ut prorogans lucem vicemque Lunae reddens; quam naturam ejus *Pythagoras Samius* primus deprehendit.« Codex Reichenauensis post *suis* inserit *discipulis*, quod tamen ut glossema neglexi eo magis, quia *suis* ad *rationibus* referendum videbatur.

ambire] Sic codex Ettenheimmünsteriensis et Bondami (var. lect. p. 63), nec refragatur Monacensis (C), qui exhibet *ambiri*; vulgo minus commode *habere*. De re confer Ciceronem (N. D. 2, 20): »Ea cursum anno conficit, et latitudinem lustrans signiferi orbis et longitudinem — neque unquam ab Sole duorum signorum intervallo longius discedit, tum antecedens tum subsequens.«

quadraginta sex partibus] Delevi quod in editis praemissum erat *a* codicis Ettenheimmünsteriensis auctoritate. Rem ipsam confirmat Plinius (2, 8): »Signiferi autem ambitum peragit *trecentis et duodequinquagenis* diebus, ab Sole nunquam absistens *partibus sex atque quadraginta* longius, ut Timaeo placet.«

quia aliquando] Codices Monacensis (C) et Reichenauensis interponunt *XLIna*, nescio quo sensu.

non annis omnibus] Hyginus (4, 15): »Sed totus Hesperus incertos efficit cursus, non eodem tempore ad praeteritum transiens signum.«

quum retrograditur] Particulam vulgo omissam supplevi ex codice Ettenheimmünstericensi; vellem etiam *enim* pro *etiam* substituere licuisset.

ultra anni] MS. *contra anni circulum*. Forte *cum intra*. Gnot. — Ex nostra lectione sana omnia.

autem directo cursu meat, etiam undecimo mense circulum complet. Nunc faciens ante Solis ortum in Luciferum, nunc post occasum Solis effulgens Vesper vel Vesperugo nominatur. Sola de quinque sideribus umbram reddit ut Luna, solaque fulgori Solis emergentis diu conspecta non cedit. Quae quidem in ortu matutino plerumque quatuor mensibus immoratur, in vespertino vero nunquam plus viginti diebus. Verum tam visus ejus quam occultationes undeviginti mensibus restaurantur.

DE STELLA MARTIS.

884 Nam Pyrois sive Martium sidus ultra Solem means proprium etiam ipse circulum telluris eccentron meat annis prope duobus; in latitudinem quinque vel quatuor partes excurrit. Cui licet cum duobus superpositis ortus, occasus, stationesque ac reditus videantur esse communes, tamen et altitudinem propriam, et stationem primam, et absidem suam exceptam ceteris novit.

ante Solis ortum] Recepi lectionem Bondami (var. lect. p. 63 f.) et codicum Ettenheimmünsteriensis, Darmstattensis, et Monacensis (C), quum apud Grotium legeretur »nunc faciens *ortum ut* in Luciferum«; licet probe sciam persanatum locum ne nunc quidem videri. Sensus tamen perspicuus, quocum etiam conferri potest Vitruvii locus supra laudatus: »Id autem ita esse maxime cognoscitur ex Veneris stella, quod ea quum Solem sequatur, post occasum ejus apparens in coelo clarissimeque lucens *Vesperugo* vocitatur, aliis autem temporibus cum antecurrens et oriens ante lucem *Lucifer* appellatur.«

circulum] Grotius edidit *circum*, hac nota addita: »Quanquam pudeat haec talia annotare, tamen imperitiorum causa addo *circum* hic nomen esse, non *ἴσχλιτον*«: attamen praetuli codicis Ettenheimmünsteriensis lectionem, quum *circum* mihi remansisse videatur ex prava lectione, cujus vestigia in margine Grotiana exstant: »circum telluris *centron*« pro *eccentron*. De eccentricitate et epicyclis Martis vide Ptolemaeum (Almagest. 10, 7 seqq.).

in latitudinem] In editis erat: »in *latitudine quinque* partes excurrit«, cum nota marginali: »al. *quatuor*«; nostra petiimus ex codicibus Darmstattensi, Ettenheimmünsteriensi, et Monacensi (C). Plinius (2, 13 s. 16): »Martis stella *quatuor* medias, Jovis mediam et super eam duas, Saturni duabus ut Sol.«

superpositis] Nempe in coelo, non in hoc libro, Jove nimirum et Saturno, sicut infra (§. 886) *inferiores* Saturno sunt Jupiter et Mars.

absidem] Ἁψῖδας nemo ignorat planetarum orbes appellari. Meminit Plinius lib. II, cap. XVI. Appulejus de deo Socratis, ubi de planetis sermo: »Varia quippe curriculi specie, sed una semper et aequabili pernicitate, tum progressus tum autem regressus mirabili vicissitudine assimulant, pro

Nam ejus altitudo, id est ubi se ejus circulus a terra altius tollit, sub signi Leonis regione consurgit; statio vero specialis ejus prima; nam utpote Soli conjunctus de proximo etiam in quadratura ejus positus radios sentit, quippe in nonagesima parte ex utroque ejus latere remoratur. Absidem etiam habet recessumque sublimem in Capricorni confinio, hoc est sub ejus vicesima nona parte.

DE STELLA JOVIS.

Stella vero Jovis salutaris ad omnia utpote superior duodecim annis 885
longitudinem propriae circumactionis excurrit, per latitudinem vero quinque partium spatiatur. Altitudo ejus circuli in Virgine reperitur, absis vero in Cancri decima quinta portione; qui adscensus descensusque eccentron esse terram ipsum quoque circulum contestantur.

situ et flexu, et *abstituto* circulorum«; legendum puto »et *absidibus* circulorum.« Grot. — Ipsius Plinii verba apposui, quia ea hic et in sequentibus nostro ante oculos fuisse verisimillimum est: »Pluribus de causis haec omnia accidunt. Prima circulorum, quos Graeci ἀψῖδας in stellis vocant — sunt autem hi sui cuique earum aliique quam mundo; quoniam terra a verticibus duobus, quos appellarunt polos, centrum coeli est — ergo ab alio cuique centro *absides* suae exsurgunt, ideoque diversos habent orbes motusque dissimiles, quoniam interiores *absidas* necesse est breviores esse. Igitur a terrae centro *absides* altissimae sunt Saturno in Scorpione, Jovi in Virgine, Marti in Leone, Jovi in Geminis, Veneri in Sagittario, Mercurio in Capricorno, mediis omnium partibus.«

in quadratura] Plinius (2, 12 s. 15): »Martis stella ut propior etiam *ex quadrato* sentit radios ab *nonaginta partibus* — eadem stationalis senis mensibus commoratur in signis, alioqui bimestris.«

recessumque sublimem] Plinius (2, 13 s. 16): »Altera *sublimitatum* causa, quoniam a suo centro *absidas* altissimas habent in aliis signis: Saturnus in Librae parte vicesima, Jupiter Cancri quinta decima, Mars Capricorni vicesima octava« cet., unde qui volet numeros apud nostrum corrigat.

salutaris] Cicero (somn. Scip. 4 sive ap. Macrob. 1, 17): »Deinde est hominum generi prosperus et *salutaris* ille fulgor, qui dicitur Jovis.« Codex Reichenauensis post vocem *salutaris* addit *rector*, quod tamen displicet, quia planetarum rector Sol est, non Jovis stella. Sed de Jove ἀγαθοποιῷ Manetho multis locis, in primis hoc (4, 496):

Ζεὺς δ' ὁπότ' ἂν φαίθων ὡροσκόπον ὅμμα τιταίνῃ,
Εὐμόρφους τε τίθησι καὶ εὐτυχέας καὶ ἐπόλβους,
Ἔν τ' ἀρχαῖς πλειστῇσι πάτρης τὰ βέβαια φρονοῦντας.

Adde interpretes Persii (sat. 5, 50).

eccentron esse terram] Lege: »eccentron esse *terrae*.« Grot. — Recte, si superiora comparamus (§. 884): »circulum *telluris* eccentron«; sed quum nihilominus variae emendandi viae pateant, codicum

DE STELLA SATURNI.

886 Phaenonis autem, hoc est Saturni praealtius omnibus sidus modico minus annis triginta circulum suum per longitudinem circumcurrit, in latitudine vero tribus tantum aut etiam duabus partibus pervagatur. Altitudo quidem ejus circuli in Scorpionis signo grandescit, verum absis ipsius in Librae vicesima portione. Ortus tam ei quam duabus inferioribus sunt similes, quum ultra partes duodecim eas matutini radius non praecesserit Solis; tunc quippe matutinum ortum facere perhibentur; occasum autem quum Sole dimerso
887 remotae tot partibus poterunt apparere. Est et alius ortus, qui ἀκρόνυχος perhibetur, quum Sole intra horizontem demergente de orientis facie clarum planetae nascentis sidus emergit. Occultationes vero eorum fiunt, quum radio Solis consequente proprii luminis vibratum amittunt. Denique a partibus centum viginti matutinas stationes efficiunt, moxque in contrario in centum octoginta partibus exortus faciunt vespertinos; itemque in alio latere in centum viginti partibus vicinantes stationes faciunt vespertinas, quas etiam secundas dicunt, qui superiores primas esse dixerunt, consecutus autem radius intra duodecim partes eas opprimit et occultat. Sed cursus diversitates altitudinisque causas consistendi retrogradiendique atque incedendi omnibus supradictis importat radius Solis affulgens, qui eas percutiens aut in sublime tollit aut in profundum deprimit aut in latitudinem declinare aut retrogradare facit.

auctoritate destitutus nihil mutare ausus sum. De re vide Ptolemaeum (11, 1 sequ.).

quum ultra] Sic scripsi pro *cum ultra* ex codice Darmstattensi, neque aliter locum nostrum citat Harduinus (ad Plin. hist. n. 2, 12), unde etiam paulo inferius recepi *eas* pro inepta lectione *Eois*, quae apud Grotium exstabat.

matutinum ortum] Plinius: »Errantium autem tres, quas supra Solem diximus sitas, occultantur meantes cum eo. Exoriuntur vero matutino, discedentes partibus nunquam amplius undenis; postea radiorum ejus contacto teguntur, et in triquetro a partibus centum viginti stationes matutinas faciunt, quae et primae vocantur; mox in adverso a partibus centum octoginta exortus vespertinos; iterumque in centum viginti ab alio latere appropinquantes stationes vespertinas, quas secundas vocant, donec assecutus in partibus duodenis occultet illas, qui vespertini occasus perhibentur.«

ἀκρόνυχος] Sic corrigendum erat e superiori loco (§. 880); vulgo inepte χρόνιχος, ubi jam accentus perperam positus vitium prodidit.

MARTIANI

MINEI FELICIS

CAPELLAE,

AFRI CARTHAGINIENSIS,

DE

MUSICA

LIBER IX.

Jam facibus lassos spectans marcentibus ignes
Instaurare jubet tunc hymenaea Venus.
Quis modus, inquit, erit? quonam sollertia fine
Impedient thalamos ludere gymnasia?
Diriguit comis blandisque assueta Voluptas,
Et noster pallens contrahit ora puer;
Ipsa etiam fulcris redimicula nectere sueta
Flora decens trina anxia cum Charite est.
Nec melicum recinens modulatur tibia carmen,

Redimicula] Commentator quidam vetus *redimicula* refert ad sequentem vocem *trina*, et interpretatur *trina redimicula* tria fila varii coloris, rubri, purpurei, hyacinthini. Sed fallitur, ut aliis innumeris in locis; quum referendum sit *trina* ad *Charite* pro tribus Charitibus; non ut idem commentator, qui Charitem unam deam facit. VULCAN.

trina] Vide superius (§. 1). Vonckius (in spec. crit. p. 83) vitandi hiatus causa sic verba disponi jussit: »trina Flora decens«, sed longe praestat vulgata secundum structuram pariter et rhythmicam rationem, quum hiatus in caesura usitatissimus sit.

melicum] Gl. B »mellitum et dulce.« Lepidior quam verior glossa. Melicum carmen dixit hymenaeum, quod ille non simpliciter recitaretur, sed caneretur ad tibiam, ut et supra ex Hesychio vi-

Nec dulcis tentat psallere Melpomene;
Omnia quae tenero moris fervescere ludo
In cumulum doctae vocis honore tacent,
Nec Suada illecebris sponsalia pectora mulcet,
Nec Stimula incenso allicit aculeo;
Quin etiam interulos gaudens dissolvere nexus

dimus. Porro *reticens* habebat MS. A pro *recinens*, sed inepte. Meibom. (in mus. script. ant. p. 340). — Non adeo inepta est lectio *reticens*, quam Grotius quoque ex aliis in margine notavit, quum id ipsum queratur Venus, quod tibia reticuerit nec carmen moduletur; tamen mutandae vulgatae causa nulla erat.

dulcis] In manuscripto libro est: »nec *dulce* tentat.« Quod non indignum puto Capella. Catullus:

»*Dulce rideat ad patrem*« — —

estque quod alii dicant *dulciter*. Horatius:

»*Dulce ridentem Lalagen amabo*
Dulce loquentem.«

Sed *dulce quiescere* dicit Appulejus. Barth. (in advers. p. 1541). — At metrum non patitur, et *dulces Camoenas* dixit etiam Horatius (epist. 1, 19, 3).

tentat] *Temptat* semper uterque codex. Et in aliis, quos habeo, antiquis MSS. ita hoc verbum exaratum invenitur. Meibom. — Monacensis (C) quoque codex *temptat* praebet, sed confer Marium Victorinum (p. 2466 Putsch.).

moris] Grotiana margo codicesque Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C) praebent *amoris*, errore facili et hoc inprimis in loco excusando, sed qui nihilominus nec metro conveniat nec sententiae; constructio enim haec est: »omnia, quae moris (scil. est) fervescere tenero ludo, tacent.« Locutionis exempla quaere apud Boetticherum (in lexico Taciteo p. 211).

in cumulum] Restitui anteriorum editionum lectionem, quam Grotius in marginem rejecerat scripseratque *in cumulo*, sensu nullo; *in cumulum* est *insuper*, *praeterea*, simulque *ne quid desit, ut res omnibus partibus absolvatur*, ironica plerumque significatione, ut apud Ciceronem (de lege agr. 2, 23). Sensus igitur hic est: »omnia praeterea sollemnia nuptialia tacent prae reverentia artium, quae hucusque locutae erant.«

Suada] Juno, quae et pronuba. Vulc. — Immo Veneris comes, ut apud Horatium (epist. 1, 6, 38). Eadem infra (§. 905) Graeco nomine *Pitho* appellatur, quam Plutarchus (in quaest. Rom. 2, p. 246) inter ipsos Romanorum deos nuptiales numerat.

sponsalia] Grotius *sponsalis*, altera lectione in marginem rejecta; sed huic codices etiam favent Reichenauensis, Darmstattensis, Monacensis, et Meibomianus uterque.

Stimula] Dea (Ovid. fast. 6, 503. Scholiast. ad Juvenal. 2, 3), ut Augustini (de civ. dei 4, 11 et 16) verbis utar, »quae ad agendum ultra modum *stimulat*.«

incenso] Codex uterque *incensa*, pro quo tamen melius videtur *incenso*; nisi abstrusior hic lateat expositio. Meibom. — Darmstattensis etiam codex *incensa*, sed metro hoc magis etiam repugnat quam *incenso*. Alii, teste Grotio in margine, *intenso*. Optimum fortasse fuerit *incensos*, si libri addicerent.

gaudens] Hymen intelligo. Vulc. — Sed femi-

Blandificaque libens stringere corda face
Nictantes oculos reprimit stupefacta pavore,
Nec perferre valet Gorgonos ora trucis.
Si erudita placent certe sponsalia divis,
Saltem docta ferat carmina Calliope;
Nam simul oblectans vocis modulamine mentes
Taedia dulcisonis auferet illa tonis;
Quippe scruposis, fateor, lassata salebris
Insuetis laedor moestificata modis.

nam requiri mox *stupefacta* ostendit, quare Pronubam vel Cinxiam intelligo, quae gaudent *interulos nexus*, id est vincula interularum sive interiorum tunicarum solvere.

pavore] Recepi lectionem sequentibus aptissimam ex margine Grotiana et codice Darmstattensi; vulgo legebatur *vapore*, ad quod Meibomius (p. 340): »Sic cod. B addita glossa: »fervore artium«, nimis acute! Codex A *vapores*, at litera s deleta; in margine erat *pavore*.« Codex Monacensis (C) *sopore*, quod multum habet quo se commendet; attamen *nictari* homines etiam prae *pavore* dici, insignis probat Plinii locus (11, 54) de oculis: »Plerisque vero naturale, ut *nictari* non cessent, quos *pavidiores* accepimus.«

Gorgonos] Gorgonis hoc est Palladis Gorgoneum caput in pectore gestantis. Vulcan. — Non *Gorgonis* sed *Gorgonos* libri omnes habent. Conferre superiorem licet locum (§. 572). *Trucem* autem appellat, ut Martialis (10, 10, 14) *tetricam*.

divis] Sic codex Darmstattensis; vulgo *divi*, quod glossa apud Meibomium ad *Mercurium* refert; sed praestat nostra lectio, qua se Venus ad totum deorum senatum convertere videtur.

tonis] Id est *cantibus*, qui in diversis *tonis* seu modis sunt facti. Mercur.

quippe scruposis] E codicibus Reichenauensi et Meibomiano utroque correxi hunc versum, quem ita Grotius ediderat:

»*Quippe* est *scruposis fateor lassata* puellis«,

addita tamen nota marginali, qua vocem *est* in veteri codice non haberi testaretur, neque habetur in Monacensi (C) et Darmstattensi. Ad vocem *scruposis* glossae codicis B apud Meibomium adscribunt *salebrosis* et *difficilibus*, Papias autem explicat *spinosa* et *aspera*; vide etiam viros doctos ad Valerium Flaccum (2, 518; p. 214 Burm.). Pro *puellis* Oudendorpius (ad Appulejum T. I, p. 484) mera e conjectura rescripsit *duellis*, cui certe praestabit, quod nos e codicibus reposuimus. *Salebrae* sunt ipsae illae exiles et intricatae quaestiones grammaticae et geometricae cum invenusto et horrido verborum strepitu conjunctae, ut apud Martialem (11, 90, 2):

»*Carmina nulla probas, molli quae limite currunt,*
Sed quae per salebras *altaque saxa cadunt*«;

unde et »*salebrosus* Santra« apud eundem (11, 2, 7), et »*salebrosa* oratio« apud Quinctilianum (11, 2).

modis] Grotiana margo codicesque tam Meibomiani quam mei habent *moris*, recte tamen egit Meibomius vulgatam tuens, quae sensui unice convenit. Licet enim initio carminis de *mora* Venus

Pronuba sic volupe est haec seria carpere Juno,
Nec cura astrigeri te stimulat thalami;
Ast ego succubui, lepidisque assueta choreis
Non valeo tristes cernere Cecropidas.

889 Et cum dicto resupina paululum reclinisque pone consistentis sese permisit amplexibus Voluptatis. Cujus verbis assertionique ruricolae omnes cunctique fluctigenae, quam plures etiam astriluci assensere divi; praesertimque Lemnius Mulciber fabrilium tantum operum sollers maritus promtiore attestatione collaudat; tunc denique, quod decenter innixa, atque ipsa relabentem lassitudo decuerat, Mars emi[illegible]us conspicatus tenero cum admirationis obtutu languidiore fractior voce laudavit, profundaque visus est traxisse suspiria, nec Bromius in favoris gratiam dispar fuit; quin etiam ipsum Atlantiadem tam flammatae cu-

questa fuerit, nunc tamen horrido potius verborum strepitu insuetisque dicendi modis lassari se laedique significat, quum dulcia tantum carmina modosque lepidos et molles audire consuerit. *Laedor* autem legendum esse cum Grotio, non *laetor* cum anterioribus, vix verbo moneri oportebat.

sic volupe est] Locum turbatum esse apparet; vide ne legendum sit *si volupe est*, quanquam ne sic quidem commode procedet constructio, nisi infinitivum *carpere* Graeco more vel pro imperativo usurpari vel quod malim per attractionem positum esse statuas, ut apud Platonem (in Theage p. 129): εἰ δὲ βούλεσθε τὸν Τιμάρχου ἀδελφὸν ἐρέσθαι. Sensum autem hunc esse non dubium est: »Tu pronuba Juno carpe haec seria, si volupe est nec cura thalami te stimulat; at ego defatigata sum lepidisque assueta choreis seriarum illarum disciplinarum adspectum perferre amplius non possum.« *Carpere* enim idem est quod *frui*, ut *dulcia* (Pers. 55, 151), *gaudia* (Ovid. arte am. 3, 661), *oscula* (heroid. 11, 117) cet.

astrigeri] Reichenauensis quidem codex cum editis *astriferi* habet, Darmstattensis vero *astrigeri*, quod ideo praetuli, quia noster hac voce, non illa, saepe usus est: *astrigera sedes* (§. 808), *astrigeri dii* (§. 91), *astrigerum coelum* (§. 193 f. 802) cet.

consistentis] Vulgo *consistens*, sed praetuli auctoritatem codicis Darmstattensis et Leidensium quatuor antiquissimorum (Oudend. ad Appul. I, p. 86. 112. 476).

fabrilium] Id est sordidarum, illiberalium, quas Graeci βαναυσικὰς appellant ingenuisque et liberalibus, quae hic proponuntur, opponunt. Confer Wowerum (de polymath. 3, p. 25).

lassitudo decuerat] Pariter supra (§. 704) dixerat: »*Lassa* Venus *pulchrior*.«

tenero] Hoc e codice Monacensi (C) recepi pro *tenerae* in editis, ut ad *obtutum* spectaret; nam adjectivum *languidior* ad *vocem* pertinet.

Atlantiadem] Corruptum in editis *Athlantidem* correxi e codicibus Monacensi (C), Darmstattensi et Reichenauensi. Cfr. superiores locos (§. 38. 726).

piditatis cura concussit, ut omittere vellet quae circa sponsalem coetum ornatiora disposuit. Tanti quippe visum nunquam Veneri displicere. Verum 890
superûm pater, licet insinuatione germanae ut properaret admonitus, tamen ne quid nuptialibus derogaret ornatibus, aut tantae eruditionis examen deliciosa festinatione convelleret, qui probandarum numerus superesset, nihil afferens festinationis exquirit. Cui Delius Medicinam suggerit Architectonicamque in 891
praeparatis assistere; sed quoniam his mortalium rerum cura terrenorumque sollertia est, nec cum aethere quidquam habent superisque confine, non incongrue, quasi fastidio respuantur, in senatu coelico reticebunt, ab ipsa deinceps virgine explorandae discussius; una vero, quae potissima coeli siderumque dilectio est, examinis hujus tam favore quam voluptate disquiritur, tuisque conspectibus non poterit sine scelere viduari. Sed illud prae cunctis 892
intimatum velim, quod dotis offerendae cumulandaeque reciproco alias advexit virginis mater puellas, quas opulentis collocatas muneribus examine isto explorare constituit. Hae igitur nec dispares numero nec disgregae venustate, eruditionis etiam dignitate paucis adstantium conferendae, in penetralibus quoque virginis secretisque sanctioribus alumnatae, quove odio quibusque

coetum] Codex Monacensis (C) *curam*; sed *coetum sponsalem* intelligo turbam disciplinarum dotalium, quas sponsae destinaverat.

Architectonicamque] Glossa B: »*principatum* aedificiorum.« Ecce Graecam glossatoris eruditionem! Meinom.

quasi fastidio] Reduxi lectionem a Grotio in marginem rejectam, adstipulante codice Monacensi (C); vulgo *ac si*, sed Meibomii quoque uterque codex *ac* omittit.

dilectio] Vulgo *dilectior*, sed recepi quod jam Grotius ex codice suo recipiendum suaserat, ne adjectivo *potissima* substantivum suum deesset.

reciproco] Magnus ille Cujacius in paratitlis ad tit. de jure dotium: »Dos est pensatio onerum matrimonii, qua ratione Martianus Capella non male dotis offerendae cumulandaeque reciprocum dixit, et alio loco: utrum repensatrix data.« Locus alter quem innuit incomparabilis jurisconsultus aliquanto infra est. Gnot.

collocatas] Alii teste Grotio in margine *collocatura*, sed mutandi causa nulla est.

nec dispares] Sic codex Monacensis (C), neque refragatur Darmstattensis, qui exhibet *non*; sed vulgo prorsus inepte *modo*.

disgregae] Dissimiles. Vulcan.

sanctioribus] E codice Reichenauensi hoc recepi, quum vulgo *sanctionibus* legeretur minus commode. De vocabulo quod sequitur *alumnatae* vide Oudendorpium (ad Appul. 6, p. 425 et 9, p. 662).

deliciis ac prorsus enervi mollitudine sideralis curiae transeantur, Jovialis
895 vigoris majestate percensae? Hic Tritonida: atquin, ait, virgines quas Phronesis educavit superûm incessabiliter pectorum arcana tenuerunt, nec quisquam fuit vestrûm, qui non illis voluntatis abditae interpretamenta commiserit; denique ex his quam plures antistitium professae divûm, ac ni per illas nefas in terris sanctis libare numinibus, certe litare penitus abnegatum. Verum transactae virgines eruditionis castae praestitere miracula, hae familiaritatis vestrae praeferunt documenta; nam inter divina humanaque dissidia solae semper
894 interjunxere colloquia; has igitur ingressas agnoscetis probabitisque divi. Quae dum Delius Pallasque dissererent, earum disquisita vocabula; tunc Phoebus: Genethliace, inquit, prior adstabit, quae rationis aethereae conscia pensa Lachesis adoperte atque instantium seculorum gerenda denunciat; deinde Sym-

Tritonida] Sic alibi saepe pro *Tritonis*, et vero MS. *Tritonia* plerumque *Tritonida*, ea nimirum forma, qua *lampas lampada*, *hebdomas hebdomada*, *Itonis Itonida* apud Festum, *Ptolemais Ptolemaida*, *Persis Persida*, *Chalcis Chalcida* ipsi Capellae, *absis absida* Isidoro et Augustino ad May. ubi vulgo *absidiae* legitur: *herois heroida* Fulgentio dicitur. Gnor. — Vide superius (ad §. 31).

antistitium] Vulgo *antistitiam*, quod ex ipso nostro correxi (§. 154).

ac ni per illas] Adde ex MS. *nefas*; alludit autem hic in differentia vocum *litare* et *libare*. Est enim *libare* generaliter sacrificare, vel specialiter veniam sacrificiis petere, *litare* vota impetrare, quo pertinet similis ille Plauti lusus:

»*Si hercle istluc unquam factum est, tum me Jupiter*
Faciat ut semper sacrificem neque unquam litem.« Gnor. — » Inserui vocem *nefas*, quam codices etiam Monacensis (C), Darmstattensis, et Reichenauensis habent. Sensus est, per illas tantum fas esse libare, certe litari nisi per eas omnino non posse. *Litare* est quod Graece *καλλιερεῖν*, vide Taylorum (ad Lysiam p. 62 Reisk.).

colloquia] Huc pertinet quod Plato ait (in politico p. 290 Steph.): *εἰσὶ δὲ οἱ περὶ μαντικὴν ἔχοντές τινος ἐπιστήμης διακόνου μόριον, ἑρμηνευταὶ γάρ που νομίζονται παρὰ θεῶν ἀνθρώποις*: et alio loco (in convivio p. 188): *καὶ ἔστιν αὖ ἡ μαντικὴ φιλίας θεῶν καὶ ἀνθρώπων δημιουργὸς κ. τ. λ.*

Genethliace prior] In editis erat *pronior*, sed ad marginem positum *prior astabat*, unde recepi quod codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (C) firmabatur. De Genethliace vide superiorem notam (ad §. 228) et palaeographiam meam criticam (T. IV, §. 305).

adoperte] Fortasse *adoperta*. Ceterum confer Ciceronem (de divin. 1, 1): »diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset«; et Vitruvium (9, 4): »quod propria est eorum genethliologiae ratio, uti possint antefacta et futura ex ratiocinationibus astrorum explicare.«

bolice, quae varietatibus ominatis ventura componens auspiciorum proventus pensat viribus futurorum. Oconistice tertia est, per quam tripus illa ventura denunciat, atque omnis eminuit nostra cortina; denique in argumentum praescientiae mihi corvus alludit, cygnus etiam sociatur, ut diei noctisque proventus nos avibus praesentire concolor temporum pluma testetur; ipsaque tripus trini cursus praesagia pollicetur, hoc est exstantis, instantis, et rapti. Demum 895
trigarium supplicantis semper germanitatis adveniat, quod nostra vulgo suffragia pollicendo incertos mortalium sensus primum in spem opis superae proritavit,

Symbolice] Haec est quae ἐκ συμβόλων futura auguratur, quam jam Xenophon inter quatuor antiquissima μαντικῆς genera refert (mem. Socr. 1, 1, 3): ὁ δ'οὐδὲν καινότερον εἰςέφερε τῶν ἄλλων, ὅσοι μαντικὴν νομίζοντες οἰωνοῖς τε χρῶνται καὶ φήμαις καὶ συμβόλοις καὶ θυσίαις: adde Aeschylum (in Prometh. v. 485 sequ.):

Κἄκρινα πρῶτος ἐξ ὀνειράτων ἃ χρὴ
Ὕπαρ γενέσθαι, κληδόνας τε δυσκρίτους
Ἐγνώρισ' αὐτοῖς, ἐνοδίους τε συμβόλους,
Γαμψωνύχων τε πτῆσιν οἰωνῶν κ. τ. λ.

quanquam eadem etiam communi ὀρνίθων sive οἰωνῶν nomine comprehensa esse testatur Aristophanes (in avibus 719):

Φήμη γ'ὑμῖν ὄρνις ἐστί, πτερμόν τ'ὄρνιθα καλεῖτε,
Σύμβολον ὄρνιν, φωνὴν ὄρνιν κ. τ. λ.

Erant autem quae Latini *ostenta*, *portenta*, *monstra*, *prodigia* dicebant (Cicero de divin. 1, 42), quae qui curabant, τερατοσκόποι appellabantur.

Oconistice] Haec est quae ex alitum volatu praesagia capit, quam velut οἰωνοϊστικὴν dictam Plato vult (in Phaedr. p. 244 Steph.). Plura dabit Spanhemius (ad Callim. lavacr. Pall. 121 sequ.) et Eschenbachius (de auguriis veterum in diss. acad. p. 556 sequ.).

cortina] Eodem nunc quo tripus significatu usurpatur, licet propric pars tantum ipsius sit, quae Graecis ἠχεῖον nuncupabatur; vide Müllerum (de tripode Delphico p. 16 sequ.). Sed ita saepe veteres per synecdochen, ut Virgilius (Aen. 3, 92):

»*Liminaque laurusque dei totusque moveri*
Mons circum et mugire adytis cortina *reclusis.*«

Inepte Varro (L. L. 6, 3; p. 91) a *corde* dictam vult, quod inde sortes primae existimatae!

corvus] Quem Apollini sacrum supra jam vidimus (§. 435); adde Aelianum (hist. anim. 1, 48), Plutarchum (de Isid. et Osir. p. 379), et Porphyrium (de abstin. 3, 5; p. 226).

cygnus] Cygnos *augurales alites* itidem supra cognovimus (§. 26). Plura dabit J. H. Vossius (mythol. Briefe T. II, p. 108 sequ.).

concolor temporum] Cygnus diei, corvus noctis. Vulc. — Simili lusu Appulejus (in florid. p. 110 Oudend.): »utrumque colorem Apollo suis alitibus condonavit, candidum olori, nigrum corvo«, et Eustathius (ad Iliad. δ. 101; p. 449): ὁ κύκνος ἱεροῦται Ἀπόλλωνι ὡς ἡλίῳ διὰ τὴν λευκότητα, καὶ ὁ κόραξ διὰ τὴν νυκτερίνην μελανίαν: quo utitur Cuperus (Harpocr. p. 71).

trini cursus] Vide superius (ad §. 733).

trigarium] Quum septem numero disciplinas sacerdotales Martianus in medium producat (§. 892) totidemque Cicero (de divin. 1, 52) enumeret di-

praesidiique indigam in cultum fecit procedere nationem. Hanc igitur sive trigeminam feminam sive tres in unius nominis vocabulum conspirantes quis in coelum venientes inexaminatas attentet explodere, quum per eas in terras
896 nos certum sit demeare? Post has vero adstabit decens illa sidereis fulguransque luminibus, quae epistolaris tua et dicta est et probata. Huic semper pater tuas assereris credidisse manubias ac trisulcae lucis commisisse fulgorem, quae vias, vestigia, adventum, exitusque ignivagae denunciationis agnoscit. Huic igitur feminae colloquium denegamus, per quam edictorum tuorum admonitus mortalibus innotescunt? Cur igitur pater optime remoraris et intromittere eas
897 alacer et probare? Postquam haec Latoïus dixit, Jupiter Harmonien venire, quam suggestum est Mercurialium solam superesse, praecepit, tuncque alias in ordinem continuari. Hic Luna jam gemina emensi diei portione commonita: ingressuram, inquit, mox feminam possum explorare vobiscum; ceterum propinquanto vespera confiniisque noctis consequentibus tempora impartire non possum; quippo Plaustrum mihi Taurusque ac mundanae discursionis itiner subeundum, nec ceterarum me auscultare commentis stelligeri raptus

vinationis genera: »in extis, in avibus, in fulguribus, in ostentis, in stellis, in somniantium visis, in furentium vocibus«, facilis conjectura esset, quum Genethliace ad stellas, Symbolice ad ostenta, Oconistice ad aves spectet, fulgurum autem interpretatio mox sequatur, reliqua tria hoc trigario comprehendi; sed quum ipso Cicerone auctore (1, 6) ea divinatio, quae per somnia et vaticinia fiat, non artis sit sed naturae, unius haruspicinae genera tria intelligenda erunt, quae jam Aeschylus (l. l. 493 sequ.) distinxit:

Σπλάγχνων τε λειότητα καὶ χροιὰν τίνα
Ἔχοντ' ἂν εἴη δαίμοσι πρὸς ἡδονήν,
Χολῆς λοβοῦ τε ποικίλην εὐμορφίαν·
Κνίσσῃ τε κῶλα συγκαλυπτὰ καὶ μακρὰν
Ὀσφὺν πυρώσας δυστέκμαρτον εἰς τέχνην
Ὧδωσα θνητούς· καὶ φλογωπὰ σήματα
Ἐξωμμάτωσα πρόσθεν ὄντ' ἐπάργεμα.

idque etiam Martiani verbis consentaneum erit, qui tres in unius nominis, nempe *ἱεροσκοπίας* vocabulum conspirare ait.

in cultum] Sic codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C); Grotius *inciultam*, qua in lectione desideratur significatio ejus, quo natio processerit. Ceterum jam Vulcanius nostram lectionem habuit, quam explicat: »videlicet deorum.«

manubias] Seneca (quaest. nat. 2, 41): »Fulmina dicunt a Jove mitti et tres illi *manubias* dant.« Vide Müllerum (Etrusc. II, p. 165).

continuari] Salmasius (ad Solin. p. 249) libros *continari* exhibere ait; sed vide Oudendorpium (ad Cic. de invent. p. 660 Graev.).

itiner] Laberius: »rimatur *itiner* transitus.« Gnot. — Vide Scioppium (in gramm. philos. p. 65 Herz.) et Ruddimannum (inst. gr. Lat. T. I, p. 65).

meta permittit. Et fateor, vellem, si quam examinationem virginum prorogaret auctoritas, ipsa quoque tam praecluis eruditionis asserta cognoscere; praesertimque quum perendinatio rationabiliter exspectatur, ne lassata cognoscentis curae fatigatione fastidia omnem doctae intimationis excursum gravatae laboribus intentionis excludant, et illa expetendae cognitionis approbandaeque subtilitatis in odium noscendorum obtusa multiplici prolixitate vertatur. Aequius igitur duco ampliandam discussionem tantum in ardentem sitim aurium vividarum. Quae quum Luna dissereret, omnes certatim assensere divi; dehincque utrum 898
repensatrix data diesque conferendae dotis prorogari jure publico possit inquiritur. Quo dicto arcanus ille prisci juris assertor magna nepotum obsecratione consulitur, responditque regulariter etiam matrimonio copulato dotem dicere feminam viro nullis legibus prohiberi. At tunc Jupiter periti patris eruditione commotus: habeo, inquit, mea pignora, gratulandum, quod fas asserit quidquid vos velle cognovi. Neque enim fastuosa rigidus elatione defugiam aut vestrum crebrius accelerare consilium, aut doctarum virginum examinare sollertiam desidis ignaviae dissimulatione piguerit, praesertim quum

celerarum] Alii teste Grotio in margine *exterarum*, male.

si quam examinationem] Grotiana margo *examinatione virginem*, inepte; sed nec vulgata arridet, nisi scribatur *si qua*.

perendinatio] MS. *comperendinatio*. *Comperendinare*, ut nulli non notum, par est ei quod infra dixit *ampliare*. Gnor. — Neutiquam lubet unius libri scripti gratia locum corrigere, qui minime est obscurus, praesertim quum non Martianus solus illa voce utatur.

subtilitatis] Nisi *subtilitas* scriptum fuerit, sententia subjecto carebit.

in ardentem] Hoc est: »ut voluptuosae aures semper cupiditate audiendi teneantur.« Vulcan. — Recte, neque necesse est, quod alios legere Grotius in margine notavit, *invidarum* pro *vividarum*, nisi *invitarum* in ea lectione latere existimas.

assertor] Saturnus. Vulcan.

responditque] Responsum hoc veris Justiniani responsis confirmatur, cod. de donationibus ante nuptias l. penultima et ultima his verbis: »si consilium constante matrimonio augendae dotis inierit uxor«, et: »quare enim dotem quidem etiam constante matrimonio mulieri marito dare conceditur« etc. Notanda autem hoc loco phrasis *dotem dici*, quae et jurisconsultis usitata. Gnor.— Inepta lectio aliorum est *dotem ducere*, quam recte Grotius in margine reliquit.

commotus] Alii teste Grotio in margine *commonitus*, non profecto male.

accelerare] Recepi lectionem a Grotio in margine

899 terris indecenter expulsas solis oporteat adhaerere sideribus. Nunc igitur praecellentissimam feminarum Harmoniam, quae Mercurialium sola superest, audiamus. Haec quippe est quae superûm curas prae cunctis poterit permulcere, aethera cantibus numerisque lactificans, et nostra tantummodo cupit celebrare palatia, exosa terrigenae stoliditatis ignaviam, quam melicorum indocilis auget sine fine mortalitas; denique jam pridem homines dirutaque gymnasia abscedens orbe terrisque damnavit, ac vix Cyllenidae indagantis excursibus nunc comprehensa post longae occultationis oblivia de fuga revocatur
900 reduciturque latibulis. Hanc igitur repertam post secula numerosa et tandem in usum melicum carmenque revocatam tam volupe est quam condecet audire; ceterae vero eruditionis doctissimae sacraeque germanae, quum renovata lux
901 fuerit, intromissae intentioris curae examine probabuntur. His orsis Jovialibus Phoebus admonitus virginem sibi prorsus accommodam admissurus egreditur. Verum Paphia remeantis filiae gratulatione concussa annuit puero praecineret nuptiale carmen. Itaque Hymenaeus alacri tandem vigore luminatus, nec ipsa jam renuente Tritonide, sic coepit:

902 Aurea flammigerum quum Luna subegerit orbem,
Rosis jugabo lilia;
Virgo deusque sacro sociabunt foedera lecto,
Fulcris parate cinnama.

notatam, quum vulgata *accelebrare* idonco sensu careret.

haec quippe] Verba sequentia *est quae* absunt a codice Reichenauensi et anterioribus editionibus.

melicorum] Id est *lyricorum*, ut apud Ciceronem (de orat. gen. orator. 1) et Photium (biblioth. cod. 239), nam hi tantum musicae ope indigent, quum reliqui quamvis poëtae assa voce canant.

condecet] Recepi lectionem a Grotio in margine relictam, quum vulgata *conducit* deorum majestate minus digna esse videretur.

filiae] Harmoniae; vide superius (§. 737).

praecineret] Sic codex Leidensis, teste Oudendorpio (ad Appulej. met. 9, p. 642), interque meos Monacensis (C) et Darmstattensis, etsi praefixo *ut*; vulgo *praecinere*.

fulcris] Glossa Isidori: »Fulcra, cubilia, lecti ornamenta, quae et reclinatoria dicuntur.« Sic alibi: »tardabo fulcra lecti.« Gnor. — Vide superius (§. 726).

cinnama] Ovidius (met. 15, 399):

»*Quassaque cum fulva substravit* cinnama *myrrha.*«

Hesperus intactam servet licet usque puellam,
Nuptam videbis Phosphore;
Nec matris lacrymae pressi nec viribus ungues
Nexus valebunt rumpere.
Ne thalamos metuas, eris hoc quod Juno Tonanti est,
Quae nunc sorore dulcior;
Si placuit docti sollertia sacra mariti,
Magis placebunt oscula.
Aurora exoriens roseis spectabit ocellis
Floris resecti praemia;
Ipse ego pallentem speculabor luce puellam
Sese occulentem visibus.
Conscia jam Veneris nova serta parate Napaeae, 903
Crocumque lecto spargite,
Inque thorum violas certatim fundite conchis,
Pulvinar almum comite.
Crinalem spicum pharetris deprome Cupido,

Hesperus] Similiter Catullus in carmine nuptiali (62, 35) ex felicissima Schraderi emendatione:

»*Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,*
Hespere, *mutato comprendis nomine* Eous.«

viribus ungues] Heinsius (ad Ovid. met. 5, 195; p. 330 Burm.) pro *viribus* legi jussit *crinibus;* multo melius Roeverus (in Burm. anthol. lat. I, p. 747 f.) *virginis;* possit tamen etiam vulgata explicari »ungues omni vi impressi.«

pallentem] Sic codices Grotianus, Darmstattensis, et Monacensis (C); vulgo *psallentem*, quo nihil ineptius.

conscia] Codex Darmstattensis *conseiae*, quod omnino praeferrem, nisi metrum repugnaret. De Napaeis nymphis superius dixi (ad §. 425).

conchis] Conchae Veneri sacrae erant, unde Plautus (rud. 3, 3, 43):

»*Te ex concha natam esse autumant, cave tu*
harum conchas *spernas.*«

crinalem spicum] Forsan *crinalemque spicum?* Vulcan. — Lege *crinale spiculum.* Vocalem brevem producit ob sequentes consonas; sic Prudentius ante eandem vocem:

»*Vibrato capite spicula dentium.*«

Est autem *crinale spiculum* hasta coelibaris, de qua vide Festum Pompejum. Nisi tamen *spicum* hic recte legatur, quod me monuit magnus Scaliger. *Spicum* enim antiquis *spica;* sic Cicero:

»*Spicum illustre tenens splendenti corpore virgo.*«

Hinc ad similitudinem telum *spicum* dictum, et

Libens capillum solvere;
Flammea, virgineum quae obnubere sueta pudorem,
Regina deme pronuba.
Te blandum teneri quae conscia sola doloris
Venus decens solabitur;
Quae nunc dura novo nescis committere amori,
Parabit illa pectora.
Tu modo quae mando oculos dejecta decoros
Reconde mentis intimo:
Doctiloquum caris juvenem complexa lacertis
Fecunda redde pignora.

proinde *ὑποχοριστικὸν spiculum*. Gnot. — Quod etiam masculino genere usurpatum docet Festus Pompejus: »*Spicum*« inquit »masculine antiqui dicebant.« *Spicum* vero per translationem a spicarum acie dictum pro ferro in cuspidem desinente, quales sunt radii sive dentes pectinis alicujus. Hinc diminutivum *spiculum*, missile nempe telum, acutum habens mucronem, quod et pro sagitta, interdum pro ipsa cuspide sagittae sumitur. Steph. (ad Saxon. p. 60). — Lectio librorum consensu satis tuta est; nec significatio dubia esse potest, quum constet, ut Arnobii (adv. gentes 2, p. 91) verbis utar, nubentium crinem *coelibari hasta* mulceri solitum esse, de qua jam Grotius Festum grammaticum laudavit. Eundem morem tangit Ovidius (fast. 2, 560):

»*Nec tibi quae cupidae matura videbere matri,*
Comat virgineas hasta recurva comas«,

et Plutarchus (in vita Romuli 14 et quaest. Rom. 87), qui *δορατίον αἰχμὴν* appellat, unde facile apparet, quomodo Martianus sagittae spiculum in ejus locum substituere potuerit.

flammea] De his superius diximus (ad §. 114).

blandum] Pro *blande*, et referendum ad *solabitur*. Vulcan. — Sic noster superius (§. 804): »*blandum* stertens«, et Petronius (127): »delectata illa risit tam *blandum*« cet.

parabit] Sic anteriores editiones habent ipseque Grotius in notis restituendum vidit; ediderat enim *paravit*.

quae mando] Scilicet *ego Hymenaeus*. Vulcan. — Recte; inepta est lectio aliorum *mundo*, quam merito Grotius in margine reliquit; nostram et codices confirmant Monacensis (C) et Darmstattensis.

dejecta] Sic legendum vidit Drakenborchius (ad Silium 8, 75; p. 397) legique in codicibus Cauchiano et Leidensi testatus est Burmannus (ad anthol. Lat. I, p. 181); vulgo *delecta*; sed totum hemistichion est Virgilii (Aen. 11, 479).

caris] MSS. fidi pro *charis* habent *chelis*, cum interpretatione *curvis*. Numquid igitur dixit *chelis lacertis* pro ita implicitis, ut forficum sunt brachia, seu quae dixit Ovidius (met. 10, 127) *concava brachia cancri*? Placuit certe huic aetati *chelae* pro brachiis. Saxo Grammaticus:

»*Adde oculum propius, nostras et prospice* chelas.«

His Hymenaeo diutius velut Fescennina quadam licentia personante 904
geminanteque crebrius placuisse ratus, maxima circumstantium multitudo Tritonidem Dionenque comitata digreditur, et ad nos reductae tandem virginis studio properanter concurritur. Verum tam puellarum, quae deas dominae consecutae pone forte constiterant, quam heroum populus, qui jussus advenerat, properabat; illae ut psallendi *materiem* discerent, hi ut sacri vultus memoriam recenserent. Nec mora, et ecce quaedam suavitas intentata auli- 905
caeque dulcedinis cantus insonuit, ac melodiae ultra cuncta rerum oblectamina recinentes auditum mirantium complevere divûm. Non enim simplex quidam et unius materiae tinnitibus modulatus, sed omnium organicarum vocum consociata permixtio quandam plenitudinem cuncticinae voluptatis admisit. Quo canore diutius circumstantium pectora deorumque mulcente, illae egressorum paulo ante turbae adventum virginis praecuntes ac tanti comitatus praeambulare visuntur. Sed non cassae dulcedinis nec sine aliquo sonori modulaminis argumento aut opere revertuntur; nam Eratine Cypridis filia, et Himeros Cupidinis assecutor, itemque Terpsis e famulitio Dionae concinentes gratissime

Abbo de bellis Parisiacae urbis lib. I: »nudis quoniam *chelis* inimicus.« Itaque possis et suspicari:

— »*chelis juvenem complexa* lacerti«;

aut plane *coelis*, *κοίλοις*, ut hoc sibi sumpserit, quia et *Syriam coelen* nonnunquam Latini appellabant. Sed vix haec tanti, ut iis immoremur. Gronov. (observ. 3, 21; p. 626). — Codices etiam Monacensis (C) et Darmstattensis habent *chelis*, sed praefero vulgatam, mutata tamen obsoleta scribendi ratione, qua *charis* olim editum erat.

Fescennina] Horatius (epist. 2. 1, 145):

»Fescennina *per hunc inventa* licentia *morem*.«

Vide omnino Barthium (ad Claudian. epithalam. Hon. et Mar. p. 765).

deas dominae] Forte *deas dominas*. Vulcan. — Omnino, sed codicum assensum desidero.

intentata] Id est nunquam antea cognita; inepte alii, teste in margine Grotio, *interfectata*.

aulicaeque] *Ἀπὸ τῶν αὐλῶν*, non ab *aula*, ut alias. Sic infra »aulica suavitate.« Gronov. — Codices Monacensis (C) et Darmstattensis *aulidae*, sed praetuli vulgatam.

argumento] Alii teste Grotio in margine *augmento*, non male.

revertuntur] MS. *reverterunt*, *ἀρχαϊκῶς*. Gronov.

Eratine] *Ἐρατειὴ*, etsi nusquam hanc pro persona legere me memini. Leidensis codex uterque *Erotime*, quod tamen nobis non magis placet quam Hemsterhusio (ad Lucian. T. II, p. 315 Bip.).

Himeros] Meminit hujus dei Lucianus. Gronov. — Luciano (deor. dial. 20, 14) Veneris filius est, Cupidinis frater; Cornuto autem (25, p. 201 Gal.) idem cum Cupidine vel potius unus ex multis Cu-

906 intravere primum; sed puer monauliter sonabat. Post hos psallentes Pitho, Voluptas, et Gratiae, admixtis lyrae vocibus, atque ipsae harmonicis dissultantes motibus advenere; dextra laevaque interea praecedebat numerus heroum crinitorumque sapientum, qui omnes modulatione quidem leni parvaque voce qualibet dulcedine murmurantes; sed alii laudes deorum hymnosque quam plurimi, alii musicos tonos quos modo compererant retexebant; verum per medium quidam agrestes canorique semidei, quorum hircipedem pandura, Sylvanum arundinis enodis fistula sibilatrix, rurestris Faunum tibia decuerunt.

pidinibus, quos ibidem Veneris *assecutores* (ὀπαδοὺς) facit. De ipso vocabulo vide Platonis interpretes (ad Phaedrum p. 251 et 255 Steph.).

itemque Terpsis] Editi habent *item*, sed nostram lectionem praebuerunt Reichenauensis et Darmstattensis codex. Hic quidem et *Terpsicae* habet, sed nihili ista vox est, quapropter Grotianam retinui lectionem, praesertim quum per prosopopoeiam Τέρψις, *Oblectatio* vel *Voluptas*, omnino in comitatu Dionae esse possit. Sed *Dione* mendum est in editis, quod e confusione E simplicis cum diphthongo AE vel Graeco AI ortum traxit (§. 2 not.).

monauliter] Lege cum MS. »monauliter.« Quid μοναυλεῖν, ex Hellade lingua liquet. Gnot. — Olim legebatur *monaliter*, quod Vulcanius interpretabatur »singulariter, per se«; forsan ad monadem respiciens. Sed Reichenauensis etiam codex rectius *monauliter* praebet. *Puer* est *Himeros*.

Pitho] Πειθώ, hoc est *Suada*, de qua supra (§. 888). Veneris in consortio eam et apud Pausaniam invenimus (1, 22, 3); adde eundem alio loco (1, 43, 6): *Μετὰ δὲ τοῦ Διονύσου τὸ ἱερόν ἐστιν Ἀφροδίτης ναός — Πειθὼ δὲ καὶ ἑτέρα θεός, ἣν Παρήγορον ὀνομάζουσιν, ἔργα Πραξιτέλους, Σκόπα δὲ Ἔρως καὶ Ἵμερος καὶ Πόθος.* Alios eam in Gratiarum numero habuisse ex eodem (9, 35, 1) patet.

crinitorumque] Id est Pythagoreorum et Platonicorum, qui promissis crinibus augustiorem speciem captabant, quum Stoici potius ad cutem tonsi incederent. Sic Apollonius Tyanensis, de quo Philostratus (1, 6): *ἀνῆκέ τε τὴν κομὴν καὶ ἐν ἱερῷ ἔζη.* Quamquam etiam Stoicum demissis capillis cognoscimus apud Plinium (epist. 1, 10, 6), et nequam hominem, qui philosophiae nomen mentiretur, *crinitum* apud Gellium (9, 2).

pandura] Instrumentum musicum rusticum, quod ab inventore ita vocatum esse Isidorus ait, ex illo Virgilii loco »*Pan* primus calamos instituit«, et hodie Hispani instrumentum musicum, quo agrestes utuntur, vocant *pandero*. Vulcan. — Nicomachus (in manual. harm. 1, p. 8 Meib.): »monochorda, quae *phanduras* (φανδούρους) vocant multi.« Pollux tamen (4, 60) »trichordum esse« ait »quod Assyrii panduram vocent, quodque eorum etiam inventum sit.« Infra (§. 924) Aegyptiis adscribitur. Athenaeus (4, 82; p. 183 f.) Troglodytis tribuit: *Πυθαγόρας δὲ ὁ γεγραφὼς περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης τοὺς Τρωγλοδύτας φησὶ καταβκευάζειν τὴν πανδούραν ἐκ τῆς ἐν τῇ θαλάσσῃ φυομένης δάφνης.* Panduristarum idem meminit superius (4, 80; p. 182). Adde Casaubonum ad Aelium Lampridium (in Heliogabalo p. 546 sequ.), qui et ipse veteris interpretis Horatii locum

Verum sequens heroum praeclui enituit admiratione conventus; nam Orpheus, Amphion, Arionque doctissimi aurata omnes testudine consonantes flexanimum pariter edidere concentum.

Nam Thrax quo duri rumpere regna erebi 907
Quoque suam meruit immemor Eurydicen,
Quo cantu stupidae tigridis ira ruit,
Quo fertur rabidas perdomuisse feras,
Quo vidit rigidas glandibus ire comas
Ismaros et silvas currere monte suas,
Carmine quo Strymon continuit latices
Et Tanais versis saepe reflatus aquis,
Quo impune accubuit rictibus agna lupi,
Et lepus immiti contulit ora cani,
Hoc nunc permulsit insonuitque melo,
Accumulansque magis carmina sacra Jovi.
Amphion rigido in corpore mentis iter 908

affert, ubi Pani et fistulae et *πανδηρίον* (sic) inventio tribuitur.

nam Thrax] Orpheus, de quo plura Virgilius (georg. 4, 467 sequ.), Ovidius (met. 10 init.), Seneca (Hercul. fur. 569 sequ.), Hyginus (fab. 164), alii, nam fabula in vulgus nota est.

stupidae] Stupefactae, per prolepsin. De vi carminis Orphici in feras resque inanimas vide Quinctilianum (1, 10): »Quod rudes quoque et agrestes animos admiratione mulceret Orpheus, non feras modo sed saxa etiam silvasque duxisse, posteritatis memoriae traditum est«, quosque laudant Mitscherlichius (ad Horat. carm. 1, 12, 7) et Marklandus (ad Max. Tyr. 37, 6; T. II, p. 210 Reisk.).

impune accubuit] Simili lusu Seneca (Hercul. Oet. 1038) de Orpheo:

»*Juxtaque impavidum pecus*
Sedit Marmaricus leo,
Nec damae trepidant lupos,
Et serpens latebras fugit,
Tunc oblita veneni.«

rigido in corpore] Id est: »suscitavit mortuos suavitate et vi carminis.« Vulcan. — Valde absurda haec est interpretatio. *Rigidum corpus* enim hic *saxi* vel *rupis* est, cui animam cantu indidisse Amphion fingitur. Apollodorus (3, 3, 5): »*ἐπακολουθησάντων τῇ Ἀμφίονος λύρᾳ τῶν λίθων.*« Horatius (od. 3, 11, 2):

»*Movit Amphion lapides canendo.*«

Seneca (Oedip. 612):

»*Qui saxa dulci traxit Amphion sono.*«

Adde Euripidem (Phoeniss. 116 cum scholiasta),

Quoque dedit montes sumere posse animas,
Quo sensus duris cautibus inseruit,
Et docuit rupes carmina velle sequi;
Nam muros Thebis dulcisonis fidibus
Praesidiumque dedit carminis arbitrio.
Sed nec Arioniam marmora surda chelyn
Temsere, extremam quum flagitaret opem,
Et licet indomiti dira procella Noti
Spumea Scyllaci verreret ima maris,
Delphinas totis sollicitavit aquis,
Et melicos cantus bellua grata tulit.
O vere attestans numina magna deûm,
Quae istorum laudes protulit Harmonia,
Quae domitare crebum, marmora, saxa, feras,
Et potuit rupes sensificare tonis.

Post hos honoratior fontigenarum virginum chorus Pegaseae vocis nectare

Pausaniam (9, 5, 4 et 17, 5), Philostratum (icon. 1, p. 745 sequ. Morell.), Clementem Alexandrinum (strom. 1, p. 325), Claudianum (laud. Stil. 2, 170), qui eum cum Orpheo junxit, pariter ut Propertius (3, 1, 45):

»*Orpheu detinuisse feras et concita dicunt*
Flumina Threïcia sustinuisse lyra;
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt«,

ubi plura Burmannus (p. 490).

Arioniam] De Arione omnia nota ex Herodoto (1, 24); plures laudat Plehnius (in Lesbiacis p. 166).

verreret] De hujus verbi usu vide quae Stephanius (ad Saxon. p. 47) observavit.

attestans] Recepi lectionem a Grotio in margine relictam, quum vulgata *antistans* id est *superans, antecellens,* deorum majestati contraria et ab hoc loco aliena esse videretur; multo melius *attestari* deorum numina dicetur Harmonia, quae eorum laudes protulerit.

domitare] Sic codices Grotianus et Darmstattensis; vulgo *domitat,* quod metro minus aptum est.

et potuit] Vulgo *haec,* sed codices secutus sum Darmstattensem, Reichenauensem, et Monacensem (C).

fontigenarum] Alibi:

»*O sacra doctarum prudentia fontigenarum.*«

Gnor. — Male Vulcanius *Nympharum* interpretatur. Vel quae eis tribuitur *Pegasea vox* virum doctum docere poterat Musas esse intelligendas; vide supra (ad §. 574).

nectare] De tali vocis *nectar* abusu vide quae

diffluebat, qui Phrygii cujusdam bupaedae cicutis geminatis interstinctus omnes praecedentium suavitatum dulcedines anteibat. Tandem inter Phoebum Pal- 909
lademque media Harmonia sublimis ingreditur; cujus sonorum caput auri coruscantis bracteis comebatur, caeso etiam tenuatoque metallo rigens vestis, et omnibus ad motum gressumque rata congruentia temperatum blandis leniter crepitaculis tinniebat. Cujus incessum mater Paphia, ut eam contigue sequebatur, licet pulchris rosea numeris ac libratis passibus moveretur, vix tamen poterat imitari. Dextra autem quoddam gyris multiplicibus circulatum et miris ductibus intertextum velut clypeum gestitabat, quod quidem suis invicem complexionibus modulatum ex illis fidibus circulatis omnium modorum concinentiam personabat; laeva autem virginis quam plures ex auro assimilatae parvaeque effigies theatralium voluptatum religataeque pendebant. Verum ille 910

Barthius (in advers. p. 1204) ad Persii locum (prolog. 14):

»*Cantare credas Pegaseïum* nectar«

tuendum attulit, quem ipsum noster ante oculos habuisse videtur. Adde Antipatrum Sidonium (T. II, p. 26 Brunck) de Anacreonte loquentem:

Εὕδει καὶ Σμέρδις, τὸ πόθων ἔαρ, ᾧ σὺ μελίῤῥων,
Βάρβιτ' ἀνεκρούου νέκταρ ἐναρμόνιον.

bupaedae] In editis erat *pubidae*, cujus in locum *pubedae* substitui Grotius volebat; sed praestat omnino quod nos restituimus, superioris loci (§. 31) analogiam secuti, ubi vide notam nostram. *Phrygium* autem *bupaedam* hoc est adolescentulum procul dubio dicit Olympum, quem Marsyae tibiarum inventoris discipulum et amasium veteres ferebant. Unde Pausanias (10, 30, 5): *ὑπὲρ τούτου ἐστὶν ἐπὶ πέτρας καθεζόμενος Μαρσύας, καὶ Ὄλυμπος παρ' αὐτὸν ἐστι παιδὸς ὡραίου καὶ αὐλεῖν διδασκομένου σχῆμα ἔχων.* Adde Plutarchum (de musica 7, p. 1135).

cicutis geminatis] Fistulis geminis. Vulcan. — *Cicuta* pro *calamo* apud Lucretium, Virgilium, alios; sed ut syringes inde compactae videantur, sicut etiam apud Calpurnium (10, 13):

»*Ipse canam, nulli fas est inflare* cicutas,
Quas ego Maenaliis cera conjungo *sub antris*«

possitque aliquis hoc quoque loco *geminatas cicutas* de canis in fistulam junctis intelligere; praestat tamen de *tibiis* accipere, quas binas plerumque simul inflatas esse constat. Appulejus (in florid. p. 341): »Primus Hyagnis — duas tibias uno spiritu inflavit, primus laevis ac dextris foraminibus acuto tinnitu gravi bombo concentum musicum miscuit.«

numeris] Id est *passibus*. Vulcan. — *Passibus* proxime sequitur; *rationes* potius *harmonicae* intelligendae sunt, ut apud Lucretium (2, 631):

»*Ludunt* in numerumque *exsultant sanguine laeti.*«

complexionibus] Codices Monacensis (C) et Darmstattensis *complexibus*.

effigies theatralium] Visconti us (in Mus. Pio-Clem. II, p. 192 Mediol.) Euterpes hic imaginem

orbis non chelys nec barbiton nec tetrachordon apparebat, sed ignota rotunditas omnium melodias transscenderat organorum. Denique mox ingressa atque ejusdem orbis sonuere concentus, cuncta illa quae dissona suavitas commendarat velut mutescentia tacuerunt; ipseque tunc Jupiter coelestesque divi, superioris melodiae agnita granditate, quae in honorem cujusdam ignis arcani ac flammae insopibilis fundebatur, reveriti intimum patrimumque carmen paululum in
911 venerationem extramundanae omnes intelligentiae sufrexerunt. Tunc egersimon ineffabile virgo concludens ad Jovem reversa aliis modulis numerisque, voce etiam associata, sic coepit:

Te nunc astrisonum carmine, Jupiter,
Quo gemmata poli volvere sidera
Suevit lege rata sacra recursio,
Praefandum veneror, quippe potissimus
Nectis sceptrifero sub diademate,
Omnigenum genitor regna movens deum,

exhiberi censet, vereor ne temere, quum Harmoniam se pingere claris verbis Martianus profiteatur.

rotunditas] *Rotunditatem* vocat ipsum orbem, ut alibi *animatamque rotunditatem*. Videtur autem hic sistrum innuere. Grot. — At sistrum nullum rotundum; cur non Martiani verbis insistens *ignotum* instrumentum dixit? Ceterum recte anteriorum editionum lectionem *reconditas* respuit, quae a tota constructione aliena est. Si quid video, orbis ille sphaerarum coelestium concentum significat, de quo plura superius (§. 12. 27. 160), sive fusum illum harmonicum, quo Plato (republ. 10, p. 516) ipsius illius concentus imaginem expressisse videtur.

atque ejusdem] Mira constructio; sed videtur *mox atque* dixisse ut *simul atque*, ut sensus hic sit: »simul atque ingressa (illa) ejusdem orbis concentus sonuere« cet.

patrimum] *Patrimum carmen* contra vulgarem loquendi usum Martianus illud appellare videtur, quod ad deorum patriam atque originem spectaret. Respicit autem arcana illa quae in libri secundi fine Neo-Platonicorum placita secutus tetigerat (§. 203—206).

egersimon] Excitativum. Vulcan. — Vide nos superius (ad §. 2).

astrisonum] Forsan *astrisono*. Grot. — *Astrisonum* male legitur. Hkins. (ad Ovid. T. III, p. 177 Burm.) — Sed legitur in omnibus tam scriptis quam editis libris. Jupiter sane e planetis fuerat, qui coelestem sive *astrisonam* edidere harmoniam; jure igitur ipse *astrisonus* appellari poterat.

gemmata] Radiantia et praelustria explicat Barthius (advers. p. 1555).

potissimus] Alii teste Grotio in margine *potissimo*, sed vulgatam retinui, uti mox *rotat* pro *regit*, et *sufficis* pro *subjacit* vel *subjicis*.

Mundum perpetuo dum rotat ambitu
Mens, quam sidereo sufficis impetu.
Te nam flammigeri semina fomitis 912
Spargentem referunt astra micantia;
Te foveant sacro munere lumina,
Terris purpureum dum renovant jubar,
Testata ambrosium splendificant diem;
Sic tua noctis honos lampade menstrua
Auratis crevit praemia cornibus,
Sub te plaustrilucis luminat ignibus
Anguis Parrhasias disjiciens feras.
Sic solidi tenerum corporis ambitum

impetu] Sic codices Monacensis (C) et Darmstattensis; Grotius *impete*. Totus locus ex Aristotelis stoicorumque doctrina explicandus est, qui vim aetheream, qua sidera mundusque perpetuo ambitu rotentur, simul pro mente habuerunt, ut superius annotavi (ad §. 567).

te foveant] Heinsius (in Burm. anth. Lat. I, p. 137) sic legi jubet:

»*Te* Phoebea *sacro munere lumina*,
Terris purpureum dum renovant jubar,
Testata ambrosium splendificant diem;
Cynthia *noctis honos*, *lampade menstrua*
Auratis rubuit praedita *cornubus*«;

quae licet in nonnullis justo audacius grassentur, sensum tamen loci corrupti egregie declarant. In codicibus nisil subsidii inveni; pro *lumina* margo Grotiana inepte *flumina*.

auratis] MS. »auratis *decuit* praemia cornibus.« Sane sic saepe loquitur Capella, personaliter nempe, ut ajunt grammatici. Ceterum *praemia* hic vox nihili. Forte *praevia*; de Luna enim sermo, quae Solis quodammodo *πρόδρομος*. Gron.

plaustrilucis] Error ex accentu; nisi malis *plaustriducis*. Gron. — Sensus hic esse videtur: »Draconem cum duabus Ursis, quibus medius interpositus est, lucere ignibus qui plaustri speciem referant«; licet constet non Draconem sed majorem ex duabus Ursis sive Septemtriones plaustri nomen gessisse; confer J. H. Vossium (ad Virg. georg. 3, 381). Sed mutandi causa nulla est, neque egemus lectione in margine posita *plaustrilucus*.

Parrhasias] Id est *Arcadicas*. Unde Ovidius (heroid. 18, 152):

»*Quaeque micat gelido* Parrhasis Ursa *polo*«,

et (trist. 1, 3, 48):

»*Versaque ab axe suo* Parrhasis Arctos *erat*«,

et Martialis (4, 11, 3):

»*Impia* Parrhasia *movisti bella sub* Ursa.«

disjiciens] Aratus (phaen. 45):

Τὰς δὲ δι' ἀμφοτέρας οἵη ποταμοῖο ἀποῤῥὼξ
Εἱλεῖται μέγα θαῦμα Δράκων περί τ'ἀμφὶ τ'ἐαγώς.

ambitum] Alii teste Grotio in margine *habitum*, inepte. Sensus hic esse videtur: »tellurem axibus

Tellus non prohibens axibus inditur,
Alternisque regit et regitur polis;
Sic Nerea freti noscere limitem,
Sicque ignem superûm lambere pabula,
Ut nulli scateant dissona litibus,
Atque ita perpes ament dissita vinculum,
Ut semper metuant foedifragum chaos.
Tu rector superûm, tu pater optimus,
Complexuque pio sidera colligans,
Natos perpetuo corpore vividos,
Salve, nostra cui perficitur chelys,
Bis plenum omnisona cui recinunt mela.

913 Jam vos verenda quaeso coeli germina,

mundi inditam, hoc est in centro mundi positam, non prohibere, quominus mundus ipsius corpus ambiat.« *Tenerum* interpretor *lenem* sive *mollem*, qui sensibus vix comprehendi possit.

Nerea] Mediam produxit Jonice, *Νηρῆα*. Sic Virgilius: »Idomenea ducem« *Ἰδομενῆα*. Grot. — Ad *noscere* supple ex antecedentibus *non prohibens*.

pabula] Hoc est »humores et marinos et terrenos longo intervallo extenuatos«, quibus *ali sidera* ex stoicorum placitis Cicero (N. D. 2, 16) tradit. Idem aliis locis (2, 15): »quum Sol igneus sit oceanique alatur humoribus, quia nullus ignis sine *pastu* possit permanere«, et (2, 46): »sunt autem stellae natura flammeae, quocirca terrae maris aquarum vaporibus alantur«, ubi plura Creuzerus (p. 265). Adde Fischerum (ad Anacreont. od. 19, 4; p. 80).

nulli scateant] Vide ne corrigendum sit *nullis*.

dissita] Hoc est *diversis in partibus sita*, ut apud Appulejum (florid. init.): »Homines enim neque longule *dissita* neque proxime *assita* possumus cernere.« Totius igitur carminis haec sententia est: »Jovis regimine fieri, ut omnia in mundo rite et ordine procedant, et quamvis inter se diversissima tamen perpetuo vinculo retineantur, neque in chaos relabi possint.

vividos] *Vividare* dixit suo more. Alludere autem videtur ad *ἐτυμολογίαν Ζῆνος ἀπὸ τοῦ ζῆν*. Grot. — Ediderat scilicet *vividas*, verbum inauditum, neque structurae loci nostri accommodum, quae saltem *vividans* postularet, nisi mox *solus* pro *salve* ex margine Grotiana recipiatur; sed longe praestat quod e Darmstattensi codice reposui. Nati Jovis perpetuo corpore *vividi* ipsa sunt sidera, quae antecedente versu commemoravit, quaeque Martiano pro diis esse saepe jam monui (§. 93. 97. 123. 811. 813).

bis plenum] *Δὶς διὰ πασῶν*. Grot. — Recte; vide Bullialdum (ad Theon. Smyrn. p. 254) et Erasmum (adag. chil. 1, 2, 63).

Quae multiforme scit ciere barbiton,
Afflata nostris ferte corda cantibus,
Miscilla sacrae dum feruntur curiae,
Mulcere vestrum quae velim consortium.
Jam vos vicissim proque lege numinum
Post has sonabit disgregato plasmate,
Suisque cunctos allubescentes tonis
Deducit, urget, atque debebit locis,
Stimulosque rursum lene permulcet melos.

Nunc igitur alma quae senatum lumina 914
Deûm verendo culminatis vertice,
Bis sena quamvis vos Etrusci numina
Ritus frequentent atque opiment victimis,
Tamen gemellis quae refulget cursibus

multiforme] Ob varietatem sonorum. Stephan. (ad Saxon. p. 87) — Mox restitui lectionem codicum Leidensium (vide Oudendorp. ad Appul. met. 8, p. 524 et Burmann. ad anthol. Lat. I, p. 496) et Reichenauensis *scit ciere* pro vulgata *scitis cire*, quae non metro minus quam sensui repugnabat. Neque enim hoc sibi vult Harmonia, divos ipsos barbiton ciere scire, sed corda eorum barbito cieri sive moveri, ut *quae* pro accusativo, *barbiton* pro nominativo habendum sit.

afflata] Sic codex Grotianus; vulgo *affata*, languide. Persius (1, 123):

— »*audaci quicunque* afflate *Cratino*.«

miscilla] Mixta carmina ex vero et falso. Vulcan. — *Miscilla* sive *miscella* generatim dicitur de omnibus mixtis, et non tantum ad verum falsumve referendum, sed ad omne diversum vel varium. Unde intelligo tam ea, quae in sacra curia *cantantur*, quam quae sine musica *pronunciantur*. Sic inferius (§. 996) »*miscillum* flamen« carmina denotat immixta solutae orationi (v. Burm. syll. epistol. T. IV, p. 428. 432. 434).

velim] Codices Darmstattensis et Monacensis (C) pariter atque margo Grotiana exhibent *vellent*; sed hoc metro repugnat neque sensu postulatur; facile enim *quae* pro accusativo accipies.

disgregato] Unumquemque particulatim canam. Vulcan. — Recte; *vicissim* est ἐν τῷ μέρει, suo quemque loco et ordine; ut jam a summo Jove ad duodecim deos oratio transeat.

plasmate] Hoc est *fictione*, ut inferius (§. 997):

— — »*disciplinas cyclicas*
Garrire agresti cruda finxit plasmate«,

et apud Ausonium (perioch. Homer. praef.): »plerique Helenam juxta Homericum *plasma* ad Trojam deportatam fuisse existimarunt.«

bis sena] Vide nos superius (ad §. 42) et Müllerum (Etrusc. II, p. 81).

Natura honoro protulit fastigio
Phoebea vero praeferens vocabula:
Pallas corusca ac decens Latoïa
Lunare quippe hac venit consortium,
Phaëthontos ardens scandet axem Delius.
Nunc vos pudici nostra fratres culmina
Precabor ipsa, ne verendos contrahant
Vultus jugandis quae ferenda carmina,
Hymenque nostrûm invehat fastidium;
Psallente plectro concinentur nuptiae,
Fidibusque luxa Fescennina prodient.

915 Jam nunc blanda melos carpe Dione,
Durus quippe rigor cedit amori.

Novit nam tenerum probare carmen
Ipsum spumigenae salum Cytheres,
Nerinaque chely movet Camoenam,
Dum conchis Galatea personante

vero] Margo Grotiana *utero*, haud scio an melius.

Pallas] Hanc pro Luna olim acceptam esse superius docuimus ad verba »tertia Luna« (§. 568).

quae ferenda] MS. *quae ferenda crimina;* forte: »quae ferenda carmina« aut: »jugandis quae feram dis carmina«.« Grot. — Olim enim edebatur:

»*Vultus jugandis* ferendos *carmina*«,

inepte, quapropter libenter Grotio obtemperavi.

invehat] Alii teste Grotio in margine *inveniat.*

luxa] »Luxa copiosa« gloss. Grot. — Alias significat *luxata* v. c. membra, ut apud Festum est; nunc vero apparet pro *luxuriosis* dici, ut ipsum substantivum *luxus* a luxaturae significatione in potestatem vitae voluptuariae et delicatae transiit. De Fescenninis vide superius (ad §. 904).

prodient] Sic codex Grotianus, melius ob antecedens *concinentur* quam vel *prodeunt* vel *prodeant*, quod in margine Grotius notavit.

rigor] Ita Seneca (in Hippol. 683):

— — »*hoc meus meruit* rigor.«

Dura igitur austeritas amori opponitur.

personante] Forte:

»*Dum conchis Galatea* personantes
Nantes fluctigenas chorumque Phorci
Flagrans cura trahit« — —

Flagrans cura ut: »meus ardor Amynta.« Grot. — Egregia haec emendatio est; neque enim *Galatea* pro ablativo accipi metrum permittit, neque *conchis* Galatea personat, sed *Tritones*, quos Martianus fingit Galateae amore trahi; sed codices nihil variant.

Nantes fluctigenas chorumque Phorci,
Flagrans cura trahit, nivalibusque
Inrestinctus aquis triumphat ardor.
Jam nunc blanda melos carpe Dione, 916
Durus quippe rigor cedit amori.
Carmen Maenaliae tulere pinus,
Percussaque modis sonat Lycaeis
Sollers Arcadia nemus cicuta;
Pernix semiferi puella Panos
Nam versa in calamos sonat loquaces;
Quam dum forte deus premit labellis,
Suspirat velut osculis canorem.
Jam nunc blanda melos carpe Dione, 917
Durus quippe rigor cedit amori.
Puer ipse versiformis
Facibus studet Cupido,
Arcusque dulcinerves
Roseo ligans ramali
Feriato liquit arcu,

chorumque Phorci] Virgilius (Aen. 5, 240): »*Nereidum Phorcique chorus*« — — ubi vide Heynium.

inrestinctus] Ita codex Reichenauensis pro *interstinctus* in editis. Male Darmstattensis *inrestrinctus*, pejus Monacensis (C) *inrestrictus*.

pinus] Hoc est: »carminis amatorii argumentum ex *pinu* etiam Arcadica repeti potest«; si quidem haec et ipsa virgo Panis amica fuisse tradebatur, unde Propertius (1, 18, 20):

»*Fagus et Arcadico* pinus *amata deo*«,

ubi plura dabit Broukhusius.

Arcadia] Grotius legi vult *Arcadiae*; sed vide ne ita construendum sit: »et Arcadiâ modis Lycaeis percussâ sollers nemus cicuta sonat«; cicuta enim (§. 906) per appositionem nemus dicitur.

puella Panos] Syrinx, Panos amica, de qua vide αἴνιγμα illud Simmii, quod incipit:

Σύριγξ οὔνομ' ἔχεις, ἄδει δέ σε μέτρα σοφίης.

Gaot. — Conferendus omnino Ovidius (metam. 1, 691), praetereaque Achilles Tatius (8, 6; p. 175 Jacobs) et Nicetas Eugenianus (narr. amat. 3, 300).

liquit] Sic pro *linquit* in editis melius codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C), quod et olim legisse alios in margine Grotius notavit.

Calamos parante Musa;
In carminis leporem
Curam negat sagittis,
Tenerumque arundinetum
Nostrum in melos reliquit.
Nunc ergo corda mulcent
Vapor et canor jugati;
Placet ac decet, vicissim
Cantemus atque amemus.

918 Jam nunc blanda melos carpe Dione,
Durus quippe rigor cedit amori.

Prudens puella pulchrae
Mater fuit Lacaenae,
Illecta sed canore
Nescit dolum cavere;
Nam candidus nivosis
Olor involutus alis,
Argenteis minorem
Plumis videns decorem,
Nec posse purpuratis
Nimium placere ocellis,
Teneros ciere cantus
Phaëthontiasque Musas
Coepit repente ficta
Fraudem parans senecta;
Sic admovetur ori,

mater Lacaenae] Helenae mater Leda. Martialis (9, 104, 2):
»*Quae capta est alio nuda* Lacaena *cygno*«?
Confer Apollodorum (3, 10, 7).

parans senecta] Cygni enim moribundi dulcissime cantare dicuntur. Vulcan.

Roseumque circumactae
Rapit osculum puellae,
Gremioque complicatus
Pretium tulit pudoris.
Jam nunc blanda melos carpe Dione, 919
Durus quippe rigor cedit amori.
Carmen Ladmiadeum
Lucis diva secundae
Sacris praetulit astris;
Antrum quippe secuta
Linquens culmina coeli
Pastoralibus ardens
Palmam dedit cicutis,
Pulso et luminis auro
Pandit septa balantum,
Sordentique adoperta
Pratis gaudet amictu;
Ac tunc conscia noctu
Pascit monte capellas
Spectans sidera mundi,
Mage percrepat flagello,
Nec curare deorum

circumactae] Circumventae, seductae. Vulcan. — Immo quae se averteret osculumque rennueret, ut apud Plinium (11, 55): »non connivere diximus, quae non obliquis oculis, sed *circumacto* capite cernerent.«

Latmiadeum] Latmiadem vocat Endymionem. Gnot. — Reliqui poëtae omnes, Ovidius, Martialis, Valerius Flaccus, Propertius rectius appellant *Latmium*, a Latmo nimirum Cariae monte. Fabula ipsa nota vel ex Apollodoro (1, 7, 5), quam variis rationibus veteres explicarunt; confer Davisium (ad Cic. Tuscul. 1, 38) et Hardouinum (ad Plin. h. n. 2, 9).

lucis diva secundae] Diana quippe Lunae dea.

pulso et luminis auro] Expulso radio Solis. Vulcan. — Recte; perperam alii teste Grotio in margine legerunt *culminis* pro *luminis*.

nec curare] Scilicet *probat*, vel *curare* pro *cu-*

Pensa aut ferre susurros
Illex carminis ampli
Aegram cura coëgit.
Temnit noctis honorem,
Praefert antra subulci,
Rupe et dura quiescit,
Et post regna tonantis
Stramen dulcius herba est.

920 Talibus Harmoniae carminibus oblectati omnes permulsique divi, nec minor quippe ex fidibus suavitas quam vocis modulamine resultabat; denique qua industria comparatum quibusve assequendum ediscendumque opibus vigili cura repromittat, ut in tam dulcem eblanditamque mollitiem intima mentium liquescat affectio, Jove admirante disquiritur. Ac tunc virgo, quum artis praecepta a se expeti examinandae eruditionis intentione conspiceret, paulum melicis temperans, exhortante quoque Delio Palladeque, sic coepit:

921 Jam pridem quidem exosa terrigenas et fastidiosa mortalium coeli orbes stellantes incutio, in quibus artis praecepta edissertare prohibitum, quum

rabat. Vulcan. — Immo referendum esse ad *coëgit* vix est quod moneam.

aegram] Sic codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis (C); Grotius enim *aegrum* ediderat. *Aeger amore* legitur apud Livium (30, 11).

honorem] Hactenus *horrorem* editum. Emendavi *honorem*, ob versum et ob sententiam. Nam supra de Luna dixit:

»*Sic tua noctis honos.*«

Gnot. — Eadem Vulcanius jam monuerat, quem silentio praeterire non debebat. Monacensis (C) etiam codex habet *honorem*.

rupe et dura] Forte per vocum μετάθεσιν juvandus versus:

»*Dura et rupe quiescit.*«

Gnot. — »Latmia saxa« dicunt Ovidius (heroid. 18, 63) et Catullus (66, 5).

herba] Hoc e codice Reichenauensi et ante Grotium editis reposui pro Grotiano *herbae*. Dianae enim herba dulcius stramen est, quam quod habet in regno Jovis.

oblectati] Codex Monacensis (C) addit *sunt*, et Darmstattensis omittit quod in editis sequitur *omnes*; sed mutandi causam non vidi.

vigili cura] Alii, Grotio teste in margine, *vigil*; sed praestat Harmoniam pro subjecto accipere.

edissertare] Grotiana margo: »al. *dissertare*.«

melodiam omnisonis convenientem pulsibus modulorum machinae obeuntis ipsa rapiditas et concinat et agnoscat; sed quoniam emersa terris virgo nuptura vanescentia intercapedinatae prolixitatis oblivia jam supero debet vigore discutere, jussa percurram, si prius ingratae mortalitatis commoda repediata recenseam. Dum me quippe germanam gemellamque coelo illa incogitabilis 922
effigientiae genuisset immensitas, sidereae revolutionis excursus atque ipsa totius molis volumina comitata superos incitosque fulgores modis associans numeros non reliqui; sed quum illa monas intellectualisque lucis prima formatio animas fontibus emanantes in terrarum habitacula rigaret, moderatrix earum jussa sum demeare; denique numeros cogitabilium motionum totiusque voluntatis impulsus ipsa rerum dispensans congruentiam temperabam. Quam 923
rem debere mortalibus universis Theophrastus laboravit; Pythagorei etiam docuerunt, ferociam animi tibiis aut fidibus mollientes, cum corporibus ad-

melodiam omnisonis] Nimirum sphaerarum concentum, de quo superius (§. 905).

repediata] Forte *repudiata*, ni malis *repedata* antiqua voce. *Repedare* enim est *pedem retrahere*, ut grammatici docent. Gnot. — In margine facilior lectio exstat *repetita*, sed hoc jam in sequenti *recenseam* continetur; quare malim *repudiata*, ut supra etiam (§. 899) »terrigenae stoliditatis ignaviam« et »melicorum indocilem mortalitatem« eam orbe terrisque abegisse dixit.

coelo] Quo melius sequentia intelligas, adi palaeographiam meam criticam (III, §. 470) et Platonem (de re publ. 7, p. 531 Steph.).

effigientiae] Alii teste Grotio in margine *efficientiae*, quod eodem redit, siquidem hoc loco de summo deo rerum omnium creatore ex Platonis sententia loquitur; sed eam ipsam ob causam vulgatam lectionem quamvis insolentiorem praetuli.

animas] Platonis Timaeum respicit (p. 41. 42), ubi postquam ipsius mundi anima harmonicis rationibus conflata fuerit (p. 35. 36), eodem temperamento etiam singulas hominum animas distributas esse legimus. De monade vide superius (§. 731).

moderatrix] De vi musices ad excolendum hominem ex sententia Platonis egregia exstat disputatio Anne-den-Texii (Trajecti ad Rhen. 1816), quam vide.

Theophrastus] Theophrasti libros *de musica* laudat Diogenes Laërtius (5, 47); insigne fragmentum exstat apud Porphyrium (in Harmonicam Ptolemaei p. 241), vide Fabricium (in bibl. Gr. 5, 9; p. 251), qui Martianum quoque idem opus respicere censet.

ferociam animi] Athenaeus (14, 18; p. 625 f.): *θηδαυρός ἐστι καὶ βέβαιος ἡ μουδικὴ ἅπασι τοῖς μαθοῦδι παιδευθεῖδί τε· καὶ γὰρ τὰ ἤθη παιδεύει καὶ τοὺς θυμοειδεῖς καὶ τὰς γνώμας διαφόρους καταπραΰνει· Κλεινίας γοῦν ὁ Πυθαγόρειος καὶ τῷ βίῳ καὶ τοῖς ἤθεδι διαφορῶν, εἴ ποτε συνέβαινε χαλεπαίνειν*

haerere nexum foedus animarum. Membris quoque latentes interserere numeros
924 non contemsi. Hoc etiam Aristoxenus Pythagorasque testantur. Denique benignitate largissima sensim ipsam notionem meae objectationis aperui. Nam fides apud Delphos per Deliacam Citharam demonstravi; tibiae per Tritonidam

αὐτὸν διὸργὴν, ἀναλαμβάνων τὴν λύραν ἐκιθάριζε, πρὸς δὲ τοὺς ἐπιζητοῦντας τὴν αἰτίαν ἔλεγε· πραΰνομαι. Adde Jamblichum de Pythagora ipso (in vita Pythag. 15, 64; p. 50 Kust.): *τὴν διὰ μουσικῆς παίδευσιν πρώτην κατεβτήβατο διά τε μελῶν τινῶν καὶ ῥυθμῶν, ἀφ' ὧν τρόπων τε καὶ παθῶν ἀνθρωπίνων ἰάσεις ἐγένοντο — — δι' ὧν ῥᾳδίως εἰς τὰ ἐναντία περιέτρεπε καὶ περιῆγε τὰ τῆς ψυχῆς πάθη ἀλόγως συνιστάμενα καὶ ὑποφρυόμενα — — ἐπανορθούμενος πρὸς ἀρετὴν τούτων ἕκαστον διὰ τῶν προσηκόντων μελῶν ὡς διὰ τινῶν σωτηρίων φαρμάκων*: et de Pythagoreis in universum eundem alio loco (32, 224; p. 181): *Ἦν δέ τινα μέλη παρ' αὐτοῖς πρὸς τὰ τῆς ψυχῆς πάθη πεποιημένα, πρός τε ἀθυμίας καὶ ὀργμοὺς — καὶ πάλιν αὖ ἕτερα πρός τε τὰς ὀργὰς καὶ πρὸς τοὺς θυμούς, δι' ὧν ἐπιτείναντες αὐτὰ καὶ ἀνιέντες ἄχρι τοῦ μετρίου σύμμετρα πρὸς ἄνδρειαν ἀπειργάζοντο.* Confer et Aristidem Quinctilianum (2, p. 63. 76. 126) et quae inferius (§. 926) narrantur.

Aristoxenus] Lactantius (inst. divin. 7, 13): »Quid *Aristoxenus*, qui negavit omnino ullam esse animam, etiam dum vivit in corpore; sed sicut in fidibus ex intentione nervorum effici concordem sonum atque cantum, quem musici harmoniam vocant, ita in corporibus ex compage viscerum et vigore *membrorum* vim sentiendi exsistere; quo nihil dici delirius potest«; et alio loco (de opif. dei 16): »Volunt igitur animum simili ratione constare in homine, qua corporis partium firma conjunctio *membrorumque* omnium in unum consentiens vigor motum illum sensibilem faciat animumque concinnet, sicut nervi bene intenti conspirantem sonum.« Plura dabunt Davisius (ad Cic. Tuscul. 1, 10) et Mahnius (in diatribe de Aristoxeno jam superius §. 212 laudata), qui simul et ipsi monuerunt, jam ante Aristoxenum idem placitum ab aliis inque primis Pythagoreis propositum esse, quorum sententias jam Plato (in Phaedone p. 85 sequ.) et Aristoteles (de anima 1, 4) reprehenderint. Siquidem Pythagoras, Plutarcho teste (de plac. phil. 4, 2), animam dixit esse *ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα*, discipulus autem ejus Philolaus (apud Claudium Mamert. 2, 7) eandem docuit »indi corpori per *numerum* et immortalem et incorporalem *convenientiam*«; vide Boeckhium (in Philolao p. 229) et Ritterum (Gesch. d. pythag. Philos. p. 213).

objectationis] Forte *oblectationis*? Gnot. — Minus placet correctio, quam quod in libris scriptum est. *Objectationis meae notionem aperui* idem est, ac si dixisset: »monstravi quid utilitatis *meo interventu* proveniat.« *Objectatio* et *afflictatio* pro *objectio* et *afflictio* saepe scribi advertit Meibomius (p. 345 v. 23).

Deliacam Citharam] Nescio quam puellam citharae inventricem fingit, quam plerique ab Apolline vel Mercurio, vel qui humanos auctores quaerebant, ab Orpheo, Amphione, Lino inventam tradiderunt (Pausan. 5, 14, 6; Plin. hist. nat. 7, 57). Ceterum emendavi pravam scribendi rationem *Cytharam* et hic et in sequentibus.

nostri comitem Marsyamque Lydium sonuerunt; calamos Mariandyni et Aones in laudes inflavere coelestium; panduram Aegyptios attentare permisi, ipsisque me pastoralibus fistulis vel cantus avium vel arborum crepitus vel susurros fluminum imitantibus non negavi. Psaltas, chordacistas, sambucos, hydraulas

Tritonidam] Minervam tibias invenisse, inventas abjecisse, abjectas Marsyam sibi vindicasse, nota fabula est. Unde Ovidius (met. 6, 384) de Marsya:

»*Quem* Tritoniaca *Latous* arundine *victum*
Affecit poena« — —

Vide Aristotelem (polit. 8, 6, 8), Ovidium (fast. 6, 696 sequ.), Plutarchum (in vita Alcibiad. 2), quosque praeterea laudant Spanhemius (ad Callim. h. in Dianam 244) et Boettigerus (über die Erfindung der Flöte in Wielandi Mus. Att. T. I, p. 285 sequ.).

Lydium] Immo Phrygium (Plutarch. de mus. p. 1135. Athen. 14, p. 616 f.), sed vicinae regiones facile confunduntur.

Mariandyni] De Mariandynis Heracleae Ponticae accolis et tributariis vide Platonem (de legibus 6, p. 776 Steph.), Strabonem (12, p. 542 Cas.), et Athenaeum (6, p. 263); sed inprimis huc pertinet Eustathii locus (ad Dionys. perieg. 791), qui nomen eorum derivat a Mariandyno Tityi filio, qui Marsum (Marsyam?) Auletis (i. e. tibicinis) patrem *tibiis canere* docuerit; cujus fabulae vim acute perspexit Welckerus (in ephem. scholast. 1830, n. 2; p. 11. 12. 15).

Aones] Hoc est Boeoti (Strab. 7, p. 321; 9, p. 401 Casaub. Pausan. 9, 5, 1. Virgil. ecl. 6, 65. Steph. Byzant. p. 90), quos omnium maxime tibiis operam dedisse constat. Confer Maximum Tyrium (diss. 23, 2; T. I, p. 440 Reisk): *Θηβαῖοι αὐλητικὴν ἐπιτηδεύουσι καὶ ἔστιν ἡ δι' αὐλῶν μοῦσα ἐπιχώριος τοῖς Βοιωτοῖς*: et inscriptionem apud Dionem Chrysostomum (7, p. 125 Morell.): *Ἑλλὰς μὲν Θήβας νικᾷν προὔκρινεν αὐλοῖς*. Thebanos et Heracleotas conjungit Athenaeus (4, 84; p. 184).

attentare] Malim cum patre *attemperare*, quanquam supra dixerit:

— — »tentat *psallere Melpomene*.«

Gnot. — Non capio, quid pater filiusque in Martiano hic reprehendant. Superius enim Martianus jam hoc verbo usus est (§. 888 et 895) ac vidimus ab eo Claudianum attente esse lectum; atqui is (in rapt. Pros. 3, 217) similiter:

— »*digitisque* attentat *mollibus arcum*.«

Ceterum codices Monacensis (C) et Darmstattensis hic quoque *attemptare* scribunt. De pandura dixi superius (ad §. 906).

susurros fluminum] Sic Ovidius (fast. 2, 316) *garrulum* appellat *rivum*, Horatius (od. 3, 13, 15) *loquaces lymphas*.

psaltas] Editum fuit hactenus *spaltas*, male, quod et Vulcanius vidit; nam sequuntur chordacistae, hydraulae et sambuci. Gloss. Isidori: »sambucus saltator.« Gnot. — Pari errore in marmore apud Gruterum (942, 14) *Terspichore* pro *Terpsichore*, neque raro in ipsius nostri codicibus Monacensibus inveni *Spyche* pro *Psyche*. Hic tamen in ipso Monacensi (C) recte legitur *psaltas*.

chordacistas] *Χορδακιστὰς* in Graeco sermone non novimus, sed *χορδακιστὰς*, qui *χόρδακα* saltarent, de quo vide Athenaeum (14, 27; p. 629) et Lucianum (de saltat. 22); verumtamen quum hic de instrumentis musicis agatur, Martiani potius

923 per totum orbem ad commodum humanae utilitatis inveni. Per me quippe vestrum homines illexere succursum, irasque inferas per naenias sedavere. Quid quod bella victoriaeque undique meis cantibus conquisitae? Nam Cretes ad citharam dimicabant, Lacedaemonii ad tibias, nec aggrediebantur fata proeliorum, priusquam illis contigerat litare Musis. Quid Amazones nonne ad calamos arma tractabant? quarum una, quae concipiendi studio venerat, quum Alexandrum salutaret, donata tibicine, ut magno munere, gratulata discessit.

quam librariorum errorem esse arbitror, qui a *chorda* vocem derivandam sibi persuaserit.

sambucos] Apud Athenaeum (14, p. 635 Casaub.) legimus »sambucam esse quatuor fidibus tensum instrumentum, usitatum Parthis et Troglodytis« (adde eundem 4, p. 182). Strabo quoque (10, p. 421 Casaub.) barbarum esse nomen affirmat. Phoeniciam ei originem tribuit Spanhemius (de usu et praestant. num. T. I, p. 709). Festus »*sambucam* organi genus esse« scribit »a quo *sambucistriae* dicantur«; quo nomine et Livius (39, 6, 8) utitur, easque per Asiaticam luxuriam in Latium introductas esse ait. Adde Scipionis Aemiliani orationem apud Macrobium (Saturn. 2, 10): »docentur praestigias inhonestas: cum cinaedulis et *sambuca* psalterioque eunt in ludum histrionium« cet.

hydraulas] *Hydraulam* et *choraulam* jungit Suetonius (in Nerone 54). De hydraulo exstat commentatio Meisteri (in comm. Gott. nov. T. II, p. 152).

illexere succursum] Macrobius (in somn. Scip. 2, 3): »sonos musicos sacrificiis adhibuerunt, qui apud alios lyra vel cithara, apud nonnullos tibiis aliisve musicis instrumentis fieri solebant.« Plura dabit Saubertus (de sacrif. vet. 27, p. 624 sequ.).

naenias] Sic codices nostri Reichenauensis, Darmstattensis, Monacensis (C), pariterque Leidensis, quem Burmannus (ad Ovidium I, p. 605) citat. Vulgo *ne etiam*, quo nihil languidius. Macrobius (somn. Sc. 2, 3; p. 455 Zeun.): »mortuos quoque ad sepulturam prosequi oportere cum cantu plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt.« Adde Boëthium (de musica in op. p. 1375).

Cretes] Athenaeus (14, 24; p. 627): *διόπερ καὶ οἱ ἀνδρειότατοι Λακεδαιμόνιοι μετ' αὐλῶν στρατεύονται, Κρῆτες δὲ μετὰ λύρας, μετὰ δὲ θυρίγγων καὶ αὐλῶν Λυδοί, ὡς Ἡρόδοτος ἱστορεῖ.* Adde Clementem Alexandrinum (paedag. 2, 4; p. 164): *χρῶνται γοῦν παρὰ τοὺς πολέμους αὐτῶν Τυρρηνοὶ μὲν τῇ σάλπιγγι, θυρίγγι δὲ Ἀρκάδες, Σικελοὶ δὲ πηκτίδιν, καὶ Κρῆτες λύρᾳ, καὶ Λακεδαιμόνιοι αὐλῷ, καὶ κέρατι Θρᾷκες, καὶ Αἰγύπτιοι τυμπάνῳ, καὶ Ἄραβες κυμβάλῳ.*

Lacedaemonii] Vide Agellium. Gnor. — Sed cur Gellium (1, 11) laudat, non quem is ipse auctorem habuit Thucydidem (5, 70)? Plures vide apud Meursium (misc. Lacon. p. 102 et 150). Adde Maximum Planudem (schol. ad Hermog. T. V, p. 438 Walz).

contigerat] Ita Meibomianorum alter (p. 345 v. 1), Reichenauensis, et Monacensis (C) pro *contingeret* in editis.

litare Musis] Plutarchus (in Lacon. p. 238) docet »Lacedaemoniorum regem ante pugnam Musis sacra fecisse.«

donata tibicine] Hanc historiam apud nullum

Lacedaemonios in Graecia, in Italia Sybaritas tibicines ad proelia praeire quis nesciat? Tubas non solum sonipedes atque bella, sed agonas acuere certamenque membrorum, nunc quoque compertum. Quid pacis munia nonne 926
nostris cantibus celebrata? Graecarum quippe urbium multae ad lyram leges decretaque publica recitabant. Perturbationibus animorum corporeisque morbis medicabile crebrius carmen insonui. Nam phreneticos symphonia resanavi;

alium ita reperiri puto. Forsan illorum auctorum aliquis, qui a Plutarcho in Alexandri vita memorantur, hoc perscripserat, unde Martianus id desumserit. Meinox. — Historia ipsa exstat apud Diodorum Siculum (17, 77), Strabonem (11, p. 505 Casaub.), Curtium (6, 5), Justinum (2, 4, 33; 12, 3, 5; 42, 3, 7); Thalestrin sive Minithyam appellatam ferunt. Confer Petitum de Amazonibus (p. 364 sequ.).

Sybaritas] Haud scio an Martianus negligentia lapsus sit, animo ejus obversante historia illa de Sybaritani exercitus equitatu ad symphoniae cantum saltatione quadam moveri solito (Plin. 8, 64), quem tamen ea ipsa re bello minus idoneum fuisse intelligimus ex Athenaeo (12, 19; p. 520).

tubas] Boëthius (de musica 1, 1; in oper. p. 1373): »Nonne illud etiam manifestum est, in bellum pugnantium animos tubarum carmine accendi?«

agonas] Vide hunc morem apud Plinium hist. n. lib. 7; Tertull. de spect. cap. 11; Sidon. Apoll. in pan. urb. Narb.; Heliod. lib. ult. Gnor. — De tuba signo commissionis, uti verae pugnae ita variorum certaminum, vide locos veterum apud Just. Lips. Saturn. II, 19, p. 108; Fabr. Agonist. III, 16. Aeneid. 5, 113:

»*At tuba commissos medio canit aggere ludos.*«

Stat. silv. III, 1, 139, conf. 151:

»*Jam placidae dant signa tubae.*«

Addo Sophocl. El. 711; Poll. 4, 86 — 89. Non deest tubicen in tabula picta ex amphitheatro, in qua apparatus certaminis cernitur, in Guil. Gellii Pompejanis tab. 75. Welcker (in Sylloge epigr. p. 66).

ad lyram] Huc refer illud Aristotelis probl. cap. 19: *διὰ τί νόμοι καλοῦνται οὓς ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐπίστασθαι γράμματα ἥδον τοὺς νόμους* et cet. Gnor. — Adde Clementem Alexandrinum (strom. 1, p. 308): *μέλος τε αὖ πρῶτος περιέθηκε τοῖς ποιήμασι, καὶ τοὺς Λακεδαιμονίων νόμους ἐμελοποίησε Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος.* Aelianum quoque (var. h. 2, 39) in partes vocare licet; sed simul etiam conferenda sunt, quae Nitzschius (melet. de hist. Homeri I, p. 38 sequ.) de omni hoc argumento sollerter et accurate monuit.

perturbationibus] Similis locus apud Boëthium de musica lib. 1, cap. 1. Gnor. — Adde Aristotelem (polit. 8, 5), Plutarchum (de virtute morali p. 441), et Athenaeum (14 p. 623 f. Cas.).

corporeisque morbis] Macrobius (in somn. Scip. 2, 3): »Ita denique omnis habitus animae cantibus gubernatur, ut et ad bellum progressui et item receptui canatur — iram suggerit, clementiam suadet, *corporum quoque morbis medetur;* nam hinc est quod aegris remedia praestantes *praecinere* dicuntur.« Ἐπαοιδὰς significat, quibus jam Aesculapium usum auctor est Pindarus (Pyth. 3, 51).

quod Asclepiades quoque medicus imitatus, quum consulentibus urbium patribus plebis inconditae vulgus infremeret, seditiones accensas crebriore cantu inhibuit. Ebrios juvenes perindeque improbius petulantes Damon unus e sectatoribus meis modulorum gravitate perdomuit; quippe tibicinem spondeum canere jubens temulentae perturbationis dementiam infregit. Quid afflictationibus corporeis nonne assidua medicatione succurri? Febrem curabant vulneraque veteres cantione; Asclepiades item tuba surdissimis medebatur. Ad affectiones animi tibias Theophrastus adhibebat. Ischiadas quis nesciat expelli

Adde Platonem (in Charmide p. 155 Steph.). Inprimis autem Pythagoram morbos curasse musicae ope ferunt (Jamblich. vit. Pythagor. 25 et 34; p. 93 et 196 Kuster. Porphyr. vit. Pythag. p. 37).

Asclepiades] Recepit haec ad verbum Cassiodorus (de musica in op. 2, p. 537 Gar.). Asclepiadarum historiam invenies apud Walchium (in antiqu. medicis, Jenae 1772, p. 119 sequ.), cui adde Antonii Cocchii disputationem (discorso primo supra Asclepiade, ed. Raim. Cocchi, Flor. 1758) et Fabricium (in bibl. Gr. 6, 9; T. XIII, p. 87 sequ.).

seditiones] Confer Terpandrum, *τὸν τὴν γενομένην ποτὲ παρὰ Λακεδαιμονίοις στάσιν καταλύσαντα*, apud Plutarchum (de mus. p. 1146) et Christodorum (in anthol. Pal. T. I, p. 42):

Ὡς ποτε δινηέντος ἐπ' Εὐρώταο ῥοάων
Μυστιπόλῳ φόρμιγγι κατεπρήϋνεν ἀείδων
Ἀγχεμάχων κακότητας Ἀμυκλαίων ναετήρων.

crebriore cantu] Sic codex Monacensis (C); vulgo *crebrior cantus*.

ebrios] Idem Pythagorae tribuunt Quinctilianus (1, 10, 32) aliique, quos ibi laudat Spaldingius (p. 227); cum nostro consentit Galenus (de dogm Hippocr. et Plat. 9, 5), vide Fabricium (ad Sextum Emp. 6, 8; p. 357) et Kusterum (ad Jambl. Pythag. 112). In universum confer Athenaeum (14, p. 627) et Meibomium (ad Aristid. p. 301).

Damon] Commemorant hunc Plato (Lach. p. 180; Alcib. p. 118; Axioch. p. 364 Steph.), Plutarchus (in vita Pericl. p. 153; Aristid. p. 319), Diogenes Laertius (2, 19), Suidas, alii; confer Hemsterhusium (ad Aristoph. Plut. p. 352), Jacobsium (in add. animadv. in Ath. p. 536), et Süvernium (de Aristoph. nub. p. 60).

medicatione] Sic legendum esse jam Grotius vidit, quum vulgo *meditatione* ederetur, confirmaturque ejus conjectura a codice Meibomiano utroque (p. 345, v. 18) et nostro Reichenauensi a prima manu.

vulneraque] Appulejus (de magia p. 491 Oud.): »Veteres quidem medici etiam carmina remedia *vulnerum* norant, ut omnis vetustatis certissimus auctor Homerus docet, qui facit Ulixi de vulnere sanguinem profluentem sisti cantamine. Nihil enim, quod salutis ferendae gratia fit, criminosum est.«

ischiades] Confer Gellium (4, 13): »Creditum hoc a plerisque est et memoriae mandatum, *ischiaci* quum maxime doleant, tum si modulis levibus tibicen incinat, minui dolores. Ego nuperrime in Theophrasti libro scriptum inveni, viperarum morsibus tibicinium scite modulateque adhibitum mederi. Refert etiam idem Democriti liber, qui in-

aulica suavitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Thaletem Cretensem citharae suavitate compertum est morbos ac pestilentiam fugavisse. Herophilus aegrorum venas rhythmorum collatione pensabat. Animalium vero 927
sensus meis cantibus incunctanter adduci saltem Thracius citharista perdocuit; in quo non fabula sed veritas gloriam procreavit. Unde enim cervi fistulis capiuntur, pisces in stagno Alexandriae crepitu detinentur, cygnos Hyperboreos citharae cantus adducit? elephantes Indicos organica permulsos detineri voce

scribitur *περὶ λοιμῶν*, in quo docet plurimis hominum morbis medicinam fuisse incentiones tibiarum.«

Thaletem] Plutarchus (d. mus. p. 1146): *ὃν φασί κατά τι πυθόχρηστον Λακεδαιμονίους παραγενόμενον διὰ μουσικῆς ἰάσασθαι ἀπαλλάξαι τε τοῦ καταβόντος λοιμοῦ τὴν Σπάρτην.* Plura de eo vide apud Strabonem (10, p. 481. 482) et confer omnino Müllerum (Dor. II, p. 170) et Hoeckium (Cret. III, p. 342. 364). Cave autem cum philosopho Milesio confundas, qui nominativo casu *Thales* erat, non *Thaletes*.

Herophilus] Praefixi aspirationis literam, quam Grotius ad marginem rejecit. Vide enim de hoc medico Plutarchum (in plac. phil. 4, 22; p. 903. 5, 2; p. 904), Sextum Empiricum (adv. mathem. p. 495), Plinium (11, 37, 8 f. 26, 2, 6), Tertullianum (de anima 10), et Celsum (in praef.). Adde Fabricii bibliothecam Graecam (13, p. 185 f.).

venas] Eadem Plinius (29, 1, 5) retulit. Adde Aristidem Quinctilianum (1, p. 31 Meib.), Vitruvium (1, 1; p. 17 Bip.), et Gellium (3, 10), ubi legimus ex medicorum musicorum sententia »venas vel potius arterias numero moveri septenario, quod ipsi appellent *τὴν διὰ τεσσάρων συμφωνίαν*, quae fit in collatione quaternarii numeri.« Vide et nostrum inferius (§. 968). Pro *collatione* alii olim, teste Grotio in margine, *collocatione*, inepte.

incunctanter] Grotiana margo *si cunctantur*, quo nihil languidius.

cervi fistulis] Macrobius (in somn. Scip. 2, 3): »Quid mirum si inter homines musicae tanta dominatio est, quum aves quoque, ut lusciniae, cygni, aliaeque id genus, cantum veluti quadam disciplina artis exerceant, nonnullae vero vel aves vel terrenae seu aquatiles belluae invitante cantu in retia sponte decurrant, et *pastoralis fistula* ad pastum progressis quietem imperet gregibus?« Cervos ipsos Solinus (19, 11) »sibilos *fistularum* mirari« testatur, praeeunte Plinio (hist. nat. 8, 50), ubi plura dat Harduinus.

pisces] Paulo aliter apud Varronem (de R. R. 3, 17, 4; p. 406 Gesn.) legimus, ad tibiae cantum pisces gregatim venisse.

crepitu] Id est »crepitaculi sonitu.« Mamon. (p. 346, v. 29).

elephantes] Strabo (15, p. 705): *πειθαρχεῖν διδάσκουσι, τοὺς μὲν διὰ λόγου, τοὺς δὲ μελίσματι ἢ τυμπανίσματί τινι κηλοῦντες.*

fistulis aves] Martialis (14, 218):

»*Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales*«

et Cato, seu quisquis distichorum auctor sit (l. d. 12):

»*Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.*«

compertum, fistulis aves allici comprobatum, infantibus crepitacula vagitus
928 abrumpere, fides delphinis amicitiam hominum persuasere; quid? cantibus allici disrumpique serpentes, glandem messesque transire, manes cieri Lunamque laborare, nonne ipsius vetustatis persuasione compertum? in Lydia Nympharum insulas dici, quas etiam recentior asserentium Varro se vidisse testatur, quae in medium stagnum a continenti procedentes cantu tibiarum
929 primo in circulum motae dehinc ad litora revertuntur. In Actiaco litore mare citharam sonat. Megaris saxum ad ictum pulsus cujuscunque fidicinat. Possem innumera mortalibus a me collata percurrere, ut non me terras fugiendi studio

crepitacula] Πλαταγὰς, de quibus Aristoteles (polit. 8, 6, 1).

delphinis] Plinius (hist. nat. 9, 8): »Delphinus non homini tantum amicum animal, verum et musicae arti, mulcetur symphoniae cantu et praecipue hydrauli sono«, ubi plura Harduinus. Sed nota inprimis Arionis historia, de qua supra (§. 908).

serpentes] Manilius (1, 92):

»*Consultare fibras, et* rumpere *vocibus* angues.«

Calpurnius (ecl. 11, 70):

»*Cantavit, quod Luna timet, quo* rumpitur anguis.«

glandem] Dele *ferunt* cum MS. et conjunge cum praecedentibus. Gron. — Vulgo enim »glandem *ferunt* messesque«, quod tamen non rectius esse videtur, quam quod alios praemittere Grotius in margine notavit »in Thracia Orpheo canente«, nam hoc loco de incantationibus et praestigiis agi manifestum est; quare facile Grotio obtemperavi, sed ita ut cum sequentibus potius »vetustatis persuasione compertum« mutata interpunctione conjungerem.

Lunamque] Conferatur palaeographia mea (T. III, §. 74), ubi omnino latius de incantationibus egi.

in Lydia] Plinius (hist. nat. 2, 95): »In Lydia, quae vocantur Calaminae, non ventis solum, sed etiam contis quo libeat impulsae, multorum civium Mithridatico bello salus. Sunt et in *Nymphaeo* parvae Saltuares dictae insulae, quoniam in symphoniae cantu ad ictus modulantium pedum moventur.« Seneca etiam (nat. quaest. 3, 25; p. 734 Lips.): »Sunt multi pumicosi et leves, ex quibus quae constant insulae in Lydia natant. Theophrastus est auctor. Ipse ad Cotylias natantem insulam vidi« cet. Adde Strabonem (13, p. 614 Cas.), ubi vulgo perperam καλουμένην νῆσον pro καλαμίνην. Ceterum pro vulgato *lympharum* scripsi *Nympharum* e codice Reichenauensi et utroque Meibomiano (p. 346, v. 2), quibuscum plurimi alii concinunt a Scaligero ad Varronem et Salmasio (ad Solin. polyh. p. 125) laudati.

Actiaco] Sic margo Grotiana codicesque et Meibomiani (p. 346, v. 6) et nostri Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis; vulgo *Attico*. Actium promontorium Apollini sacrum fuisse notum est (Strabo 10, p. 311. Plin. 4, 2. Sueton. Oct. 18).

Megaris] Pausanias (1, 42, 1): ἐστὶ λίθος ἐφ' οὗ καταθεῖναι λέγουσιν Ἀπόλλωνα τὴν κιθάραν — ἣν τύχῃ βαλών τις ψηφῖδι, κατὰ ταὐτὰ οὗτός τε ἤχησε καὶ κιθάρα κρουσθεῖσα.

reliquisse sed ingratae humanitatis ignaviam viderer jure damnasse; sed jam ad artis praecepta desiliam, ut nupturae virgini promissum munus impendam.

QUID SIT OFFICIUM MUSICAE.

Et quoniam officium meum est bene modulandi sollertia, quae rhythmicis et melicis adstructionibus continetur, prius de melicis dissertabo. Dico quidquid rite sonuerit, aut tonum esse aut hemitonium aut quartam partem toni quae diesis appellatur. Verum tonus est spatium cum legitima quantitate, 930

bene modulandi] Initium hic facit tractandi de ipsa arte musica, cujus interior finis est bene modulari. Huc omnis institutio tendit. Ita intelligendi omnes, qui musicam bene modulandi scientiam definiunt, ut Augustinus quoque libro 1 de Musica Meibom.

rhythmicis] Id est Harmonica et Rhythmica. Melica ipsi sunt *τὰ ἁρμονικά*. Nemo alius ita locutus. Ceterum duas tantum illas partes ad bene modulandi artem facere dicit exclusa Metrica: quae tamen ad perfectum cantum, in quo etiam verba considerantur, vel maxime est necessaria; v. Aristidem p. 28. Meibom. — Nescio quid offensionis invenerit Meibomius in vocabulo *melicus* pro *harmonico* usurpato, quum *μέλος* et *ἁρμονία* promiscue eodem sensu adhiberi soleant. Sic verbi causa Plato, licet (in republ. 3, p. 398 Steph.) pariter atque Aristoteles (in poët. 1, 4) tres carminis partes appellet *λόγον, ἁρμονίαν, ῥυθμόν*, tamen alio loco (in Gorg. p. 502): *εἴ τις περιέλοιτο*, inquit, *τῆς ποιήσεως πάσης τό τε μέλος καὶ τὸν ῥυθμὸν καὶ τὸ μέτρον, ἄλλο τι ἢ λόγοι γίγνονται τὸ λειπόμενον*; itemque (de legibus 2, p. 669) inter se opponit *μέλος* et *ῥυθμόν*, quum paulo antea (p. 655) *περὶ ῥυθμὸν καὶ ἁρμονίαν οὔσης τῆς μουσικῆς* dixisset. Ceterum utriusque partis vim egregie declarat idem in his (p. 665): *τῇ δὲ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη, τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς, τοῦ τε ὀξέος ἅμα καὶ βαρέος συγκερασθέντων, ἁρμονία ὄνομα προσαγορεύοιτο*: plura dabit Stallbaumius (ad Phileb. p. 56).

quartam partem] MS. *quartam* tantum. Ego cum patre *partem* tantum malim et alia *rite* sonant. Gnor. — *Recte* codex (B); editus *rite*. Est haec locutio insolentior. Hoc autem vult (Martianus): »Quodcunque intervallum modulamur (incompositum, et intra quod aliud cadere nequeat) dico aut tonum esse, aut quartam partem toni.« — Quod hic Grotius notat, id ex musices ignorantia est natum; uti et quod sequenti nota dicit: »hemiolice proportio appellatur harmonica, ut sesquitertia arithmetica« plane est erroneum. Meibom. — Vulgata utique sana est. Aristides Quinctilianus (p. 43 Meib.): *τεταρτημόριον*, inquit, *τοῦ τόνου ἡ δίεσίς ἐστιν*, pariter ut noster inferius (§. 933). Adde Vitruvium (5, 4; p. 137 Bip.), Plutarchum (de musica p. 1140), Sextum Empiricum (adv. mus. 6, 47), Euclidem (de harm. p. 10), et quos laudat Creuzerus (in meletem. T. III, p. 19). Aliis tamen generalius est *τὸ ἐλάχιστον μέτρον τῶν ἐναρμονίων διαστημάτων*, ut Suidae verbis utar; confer Aristotelem (metaph. 13, p. 291 Brand.), Dionysium Halicarnassensem (de compos. T. V, p. 76

qui ex duobus sonis diversis inter se invicem continetur; hemitonium dicitur, quod toni medium tenet; diesis vero distantiae sunt tres. Nam prima brevior, quae tetartemoria nominatur, ex eo quod quartam partem toni recipiat; enarmonios quoque dicitur propterea quod enarmonion modulandi genus per hanc maxime dimetimur. Secunda ab illa major est, nam tritemoria nominatur, quoniam habet partem tertiam toni; itemque chromatice appellatur, quod chromaticum modulandi genus per ipsam finditur. Tertia vero habet toni tertiam partem ac dimidiam tertiae, et vocatur hemiolia et harmoniae divisio, quoniam hemiolii modum complet.

Reisk.), Aristidem (p. 14), Bacchium (p. 2 Meib.) etc.; unde factum est ut etiam pro hemitonio usurparetur, ut in fragmento Philolai apud Stobaeum (p. 466 Heeren.), ubi immerito haesit doctissimus editor; adde Theonem (de mus. p. 77), Censorinum (de die nat. 10, 7), et Macrobium (in somn. Scip. 2, 1). Quid quod posterius omnino disparuisse vel evanuisse videbatur minima illa pars toni, *ἀπόλωλεν ἐκ τῆς ἡμετέρας αἰσθήσεως*, ut ait Photius (in bibl. n. 242, p. 560 Hoeschel.), vide et Macrobium (in somn. Scip. 2, 4).

tonus est] Euclidi (p. 2 Meib.) est *τόπος τις τῆς φωνῆς δεκτικὸς διαστήματος ἁπλατής*. Uberius Aristides Quinctilianus (p. 22): »Tonum in musica tripliciter appellamus: aut enim est idem quod tensio, aut certa aliqua vocis magnitudo, uti qua a diapente superatur diatessaron, aut modus systematicus, ut Lydius aut Phrygius.« Nunc secunda significatio valet.

legitima quantitate] Per legitimam quantitatem rationem epogdoi intellige. Gloss. Gnot. — Haec est ratio superoctava. Glossae: »ratio epogdoi«, scribendum *epogdoa*. Mamon. — Vide nos superius (§. 108) et Boeckhium (in Creuzeri stud. T. III, p. 58).

diesis vero] In his Aristoxenum ante oculos habuisse videtur, cujus doctrinam hisce comprehendit Boëthius (de mus. p. 1477): »Dividit enim tonum in duas partes, atque id *semitonium* vocat; dividit in tres partes, cujus tertiam *diesin* vocat *chromatis mollis*; dividit in quatuor, cujus quartam cum propria medietate, id est cum octava totius toni, appellat *diesin chromatis hemiolii*; rursum solam quartam ejus vocat *diesin enharmoniam*.« Confer ipsum Aristoxenum (in elem. harm. p. 46) et Claudium Ptolemaeum (in harmon. 1, 12).

chromatice] Scribe *chromatica*: subauditur enim *diesis*. Mamon. — At cur Graeca forma uti Martianum prohibeamus?

tertia vero] Hoc plane falsum, quamvis scripti codices aeque ac editi hanc lectionem iugerant. Restituo veterem ac germanam, neque enim tam crassam ignorantiam Capellae imputabo: »tertia vero habet toni quartam partem ac dimidiam quartae.« Hemiolia quippe diesis habet quatuorsemis dodecatemoria, seu duodecimas toni partes, id est quartam partem toni et quartae dimidiam, ideoque et sic idem enunciare potuisset: »tertia vero habet tetartemoriam diesin ejusque dimidiam.« Mamon.

harmoniae] Pater conjicit »ex harmoniae divisione.« Forte tamen »et harmonicae divisio« legendum sit, nam hemiolice proportio appellatur harmonica, ut sesquitertia arithmetica apud Romanos.

DE SONIS.

Tonus igitur idem plerumque appellatur et sonus. Verum soni sunt 931
per singulos quosque ac per omnes tropos numero duodeviginti. Quorum

Si conjecturis paulo audacioribus, ut in aliis, ita in hoc auctore locus, legendas et transponendas voces hoc modo censuerim: »προσλαμβανόμενος, apud Romanos vero idem dicitur *acquisitus*: secundus ὑπάτη ὑπάτων, hoc est *principalis principalium*, qua eadem voce uti summus Jupiter statuit.« Jupiter enim ὑπάτος ὑπάτων appellatur, ideoque ἐμφατικῶς Capella *summum* addidit eique hypate ipsa sacra teste Boëthio lib. I, cap. XX. Simili de ratione Jupiter etiam ἀγαμέμνων vocatus est, quod nempe Agamemnon apud Homerum ὕπατος κρειόντων dicatur. Gnor. — Haec barbara sunt, adeoque expungenda. Etenim ratio, cur diesis illa hemiolia vocetur, ex Aristoxeno aliisque est clarissima, quod videlicet haec diesis sit hemiolia dieseos enarmoniae; ut numerus quatuorsemis est hemiolius numeri ternarii. Si retinenda sint, hanc explicationem adferemus: vocabulum *modus* hic idem significat quod *modulatio*, ut et p. 180 v. 21 (p. 316 Gr.) p. 183 v. 25 (p. 319 Gr.); deinde pro *harmoniae divisio* legendum *ab harmoniae divisione*, et *hemiolium* pro inepto *hemiolis* (quemadmodum etiam glossae interdum superoctavam rationem imperite vocant rationem *epogdoi* pro *epogdoam*), ut hic sensus bonus ac verus ex ineptis verbis colligatur: »et vocatur (sc. illa diesis) hemiolia, ab harmoniae divisione; quoniam hemiolium modulationem complectitur.« Quod si vocabulum *modus* pro *diastemate* accipiamus, ut idem usurpatur p. 186 v. 20, ultima eodem sensu legemus: »hemiolium diastema complectitur.« Mrnox. Sat credo superque nunc habes conjecturarum, certi nihil, neque quidquam variant codices, ut Martiani potius quam librariorum errores esse putem.

de sonis] Hanc inscriptionem Meibomio praeeunte recepi, quoniam ipse sensus jubebat; vulgatam *de tropis* suo loco et ordine infra (§. 935) posui; licet enim Aristides Quinctilianus (3, p. 136 Meib.) *tropos* eosdem *tonos* vocari doceat, inde tamen non sequitur, *tonos* etiam *tropos* appellari posse.

tonus igitur idem] Hoc certum est ex Aristide nostro p. 22 v. 28, Euclide p. 19 v. 6. Inde ἑπτάτονος λύρα dicebatur, quae septem diversos sonos habebat. Inepte autem p. 180 v. 26 (p. 316 Gr.) inquit: »nam sonum id est tonum productionem vocavi«; neque enim tonus ibi appellari potest productio quatenus sonus est, sed quatenus spatium cum legitima quantitate, quod duobus sonis continetur, ut supra. Mrnox. — Rectius tamen *sonus* (φθόγγος) et *tonus* (τόνος) distinguuntur, id quod Nicomachus (p. 1 et 2 Meibom.) docuit.

duodeviginti] Accurate haec omnia explicavit Boeckhius (in Creuzeri stud. T. III, p. 62 sequ. et de metr. Pind. p. 208 sequ.), quapropter antiquiores auctores enumerare supersedeo. Quanquam de numero discrepantia est, quum paulatim tantum soni ad tantam amplitudinem accreverint, ut alii plures alii pauciores numerent, qua de re vide Cuperum (in apoth. Homer. p. 32). Sunt adeo qui duodetriginta statuant, ut auctor tabulae quam speciminis causa ex codice Monacensi (C. fol. 220) cum omnibus erroribus orthographicis hic subjeci; sed hi trium generum chordas in unum conjungunt, qua de re dixi infra (§. 940).

primus dicitur apud Graecos *προσλαμβανόμενος*, apud Romanos vero, quia non eadem nos voce uti summus Jupiter statuit, idem dicitur acquisitus; secundus *ὑπάτη ὑπατῶν*, hoc est principalis principalium; tertius *παρυπάτη*

	Prolambanomenos I adquisitus
Ypodorius subprincipales.	Ipate ipaton ·I· principalis principalium.
Ypofrigius.	Pari ipate ipaton ·I· subprinc. principal.
Ypocolius.	Ipaton ·I· penult. princ. in ermonico genere distat a nete duob. tonis.
Ypoiastius.	Penultima principal. in cromatico gen. tria emitonia distat a nete.
Ypolidius.	Penultima principalium in diatonico gen. distat tono a nete.
Dorius ·I· princip.	Lichnos ipaton ·I· ultima princip. et princip. mediarum.
Prigius.	Paripatemeson ·I· subprincipa. mediarum.
Eolius.	Meson diatonos ·I· mediarum extenta in ermonico gen.
Jastius.	Extenta mediarum in cromatico genere.
Lidius.	Extenta mediarum in diatonico genere.
Yperdorius·I·super princ.	Mesen ·I· media et est principalis conjunctarum.
Yperfrigius.	Tritesin eugmen̄·I· tertia conjunctarum a fine.
Yperecolius.	Sineugmen̄. ditonos ·I· conjunctar. extenta in ermonico gen.
Yperiastius.	Extenta conjunctarum in cromatico genere.
Yperlidius.	Extenta conjunctarum in diatonico genere.
	Nete sineugmen̄·I· ultima conjunctarum.
	Paramesos ·I· prope medium.
	Tritedia zeugmen̄·I· tertia divisarum a fine.
	Diazeugmen̄. diatonos ·I· divisar. extenta in ermonico.
	Extenta divisar. in cromatico genere.
	Extenta divisar. in diatonico genere.
	Nete diazeugmen̄·I· ultima divisar. et principalis excellent.
	Trite Yperboleon·I· tertia excellentium a fine.
	Iperboleon diatonos excellentium extenta in ermonico gen.
	Extenta excellentium in cromatico genere.
	Extenta excellentium in diatonico genere.
	Nete Iperboleon ·I· ultima excellentium.

non eadem nos] Sic codices Darmstattensis, Reichenauensis, et Monacensis (C); vulgo »quia eadem voce.« Respicit autem superiorem locum (§. 333).

ὑπατῶν] Imperite in edito ubique *ὑπάτων* pro *ὑπατῶν*, quamvis grammaticorum canones posterius minus probent. Meiboм.

ὑπατῶν, id est subprincipalis principalium; quartus *ὑπατῶν διάτονος*, id est principalium extenta; quintus *ὑπάτη μέσων*, id est principalis mediarum; sextus autem *παρυπάτη μέσων*, quod est subprincipalis mediarum; septimus *μέσων διάτονος*, id est mediarum extenta; octavus *μέση*, hoc est media; nonus *τρίτη συνημμένων*, id est tertia conjunctarum; decimus *συνημμένων διάτονος*, hoc est conjunctarum extenta; undecimus *νήτη συνημμένων*, id est ultima conjunctarum; duodecimus *παραμέση*, id est prope media; tertius decimus *τρίτη διεζευγμένων*, id est tertia divisarum; quartus decimus *διεζευγμένων διάτονος*, quod est divisarum extenta; quintus decimus *νήτη διεζευγμένων*, id est ultima divisarum;

διάτονος] Duabus primis *διατόνοις* vox *λιχάνου* adjungenda, duabus posterioribus *παρανήτης*. Mirum tamen est, si hoc ita sit, uti sane esse et res ipsa et aliorum musicorum collatio facillime demonstrat, quod in Latina interpretatione nihil aliud quam *extenta* addatur, quod *διάτονον* designat, ut ipse Martianus infra docet. Sed perpetuus ferme hic error tum in Capella tum in ipso etiam Vitruvio, quod *διάτονος* simpliciter ubique et sine ulla adjectione ponatur, quum tamen constet *διάτονον* non tropum certum significare, sed, ut ipse Martianus infra de sonis ait, indicium generum modulandi, uti et enharmonion et chromaticon. Gnot. — Inepta et erronea est tota haec Grotii annotatio. Mekcx. — Omnium facillimum fuisset pro *διάτονος* utroque loco reponere quod alios legere Grotius in margine annotavit *λίχανος*, quo vocabulo constat hos sonos plerumque appellari (vide ad §. 946); sed vulgatam retinui jam propter interpretationem Latinam *extenta*, quae *διάτονον* tantum significat, quum *λίχανος index* nuncupandus foret; accedit autem Nicomachi (p. 21 Meib.) testimonium, qui disertis verbis *nihil interesse* ait, utro nomine in his chordis utamur.

συνημμένων] *Σννημμένων* optime uterque scriptus, nisi quod pro H omnibus tribus locis male est E. Editus ubique *συζευγμένων*; in margine tamen appositum »al. *συνημμένων*.« Miror doctissimos viros hoc emendare non potuisse, quum ne quidem Graecum sit. Scribendum enim fuerat *συνεζευγμένων*. Mekcx.

conjunctarum extenta] Hanc vocem apud Grotium omissam restitui e codicibus Meibomianis (p. 347 v. 8), Reichenauensi, Monacensi (C), Darmstattensi, accedentibus etiam ante Grotium editis.

prope media] Codex B male *prope mediam*. Mekcx. — Non prorsus improbem.

ὑπερβολαίων] Ita et Euclides, sive verius Cleonides, neque enim illa Euclidis sunt, quae titulo Harmonices sub ejus nomine circumferuntur, ut sagacissime pater meus ex aequalitate semitoniorum aliisque similibus argumentis odoratus est. Vitruvius tamen *ὑπερβολέων*. Et ita MS. et Veicetinus, Lugdunensis, et Basileensis. Gnot. — Vallae codex Euclidis harmonicae etiam Cleonidae praetulit, quem etiam Grotii pater illius introductionis in harmonicam (in notis ad superiorem Martiani locum) auctorem existimavit, sed futili argumento. Mekbom. (in Music. auct. T. I praef. ad Eucl. init.). Confer Nicomachum (1, p. 20) et Boëthium (p. 6 f. Meib.).

sextus decimus *τρίτη ὑπερβολαίων*, id est tertia excellentium; septimus decimus *ὑπερβολαίων διάτονος*, hoc est excellentium extenta; octavus decimus *νήτη ὑπερβολαίων*, id est ultima excellentium. Hi sunt igitur soni, qui modulationem
932 apte et cum ratione componunt. Constat autem omnis modulatio ex gravitate soni vel acumine. Gravitas dicitur, quae modi quadam emissione mollescit; acumen vero, quod in aciem tenuatam gracilis et erectae modulationis extenditur.

DE SYMPHONIIS.

933 Ex supradictis itaque sonis, qui et singulis et omnibus tropis rite conveniunt, symphoniae tres sunt, quarum est prima *διὰ τεσσάρων*, quae Latine appellatur ex quatuor, et recipit sonos quatuor, spatia tria, productiones

septimus decimus] Sic, et paulo post *octavus decimus*, uterque Meibomianus pro *decimus septimus* et *decimus octavus* in editis.

cum ratione] *Ῥητῶς*. Vide notas ad Aristidem p. 13 v. 29. Meibom.

emissione] Pater *remissione*, *ἀνέσει*. Grot. — Pro *emissione* lego *remissione*, quod et Grotium notasse deinde vidi. Vocabulum *modi* utriusque codicis glossae explicant *soni*; minus commode. Malim *modulationis*, quae explicatio generalior est, et aliis quoque hujus auctoris locis applicari potest, sed et sequente versu confirmatur. Ceterum quid *gravitas* sit, quid *acumen*, clarius habemus p. 182 v. penult. (p. 318 Gr.). Versa autem illa sunt ex Aristide p. 8 v. ult. Meibom. — Nihil muto. Namque Aristides, qui laudatur, ipse inquit: *ἐκ δὴ τούτων τὰ γινόμενα τὸ μὲν βαρύτητα, τὸ δὲ ὀξύτητα προσαγορεύομεν· γίνεται δὲ ἡ μὲν βαρύτης κάτωθεν ἀναφερομένου τοῦ πνεύματος, ἡ δ' ὀξύτης ἐπιπολῆς προϊεμένου. Προΐεσθαι* autem est *emitti*.

erectae modulationis] Alii teste Grotio in margine *rectae*.

de symphoniis] Censorino (de die nat. 10, 5) »symphonia est duarum vocum disparium inter se junctarum dulcis concentus«; Cassiodoro (de mus. Op. II, p. 563 Gar.) »temperamentum sonitus gravis ad acutum, vel acuti ad gravem, modulamen efficiens«; pariterque Bacchius (p. 2 f. Meib.) eam definit *κρᾶσιν δύο φθόγγων ἀνομοίων ὀξύτητι καὶ βαρύτητι λαμβανομένων*.

symphoniae tres] Totidem et superioribus locis numerat (§. 105. 735) pariterque Censorinus (10, 6); alii plures, sed ut has tantum ipsas inter se conjungant, ut Macrobius (in somn. Sc. 2, 1) quinque: *διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε, δὶς διὰ πασῶν*: Vitruvius autem (5, 4; p. 138 Bip.) sex, addita *diapason cum diatessaron*, ac sic etiam Bacchius (p. 3 Meibom.) et noster inferius (§. 950). Vide omnino Boeckhium (in Creuzeri stud. T. III, p. 51. 58). Addidi autem *sunt* vulgo omissum ex codice Darmstattensi.

productiones] Hoc barbare vertit et inepte. Latine potuisset, ut p. 185 v. ult. (p. 322 Gr. v. 1). Meibom.

duas et dimidiam; nam sonum, id est tonum, productionem vocavi; est autem hemitoniorum quinque, quae ad productiones plenas et integras mediatenus valent; *διέσεων* decem, diesis vero interpretatio est, sicut supra dixi, quarta pars toni. Sed haec symphonia est in epitriti ratione; epitritus autem dicitur, qui et numerum ternarium habet et trium tertiam, quod est unus, ut sunt quatuor ad tres. Alia symphonia quinaria est, et dicitur *διὰ πέντε*, 934
atque constat sonis quinque, qui inter se quatuor spatiis dividuntur. Productiones habet tres mediamque praecidit, hoc est tonos tres ac medium, hemitonia septem, diesisque quatuordecim, atque hemiolii possidet rationem, quae forma et eundem numerum circa collata detinet et ejus medium, ut sunt tres ad duos. Tertia *διὰ πασῶν*, quae ex omnibus dicitur, octo sonos recipit, spatia septem, productiones sex, hemitonia duodecim, diesis viginti quatuor, atque constat ex ratione diplasia, hoc est duplici.

(DE TROPIS.)

Tropi vero sunt quindecim, sed principales quinque, quibus bini 935

quae ad — valent] Haec barbara sunt et superiorum seculorum inficetias redolent: ideoque male infercta delenda censeo. Meinom.

epitritus] Vide superius (§. 107. 761) et inferius (§. 931. 957. 978). Gellius (18, 14): »*epitritos* est qui habet totum aliquem numerum et ejusdem partem tertiam, ut quatuor ad tres, duodecim ad novem, quadraginta ad triginta.« Confer omnino Aristotelem (probl. 19, 23), Nicomachum (2, p. 30 Meib.), Aristidem (1, p. 19; 3, p. 113), Censorinum (10, 8), Sextum Empiricum (hypot. Pyrrh. 3, 18, 155; p. 165 Fabr.), Macrobium (in somn. Scip. 2, 1; p. 127 Zeun.), Fulgentium (mythol. 3, 9; p. 128 Munck.) etc.

quod est unus] Haec delerem. Scribenda fuissent: »quae (tertia pars) est unitas, vel unus« ut Aristides quoque (p. 35 v. 4). Meinom. — Multa profecto delenda essent, si talia displicerent.

diesisque] Uterque hic *diesisque*. Atque in hoc vocabulo fere semper quartus casus plurativus *is* finit. Meinom.

duplici] Sic bene codex B; reliqui perperam *dupli*. Meinom. — Obtemperavi quia praecedit *diplasia*, etsi vulgatam lectionem minime falsam dixerim; vide superius (§. 785).

tropi vero] Hos Graeci *τόνους* appellant. Gnot. Unde Cassiodoro (de musicâ in op. II, p. 550) *toni* sunt qui nostro *tropi*. Bacchius vero (p. 15 et 18 f. Meib.) definit tropum *πλοκῆς ἐμμελοῦς σχῆμα*, recensetque tres: Lydium nimirum, Phrygium et Dorium; ab aliis autem addit statui septem: Mixolydium, Lydium, Phrygium, Dorium, Hypoly-

cohaerent, id est Lydius, cui adhaerent *ὑπερλύδιος* et *ὑπολύδιος*; secundus Iastius, cui sociatur *ὑποιάστιος* et *ὑπεριάστιος*; item Aeolius cum *ὑποαιολίῳ* et *ὑπεραιολίῳ*; quartus Phrygius cum duobus *ὑποφρυγίῳ* et *ὑπερφρυγίῳ*; quintus Dorius cum *ὑποδωρίῳ* et *ὑπερδωρίῳ*. Verum inter hos tropos est quaedam amica

dium, Hypophrygium, et Hypodorium. Scilicet pariter ut de sonis monitum est paulatim tantum ad illum numerum creverunt, adjectis utrinsecus compositis, de quibus vide Euclidem (p. 19. 20), Aristidem (p. 23 sequ.), Athenaeum (14, p. 624) cum nota Casauboni (p. 898), inprimis autem Alypium, et doctissimas Boeckhii commentationes (in Creuzeri stud. T. III, p. 74 sequ. et de metris Pind. p. 235 sequ.), qui etiam de singulorum troporum vi et indole copiosissime disseruit. Suam enim cuique virtutem peculiarem fuisse jam apud Platonem legimus (de republ. 3, p. 398. 399), ubi multos alios auctores veteres laudat Stallbaumius (T. I, p. 205. 206); adde Lucianum (in Harmon. c. 1): *τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς Δωριικοῦ τὸ σεμνὸν, τῆς Λυδίου τὸ βακχικὸν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρὸν*, et Appulejum (in flor. p. 16. 17 Oud.): »Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculae melleus modulator, et idem omnibus modis peritus modificator; seu tu velles *Aeolium simplex*, seu *Iasium varium*, seu *Lydium querulum*, seu *Phrygium religiosum*, seu *Dorium bellicosum*.«

id est Lydius] Conjicit Meursius noster: *I Lydius* pro *primus Lydius*; putat enim ex abbreviatione natum errorem, quod si verum, infra pro *item Aeolius* libens legerim: *III Aeolius*, hoc est *tertius Aeolius*. Gnot. — Nonne hoc abuti est patientia nostra? Nescio qua acerbitate Grotius miserum illud *id est* persequitur!

ὑπερλύδιος] Verte ordinem: *ὑπολύδιος* et *ὑπερλύδιος*, ut apud Alypium et in sequentibus. Memor. — Ceterum *ὑπερλύδιος* ab aliis *συντονολυδιστί* appellatur, ut a Platone (de republ. 3, p. 398 f.). Confer Boeckhium (de metr. Pind. p. 225).

secundus Iastius] Hoc plane falsum. Auctorum nullus, vel Graecorum vel Latinorum, primum tonum dixit Lydium et secundum Iastium. Itaque ordini suo sic restituendus, ut primus sit Lydius, secundus Aeolius, tertius Phrygius, quartus Iastius, quintus Dorius. Boëthii vitiosum diagramma secuti a gravioribus ordinem arcessunt. Memor.

ὑπερδωρίῳ] Ita Aristoxenus; plerisque appellabatur *μιξολύδιος*; confer Boeckhium (de metr. Pind. p. 216).

verum inter] Quaenam haec sit doctrina satis est obscurum. Si legeretur: »ut inter Dorium et Hypodorium«, et »inter Phrygium et Hypophrygium«, et sic de ceteris, omnia statim paterent. Succurrit tandem, illud velle Martianum, alternos modos Hypodorium et Hypophrygium eo inter se convenire, quod binas diatessaron consonantias deinceps positas in diapason communes habeant, quae etiam iisdem notis signantur. Quippe Hypodorii diatessaron ab hypate hypaton ad hypaten meson idem est quod diatessaron Hypophrygii ab ejus proslambanomeno et hypaton diatono comprehensum. Sic diatessaron Hypodorii ab hypate meson et mese comprehensum idem est iisdemque notis signatur, quibus diatessaron Hypophrygii, hypaton ac meson diatonis ejusdem toni contentum. Similiter Hypoiastium et Hypolydium diatessaron et diapente consonantias non quidem deinceps positas, sed tamen intra diapason communes habere, ex notis est manifestum. Haec ex-

concordia, qua sibi invicem germani sunt, ut inter ὑποδώριον et ὑποφρύγιον, et item inter ὑποιάστιον et ὑποαιόλιον, item conveniens aptaque responsio inter ὑποφρύγιον et ὑπολύδιον, qui tantum duplices copulantur. Mediae vero graviorum troporum his qui acutiores sunt προςλαμβανόμεναι fiunt. Verum tropi singuli quoque tetrachorda faciunt quina. Tetrachordum autem est affectio quaedam sonorum quatuor per ordinem compositorum, quorum extremi sibi debeant convenire. Sed haec posterius. Nunc ad inchoamentorum ratum ordinem redeamus. Praedicta enim ideo primo dicta sunt, ut altius tenerentur.

plicatio verissima est adeo, ut v. 18 pro *Hypophrygium* et *Hypoaeolium* legendum censeam vel *Hypophrygium* et *Hypolydium*, vel *Hypoiastium* et *Hypoaeolium*. Atque haec troporum concordia ex ipsis notis diagrammatis XV modorum facile colligitur. Sed nova hic difficultas oritur ex illis verbis: »qui tantum duplices copulantur«, quae, si versu anteriori legeretur *Hypoaeolium* et *Hyperlydium*, sic optime explicarentur; nempe Hypoaeolium et Aeolium, item Hypolydium et Lydium, duplices tantum copulari secundum Aristoxenum, qui XIII duntaxat modos facit, non autem triplices, ut reliqui; quod, ut dixi, Hyperaeolius et Hyperlydius ex Aristoxeni sententia non numerentur, sed juniorum quorundam, de quibus Aristides p. 23, v. 18. Haec tamen explicatio non adeo placet; nec praecedentibus convenire videtur: ut simpliciter dicendum putem, superiorem illam modorum concordiam inter binos tantum considerari, quum etiam inter ternos possit et quaternos ac plures. Exempli gratia concordia quaedam amica est inter Hypodorium, Hypophrygium, Dorium, Phrygium: quia hi quatuor toni unam diatessaron consonantiam, ⊢ Ω signatam, communem habeant. Meibom. — Adde Boeckhium (de metr. Pind. p. 253. 255), qui recte monet errare si qui de harmonia innotuisse veteribus quidquam negent; etsi obscuram esse hanc doctrinam hic ipse noster locus ostendat. Ceterum reposui ὑποαιόλιον ex codice Monacensi pro ὑπολύδιον, ut mox ὑπολύδιον pro ὑποαιόλιον.

qui tantum] Pater »qui *tanquam* duplices« legendum conjicit. Grot.

mediae vero] Haec binas explicationes admittere possunt, prout vocabulum *mediae* vel de integri systematis *bis diapason* media chorda accipitur, vel de unius *diapason* systematis media, quae est *hypate meson*. Priori tamen modo usitatius. Sic Hypodorii media est proslambanomenos Hyperphrygii; et in binis superioribus eodem modo. Ceterum v. 21 omnes codices legunt προςλαμβανόμεναι, non quidem male, usitatius tamen esset προσλαμβανόμενοι. Nec huic scripturae adversatur vocabulum *mediae*, quod praecedit. Quippe inter chordas ab omnibus μέση numeratur feminino genere et προςλαμβανόμενος masculino. Solus Bryennius musicorum scriptorum ultimus frequenter feminino genere scribit προςλαμβανομένη. Meibom.

posterius] Vide infra (§. 955).

primo dicta] Alii teste in margine Grotio *prima*, alii *primum*; sed hoc in usu ne veteres quidem sibi constiterunt.

DE TRIBUS GENERIBUS MUSICAE.

936 Primo quippe quum Lasus exorsus harmoniacam vim mortalibus divulgaret, tria tantum mei genera putabantur: *εἰδικὸν, ἀπεργαστικὸν, ἐξαγγελτικὸν,* quod etiam *ἑρμηνευτικὸν* dicitur. Et *εἰδικὸν* est, quod ex perseverantibus et similibus consonabat, id est sono, numeris, atque verbis; sed quae ex his ad melos pertinent, harmonica dicuntur; quae ad numeros, rhythmica; quae ad verba, metrica. *Ἀπεργαστικὸν* est quidam materiae tractus efficiens exercitium

primo quippe] MS. »Primo quippe Lasius ex urse ermon ea vir mortalibus.« Ex quibus conjicio: »Primo quippe quum Lasus exorsus harmoniae vim mortalibus divulgaret.« Illustrissimus Scaliger legit: »Lasus ex urbe Ermionea.« Suidas: *Λάσος Χαρβίνου Ἑρμιονεὺς πόλεως τῆς Ἀχαίας, γεγονὼς κατὰ τὴν νή ὀλυμπιάδα, ὅτε Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπου· τινὲς δὲ τοῦτον συναριθμοῦσι τοῖς ἑπτα σοφοῖς ἀντὶ Περιάνδρου· πρῶτος δὲ οὗτος περὶ μουσικῆς ἔγραψε λόγον, καὶ διθύραμβον εἰς ἀγῶνα εἰσήγαγε, καὶ τοὺς ἐριστικοὺς εἰσηγήσατο λόγους.* Meminit ejusdem Lasi Aristoxenus. In vita Arati invenio: *ὁμώνυμος ἄλλος Λάσῳ τῷ ἁρμονεῖ.* In Clem. Strom. 1: *διθύραμβον ἐπενόησεν Λάσσος* (l. *Λάσος*) *ἑρμονεύς.* Gnot. — Vulgo enim *Hypasius,* sed vera lectio *Lasus* est, ut et Meibomius (ad Aristoxenum p. 78) apud nostrum legit, et Darmstattensis codex habet, litera S tantum duplicata, quae nulla discrepantia est. De Laso adde Athenaeum (14, p. 624 Cas.), et quos praeterea excitant Duckerus (de Simonide Ceo p. 52) Bode (de Orph. poëta p. 95) et Boeckhius (de metr. Pind. p. 2). Sed quod in vulgatis erat *harmoniacam vim* mutare nolui, etsi codex Monacensis (C) *harmoniae eam* praebuit.

mei genera] Sic Meibomianus codex uterque et meus Darmstattensis; vulgo inepte *ei.* Musica enim loquitur.

εἰδικὸν] MS. *ἰδικυν, ὑπερεργαστικὸν, ἐξαγγελτικὸν*: sed pro *ὑπερεργαστὸν* suprascriptum est *πρακτικὸν*: pro *ἐξαντελτικὸν* vero lubens legerem *ἐξαγγελτικὸν,* quod idem valet cum *ἑρμηνευτικῷ.* Gnot. — Codex B *ἰδικον, πρακτικον, ἐξαγγελτικον*: alter *ὐδικον, ἀπαργαστικον, ἐξαγγελτικον.* Optima lectio illa codicis B. Per *ἰδικὸν* autem seu *εἰδικὸν* intelligo musices partem contemplativam, nisi pro eo *θεωρητικὸν* legendum statuamus. Nam et haec ab Aristide desumta esse arguunt binae reliquae partes et in primis p. 182 v. 3 tres *τοῦ ἐξαγγελτικοῦ* partes ex Aristidis p. 8 v. 17. Memor. — Vulgo enim edebatur *εἰδικὸν, ἐργαστικὸν, ὑπερεργαστικὸν,* quod neque rei ipsi neque sequentibus respondebat; quapropter Meibomii codicem alterum secutus sum, orthographia tantum, ut par erat, correcta.

id est sono] De tribus his partibus vide quae superius (ad §. 930) annotavimus.

ἀπεργαστικὸν est] Hic quoque secutus sum codicem Meibomianum alterum (A), nisi quod is perperam scriptum *ἀπαργαστικὸν* exhibet; vulgo male *ὑπερεργαστικὸν.*

materiae tractus] Pro *tractatus.* Musica in tractatione materiae musicae, quae sunt sonus, rhyth-

ejus; cujus itidem tres partes, id est *μελοποιΐα, λέξις, πλοκή*. *Ἐξαγγελτικὸν* autem ad expositionem pertinere videtur, et habet partes tres, *ὀργανικὸν, ᾠδικὸν, ὑποκριτικὸν*, quae inferius rerum ordo disponet. Nunc de prima voce velut de sonitus totius parente dicemus.

DE VOCE.

Omnis vox in duo genera dividitur: continuum atque divisum. Con- 937

mus et verba, versatur, ut in cantu decore ac suaviter componendo exercitati evadamus. Memor. — Pariter supra (§. 481) *tractus* perperam scriptum erat pro *tractatus*; sed nostro loco codicum auctoritatem desidero.

tres partes] Quin haec corrupta sint nullum dubium. Legendum censeo *μελοποιΐα, ῥυθμοποιΐα, ποίησις*. Melopoeiae autem partes sunt tres: *λῆψις* (pro quo hic inepte *λέξις*), *μίξις καὶ χρῆσις*. Quarum partium subdivisiones rursus adferendo perveniremus tandem ad *πλοκήν*. Quod enim melopoeiam tres illas partes habere censuerit, hoc clarissime patet ex p. 197 v. 25 (p. 335 Gr.). Vide Aristidem p. 6 v. 15, p. 29 v. 1. Memor. — Codices nihil variant.

ἐξαγγελτικὸν] Editus perperam *ἐκθητικὸν*. Optime tres illae partes in omnibus codicibus leguntur. Vide Aristidem (p. 8, v. 17). Memor. — Solus Grotius corruptum illud habet; ante eum editi *ἐξαντελτικὸν* pro *ἐξαγγελτικὸν*, majusculae enim *T* et *Γ* facile confunduntur. Sed omnino conferendus ille Aristidis locus: *τοῦ δὲ τεχνικοῦ μέρη τρία, ἁρμονικὸν, ῥυθμικὸν, μετρικὸν· τὸ δὲ πρακτικὸν εἴς τε τὸ χρηστικὸν τῶν προειρημένων τέμνεται, καὶ τούτων ἐξαγγελτικὸν· καὶ τοῦ μὲν χρηστικοῦ μέρη μελοποιΐα, ῥυθμοποιΐα, ποίησις, τοῦ δὲ ἐξαγγελτικοῦ ὀργανικὸν, ᾠδικὸν, ὑποκριτικόν.*

inferius] MS. *interius*. Utraque sane lectio ferri potest. Gnor.

omnis vox] Melius profecto illustrari haec nequeunt, quam iis quae Vitruvius (5, 4; p. 134 Bip.) ex Aristoxeni doctrina admodum dilucide sic exposuit: »Vox mutationibus quum flectitur, alias fit acuta, alias gravis; duobusque modis movetur, e quibus unus habet effectus *continuatos*, alter *distantes*. Continua vox neque in finitionibus consistit neque in loco ullo, efficitque terminationes non apparentes, intervalla autem media patentia, uti sermone quum dicimus, sol, lux, flos, nox. Nunc enim nec unde incipit nec ubi desinit intelligitur, sed neque ex acuta facta est gravis, neque ex gravi acuta apparet auribus. Per *distantiam* autem e contrario. Namque quum flectitur in mutatione vox, statuit se in alicujus sonitus finitionem, deinde in alterius, et id ultro citroque crebro faciendo inconstans apparet sensibus, uti *in cantionibus* quum *flectentes voces* varietatem facimus modulationis. Itaque *intervallis* ea quum versatur, et unde initium fecit et ubi desiit, apparet in sonorum patentibus finitionibus. Mediana autem carentia intervallis obscurantur.« Sed confer ipsum Aristoxenum (elem. harmon. 1, p. 10 sequ.) et Aristidem Quinctilianum (p. 7).

continuum] Salmasius (ad Solinum p. 249) in suo Martiani codice bis scribi *continum* testatur.

tinuum est velut juge colloquium, divisum, quod in modulatione servamus. Est et medium, quod inter utrumque permixtum ac neque alterius continuum modum servat nec alterius frequenti divisione praeciditur, ut pronunciandi modo carmina cuncta recitantur. Horum illa, quam in divisas partes certasque deducimus, diastematica nominatur, et ei parti quae harmonica vocatur aptanda est.

DE SEPTEM PARTIBUS HARMONIAE.

938 Quae quidem harmonica habet partes disputationis septem, primam de sonis, secundam de spatiis, tertiam de systematis, quartam de genere, quintam de tonis, sextam de commutationibus, septimam de modulatione, quam melopoeïam vocamus. Ac prius de sonis, ubi artis est elementum.

Sed mera orthographiae haec discrepantia est (v. §. 897 not.).

inter utrumque] Rectius hoc e Darmstattensi codice reposui pro *in utroque*, quod in editis erat.

ut pronunciandi] Sic perperam omnes. Pro *ut* lege *quo*. Aristides p. 7 v. 25: ἢ τὰς τῶν ποιημάτων ἀναγνώσεις ποιούμεθα. Meibom. — Mutandi causam non video; nam *ut* pariter atque Graecum ἤ est *quomodo*. Quod autem ait *pronunciandi modo* carmina recitari, histriones potissimum spectat. Est enim *pronunciatio*, ut auctoris ad Herennium (1, 2) verbis utar, »vocis, vultus, gestus moderatio cum venustate.« Adde Quinctilianum (2, 10, 13): »quod faciunt actores comici, qui non ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, *pronunciant*, quod esset sine arte, nec procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imitatio.«

harmonica] Sic optime uterque scriptus. Insulae editus *Harmonia*. Meibom. — A Grotio hoc factum; anteriores recte *harmonica* exhibuerant. Idem tamen vel usus vel error est apud Vitruvium (5, 4), ubi: »*Harmonia*«, inquit, »est musica literatura obscura et difficilis«, quamquam ibi quoque *harmonicam* restitui Meibomius jubet.

septem] De septem hisce partibus in sequentibus (§. 939. 948. 954. 955. 960. 964. 965) agit. Presso pede in hac distributione sequitur Aristidem Quinctilianum (1, p. 9 Meibom.).

tertiam de systematis] Sic recte scripti. Male editus in textu *diastematis*, in marginem rejecta vera lectione, quae est *systematis*. Meibom. — Facile obtemperavi, nam de *diastematis*, quae *spatia* hic appellat, in secunda parte agit (§. 948).

quam melopoeïam] Si vel nullo alio loco insciliae vel negligentiae convinci Martianus posset, ex hoc certe non video quomodo non possit. Verba clariora sunt, quam ut interpolata ea censeamus. Latino *modulatio* respondet Graecum μελῳδία, non autem μελοποιία. Meibom. — Accuratius infra (§. 965) »modulationis effectae habitum« appellat; verumtamen non video, cur negligentiae arguatur Martianus, qui Latini sermonis usum certe melius Meibomio callere debebat!

DE SONIS.

Sonus quippe tanti apud nos loci est, quanti in geometricis siguum, 939
in arithmeticis singulum. Phthongos sonos dicimus. Verum phthongus dicitur vocis modulatae particula una intentione producta. Est autem intentio, quam dicimus tasim, in qua vox persistit ac perseverat. Sonus phthongus vel speciatim vel generatim appellatur; sed generale vocabulum habent et specialia, quae *ἰδιότητα* Graja voce perhibentur. Ut si quemadmodum nobis scribendum

phthongos] Negligenter Grotius quater in hac paragrapho *pthongos* edidit, quod corrigendum erat. Ceterum confer Censorinum (de die nat. 10, 8): »singulae tamen voces simplices et utcunque missae *φθόγγοι* vocantur; discrimen vero, quo alter *φθόγγος* acutior est, alter gravior, vocatur *διάστημα*.«

particula] Addit Aristides (p. 9) *minima* (*ἐλάχιστος*). Aristoxenus (elem. harmon. 1, p. 15): *φωνῆς πτῶσις ἐπὶ μίαν τάσιν ὁ φθόγγος· τότε γὰρ φαίνεται φθόγγος εἶναι τοιοῦτος, οἷος εἰς μέλος τάττεσθαι ἡρμοσμένον, ὅταν ἡ φωνὴ φανῇ ἑστάναι ἐπὶ μιᾶς τάσεως.* Plura dabit Fabricius (ad Sextum Empir. p. 365), qui etiam nostrum locum laudat.

persistit] Alii teste Grotio in margine *qua vox persistit*, omissa *in*, alii *consistit*, sicut etiam Fabricius, sed neutro egemus.

vel speciatim] Haec quum obscura sint et corrupta breviter explicabimus. Phthongos sonos vel *speciatim* (*τῇ δυνάμει potestate*, quomodo octodecim in singulis sunt generibus) vel *generaliter* (*τῇ τάσει, intentione*, quomodo infiniti soni exsistunt) appellamus. Sed generale vocabulum (*sonus*, quod infinitis aeque competit, ut et ipse Martianus docet) speciales (illi octodecim in quoque genere solum) habent (adeo ut ex reliquis innumerabilibus nulli id tribui soleat), qui (soni) *δυνάμεις* Graja voce perhibentur. Sic legendum censeo, sic explicandum; vocabulum *ἰδιότης* hic prorsus est ineptum. Videri tamen possit ex Aristidis conformatum verbis, qui p. 9 v. 3: *ἡ δὲ*, inquit, *τῆς μελῳδικῆς φθόγγος ἰδίως καλεῖται*. Meibom. — Nimis acute Meibomius, praesertim quod *ἰδιότητα* in *δυνάμεις* mutari vult, quum nihil aliud dicere videatur Martianus, nisi specialia eodem cum generali nomine indicari; *sonos* igitur et universos pariter et singulos dici. Quamquam libenter *ἰδιότητες* cum Grotio scripsissem pro *ἰδιότητα*, facili confusione, si codices addicerent; nunc nulla varietas enotatur, nisi quod in margine Grotiana aeque ac codice Monacensi (C) corrupte legitur *idioletra*.

ut si] *Is punctus* deest in MS. et aliis; *is punctus* valet, quomodo sequitur scribendum. Gnor. — »Ut si quemadmodum« ita uterque scriptus; editus perperam »ut si is punctus.« Corruptus hic locus est et difficillimus, quem explicabo: »ut si (audito vel lecto vocabulo) *quemadmodum nobis scribendum sit* (quas literarum potestates, *τῶν στοιχείων δυνάμεις*, quos ductus adhibere debeamus in illo exarando) *cogitemus*.« Plane enim vocabulum *δυνάμεις*, quod praecesserat, explicare voluit, ut etiam ex his adjunctis est evidens: *ita haec virtus phthongi docet* (exempli gratia mese,

sit cogitemus; ita haec virtus phthongi docet, quid vel acuminis exseramus
940 vel lenius remittamus. Verum ex istis alia faciunt, alia patiuntur. Faciunt intentio vel remissio; patiuntur acumen et gravitas. Productio autem est, hoc est ἐπίταδις, vocis commotio a loco graviore in acutum locum; ἄνεδις vero contra, nam ab acuminis culmine in grave quiddam seriumque descendit. Fit autem soni gravitas, quum ex intimo quidam spiritus trahitur; acumen vero ex superficie oris emittitur. Sunt igitur innumerabiles soni, sed specialiter per singulos tropos duodeviginti tantum poterunt convenire, quorum
941 nomina superius memoravi. Quorum prior est acquisitus, qui ideo tali nomine

nete diezeugmenon, proslambanomenos) *quid acuminis exserere debeamus, vel quid lenius remittere.* Meibom. (not. p. 352). — Verba *is punctus*, quae apud Grotium post *ut si* leguntur, in anterioribus editionibus omissa sunt, quare et ipse rectius, arbitror, expunxi.

acuminis] Forte *acutius* vel *acuminatius*, ni pro *lenius* legas *leniminis*. Gaor. — Non necesse.

ex istis] Sic codices Meibomianus, Reichenauensis, et Darmstattensis pro *his* in editis.

faciunt] Haec male cum praecedentibus cohaerent, ut locum hunc mutilum censeam. Neque etiam transpositione juvari potest. Porro quum hoc Aristides non habeat, quem tamen etiam hoc loco vertisse deprehenditur, sed Aristoxenus, illum p. 8 v. 28 mutilum censeo. Ita autem Aristoxenus p. 11 v. 25: »atque ex his«, inquit, »quae diximus, planum est, et remissionem esse diversum quid a gravitate, ut faciens ab eo quod fit; intentionem quoque ab acumine eodem modo.« Meibom. — Verisimilius dixerim vel ipsum Aristoxenum, vel alium qui ex illo hausisset, a Martiano adhibitum esse, qui etsi omnia ex aliis congesserit, tamen in uno fonte neutiquam acquievit, eumque et superius et inferius haud raro cum Aristoxeno consentire videmus.

ἐπίταδις] Aristides (p. 8): *τάδις δέ ἐστι μονὴ καὶ ὁτάδις τῆς φωνῆς, ταύτης δὲ εἴδη δύο, ἄνεδίς τε καὶ ἐπίταδις· ἄνεδις μὲν οὖν ἐστὶν, ἡνίκα ἂν ἀπὸ ὀξυτέρου τόπου ἐπὶ βαρύτερον ἡ φωνὴ χωρῇ, ἐπίταδις δὲ, ὅταν ἐκ βαρυτέρου μεταβαίνῃ πρὸς ὀξύτερον.* Sed haec quoque fere iisdem verbis apud Aristoxenum leguntur, ut dubium sit utrum noster potissimum secutus sit.

seriumque] *Τὸ κατ' ἦθος.* Gaor. — Vide inferius (§. 947).

quidam] Lege: »quum ex intimo *quidem* spiritus trahitur, acumen vero« et cet. Gaor. — Non opus esse correctione censeo.

duodeviginti] In editis erat XXVIII, et quamvis Aristides (p. 9) et Nicomachus (1, p. 9 et 2, p. 35 Meib.) scribant sonorum et chordarum numerum esse viginti octo; apud nostrum tamen omnino legendum *duodeviginti*, id quod et quae sequuntur et superior locus (§. 931) docent. Confusio autem inde nata est, quod in unoquoque trium generum sonorum numerus quidem est XVIII (Euclid. in introd. harm. p. 3 et 4 Meib.); quum vero misceantur ex illis generibus, XXVIII (id. p. 5). Sunt enim in iis plures communes et vagantes, de quibus vide inferius (ad §. 943).

nuncupatur, quoniam eorum quae tetrachorda nominantur nulli omnino consentit, sed extrinsecus velut acquisitus accedit propter consortium mediae, cui concinere consuevit; qui acquisitus uno tono a principali principalium separatur; quae principalis principalium, quia prima in tetrachordo collocatur, quasi cujusdam rectoris nomen accepit; subprincipalis denique dicitur, quae principali subjecta conjungitur. Principalium vero ἐναρμόνιος et χρωματικὸς, 942
quam nos vix forsan recte colorabilem memoramus; et ideo hoc nomen accepit, quia inter principales colores album tetrumque quidquid interjacens invenitur colorabile Graja significatione perhibetur. Ergo enarmonius, chromaticus, itemque diatonus, quam extentam dicimus, indicia sunt generum modulandi. Multiplex quippe tetrachordorum ratio sic firmatur. Principalis autem mediarum, quia prima est medii tetrachordi, ideo id nomen accepit; cui subnexa subprincipalis mediarum esse dicitur; denique reliquae tres sui similibus obediunt. Dictum vero hoc tetrachordum mediarum, quia in

extrinsecus] Sic codices Meibomiani nostrique Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C); vulgo *extrinseco*. Ceterum confer Boeckhium (de metr. Pind. p. 206): »Accedente deinceps versus acutum tetrachordo ὑπερβολαίων totum systema factum disdiapason deficiente tono, cui supplendo versus grave *adjectus* tonus, cujus gravior sonus qui dicitur προσλαμβανόμενος totius systematis disdiapason gravissimus est.«

ἐναρμόνιος] Adde ex MS. »et rei veritate διάτονος.« Gnor.— Quod Grotii MS. addit διάτονος nescio ubi ponere debeam. Longe melius a reliquis id abest, quia *etiam* sequitur. Mzmom.

album tetrumque] Sextus Empiricus (adv. mus. 6, 41; p. 364 Fabr.): ὥσπερ φαιάν τινα καὶ μέλαιναν καὶ λευκὴν φωνὴν ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν ὄραβιν αἰσθήσεων κεκλήκαμεν. Scilicet alteram acutis alteram gravibus sonis comparabant. Plura vide inferius (§. 956).

generum modulandi] Vitruvius (5, 4; p. 136 Bip.): »Genera vero modulationum sunt tria: primum quod Graeci nominant ἁρμονίαν, secundum χρῶμα, tertium διάτονον. Est autem harmoniae modulatio ab arte concepta et ea re cantio ejus maxime gravem et egregiam habet auctoritatem; chroma subtili sollertia et crebritate modulorum suaviorem habet delectationem; diatoni vero, quod naturalis est, facilior est intervallorum distantia.« Macrobius (in somn. Scip. 2, 4): »Quum sint melodiae musicae tria genera, enarmonium, diatonum, et chromaticum, primum quidem propter nimiam suam difficultatem ab usu recessit, tertium vero est infame mollitie; unde medium, id est diatonum, mundanae musicae doctrina Platonis adscribitur.« Plura dabit Boeckhius (in Creuzeri stud. T. III, p. 64). Vide et nos inferius (§. 955).

obediunt] E Darmstattensi codice pro *obedient* in editis.

medio locatum est inter principalium tetrachordum et tetrachordum conjunc-
943 tarum. Post supradictas autem quae sequitur media nominatur: quae ideo media dicitur, quia tam gravis modi finis est, quam in tropis omnibus futuri acuminis caput, atque ipsius quodammodo vinculo tam gravis modulatio quam acuta connectitur, ut in Lydio modo, ubi rectum iota mesen notat. Verum post mediam extendentem hemitonium conjunctarum erit tertia, quae in eodem modo, id est Lydio, labda supinum pro nota habebit. Post hanc illae quae a nobis superius expressae sunt tres sequentur, *ἐναρμόνιος*, *χρωματικὸς*, et *διάτονος*, quae et paranete dicitur, quam Latine penultimam perhibemus; post quam ultima sociatur, quae ideo dicta est conjunctarum ultima, quia in hoc tetrachordo finem tenet. Omne autem tetrachordum conjunctarum ideo

inter principalium tetrachordum] Restitui ex anterioribus editionibus; Grotius enim his *tetrachordorum* ediderat. Alii teste eodem in margine vocem prorsus omiserant, quod tamen non probarim.

tam gravis modi] Modum vocat quem et supra *τρόπον*, more tamen Graecis non admodum usitato. Per gravem modum intelligo Hypodorium cum patre, quem et Censorinus alicubi gravissimum appellat. Gnot. — Vocabulum *modus* hic pro *modulatio* usurpari certum est ex verbis sequentibus, ubi idem dicitur *gravis modulatio*. Nec sequentia permittunt, ut per gravem modum intelligatur Hypodorius. Errat itaque hic cum patre suo Grotius. Ceterum mese ultima est respectu proslambanomeni, ut nete respectu meses. Est itaque post mesen hic ordo: ultima, penultima, tertia ab ultima, suprema, quae mese. Vide notas ad Aristidem p. 212. Mmnom. — Speciatim Aristoteles (probl. 19, 45): »Quum extrema concentus nete et hypate sint, hisque interjacent reliqui soni, quorum medius nominatus solus principium alterius tetrachordi est, jure medii nomen habuerat: principium enim idem esse potuit quod medium est eorum, quae inter aliqua clauduntur extrema.«

iota mesen] Confer Aristidem Quinctilianum (1, p. 28 Meibom.), Alypium (p. 3. 23. 44), et Boëthium; quamquam Aristides *jacentem* potius literam significare videatur, neque Alypii verba satis clara sint: *Τῶτα καὶ λάμβδα πλάγιον.*

Lydio labda] MS. *labda supinum*, quae lectio si non omnino arridet, lege eodem sensu sequens vulgatae lectionis vestigia: »L sive Λ inversum.« Gnot. — Non video cur non arrideat, quum *supinum* id ipsum significet quod Alypii *πλάγιον* (vid. not. ant.), nimirum ita collocatum: ≺. Quapropter sine haesitatione recepi, quum vulgata lectio *literam* manifesto corrupta esset.

conjunctarum ultima] Nicomachus (p. 23 Meib.): »Tetrachorda in universum exsistunt quinque — in quibus duae sunt disjunctiones, conjunctiones vero tres. Et quidem conjunctionum illa, quae inter hypaton et meson, et ista, quae eorundem meson est et synemmenon, et ultima, quae diezeugmenon et hyperbolaeon.«

dictum, quia mediae ipsi, quae perfectam symphoniam prima complevit, adjungitur, ac producente media sequentem tonum ille qui sequitur sonus *παράμεσος* nominatur, quod hunc satis proximum sonus adjunctae modulationis offendat. Dehinc divisarum tertia, quae plenum systema diapason finit; unde 944
divisarum tertia perhibetur; post hanc soni ceteri consequuntur. Sonus vero divisarum ideo hoc nomen accepit, quia uno et dimidio tono a mediae fine divellitur. Post hoc tetrachordum excellentium collocatur, quod ideo excellens nomen accepit, quia in singulis tropis in omne acumen erigitur, in singulis modulationibus fastigiatur. Horum igitur sonorum, id est phthongôn, sunt 945
alii quos consistere et perseverare necesse est, alii vero sunt vagi; denique alii *βαρύπυκνοι* nominantur, alii *μεσόπυκνοι*, alii *ὀξύπυκνοι* perhibentur. Spissum

mediae ipsi] Codex Monacensis (C) *mediae et ipsi*; sed mutandi causa nulla.

prima complevit] MS. »*cum* prima complevit« vere et probe. Grot. — Ego *τὸ cum* melius a reliquis abesse censeo. Meibom.

adjungitur] Alii teste Grotio in margine *producitur*, inepte.

proximum sonus] Sic probe uterque scriptus. Editus *sonum*. Meibom.

unde divisarum] Sic codex A, quia etiam praecedit *divisarum tertia*. Perperam editus *conjunctarum*. Meibom. — A solo nempe Grotio editus. Namque ante eum editi recte habebant *divisarum*. Alii, teste eodem in margine, *cunctarum*, errore fortasse ex antecedentibus verbis *διὰ πασῶν* nato. Quanquam ipse Martianus ibi in errore versatur, quum non *tertia* sed *ultima* divisarum plenum systema finiat. Vide et Meibomium inferius (ad §. 962).

ideo hoc nomen] Satis inepte. Meibom. — Inceptias non video. *Διάζευξις* enim, ut Euclidis (intr. harm. p. 17) verbis utar, est *δύο τετραχόρδων ἑξῆς μελῳδουμένων ὁμοίων κατὰ σχῆμα τόνος ἀνὰ μέσον*. Quod autem *uno et dimidio tono* divelli ait noster, de heptachordo loquitur, ubi demta *τρίτῃ* majus intervallum factum erat. Confer Boeckhium (de metr. Pind. p. 205) et Aristotelem (problem. 19, 47).

a mediae] Sic recte uterque scriptus. Editus perperam *medii*. Meibom. — Morem gessi Meibomio, licet etiam vulgata ita defendi possit, ut *tetrachordi* medii sive mediarum *finem* intelligamus, qui in ipsa *media* scil. chorda cernitur.

alii quos consistere] Vitruvius (5, 4): »Sonitus, qui Graece *φθόγγοι* dicuntur, in unoquoque genere sunt decem et octo; e quibus *octo* sunt in tribus generibus *perpetui et stantes*, reliqui decem, quum communiter modulantur, sunt *vagantes*.« Plura dabit Euclides (intr. harm. p. 9) et Theo Smyrnaeus (de musica 36, p. 142).

vagi] Hi ab Euclide et Gaudentio (p. 18) appellantur *κινούμενοι*, a Bacchio (p. 9 Meib.) *φερόμενοι*.

alii ὀξύπυκνοι] Omissum in editis supplevi e codice Grotiano.

spissum] Hoc est *πυκνόν*, de quo videndus Boeckhius (de metr. Pind. p. 208) et noster infra (§. 950).

vero dicitur trium sonorum compositiva quaedam qualitas; *βαρύπυκνοι* autem sunt, qui velut regiones primas spissi retentant; *μεσόπυκνοι* vero, qui media possident; *ὀξύπυκνοι*, qui ultima tenent; *ἄπυκνοι*, qui in positione sonorum
946 trium, qui sunt spissi, nullo genere aut lege junguntur. Stantes autem perseverantesque dicuntur vel *ἄπυκνοι* vel *βαρύπυκνοι*, qui veluti quandam speciem et formam sibi principalium vindicabunt; ideo autem a quibusdam statarii nominantur, quia diversas extentiones recipere non possunt. Alii autem vagi et errantes habentur, quia interdum largiora, interdum minora spatia receperunt; sed hi alii *παρυπατοειδεῖς*, alii *λιχανοειδεῖς* vocantur. Verum primi ideo sic dicuntur, quod statim prioribus subnectuntur; *λιχανοειδεῖς* dicuntur a digito, qui minister artis et cantus singulos movet; est autem primus a
947 pollice. Hi vero alii sibi invicem congruunt, alii discrepant et resultant. Sed illi *ὁμόφωνοι*, quia sibi invicem conjunguntur; *διάφωνοι* autem, id est dissentientes sunt, qui quum percussi fuerint invicem discrepant; *ὁμόφωνοι*, qui vocis quidem aliam significationem gerunt, eundem tamen impetum servant. Sunt autem et aliae sonorum diversitates; et prima quidem per intentionem, ut aut acumine aut gravitate dissentiat; secunda per spatiorum

in positione] Sic codex Grotianus et Meibomianus alter (B); vulgo *impositionem*.

largiora] Grotiana margo *longiora;* non necesse.

λιχανοειδεῖς] *Λιχανὸς* nomen erat chordae, quam supra (§. 931) *διάτονον* appellavit, quia digito indice pulsabatur. Confer Nicomachum (p. 21. 22), qui *λιχανὸν* scribit *καλούμενον ἀπὸ τοῦ τὸν τῆς ἀριστερᾶς χειρὸς δάκτυλον τὸν παρὰ τὸν ἀντίχειρα αὐτῷ ἀεὶ ἐπιτίθεσθαι.*

verum primi] Id est *παρυπατοειδεῖς*: prioribus, id est *ὑπάταις*. Meibom.

et cantus] Alii teste Grotio in margine *cantor*, male.

hi vero] Codices quidem Grotianus et Meibomianus B *horum vero* praebent, sed vulgatam eo magis servavi, quod *hi* Graecismus est, quo clarius haec omnia e Graeco sumsisse Martianum pateat.

sed illi ὁμόφωνοι] Lege *σύμφωνοι*, de homophonis postea sermo. Gnot. — Confer omnino Boeckhium (in Daub. et Creuz. stud. III, p. 51).

per intentionem] Hoc quoque secundum Aristoxenum; vide Boëthium (de musica p. 1472): »Quoniam vero sonum omnes consentiunt esse aëris percussionem, *gravitatis* atque *acuminis* differentiam diversa ratione ponebant, Aristoxenum secuti et Pythagoricos; Aristoxenus quippe sonorum differentias secundum gravitatem et acumen arbitrabatur in *qualitate* consistere, Pythagorici vero in quantitate ponebant.« Intentio autem qualitatis est.

perceptionem, quum uni aut pluribus conjungitur spatiis; tertia per conjunctionem systematis, quod aut unum aut plura recipit; et quod secundum morem dicitur, κατ' ἦθος: alium quippe morem acuta significant, alium graviora. Nunc jam de diastematis disserendum.

QUID SIT DIASTEMA.

Diastema est vocis spatium, quo acuta et gravior includitur. Sed in 948
diastematis breviora illa, quae sunt in diesi enarmonia; majora vero sunt, quae per singulos tropos bis ex omnibus faciunt, quo nihil majus in tropis possumus invenire. Atque in spatiis alia sunt composita, alia disjuncta atque 949
asyntheta. Et composita sunt, quae per ordinem currunt; incomposita autem, quae ex diversis sibi invicem copulantur. Item alia logica, alia aloga memorantur. Ac rationabilia illa sunt, quorum consensus possumus praestare rationem; irrationabilia, quibus non subest ratio. Item alia cohibentia, alia

Confer omnino Aristoxenum ipsum (elem. harmon. 1, p. 16).

conjunctionem] Legendum *communionem*. Meibom. (p. 354 v. 6).

secundum morem] Boeckhius (de metr. Pind. p. 251): »Praeterea duo afferuntur melopoeiae discrimina, alterum *moris* (ἤθους), alterum *systematis*. More differunt *diastaltica, systaltica*, et *hesychastica*.«

diastema] Secunda hic pars harmonicae incipit. Aristoxeno (1, p. 15 Meib.) est »quod duobus sonis non eandem tensionem (τάσιν) habentibus finitur.« Addit autem: »Sed tensionum differentia est magis aut minus esse tensum.« Euclidi (p. 1 Meib.) »diastema est quod continetur duobus sonis acumine et gravitate differentibus.« Atque hoc est, quod noster *spatium* appellat, alii *tonum*. Gaudentii (p. 4) de eo verba haec sunt: »Diastema est quod duobus sonis continetur. At planum est quod sonos tensione inter se differre oporteat. Differentia igitur acutioris ad graviorem sonum, et gravioris ad acutiorem dicatur diastema: illud autem tonus est. Et tonus quidem tum diastematis magnitudo est, tum systematum differentia. Si diastematis magnitudo, in hemitonia secatur et in diesis.« Congruunt haec cum iis, quae Censorinus (d. d. nat. 10, 3 sequ.) docet.

in diastematis] MS. *diastematis*: eleganter pro *diastematibus*, ut lib. 2 supra *aromatis* pro *aromatibus*. Grot.— Vulgo enim *diastemate*, sed Grotii lectionem amplexi sumus, quia sensus hic est: »inter diastemata brevissimum esse *diesin enarmoniam*, quae est quarta pars toni (§. 950), maximum *disdiapason*, quod Latine vertit *bis ex omnibus* (§. 950). Nam comparativis pro superlativis uti Martiano usitatissimum est (§. 6). Ceterum in codice Reichenauensi additur *alia*, quo tamen melius caremus.

rationem] Alii teste Grotio in margine *proportionem*, quod glossema esse videtur. De rationabilibus vide Arithmeticam (§. 776).

discrepantia; tuncque alia enarmonia, alia chromatica, alia diatonica; item alia artia, alia perissa; sed prima aequalia, secunda excurrentia memorabo. Verum aequalia sunt, quae in aequas partes poterunt separari, ut tonus in
950 duo hemitonia; perissa autem, quae in tria hemitonia discernuntur. Deinde alia diastemata spissa, alia rariora. Spissa sunt, quae per diesis colliguntur; rariora, quae tonis; et in his alia sibi congruunt, alia discrepant. Sed discrepantium nimia multitudo. Convenientia vero per singulos tropos sex sunt, id est diatessaron, quod de quatuor dicimus, diapente, quod de quinque, dehinc diapason, quod ex omnibus conciuit; illud etiam, quod ex omnibus et ex quatuor constat, vel ex omnibus et quinque, vel bis ex omnibus, quod
951 bis diapason dicitur. Sed illud quod diatessaron, hoc est ex quatuor dicitur, recipit sonos quatuor, spatia tres, tonos duo et semis, hemitonia quinque, diesis vero decem, et est in epitriti ratione, ut sunt quatuor ad tres. Diapente, quod ex quinque est, sonos recipit quinque, spatia quatuor, tonos tres et semis, hemitonia septem, diesis bis septem, et est in hemiolia ratione, quod sunt tres ad duo. Diapason autem sonos habet octo, spatia septem, tonos sex; hemitonia duplicat, diesis quadruplicat, atque in diplasia ratione versatur,

alia cohibentia] Alii *conibentia*, sed legendum *convenientia*; infra *convenientia vero*. Nisi vox lateat antiquior. Gloss. Isidori: »Conivoli, concordes. Cohibuli, concordes, conjuncti. Cohibentia, conclusio.« Grot. — Approbat Meibomius (p. 354 v. 18), neque aliter mox (§. 950) legitur; sed codicum consensum desidero.

artia] Grotius inepte ediderat *aria*, quod ipso sensu jubente correxi; *περισσοῖς* enim opponuntur *ἄρτια*, de quibus plura in Arithmetica.

spissa] *Πυκνὰ*, de quibus jam superius egerat (§. 945). Aristoxeno (elem. harm. 1, p. 24) est *τὸ ἐκ δύο διαστημάτων συνεστηκὸς, ἃ συντεθέντα ἔλαττον διάστημα περιέξει τοῦ λειπομένου διαστήματος ἐν τῷ διὰ τεσσάρων,* unde sequitur, ut in diatonico genere spissum nullum sit, sed in chromatico et enarmonio.

sex sunt] Vide nos superius (ad §. 933).

concinit] Recepi hoc e codicibus Darmstattensi, Monacensi (C), et Meibomiano A; in editis erat *continetur*.

duo et semis] Meibomius utriusque codicis sui auctoritate et hic et inferius *et* tollendum censet; sed in his, quae notis plerumque non verbis perscripta traduntur, vel optimorum codicum exiguum momentum est.

quod sunt] Omissum in editis verbum *sunt* codices Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C) suppeditarunt.

quae est unus ad duo. Quod vero ex omnibus et ex quatuor dicitur, sonorum est undecim, et spatiorum decem, tonos habet octo et semis, hemitonia duplicat, diesisque praedicta ratione multiplicat, et est in diplasi et diametri regula, ut sunt octo ad tres. Quod vero ex omnibus et ex quinque constat, recipit sonos duodecim, spatia undecim, tonos novem et semis, hemitonia geminantur, diesis tetraplantur, et est in triplasia ratione, ut quatuor ad duodecim. Quod disdiapason dicitur, habet sonos quindecim, spatia bis 933
septena, tonos decem ac duo, hemitonia duplicata, diesis quadraginta octo; atque est in tetraplasi ratione, ut sunt duodecim ad tres. Est autem tonus in epogdoi ratione. Ubique diesim in enarmonio debemus accipere, quae est in quarta particulatione. Nunc quid sit systema perhibendum.

QUID SIT SYSTEMA.

Systema est magnitudo vocis ex multis modis constans, quae licet multa 934
divisionum genera recipiat, tamen quia eadem in diastematis memoravi, praetereo. Sunt autem absoluta et perfecta systemata numero octo. Et primum est, quod ab acquisito, quem Graece *προσλαμβανόμενον* dicimus, ad mediam,

in diplasi] Lectio haec, si ulla, depravata est et insulsa. Rescribo: »in *diplasiepiditrita* ratione.« Posses quoque: »in *diplasiepidimoira* ratione«; sed minus usitate. Meibom. — Sensus certus est, nam quum diapason habeat intervallum trium ad sex, diatessaron autem sex ad octo, utrumque conjunctum habet rationem trium ad octo, quae est duplicis numeri et duarum partium; eamque duarum partium notionem in corrupta lectione *diametri* inesse apparet, sed quomodo corrigendum sit, codicum meliorum indagatio docere potest.

tetraplantur] Grotius *tetraplatur*, sed *diesis* plurali numero dictum est (§. 933).

tetraplasi] Sic omnes. Id formatum putarunt barbari homines, ut *diplasi* et *epogdoi*. Meibom.

in enarmonico] Deleta vocabula *in*, quae est praecedentium duarum literarum repetitio, lego: »diesin *enarmonion*.« De hac distinctione vide superius (§. 930).

ex multis modis constans] MS. »est magnitudo vocis constans« deletis tribus voculis. Grot. — Systema Euclidi (introd. harm. p. 1), Aristidi Quintiliano (p. 13), et Gaudentio (p. 5) est quod *ἐκ πλειόνων ἢ ἑνὸς διαστημάτων* constet, Bacchio autem (p. 2), quod *plures duobus* habeat sonos; quorum utrum amplectare, Grotiani codicis lectionem nihili esse videbis.

quae licet] Meibomius ex codice suo (B) reponendum duxit *quod*, sed necessitatem mutandi non video.

quam mesen diximus, omne conficitur; secundum, quod a principali principalium in parameson usque distenditur; tertium quod a subprincipali principalium in divisarum tertium jungitur; quartum, quod ab extenta principalium usque in divisarum diatonum profertur; quintum, quod a principali mediarum in neten divisarum usque progreditur; sextum, quod a subprincipali mediarum in tertiam excellentium trahitur; septimum, quod a mediarum extenta in excellentium diatonon exsurgit; octavum quod a media excellentium in ultimam ducitur.

DE GENERIBUS TETRACHORDORUM.

955 Quibus excursis genera tetrachordorum modulandique discurram. Tetrachordos est chordarum cum certa qualitate divisio. Genera autem modulandi sunt

omne conficitur] Ita omnes inepte. Lego: »ex omnibus (*διὰ πασῶν*) conficitur.« Meibom. — Ad sensum recte, sed quaeritur annon idem vulgata continere possit. Codices certe nihil variant.

tertium] Lego cum patre »in divisarum tertiam.« Gnot. — Omnes perperam *tertium*. Mirum in scriptura adeo manifesta errari potuisse. Meibom. — Non chordam, sed fortasse sonum in mente habuit, ut supra »ab acquisito, *quem*« cet.

in neten] Sic recte codex A, alter male *in tertiam*. Editus *in nete*. Meibom. — A Grotio scilicet. Anteriores recte *in netem* habebant.

a media excellentium in ultimam] Distinguo: »quod a media, excellentiam in ultimam ducitur« vel ordine vulgari »quod a media in excellentium ultimam« transposita vocula. Gnot. — Sic quoque recte distinctus erat codex B; at male editus. Meibom.

tetrachordos] Omnes perperam *tetrachordos*. Grotius legit: »tetrachordos est quatuor chordarum.« Non vidit ineptum esse illorum verborum sensum. Meibom. (p. 353 v. 2). — Certe hic locus, si quisquam alius, est vitiosus. Rescribo: »genus est quatuor chordarum (vel si mavis *tetrachordi*) cum certa qualitate divisio.« Quippe nullum dubium quin Aristidis locum verterit Martianus. Tetrachordi definitionem satis accuratam jam ante tradiderat (§. 935) et deinde (§. 960). Bene vocem *ποιὸς* seu *ποιότης* interpretatus est *certa qualitas*. Ibeh (in Aristid. p. 230, v. 15). — Aristidis verba (p. 18) haec sunt: *γένος δέ ἐστι ποιὰ τετραχόρδου διαίρεσις*, pariterque Gaudentius (p. 5); sed non video cur non et tetrachordorum genera ipsa tetrachordi nomine appellare licuerit.

genera autem] Particulam *autem* vulgo omissam e codice Monacensi (C) supplevi.

sunt tria] Inprimis hic comparandus est Aristides Quinctilianus (p. 18 Meibom.), quem ipsum ante oculos habuisse Martianus videtur; ceterum in vulgus nota est haec distinctio, neque a musicis tantum ut Euclide (p. 3), Gaudentio (p. 5), Nicomacho (p. 24), sed ab aliis quoque saepe commemoratur. Confer modo Vitruvium (5, 4; p. 136), Plutarchum (quaest. sympos. 9, 14; p. 744), Jamblichum (de vita Pyth. 15, 64; p. 50 Kust.), Alci-

tria, ἐναρμόνιον, χρῶμα, διάτονον. Enarmonion quidem dicitur, quod pluri- 956
bus spatiis et angustioribus separatur, diatonon vero, quod tonis copiosum; chroma, quod hemitoniis componitur; sicut enim quod inter album nigrumque est, color dicitur, ita hoc chroma, quia inter utrumque est, nominatur. En- 957
armonion quidem, quum immutabilibus sonis cingitur, modulationi obediet in acumen per diesin et diesin et ditonon incompositum; in gravem vero sonum e contrario modulatio tota submittitur. Chroma autem hoc modo melos accipit: per hemitonium et hemitonium et tria hemitonia, quae incomposita provenient; in gravem vero ex diverso recurret. At vero diatonum ipsis contentum sonis in acumen quidem ita accipiet modulationem, ut per hemitonium et tonum et tonum modum integrum compleat; at vero graviorem per contrarium ordinem persequetur. Sed nunc maxime diatono utimur. Sed horum 958

phronem (epist. 1, 18; p. 69 Bergl.), Macrobium (in somn. Scip. 2, 4), et omnino Boeckhium (de metr. Pind. p. 207).

pluribus spatiis] *Pluribus* valet *majoribus*. Grot. — Perperam Grotius. Respexit Martianus ad vocem πυκνόν. Meibom. — Vide superius (§. 950). Harmonia enim, ut Vitruvii verbis utar, tetrachordorum et tonos et dieses habet binas, quum chromati duo hemitonia in ordine composita, tertium trium hemitoniorum sit intervallum, diatoni autem duo sint continuati toni, tertium hemitonium finiat tetrachordi magnitudinem.

color dicitur] Vide superius (§. 942). Omnino quidquid ornatum et variatum esset in musica, χρῶμα appellabatur, ut Philochoro apud Athenaeum (14, p. 638): χρώματά τε εὔχροα πρῶτος ἐκιθάρισε: quamquam hunc loquendi usum reprehendit Plato (de legibus 2, p. 655).

per diesin] Adde *et diesin et ditonon*. Editus mutile et depravate: »per diesin et diatonon.« Meibom. — Corrigenda haec erant ex hisce Aristidis: »ἡ δὲ ἁρμονία ἐπὶ μὲν τὸ βαρὺ κατὰ δίτονον καὶ δίεσιν καὶ δίεσιν, ἐπὶ δὲ τὸ ὀξὺ ἐναντίως, κατὰ δίεσιν καὶ δίεσιν καὶ δίτονον.«

submittitur] Vulgo *sumitur*; sed rectiorem lectionem praebent codices et Grotianus et Meibomianus uterque et nostri Reichenauensis, Darmstattensis, Monacensis (C). Est autem idem quod paulo inferius (§. 958) *deficit*.

in gravem] Legendum censeo »in gravitatem« vel »in grave.« Meibom. — Quousque tandem! Repete *sonum*, ut paulo superius. Ceterum pro *ex diverso* margo Grotiana *per diversum*, praeter necessitatem.

ipsis] Lege cum patre *is ipsis*. Grot. — Num *iis ipsis* voluit? Sed nulla mutatione egemus; sensus est, sonis non variatis vel fractis sed naturalibus uti diatonon, ut etiam Vitruvius: »diatoni vero« inquit »quod naturalis est, facilior est intervallorum distantia.«

modum] Modulationem integram; ut indubitatum sit vocabulum *modus* a Martiano usurpari pro *modulatio*, quod notent quoque lexicographi. Male hic explicaremus *modum integrum* ὅλον τρόπον ἢ τονόν. Meibom.

alia modulamur per agogen, alia per plocen. Per agogen est, quum per ordinem sonus sequitur; ploce autem dicitur, quum diversa sociamus. Exhinc in modulando alia euthia dicitur, quod est recta; alia anacamptos, quod est revertens; alia peripheres, hoc est circumstans: euthia est, quae a gravi in acumen erigitur; anacamptos, quae e contrario deficit; peripheres, quae ad
959 utramque aut commodatur aut servit. Sed quum tetrachordorum, quos quadrifidos appellamus, divisiones innumerabiles sint, sex sunt notae: enarmoniae una; chromatis tres, quarum prima quae mollis ac soluta, secunda quae hemiolia est, tertia quae est tonia; diatonicae duae, una mollis, altera robusta. Et modos quidem accipit enarmonia a tetartemoria diesi, id est toni parte quarta;

per agogen] Uberius Aristides Quinctilianus (p. 29 Meibom.) explicat quae sequuntur hisce verbis: »Ἀγωγῆς μὲν οὖν εἴδη τρία· εὐθεῖα, ἀνακάμπτουσα, περιφερής. Εὐθεῖα μὲν οὖν ἐστιν, ἡ διὰ τῶν ἑξῆς φθόγγων τὴν ἐπίτασιν ποιουμένη. Ἀνακάμπτουσα δὲ, ἡ διὰ τῶν ἑπομένων ἀποτελοῦσα τὴν βαρύτητα. Περιφερὴς δὲ, ἡ κατὰ συνημμένων μὲν ἐπιτείνουσα, κατὰ διεζευγμένων δ' ἀνιεῖσα, ἢ ἐναντίως.«

erigitur] MS. »oritur.« Non male, nam sequitur contrarium »*deficit*.« Gnor. — Melius *erigitur*, quia sequitur in *acumen*.

quadrifidos] A *quatuor* et *fides* minus scite compositum vocabulum. Meibom. — Usurpatur quidem vox illa ab optimis scriptoribus, Virgilio, Valerio Flacco, Columella, Claudiano, aliis, sed ut non a *fidibus* sed a *findendo* derivanda sit et *quadrifariam fissum* significet; nostro loco ab eo quod est *fides*, χορδή, formatam esse dubitari non potest.

enarmoniae] Codex Meibomianus alter (B) *enarmonii*; sed *divisionis* supplendum esse ipse Meibomius inferius intellexit. Sic mox *diatonicae*, et in fine paragraphi iterum *enarmoniae*, ubi eadem varietas. Rei illustrandae inservient, quae olim a Boeckhio cum Heindorfio (ad Plat. sophist. p. 368) communicata integra hic apponere liceat: »Etenim ex sex illis coloribus unus in enharmonico, duo in diatonico, tres in chromatico genere sunt. In chromate est color ἡμιόλιος, color τονιαῖος, et μαλακὸς: sive ἡμιόλιον χρῶμα, τονιαῖον sive σύντονον χρῶμα, et χρῶμα μαλακόν. In diatono duo colores sunt διάτονον σύντονον et διάτονον μαλακόν. Illa σύντονα sunt *intentiora*, μαλακὰ *molliora*. Euclid. introd. harmon. p. 10. 11. Aristox. harm. elem. I, p. 24 sequ. Gaudent. harmon. introd. p. 17.« Plura dabit idem loco superius citato (de metr. Pind. p. 207).

tonia] *Toniaea* emendavi utriusque scripti lectionem *tonia*, quae etiam in margine editi habetur. Pessime in texto *diatonia*. Meibom. — Anteriores quoque editiones *tonia* habent, quam lectionem retinui, donec codices usitatiorem formam praebuerint.

modos] Sic uterque scriptus. Editus perperam *modus*. Meibom. — Editus nempe a Grotio; namque ante eum editi recte habebant *modos*.

enarmonia] Scripti *enarmonion*; editus *enarmonia*, quod ferri potest subaudito *divisio*. Meibom.

illud vero, quod mollius diximus, per tritemoriam diesin copulatur; ipsum vero chroma hemiolion fit ab hemiolia diesi ejus quae sit enarmoniae. Sed nunc de tonis.

DE TONIS.

Tonus est spatii magnitudo, qui ideo tonus dictus est, quia per hoc 960
spatium ante omnes prima vox quae fuerit extenditur, hoc est de nota qualibet in notam; ut a media in paramesen, ut est in Lydio, si a iota directo in sigma jacens signa concurrant. Verum quia hemitonia diesisque quid vel quantae qualesve sint docui, troporum etiam nomina numerumque monstravi; nunc de tetrachordis eloquamur. Nam singuli quique tropi tetrachorda quina

illud vero] Locus ita vulgo edebatur: »in illud vero — per tritemoriam *diesis* copulatur«, quod ex utroque Meibomiano correxi; *diesin* etiam Darmstattensis noster praebuit. De tribus dieseon generibus vide superiorem locum (§. 930).

tonus est] Dubium de quo tono haec verba sint accipienda, quippe de utroque intelligi possunt, tam tono superoctavo quam eo qui et τρόπος appellatur; potius tamen de priore, si sequentia verba considerentur. Sin tractationis ordinem inspiciamus, hic agendum esset de tonis seu modis. Tanta hic confusio, cujus ipsum Martianum merito postulamus. Nam si vel maxime dicatur, breviter eum toni notionem explicando, et duplicem ejus significationem ostendendo, ad praecedentia lectorem remittere voluisse; quid attinebat agere de tetrachordis et pentachordis, quae utraque, quum systemata sint, in tractatu de systemate pertractari debuissent? Meibom. — De variis significationibus vocis *tonus* vide superiorem notam (ad §. 931). Praepostere Martianum egisse negari nequit, qui quum multa jam antea praemisisset, scilicet ut altius tenerentur (§. 935 f.), jam suo loco et ordine quid novi proferret non habebat.

de nota qualibet] Haec verba ferme ejicerem. Nisi enim *largissime* toni vocabulum accipias, errorem pariunt, quippe ab hypate meson ad parypaten in diatono non toni sed *hemitonii* intercedit intervallum; nempe, ut recentiores loquuntur, a *mi* ad *fa*. Meibom.

in sigma] Lege *in sigma jacens*. Literis enim, ut ex superioribus liquet, omnia modulationum genera distinxerat. Gnot. — Sed et haec erronea. Si haec verba *a Iota directo* retinere velimus, scribendum: »si a Iota directo in *Zeta* signa concurrant«: sin verbum *jacens*, hoc modo: »si a Iota directo et Lambda jacente in *Zeta* et *Pi* jacens signa concurrant.« Meibom. — Vulgo inepte edebatur *summa jacens*, quod e codice Darmstattensi correxi; praeterea si quis huic loco error inest, Martiano potius quam librariis tribuatur. Ceterum confer superiorem notam (ad §. 943).

quique] Reposui hoc e Grotiano codice et Meibomiano B pro *quinque* in editis.

custodiunt, sicut superius quoque notavi. Verum horum extremos sibi aptandos esse non dubium est. Tetrachordum quippe est quatuor sonorum
961 in ordine positorum congruens fidaque concordia. Sunt autem tetrachorda principalium, mediarum, conjunctarum, separatarum, excellentium. Et primum tetrachordum, quod est gravius, incipit a principali principalium et desinit in principalem mediarum. Verum principalium et mediarum connexum, quod conjunctarum vocatur, erit tetrachordum a media in neten conjunctarum usque. Atque ab his divisum longeque discretum, quod est quartum, divisarum a submedia in neten separatarum usque conjungitur. Quod autem ex diversis conjunctum est, in acutiorem sonum et quintum excellentium profertur. Sed de tetrachordis satis dictum. Nunc de pentachordis videamus.

notavi] Alii, Grotio teste in margine, *non tacui*, affectate. Ceterum vide superiorem locum (§. 935).

sibi aptandos esse] Hoc est consonantes sive συμφώνους inter se esse oportere; nisi ita intelligere praestat, quinque tetrachorda ita se excipere ut alterius primum alterius sit extremum, quod ex parte tantum verum est.

tetrachordum] De tetrachordis conferatur Boeckhius (in Creuzeri stud. T. III, p. 61).

principalium] De quinque, quae hic nominat, generibus Vitruvius (5, 4; p. 138 Bip.) sic disserit: »Tetrachorda autem sunt quinque, primum *gravissimum*, quod Graece dicitur ὕπατον: secundum *medianum*, quod appellatur μέσον: tertium *conjunctum*, quod συνημμένον dicitur: quartum *disjunctum*, quod διεζευγμένον nominatur; quintum, quod est *acutissimum*, Graece ὑπερβόλαιον dicitur.«

connexum] Hic integrum tetrachordum excidit, quod neutro codicum restitui miror. Grotius seu potius ipsius adjutores, viri summi, Scaliger, Vulcanius, nec tantillum emendare potuerunt. Rescribo: »Secundum a mediarum principali ad mediam extenditur. Verum principalium et mediarum (sc. tetrachordis) connexum.« Mehnom.

in neten] Sic probe uterque scriptus: editus in *nete*. Mehnom. — Ante Grotium editi jam *in netem* habebant. Eadem res paulo post, ubi Grotius *in nete separatarum*, anteriores *in netem*, codices et Meibomiani et nostri Monacensis (C) et Darmstattensis recte *in neten*.

usque] Hoc e codice Monacensi (C) addidi, quia clariorem sententiam reddit. Facile autem a sequenti *atque* hauriri poterat.

submedia] Nota quod vocabulum παράμεσος vertat *submedia*. Mehnom. — Male Grotius divisis verbis *sub media* edidit.

quintum excellentium] Parens meus vellet: »Quod autem ex diversis conjunctum est et quintum, in acutiorem sonum excellentium profertur.« *Quintum* enim ait non ad sonos sed ad tetrachorda referendum. Et sane excellentium modi non plures quatuor, ut et aliorum tetrachordorum. Gnot. — Rescribo: »et quintum est, et a nete separatarum in neten excellentium profertur.« Parum hic vidit parens Grotii. Mehnom.

DE PENTACHORDIS.

Ac similiter haec quoque quinque esse non dubium est. Primum igitur, 962
quod et gravius principalium esse dicimus, quod incipit ab acquisito et in principalem mediarum terminatur. Sequens in acumen ejusmodi est, et constat a principalium extenta in mediarum illam, quae in Lydio iota rectum habet. Tertium autem conjunctarum est, quod a mediarum extenta in ultimam conjunctarum ducitur. Quartum vero, quod per divisionem est, a media in tertiam divisarum connecti solet. Quintum in acumen erigitur, atque in neten excellentium terminatur. Haec quae dixi artis nostrae doctissimis approbantur. 963
Nam non sum nescia asserere quosdam, tetrachorda ab hemitoniis initia posse sortiri, quod est in modulatione diatonica situm, de qua superius multa dixi-

haec quoque] Copulativam *et*, quae in editis sequitur, expunxi codicum Monacensis (C), Darmstattensis, et utriusque Meibomiani auctoritate.

quod et gravius] Sic codex Meibomianus B; vulgo »quod *est* gravius«; Monacensis (C) dubiam voculam prorsus omisit.

in mediarum illam] Hoc ineptum videri possit, ut simpliciter sit scribendum *in mediam*. Attamen commodam hic explicationem adferre possumus. Quatuor enim sunt mediae chordae; nimirum suprema mediarum, penesuprema mediarum, mediarum extenta, ultima mediarum, quae uno nomine et κατ' ἐξοχήν media appellatur. Dicit itaque in mediarum illam quae in Lydio (exempli gratia) Iota rectum habet, id est in ipsam mediam, extendi illud tetrachordum; non autem in mediarum extentam etc. Meibom.

autem conjunctarum] Grotiana margo *cunctarum* inepte. Συνημμένον enim significari apparet.

per divisionem] Κατὰ διάζευξιν, melius *per disjunctionem*. Meibom.

in tertiam] Lege *in ultimam*. Ita correxi omnes codices tam scriptos, quam editos, qui mendose legunt *in tertiam divisarum*. Neque hoc videre potuit Grotius. Meibom. — Invitis codicibus nihil muto; ipsiusque Martiani errorem arbitror (v. ad §. 944).

in neten] Forte *in neten*, et sane ita legendum docet MS. Gnor. — Voculam *in* addidi ex utroque codice. Ita autem hic legendum: »atque a divisarum extenta in neten excellentium.« Meibom. — Vulgo enim »atque *nete* excellentium terminatur«, quod quatenus codicum auctoritas jubebat, facile correxi, licet vulgata quoque defendi possit.

asserere quosdam] *Asserere quaedam* probe uterque scriptus. Pro *tetrachorda* plane legendum *pentachorda*. Meibom. — Interpunctione recte posita omnia sana apparebunt; quorum sensus ex Martiani loquendi ratione non alius est quam hic: tetrachorda non ab integris sonis sed vel ab hemitoniis, ut in diatonico genere, vel ab aliis sonorumpartibus initia capere, quapropter ab *acquisito* ordiri non posse, qui a *principali principalium* integro tono distat; pentachorda, quae secundo demum loco hemitonion habere soleant, posse.

Sane notum atque intimatum velim, acquisitum in omnibus quidem aliis collocari, in his autem, quae non per sonos fiunt, in tetrachordis fieri non posse; in his enim semper ab hemitoniis principia ducuntur; in aliis autem, quae pentachorda nominantur, nec tamen modulationi subjiciuntur, ut per sonos constare videantur, apponitur. Secundum enim in his hemitonium possumus ponere. Nunc de transitu modulantium.

DE TRANSITU VOCIS.

964 Transitus est alienatio vocis in figuram alteram soni. Fit autem transitus modis quatuor: per genus, ut ab enarmonio genere aut in chroma aut in diatonon; vel per systema, ut a principali principalium si forte in sub-

acquisitum] Haec et quae sequuntur re vera sunt obscura, quibus an lucem aliquam adferre possim videbo. Dubitatio proposita haec est: Tetrachorda ab hemitoniis incipiunt, cur non aeque pentachorda? Mediocriter in musicis exercitatus responderet, quia illo modo pentachordum quidem erit, seu quinque chordarum systema, sed illud non conficiet diapente; uti tetrachordum diatessaron. Si enim pentachordum incipiat ab hemitonio, in acumen progrediendo, bina in illo hemitonia ponentur. Hoc docere vult Martianus. Verba illius ita explicarem: Acquisitum in omnibus quidem aliis consonis intervallis, nempe in pentachordo, octachordo, hendecachordo, dodecachordo, pentecaedecachordo, collocari; at in tetrachordis collocari non posse, quod soni hujusmodi consequenter sumti tetrachorda (ut ex enarmonio genere et chromatico est evidens) non conficiant, quae diatessaron consonent. Meibom.

ab hemitoniis] Nempe in genere diatono et chromatico toniaeo, quae limitatio est addenda. Meibom.

ducuntur] Ita codices Darmstattensis et Meibomianus B, pro *dicuntur* in editis, et sic etiam correctum in Reichenauensi.

nec tamen] *Tamen* pro *tam* in editis reposui auctoritate codicum Monacensis (C) et Darmstattensis.

apponitur] Gl. A *adquisitus*, non male. Meibom.

transitus] Aristides Quinctilianus (p. 9 Meib.) sextam hanc harmonicae partem *περὶ μεταβολῶν* inscripsit. De iisdem scripsisse videtur Aristoxenus secundum Plutarchum (non posse suaviter vivi secundum Epicurum p. 1095).

per genus] Sic optime codex B; reliqui perperam *in enarmonio aut in chromate aut in diatono*. Meibom.

vel per systema ut] Elegantissime pater meus: »vel per systema, ut e principali principalium« etc. MS. tamen: »Per genus ab enarmonio, aut in chroma, aut in diatonon, vel per neten, aut a principali« etc. Gron. — *Vel per systema ut*, sic probe codex B; reliqui male *aut*. Quae sequuntur: »a principali principalium si forte in subprincipalem aut in aliud forte systematum aut« tanquam inepta expuncta mallem. Harmonicorum nullus ita loquitur. Euclides et Bryennius simpliciter: »Transitus per systema est quum ex conjunctione in disjunctionem aut vice versa fit mutatio.« Meibom. — *Ut* pro *aut* etiam Monacensis (C) codex habet.

principalem aut in aliud forte systematum, aut quum de conjunctis ad divisas transitum facimus; vel per tonum, quum a Lydio vel in Phrygium vel in alium tropum cantilena transducitur; vel per modulationem, quum ex alia specie modulandi in aliam desilimus, vel quum a virili cantilena transitus in femineos modos fit. De genere modulandi consequenter edisseram.

DE MODULATIONE.

Melopoeïa est habitus modulationis effectae. Melos autem est actus acuti 963
aut gravioris soni. Modulatio est soni multiplicis melo expressio. Melopoeïae species sunt tres: hypatoïdes, mesoïdes, netoïdes. Hypatoïdes est, quae appellatur tragica, quae per graviores sonos constat; mesoïdes, quae dithyrambica nominatur, quae tonos aequales mediosque custodit; netoïdes, quae et νομικὸς

tropum] Sic quoque recte uterque scriptus. Grotius perperam MS. lectionem laudat »in alium *locum*.« Quamvis enim tonus vocis locus definiatur, illud tamen vocabulum hic plane est alienum. Memor.

modulationem] Sic insigni errore omnes codices, quem tamen non male ipsi Martiano tribuimus, qui Graecum μελοποιΐα illo Latino vertit, ut supra. Legendum *per melopoeiam*, quod ex sequentibus est certum. Vide Euclidem p. 21 v. 16. Bryennium lib. I, cap. ultimo. Memor. — Vide superius (ad §. 938).

de modulatione] Partium harmonices, quas p. 182 (§. 938) proposuit, ordo requirit, ut agat de *melopoeia*, quod vocabulum etiam recte sequitur. Sed modulandi genus hic vocat quod Graeci γένος μελοποιΐας. Sic Aristides p. 29 v. ult. Modos melopoeiae genere facit tres: *nomicum, dithyrambicum, tragicum*; vel etiam illas melopoeiae species ita vocat, quas Aristides tradit p. 28 v. 32, et ipse hic. Memor.

melopoeïa] Euclidi (p. 2 Meib.) est »usus eorum quae harmonicae tractationi sunt subjecta, ita ut cuilibet argumento character suus tribuatur.« Aristidi (p. 28 Meib.) est »facultas conficiendi cantum.« Ac septima et ultima haec est e partibus harmonicae (§. 938). Confer Burettum (Mem. de l'acad. X, p. 304).

melos] Differt, ut Aristidis (p. 29 f. Meib.) verbis utar, »*melopoeïa* a *melodia*: quod haec sit cantus indicium (ἐπαγγελία μέλους), illa habitus effectivus (ἕξις ποιητική).«

melo] Hanc vocem in editis omissam auctoritate Monacensis (C) inserui. *Melos* etiam secunda declinatione Latina flexum esse probat Nonius (p. 215 Merc.).

hypatoïdes] Quia *principalium* inprimis tetrachordo utebatur, quo *nomica* abstinuisse videtur, quia hujus erat antiquam indolem servare (Plut. de mus. p. 1135), *principalium* autem tetrachordum posterius demum adjectum est; quapropter etiam Doricam harmoniam eo abstinuisse Plutarchus (ibid. p. 1136) testatur.

νομικὸς] Alii *nomicos*, ex quo conjicio *comicos*. Tria enim praecipua modulationum genera tragoedia,

consuevit vocari, quae plures sonos ex ultimis recipit. Sunt etiam aliae distantiae, quae et tropica mela dicuntur, aliae ὁμοιολογικά: sed haec aptius pro rebus subrogantur, nec suas magis poterunt divisiones afferre. Hae autem
966 species etiam tropi dicuntur. Dissentiunt autem melopoeïae ipsae modis pluribus inter se et genere, ut alia sit enarmonios, alia chromatice, alia diatonos; specie quoque, quia alia est hypatoïdes, alia mesoïdes, alia netoïdes; tropis, ut Dorio, Lydio, vel ceteris. Omnis tamen, qui melos inchoat, prae cunctis systema debet advertere, dehinc sonos miscere atque componere. Haec de septem partibus artis nostrae dixisse sufficiat. Nunc rhythmos, hoc est numeros perstringamus, quoniam ipsam quoque nostri portionem esse non dubium est.

QUID SIT RHYTHMUS.

967 Rhythmus igitur est compositio quaedam ex sensibilibus collata temporibus ad aliquem habitum ordinemque connexa. Rursum sic definitur: numerus est diversorum modorum ordinata connexio, tempori pro ratione modulationis inserviens, per id quod aut efferenda vox fuerit aut premenda, et qui nos a licentia modulationis ad artem disciplinamque constringat. Interest
968 tamen inter rhythmum et rhythmizomenon. Quippe rhythmizomenon est materia numerorum, numerus autem velut quidam artifex aut species mo-

comoedia, et dithyrambus. Gnot. — Melius profecto glossa in Darmstattensi codice *legalis*; si quidem ea ipsa de causa νόμους appellatos esse veteres modos musicos constat, quia certis legibus adstricta essent, quas non liceret pro arbitrio migrare; confer Platonem (de legibus 3, p. 700) et Photium (in bibl. 239, p. 523 Hoesch.), ubi etiam differentia eorum a dithyrambis exponitur. Plura dabit Spanhemius (ad Callim. hymn. in Del. 304), unde prorsus absurdam esse Grotii conjecturam intelliges.

ὁμοιολογικά] Alteram lectionem *comologicam* Grotius ad marginem rejecit. Plures variantes vide apud Meibomium (p. 359 v. 17).

rhythmus igitur est] Varias rhythmi definitiones ex veterum scriptis collegit doctissimus Boeckhius (de metr. Pind. p. 6 sequ.), quas repetere nolumus, quia nullam eorum Martianus expressisse videtur. Huic, ni fallimur, Aristoxenus ante oculos erat, cujus rhythmicorum elementorum secundus tantum liber exstat a Morellio editus (pone Aristidis et Libanii orationes Venetiis 1785), primus, quo has ipsas definitiones contineri consentaneum erat, adhuc latet.

dulationis apponitur. Omnis igitur numerus triplici ratione discernitur, visu audituque vel tactu. Visu, sicut sunt ea quae motu corporis colliguntur; auditu, quum ad judicium modulationis intendimus; tactu vero, ut ex digitis venarum exploramus indicia. Verum nobis attribuitur maxime in auditu visuque. Sed rhythmice est ars omnis in numeris, quae numeros quosdam 969
propriae conversionis accipiat, flexusque legitimos sortiatur. Est quoque distantia inter rhythmum metrumque non parva, sicut posterius memorabo. Sed quia visus auditusque numero dicti sunt accedere, hi quoque in tria itidem genera dividentur: in corporis motum, in sonorum modulandique rationem, atque in verba, quae apta modis ratio colligarit; quae cuncta sociata perfectam faciunt cantilenam. Dividitur sane numerus in oratione per syllabas, in modulatione per arsin et thesin, in gestu figuris determinatis schematisque completur.

DE SEPTEM GENERIBUS NUMERORUM.

Verum numeri genera sunt septem: primum de temporibus; secundum 970
de enumeratione verborum, quae in numerum cadere non possunt, quae rhythmoïdes, id est similia numeris judicantur, quaeque tribus vocabulis

aut species modulationis] Sic probe scripti; editus *ad*. Species hic idem quod *forma*, quae formam dat cantui, quum modi sint materia. Vide Aristidem p. 43 v. 12. Mεμοκ. — Reichenauensis quoque *aut* praebet.

triplici] Confer Aristidem Quinctilianum (1, p. 31 f. Meib.): *ῥυθμὸς τοίνυν καλεῖται τριχῶς· λέγεται γὰρ ἐπὶ τῶν ἀκινήτων σωμάτων, ὡς φαμεν εὔρυθμον ἀνδριάντα, κἀπὶ πάντων τῶν κινουμένων, οὕτως γάρ φαμεν εὐρύθμως τινὰ βαδίζειν, καὶ ἰδίως ἐπὶ φωνῆς.*

venarum] Vide superius (§. 926 f.).

inter rhythmum] Quinctilianus (inst. orat. 9, 4, 46; p. 555 Spald.): »Nam *rhythmi*, id est numeri, spatio temporum constant: *metra* etiam ordine: ideoque alterum esse quantitatis videtur, alterum qualitatis.« Confer et grammaticos Maximum Victorinum (p. 1955 Putsch.), Bedam (p. 2380) Marium Victorinum (p. 2484), Atilium Fortunatum (p. 2689), inprimis autem Longini fragmentum ex prolegomenis ad Hephaestionem de metris (p. 160 seqq. Weisk.), ubi plura Toupius. Adde Boeckhium (de metr. Pind. p. 18 sequ.).

arsin et thesin] Sic codices Monacensis (C) et Darmstattensis, male in editis *arsim* et *thesim*. Explicationem vide inferiori loco (§. 974).

tribus vocabulis] Id est *nom inibus*. Aristides

discernuntur, hoc est enrhythmon, arrhythmon, rhythmoïdes; tertium de pedibus; quartum de eorum genere; quintum est quod agogen rhythmicam nominamus, id est quo genere numerus modique ducantur; sextum de conversionibus; ultimum rhythmopoeïa, id est quemadmodum procreatio numeri possit effingi.

QUID SIT TEMPUS RHYTHMICUM.

971 Primum igitur tempus est, quod in morem atomi nec partes nec momenta recisionis admittit, ut est in geometricis punctum, in arithmeticis monas, id est singularis quaedam ac se ipsa natura contenta. Sed numerus in verbis per syllabam, in modulatione per sonum aut spatium quod fuerit singulare, in gestu per incipientem corporis motum, quod schema diximus, invenitur. Atque hoc erit brevissimum tempus, quod insecabile memoravi; compositum vero, quod potest dividi, et quod a primo aut duplum est aut triplum aut quadruplum. Eatenus enim tempus omne numeri profertur atque ei finis est, qui plenae rationis est terminus; atque in hoc numerus toni similis invenitur;

(1, p. 33 Meib.): »Horum temporum alia rhythmum habentia (*χρόνοι ἐῤῥυθμοι*) dicuntur, alia rhythmo carentia (*ἄῤῥυθμοι*), alia rhythmi speciem habentia (*ῥυθμοειδεῖς*). Et quidem rhythmum habentia, quae in aliqua ratione mutuum inter se ordinem servant; uti in dupla, sescupla, id genus aliis. Ratio enim est duarum magnitudinum dissimilium inter se habitudo. Rhythmo carentia, quae penitus sunt inordinata et absque ratione connexa. Rhythmi speciem habentia, quae inter haec interjiciuntur; atque interdum ordinis rhythmum habentium, interdum confusionis rhythmo carentium sunt participantia.« Plura vide infra (§. 972).

agogen rhythmicam] MS. *mitricem*. Forte *ἀγωγὴν μετρικὴν, agogen metricam*. Gaot. — Inepte. Quid sit *ἀγωγὴ* rhythmica, explicat Boeckhius (de metr. Pind. p. 46). Alia tamen harmonica, de qua supra (§. 958); vide Meibomium (ad Aristidem Quinct. p. 42).

de conversionibus] *Περὶ μεταβολῶν*. Sunt enim plures, ut videre est apud Aristidem p. 42 v. 19. Meibom. — Hic quoque distinguendae sunt rhythmicae ab harmonicis (§. 938. 964).

primum igitur] Haec et ipsa ab Aristide (l. c. p. 32) habet. Plura dabit Boeckhius (de metr. p. 19).

punctum] Hinc et Quinctilianus (9, 4, 32; p. 560 Spald.) hoc tempus appellat *σημεῖον*.

monas] Vide superius (§. 707. 746) et Jamblichum (in Nicom. arithm. p. 84 Temul.).

per incipientem] Pro *incipiente* in editis hoc praebuerunt codices Monacensis (C) et Meibomianus B.

ut enim ille per quatuor species, hoc est diesis, dividitur, ita hic etiam quaternaria temporum modulatione concluditur.

DE TRIBUS TEMPORIBUS NUMERORUM.

Sed eorum temporum, quae ad numeros copulantur, alia sunt quae 972
enrhythma tempora nominantur, alia quae arrhythma, tertia quae rhythmoïdes perhibentur. Et enrhythma quidem sunt, quae ratione certa ordinem servant, ut in duplici, vel hemiolio, vel in aliis, quae alia ratione junguntur. Arrhythma sunt, quae sibi nulla omnino lege consentiunt, ac sine certa ratione conjuncta sunt. Rhythmoïdes vero in aliis numerum servant, in aliisque despiciunt. Quorum temporum alia *στρογγύλα*, hoc est rotunda perhibentur, 973
alia *περιπλέω*. Et rotunda sunt, quae proclivius et facilius, quam gradus quidam atque ordo legitimus expetit, praecipitantur; *περιπλέω* vero, quae amplius quam decet moras compositae modulationis innectunt, seque ipsa tardiore pronunciatione suspendunt.

quaternaria] Aristides Quinctilianus (p. 44. 45): *τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων δέδεικται τὰ μεγέθη τῶν στοιχείων τοῖς διαστήμασιν ἰσάριθμα τοῦ τόνου· τὸ μὲν γὰρ ἐλάχιστον αὐτῶν τοῦ μεγίστου τεταρτημόριόν ἐστιν, ὡς ἡ δίεσις τοῦ τόνου.* Itaque non solum longas et breves, verum etiam brevium dimidias statuit, quarum notitia ex nostra metrica prorsus disparuit.

enrhythma — arrhythma] Sic recte codices Meibomiani (p. 350 v. 17), quum apud Grotium corrupte legatur *enrythmica* et *arythmata*. Pariter et Aristides in loco superius (ad §. 970) citato et Quinctilianus (9, 4, 56; p. 564 Spalding.). Confer Boeckhium (de metr. p. 37). Alias inter se opponuntur *εὔρυθμον* et *ἄρρυθμον*, ut apud Platonem (republ. 3, p. 400) et Aristotelem (rhetor. 3, 8), sed aliquid interesse inter *ἔνρυθμον* et *εὔρυθμον* recte monet Dionysius Halicarnassensis (de compos. voc. T. V, p. 226 Reisk.).

despiciunt] Sic recte Grotius; anteriores *dispiciunt*.

περιπλέω] Hanc lectionem restitui ex p. 54 v. 2 Aristidis. Uterque scriptus verae proximam habet legendo *ΠΕΡΙΠΛΑΕΣ*. Pessime editur et hic et paulo post *περιπλεόμενα*, at in margine aliquanto melius habetur *περιπλέα*. Mmmox. — Aristidis verba haec sunt: *οἱ δὲ περιπλέω, οἱ πλέον ἤδη τὴν βραδύτητα διὰ συνθέτων φθόγγων ποιούμενοι.* Pertinent autem haec ad oratorium numerum, de quo omnino conferendi sunt Aristoteles (rhetor. 3, 8), Cicero (orat. 65 sequ.), Dionysius Halicarnassensis, Quinctilianus, alii; inter recentiores autem inprimis Batteuxius (in mem. de l'acad. T. XXXV, p. 413 sequ.).

QUID SIT PES IN NUMERIS.

974 Sed temporum alia simplicia sunt, quae podica etiam perhibentur. Pes vero est numeri prima progressio per legitimos et necessarios sonos juncta, cujus partes duae sunt, arsis et thesis. Arsis est elevatio; thesis depositio
975 vocis ac remissio. Sed pedum differentiae sunt septem: per magnitudinem, quum alios simplices, alios multiplices pedes ponimus; et simplices quidem, ut est pyrrhichius; compositi vero, ut sunt paeones, vel eorum pares. Et simplices quidem dicuntur, qui temporibus dividuntur, compositi autem, qui in pedes etiam resolvuntur. Alios vero alogos, hoc est irrationabiles nominamus, quorumque ratio nulla praestatur, sed incondita quaedam compositio
976 profertur. Alia deinde differentia est, quae per divisionem quaeritur, qualis exsistit, hoc est ποία, quum varie et multipliciter ea, quae connexa fuerint, dividuntur; atque illa, qua simplices pedes esse multiplices nominamus. Alia est, quae per divisionem fieri consuevit; septima, quae per oppositionem fit, id est quum duobus pedibus acceptis unus habet prolixius tempus, quod praecedit ex ordine, illud autem tempus, quod insequitur, angustius, vel quum per contrarium ordinem tempora praedicta vertuntur.

podica] Hoc quoque ex Aristide (p. 34). Adde Isidorum (orig. 1, 17, 1; p. 23 Arev.). Plura dabit Boeckhius (de metr. Pind. p. 13 sequ.).

elevatio] Sic male hic omnes. Scribendum *elatio*, quod recte ubique sequitur. Quamvis Latinius sit *sublatio*, quod aliis auctoribus pro isto usurpatum. Mrmox. — *Sublationem* appellavit Quinctilianus (9, 4, 48; p. 556); sed Isidorus (1, 17, 21) *elevationem*, ut nec reprehendendi nec mutandi causam in nostro videam.

eorum pares] Codices Monacensis (C) et Meibomianus uterque addunt *epitriti*, quod tamen ferri nequit, nisi praeterea *et* insertum fuerit. Paeonum enim non epitriti sed cretici pares sunt (§. 990). Quanquam incompositos etiam paeones esse noster ipse agnoscit (§. 989).

alogos] Aristides Quinctilianus (p. 35 Meib.): ἔστι δὲ καὶ ἄλλα γένη ἄπερ ἄλογα καλεῖται, οὐχὶ τῷ μηδένα λόγον ἔχειν, ἀλλὰ τῷ μηδενὶ τῶν προειρημένων λόγων οἰκείως ἔχειν, κατὰ ἀριθμοὺς δὲ μᾶλλον ἢ κατὰ εἴδη ῥυθμικὰ σώζειν τὰς ἀναλογίας. Plura dabit Boeckhius (de metr. Pind. p. 39). Adde Godofredum Hermannum (elem. doctr. metr. p. 20).

per oppositionem] Sic codices et Meibomiani et nostri Reichenauensis, Darmstattensis, et Monacensis (C); vulgo *oppositum*, quod jam ex inferiori loco (§. 980) corrigendum erat.

DE TRIBUS RHYTHMICIS GENERIBUS.

Rhythmica vero genera sunt tria, quae alias dactylica, iambica, paeonica 977
nominantur, alias aequalia, [alias] hemiolia, duplicia. Denique etiam epitritus sociatur. Etenim unus semper, quum sibi fuerit aptatus, ut aequalis convenit; tria vero ad duo numerus hemiolius est; duplex vero qui fuerit ad singularem, geminam rationem tam syllabarum quam temporum servat; quatuor vero ad tria epitriti modum faciunt. Sed quae aequalia diximus, eadem dactylica esse dicimus; denique in dactylico genere signa aequali sibi jure nectuntur; verum ad alterum vel ad numerum geminum duo velut forte aequalitas numerosa decurret. Sequitur iambicum genus, quod diplasium superius expressi; in quo pedum signa duplicem rationem ad invicem servant, sive unus ad duo, sive ad quatuor gemini, vel quidquid ad duplum currit. Hemiolium sane, quod paeonicum memoratur, tunc est, quum pedum signa hemiolii rationem

sunt tria] Totidem jam Plato numerat (de republ. 3, p. 400): *ὅτι μὲν γὰρ τρί' ἄττα ἐστὶν εἴδη ἐξ ὧν αἱ βάσεις πλέκονται, ὥςπερ ἐν τοῖς φθόγγοις τέτταρα ἐξ ὧν αἱ πᾶσαι ἁρμονίαι, τεθεαμένος ἂν εἴποιμι*: ubi vide interpretes; adde et Ciceronem (orat. 56).

alias dactylica] Ita hic et sequentibus binis locis pro *alia* scribendum esse videram. Comprobarunt eam scripturam deinde uterque scriptus. Codex A vocula auctius legit *alias duplicia*. Meibom. — Monacensis (C) quoque ter iterat *alias*; sed mihi e contrario secundum jam tollendum videbatur, quare uncinis inclusi. Minus placet quod Reuvensius (in coll. litt. p. 117) legendum proposuit »*alia* aequalia, *alia* hemiolia, *alia* duplicia.«

etiam epitritus] Confer Boeckhium (de metris Pind. p. 24) et Godofredum Hermannum (in opusc. T. III, p. 91 sequ.), unde videbis multos hanc rationem e generibus rhythmicis exclusisse.

faciunt] Lectionem *facit*, quam uterque scriptus habet, genuinam censeo. Graecam enim loquendi rationem *ὁ δὲ — πρὸς τὸν* — expressit. Editus *modum faciunt*; *τὸ modum* glossae B explicant per *mensuram*. Meibom. — At vero superius (§. 951) legimus: »ut *sunt* quatuor ad tres.« Ceterum nostro quoque loco alii, teste in margine Grotio, *tres* legebant pro *tria*, quod tamen mutare nolui, quia nec ipsum Martianum vel librarios ejus, qui notis numerorum verba substituerunt, ea in re sibi constitisse Arithmeticae liber satis ostendit.

aequali] Sic scripsi pro *aequalia* in editis ex utroque codice Meibomiano.

verum ad alterum] Sensus esse videtur, non singulorum semper verum etiam binorum vel plurium temporum duas ejus numeri partes esse posse; verba ipsa tamen praestare nolim.

unus ad duo] Pro *unius* in editis, e codice Meibomiano B.

jusque sectantur, ut ad duo tria sunt. Accidit autem etiam in epitriti ratione saepe numerus, quum pes in eo accipitur, qui sit ad tria quatuor. Sed jam ad ordinem recurramus.

DE AEQUALI, DUPLO, HEMIOLIO, ET EPITRITO GENERE.

978 Aequale est igitur numeri genus, quod a disemo usque in sedecim pedes procedit; disemus autem appellatur pes, qui per arsin et thesin primus constare dicitur, ut est leo. Duplum vero incipit a trisemo; decem et octo autem syllabas in finem usque deducet. Hemiolium sane ab pentasemo ducit exordium; impletur autem in quindecim numeris. Epitritus ab heptasemo principium facit, quatuordecim similibus idem ponens, cujus difficilis est usus. Atque hos quidem omnes numerorum ordines ideo memoravimus, ut singulorum
979 leges per universa serventur. Sed numerorum alii sunt compositi, alii incompositi, alii permixti. Et compositi e duobus generibus vel pluribus cohaeserunt; incompositi, qui uno pedum genere consistunt, ut sunt tetrasemi; mixti vero, qui aliquando in pedes, aliquando in numeros resolvuntur, ut in hexasemo numero accipere debemus. At vero eorum, qui compositi esse dicuntur, alii per copulas, alii vero per periodum colligantur. Etenim *ὀυζυγία*, id est copula,

in epitriti ratione] Sic recte codices Darmstattensis et Monacensis (C), et bini Meibomiani pro *rationem* in editis.

qui sit ad] Hic vocula addita legerem »qui sit *ut* ad.« Mmox. — Non necessarium arbitror.

in sedecim pedes] Infra (§. 983) *septem* tantum numerat.

decem et octo] Vide inferius (§. 987). *Syllabae* nunc videntur esse quasi *comprehensiones*, quo vocabulo generali et simplices pedes et syzygiarum vel periodorum compositiones significat.

memoravimus] Ita codices Reichenauensis et uterque Meibomianus pro *numeravimus* in editis.

tetrasemi] Simplicem enim pedem secundum suam naturam non posse pluribus quatuor moris constare jam Aristoxenus docuerat; confer Boeckhium (de metr. Pind. p. 22 sequ.).

numeros — hexasemo] Quinque haec verba, in editis omissa, codices Monacensis (C) et Darmstattensis et uterque Meibomianus suppeditarunt.

at vero] In MS. fuisse videtur: *Atquin eorum* etc. Phrasis Capelliana. Gnot.

ὀυζυγία] Isidorus (etym. 1, 17, 20; p. 26 Arev.): »*synzugiae* autem sunt pentasyllabi et hexasyllabi pedes, et dictae apud Graecos *synzugiae* quasi quaedam conjugationes; sed hi non sunt pedes, sed appellantur pentasyllabi et hexasyllabi, qui ultra quinque et sex syllabas non procedunt.« Di-

Digitized by Google

duorum pedum in unum est adscripta connexio, qui in dissimiles sibi positi esse videntur. Periodus sane est pedum compositio plurimorum, quique dissimiles sibi impares sociantur. Dissimilitudinum sane differentiae tres erunt, 980
per magnitudinem, per genus, per oppositionem. Per magnitudinem, quum ex disemo vel tetrasemo componitur numerus; per genus, quum diplasium aut hemiolium simul jungimus, vel quod ex pluribus aequaliter copulatur; per oppositionem, id est antithesin, quum aut primos disemos ponimus [aut] insequentibus longe potioribus, aut tetrasemos disemis insequentibus applicamus. Verum notum esse conveniet, unum etiam pedem posse sufficere ad complendam periodon, si solus ceteris inaequalis inseritur.

DE DACTYLICO GENERE.

Sed eorum, quae in pedem recidunt, dactylicum genus primum est, 981
in quo genere pedes incompositi vocabuntur, qui numero sunt quinque, id est proceleusmaticus, dactylus, anapaestus, spondeus simplex, et spondeus major. Ac proceleusmaticus quidem est, qui et positionem brevem et elationem brevem retinet. Utetur autem hic idem tetrasemo frequentius. Namque et disemus,

stinguunt nimirum metrici inter *dipodias* et *syzygias* ita, ut illas ex duobus disyllabis, has de duobus trisyllabis vel disyllabo et trisyllabo fieri dicant (Herm. elem. metr. p. 19), quanquam Atilius Fortunatianus (p. 2688 Putsch.) aliter: »Quum unus pes simplex bis positus compositum pedem fecerit, Graece *δυζυγία*, Latine *conjugatio* dicitur; haec autem quum duos pedes similes jungit, *tautopodia*, quum diversos, *dipodia* appellatur.« Noster sequitur Aristidem (p. 36 Meib.).

sibi impares] Alii, teste margine Grotiana, *pares*. Multa hic in singulis turbata esse negari nequit.

aut insequentibus] Lego *insequentibus longe prioribus*, deleta disjunctiva. Ita etiam paulo post *disemis insequentibus*. Gnot. — Disjunctivum uncinis inclusi praetereaque pro *prioribus* ex codicibus Darmstattensi et Meibomiano B *potioribus* scripsi.

numero sunt quinque] Ita auctoritate codicum Reichenauensis, Darmstattensis, Monacensis (C), et Grotiani legendum, non *numeri*, ut in editis.

proceleusmaticus] Sequens vocabulum *dactylus*, vulgo omissum, ex Grotiano codice supplevi, ut numerus constaret; licet hunc pedem infra *anapaestum a majore* appellet. Vide et Boecklium (de metr. Pind. p. 24).

disemus id est] *Disemus hujus*; male codex A *huic*. Mekmox. — Sensum omnino corrumpit vox tam *huic*, quam *hujus*. Expunxi igitur eam et quidem Darmstattensis codicis auctoritate.

id est qui duobus temporibus impletur, proceleusmaticus quidem sed brevior nominatur; ille vero major est, qui ex quatuor brevibus efficitur. At vero brevior, id est disemus, synecheς vocatur, quia ipsa assiduitas et frequentia comprehendentis se invicem syllabae nec magnitudinem aliquam nec modum divisae potestatis extendit, ideoque eo raro uti decet, ne assiduitas brevis syllabae carmen ipsum, quod cum dignitate aliqua proferri oportet, incidat. In permixtione vero aliorum pedum, qui longiores ponuntur, decenter aptatur, ut illorum prolixam moram interveniente sua celeritate compenset. Quare proceleusmaticus, qui ad numeros aptatur, a quadrisemo
982 exordium debet accipere. Anapaestus, qui vocatur, accipiet elationem pedis unius temporis, positionem vero duorum temporum faciet. Monochronon quippe dicitur tempus etiam quum longa ponitur, quae longa duo tempora recipere consuevit; vel quum tria tempora simul brevia collocantur, vel quum sunt quatuor numero; quae omnia ad comparationem longae syllabae computantur. Igitur major anapaestus elationem quidem suscipiet, quae monochronos esse dicatur; positionem dichronon habere monstratur. Quare utriusque temporis, quod in positione fuerit, aequali sibi posito, oportet elationis geminum tempus accipere; ita tamen, ut utroque insequenti tempore par priori esse videatur. Quare anapaestus *ἀπὸ μείζονος* dactylicus a nobis esse dicitur; at vero anapaestus, qui *ἀπὸ ἐλάττονος* nominatur, ex duabus brevibus,
983 quae in elatione sint, et ex una, quae in positione sit, copulatur. Simplex vero spondeus erit, qui ex producta tam arsi quam thesi jungitur. Major

brevior] Graece *ἁπλοῦς*, ut major *διπλοῦς*. Mercor. — Vulgo *pyrrhichius* appellatur.

brevibus efficitur] Grotiana margo *effingitur*.

eo raro] Codex Darmstattensis *eo rarius*, quo tamen non magis opus est, quam quod mox Grotius in margine posuit *oportet* pro *decet*. Sed pro Grotiano *nec assiduitas* rescripsi *ne* ex Reichenaucusi et Meibomiano utroque, praesertim quum jam anteriores editiones illud haberent.

a quadrisemo] Omissam in editis praepositionem *a* e Darmstattensi supplevi.

anapaestus qui vocatur] Sic Darmstattensis et Meibomianus alter (A); vulgo addebatur *minor*, sed huic repugnat quod inferius iisdem verbis sequitur de *majore* anapaesto.

computantur] Darmstattensis codex *componuntur*.

copulantur] Codex B *componatur*. Mercor.

major vero] Sic probe scripti: editus infereto

vero dicitur, qui quaternariam non solum elationem sed positionem etiam videtur admittere. Per copulam vero duplices accedunt numeri, quoniam alter ex majore erit ionico, alter ex minore; atque ille, qui ex majore procedit, constabit ex spondeo simplici vel proceleusmatico, quem disemum esse non dubium est; qui vero ex minore est, contrarium facit. Atque hi quidem in dactylico genere ponentur rhythmi incompositi ac compositi, qui septem numero omnes erunt. Dactylus igitur est dictus, quia ordinem syllabarum consimilem digito 984
hominis informat; anapaestus vero, quia per ordinem redeat sursum; pyrrhichius vero, id est proceleusmaticus, quia hic assiduus vel in certamine vel in ludo quodam puerili; spondeus, quia plerumque *σπονδαῖς* inservit; ionicus sane propter numerorum inaequalem sonum; habet enim duas longas duasque correptas, quo pedum carmine multi saepe reprehensi sunt.

DE IAMBICIS METRIS.

Haec de dactylis satis: nunc iambica memoremus; in quo genere numeri 985
incompositi erant quatuor, compositi per copulam duo, at vero per periodum sunt duodecim. Qui igitur incompositi erant, isti sunt: iambus ex dimidia

verbo »major vero *dicitur*.« Memor. — Ego vulgatam retinui. Ceterum confer Godofr. Hermannum (elem. metr. p. 18).

ionico] Immo *ionicus*. Pariter infra legendum »spondeo simplici *et* proceleusmatico«; inepte vulgo *vel*.

dactylus] De hujus nominis et sequentium etymo vide Aristidem Quinctilianum (p. 37 et 48 Meib.) et Isidorum (in etym. 1, 17, 2; p. 24 sequ. Arev.).

plerumque σπονδαῖς] Omissa a negligentioribus librariis vox Graeca, ut saepe. Itaque lego: »*σπονδαῖς plerunque inservit*. Gnor. — Aristides (p. 37): »*Σπονδεῖος διὰ τὸ ἐν ταῖς σπονδαῖς αὐτὸν ᾄδεσθαι*.« Ex eo igitur, quem toto hoc capite ante oculos habuit noster, vocem, quam voluit Grotius, inserui. Miror Meibomium mendum prorsus non vidisse. Ceterum Grotius perperam ubique *Spondaeus* edidit, licet Graeca vox sit *σπονδεῖος*.

Ionicus] Aristides (p. 37) »*Ἰωνικὸς διὰ τὸ τοῦ ῥυθμοῦ φορτικὸν, ἐφ' ᾧ καὶ οἱ Ἴωνες ἐκωμῳδήθησαν*.«

incompositi erant] Codices Monacensis (C) et Darmstattensis hic et inferius inepte *errant*; tamen nec vulgata placet, atque haud scio an melius foret *erunt*, ut supra (§. 981) *vocabuntur*.

elatione et positione] Apparet nostrum haec vocabula nunc contraria potestate accipere, ut quam nos *thesin*, *elationem*, quam nos *arsin*, *positionem* dicat; qua de re ita Godofr. Hermannus (elem. doctr.

elatione, et positione quae gemina est; trochaeus ex duplici positione, et elatione quae brevis est; orthius, qui ex tetrasemi elatione, id est arsi, et octasemi positione constabit, ita ut duodecim tempora hic pes recepisse videatur, atque habet propinquitatem quandam cum iambico pede, quatuor enim primis temporibus ad iambum consonat, reliquis octo temporibus adjunctis; debinc trochaeus, qui semanticus dicitur, id est qui e contrario octo primis positionibus constet, reliquis in elationem quatuor brevibus artetur.
986 Compositi sane sunt, qui per copulas colliguntur. Sunt autem hi: bacchius, qui ex trochaeo deducit auspicium, fine autem iambici terminatur. Qui vero bacchius est, ab iambo principia sortitur, atque a contrario his quos diximus pedibus aptabitur. Per periodum vero est, quod velut per se certam viam provenit. In hoc genere quum sint duodecim numero, quatuor

metr. p. 11): »Illud tempus, in quo *ictus* est, R. Bentlejus *arsin*, tempora autem ea, quae carent ictu, *thesin* vocavit, ducibus Prisciano p. 1289 et Martiano Capella p. 191 ed. Meibom., qui ab elevatione et remissione vocis haec nomina ducta dicunt; ceteri musici et metrici veteres, a depositione atque elevatione pedis vel manus ea nomina derivantes, tempus ictu notatum *thesin*, destitutum ictu *arsin* vocari voluerunt, quam rationem ille ipse Martianus Capella sequitur, qui, ut dictum est, definitione illa sua contrarium dicit.«

orthius] Tam ex Darmstattensi codice, quam ex auctore ipso (§. 988) correxi corruptum *orchius* in editis. Eum et Plutarchus (d. mus. p. 1140) memorat. Adde doctum hujus interpretem (in Mem. de l'acad. X. p. 232. 285. 304) et Hermannum (elem. p. 660 sq.).

octasemi] Darmstattensis *ogdosemis*, male! Est enim Graeca vox ὀκτάσημος.

propinquitatem quandam] Alii ut codices Monacensis (C), Reichenauensis, Darmstattensis, et Meibomianus B *aliquam*, fortasse melius.

sunt autem hi] Alii *antibacchius*; sed sane antibacchius a spondaeo incipit et trochaeo terminatur; an itaque faciendum *amphimacrus*? is enim trochaeo incipit et iambo terminatur. Sane *bacchius* hoc loco ferri non potest, quum statim de bacchio subjiciat. Gnot. — Noster quum semper fere Aristidem sequatur, hunc conferre debebat Grotius: statuit enim ille (p. 37) »duo bacchios, quorum alter primum habeat iambum et secundum trochaeum, alter contra«; ut appareat non quos vulgo *bacchium* et *antibacchium* sive *palimbacchium* nominent (conf. Quinctil. 9, 4, 80 sequ.; p. 588 sequ. Spald.) sed *choriambum* et *antispastum* intelligendos esse (Boeckh. de metris Pind. p. 25). Ceterum ne sic quidem locus sanus est, et si nihil aliud certe infra duabus vocibus iteratis scribendum: »qui vero bacchius est *ab iambo*, ab iambo principia sortitur.«

per se certam] Haec manifesto corrupta sunt; quibus tamen sanandis imparem me confiteor, licet facile intelligam Martianum vocis περιοδον etymologiam Latino sermone exprimere velle.

duodecim numero] Horum tabulam Boeckhius (l. c. p. 26) hanc proposuit:

quidem per singulas periodos accipere docetur unum iambum ac tres trochaeos; ac de iisdem quatuor primum quidem quod iambum habere monstratur, trochaeus ab iambo denominatur; qui vero rhythmus secundum iambum recipiet, a bacchio trochaeus vocabitur; qui vero iambum tertium recipit, bacchius a trochaeo poterit nominari; ille vero, qui quartum admittit iambum, appellatur epitritus iambus. Eorum vero qui ex uno trochaeo fit etiam iambus a trochaeo appellatur; secundus iambus a bacchio dicitur, aut certe bacchius medius poterit nominari; qui vero tertium recipit, bacchius ab iambo nominatur; qui vero quartum recipit trochaeum, epitritus trochaeus appellatur. Octo vero et quatuor de his, quos duodecim diximus per periodum, illi 987
esse dicuntur, qui binos trochaeos atque iambos per pyrrhichium servant; atque ille qui primo trochaeos recipit, duplex bacchius a trochaeo esse dicitur; qui vero secundos iambos habebit, duplex bacchius ab iambo nominatur;

quatuor ex tribus trochaeis et uno iambo:

⏑ – – ⏑ – ⏑ – ⏑ trochaeus ab iambo,
– ⏑ ⏑ – – ⏑ – ⏑ trochaeus a bacchio,
– ⏑ – ⏑ ⏑ – – ⏑ bacchius a trochaeo,
– ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ – iambus epitritus;

quatuor ex tribus iambis et uno trochaeo:

– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – iambus a trochaeo,
⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ – iambus a bacchio,
⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – bacchius ab iambo,
⏑ – ⏑ – ⏑ – – ⏑ trochaeus epitritus;

quatuor ex binis iambis binisque trochaeis:

⏑ – ⏑ – – ⏑ – ⏑ simpl. bacchius ab iambo,
– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – simpl. bacchius a trochaeo,
– ⏑ ⏑ – ⏑ – – ⏑ medius iambus,
⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏑ – medius trochaeus.

trochaeus ab iambo] Sic reposui Aristidem secutus (p. 57), ubi est τροχαῖος ἀπὸ ἰάμβου: vulgo enim praepositio deest. Codex Grotianus quidem habet *iambodes*, sed hoc etiam ineptius videbatur et facile ex prima sequentis verbi syllaba oriri potuit.

a bacchio trochaeus] Vulgo inepte *trochaeo*, quod jam Grotius corrigendum esse vidit.

eorum vero] Hic aliquid excidisse certum est. Ita fere Martianus scripserat: »eorum vero qui ex uno trochaeo fiunt et iambis tribus, qui primum trochaeum habet, iambus a trochaeo appellatur.« Certe *etiam* in vulgatis ineptum est.

bacchius medius] Darmstattensis quidem *melius*: sed vulgatam retinui, etiam Monacensi (C) adstipulante; neque aliter Aristides: μέσος βακχεῖος.

ab iambo nominatur] Verbum omissum hoc a Grotio tam anteriores editiones, quam codices Reichenauensis et Darmstattensis habent.

octo vero] Lectio manifesto corrupta; exspectamus: »reliqui vero quatuor« cet.

atque ille qui] Secutus sum codicem Darmstattensem; vulgo inepte: »atque ille *septimus* qui trochaeos *primos* recipit.«

duplex bacchius ab iambo] MS. *a trochaeo*, et

quum autem trochaei medii collocantur, trochaeus medius jure dicetur; quum autem in medio iambi, medius iambus vocatur. Omnes vel qui incompositi per periodon, vel qui per copulam colligantur, rhythmi decem et octo nu-
988 merati sunt. Sed iambus dictus est ab eo, quod *ἰαμβίζειν* Graeci detrahere dixerunt, et hoc carmine quibusque veteres detrahebant. Item hoc nomen est ab eo, quod venenum maledicti aut livoris infundat. Trochaeus vero ab eo dictus, quod celerem reversionem faciat, veluti rota. Orthius propter honestatem positionis est nominatus. Semanticus sane, quia, quum sit tardior tempore, significationem ipsam productae et remanentis cessationis effingit. Bacchii vero sunt dicti, quod Bacchicis maxime sonis congruunt, isque Bacchi ludus est, qui illis carminibus aptatur.

DE PAEONICO GENERE.

989 In eo vero genere, quod paeonicum nominatur, incompositi duo rhythmi

subnectit: »qui secundus iambus (l. *secundos iambos*) duplex (adde *bacchius*) a diambo esse dicitur.« An itaque supra legendum *duplex bacchius a ditrochaeo*? Sane arbitror. Gnor. — Vulgatam retinui, nisi quod pro *esse dicitur* reposui ex anterioribus editionibus et codicibus Reichenauensi et Darmstattensi *nominatur*. Ceterum locum corruptum esse quivis videbit, licet sensus certus sit; fortasse pro *secundos* legendum *duos*. Quos autem noster, praeeunte Aristide, bacchios dicat, superius (ad §. 986) jam intelleximus.

rhythmi decem] Codices Darmstattensis et Monacensis (C) inepte inserunt *dicuntur et*; videtur tamen tota periodus turbata esse, quam ita probabiliter restituimus: »omnes vel qui incompositi *dicuntur vel qui* per periodon vel qui per copulam colligantur rhythmi decem et octo numerati sunt.«

ἰαμβίζειν] Aristides (p. 38): »ἴαμβος μὲν οὖν ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, ὃ ἐστι λοιδορεῖν, παρὰ τὸν ἰὸν εἰρημένος. Unde Iambus ille Archilochius maledicus (Casaub. ad Strab. 9, p. 422 et de poësi satir. p. 16 Creu.). Sed vide omnino Aristotelem (in poët. 5, 8) et Illgenium (de scoliorum poësi p. CXVIII).

trochaeus] Isidorus (etymol. 1, 17, 3; p. 25 Arev.): »ab eo dictus est, quod celerem *conversionem* faciat cantilenae, et quasi *rota* velociter currat in metris; τροχὸς enim Graece rota dicitur.« Aristides (p. 37. 38) eadem quae noster docet.

orthius] Ita Latine noster reddidit Aristidis (p. 38) verba: »ὁ δὲ ὄρθιος διὰ τὸ σεμνὸν τῆς ὑποκρίσεως καὶ βάσεως.« Inepte alios forte *artios* legere margini adscripsit Grotius.

semanticus] Graece Aristides (p. 38): »Σημαντὸς δὲ ὅτι βραδὺς ὢν τοῖς χρόνοις ἐπιτεχνηταῖς χρῆται σημασίαις, παρακολουθήσεως ἕνεκα διπλασιάζων τὰς θέσεις.« Adde Plutarchum (de musica p. 1140).

Digitized by Google

esse dicuntur: quorum unus paeon *διπλάσιος* appellatur ex longa positione et longa elatione; ac alter paeon epibatis, id est in thesi duplici positione producta et arsi longiore ducitur. Hi sunt paeonici generis numeri, quos incompositos esse praediximus. Neque vero per conjunctionem, hoc est *ὀυζυγίαν*, neque per periodum in isto genere rhythmus accedet. Inde *διπλάσιος* quidem dictus est, id est quasi duplicia membra discernat; epibatis autem, quia membris veluti utens quatuor et duabus diversitatibus copulatur.

DE PERMIXTIS GENERIBUS.

Verum haec genera quum permixta fuerint speciebus numerorum, primae 990
species erunt istae, quae dochiminae nominantur. Ex quibus prius quod fuerit, hac lege componitur, ut sit ex iambo et paeone, qui *διατόης* vocatur;

quorum unus] E Darmstattensi hoc codice recepi, quia cum sequenti *alter* melius convenit, quam *alius* in editis.

epibatis] Aristidi (p. 98 Meib.) *ὁ ἐπιβατός*. »Movetur magis« inquit »dupla quidem positione animum conturbans, elationis vero magnitudine ad summa mentem excitans.« Constare autem paeonem epibatum (p. 38) dicit »ex longa positione et longa elatione et duabus longis positionibus ac longa elatione — quoniam autem quatuor utatur partibus, fieri cum duabus elationibus et duabus diversis positionibus.« Ejusdem meminit Plutarchus (de mus. p. 1141).

duabus] Editi male *tria*: nostram autem lectionem non solum codices Monacensis (C), Darmstattensis, Reichenauensis, et Grotianus tenent; sed Aristides etiam (p. 39), e quo sua noster hausit, confirmat. Quanquam haud scio an altius mendum lateat et per homoeoteleuton fortasse exciderint, quae ad *epitritum* pertinent, quem ratione *trium ad quatuor* niti constat.

dochiminae] Sic editi et scripti omnes et antiquum mendum esse etiam glossa quamvis inepta in codice Darmstattensi docet, quae *approbativas* explicat, quasi a Graeco *δόκιμος* descendat. Veram et scribendi et derivandi rationem ostendit Aristides (p. 39 Meib.): *δόχμιοι δὲ ἐκαλοῦντο, διὰ τὸ ποικίλον καὶ ἀνόμοιον, καὶ μὴ κατ' εὐθὺ θεωρεῖσθαι τῆς ῥυθμοποιΐας*: sed quamvis ipse superius (§. 510) *dochmium* pro *dochimo* restituerim, hic tamen quidquam mutare nolui. Ceterum de dochmiacis versibus peculiaris liber exstat Seidleri (Lips. 1811).

qui διατόης vocatur] MS. »qui *διατόης*«: forte: »*διάτομος* — hunc *λύκειον* posteriores Graeci nominarunt.« Gnor. — Edidit enim ita: »qui *διττοὶ vocantur*: hunc *διάτομον* posteriores Graeci cognominarunt«; etsi jam antecedentes editiones *διατόης* praeberent, quod quamvis corruptum retinui, ne quid temere mutasse viderer, quum nec quod Aristides habet *διαγύος* omnino placeret. Sed sine haesitatione recepi ex Reichenauensi codice

hunc posteriores Graeci creticum cognominarunt; secunda est species, quae
991 ex iambo dactylico et paeone constare monstratur. Qui autem deducti numeri nominantur, propter assiduum et compositum sonum appellari videntur. Fiunt autem numeri, qui et prosodiaci vocantur. Quorum alii per ternos pedes fiunt, pyrrhichio iambo et trochaeo; alii vero quatuor, ut his tribus pedibus iambus primus aptetur; alii vero ex duabus syzygiis, id est copulis, bacchio
992 et ionico *ἀπὸ μείζονος* constare consueverunt. Sunt sane, qui etiam irrationabiles esse dicitur, quos alogos vocitamus, quos etiam chorios appellare consuevimus. Sunt autem numero duo, quorum alter diiambi figuram respicit, et constat ex elatione, quae longa est, et duabus positionibus, et numero qui est ad dactylum similis, partibus vero ad numerum ionicum jungitur et iambicum; alius vero est numerus, qui trochaeides nominatur, id est qui figuram quandam speciemque trochaei habere videtur, ex elationibus geminis et longa positione consistens, per contrarium prioris effectus.

DE QUINQUE SPECIEBUS MIXTI GENERIS.

993 Sunt autem mixti generis quinque, id est dactylicus per iambum,

vocatur pro *vocantur*, ut ad proxime antecedentem *paeonem* solum pertineret, unde etiam explicatur, quod mox ex Darmstattensi recepi *creticum*; hos enim ejusdem cum paeonibus mensurae fuisse satis constat. Vide Aristidem (1, p. 55 Meib.).

prosodiaci] Horum mentio praeter Aristidem Quinctilianum (p. 59), quem noster sequitur, exstat apud Dionysium Halicarnassensem (de compos. voc. p. 29 Reisk.), Plutarchum (de musica p. 1141), Hephaestionem (de metris p. 48), et scholiastem Aristophanis (ad nubes 632). Cave autem a *prosodia* derives, Graece enim *προσοδιακοὶ* scribuntur.

ex dualus syzygiis] Sic codices Monacensis (C) et Darmstattensis, vulgo soloece *duobus*.

ionico ἀπὸ μείζονος] Grot. *ionio*, quod correxi.

alogos] Vulgo *analogos* inepte; correxi e codicibus Reichenauensi, Darmstattensi, et Monacensi (C). Vide superius (§. 975).

chorius] Aristides (p. 39): *εἰδὶ δὲ καὶ ἄλογοι χορεῖοι δύο· ἰαμβοειδὴς, ὃς συνέστηκεν ἐκ μακρᾶς ἄρσεως καὶ δύο θέσεων, καὶ τὸν μὲν ῥυθμὸν ἔοικε δακτύλῳ, τὰ δὲ τῆς λέξεως μέρη κατὰ τὸν ἀριθμὸν ἰάμβῳ· ὁ δὲ τροχοειδὴς ἐκ δύο ἄρσεων καὶ μακρᾶς θέσεως, κατ' ἀντιστροφὴν τοῦ προτέρου*: quem illustrat Boeckhius (de metr. Pind. p. 41).

numero qui est] Boeckhius nescio unde *quidem est*, haud profecto male.

iambicum] Sic codex Grotianus; vulgo *iambicinum*.

dactylicus in bacchio incidens qui veniat ex trochaco, dactylicus per bacchium qui ex iambo manaverit, dactylicus per trochaeum qui ex iambi similitudine exordium mutuetur, dactylicus per chorium, qui ex similitudine trochaei videatur expressus. Et creticus quidem consonans ex trochaci positione et initio iambi *

*numeri componendi, et omnium figurarum plena perceptio. Dividitur 994
haec in eas quas et melopoeïa partes, quae sunt istae: *ἐπίληψις*, id est perceptio, per quam scimus, quo quantum numero utendum sit; *χρῆσις*, id est usus, per quem positiones aut elationes decenter aptamus; *μίξις*, id est permixtio, per quam quod opportunum fuerit ex arte miscemus. Tropi vero, ut in melopoeïa, et in rhythmopoeïa tres sunt, quos systalticos dicimus, et in harmonicis eos superius memoravi. Numerum autem marem esse, melos 995
feminam noverimus. Etenim melos materies est, quae sine propria figura

dactylicus] MS. ubique *dactylus*. Gnot.

in bacchio] Codex Darmstattensis *antibacchium*, male. Vide superius (§. 986).

exordium] Codex Darmstattensis *ordinem*, fortasse melius. Sed etiam certius esse videtur, pro *trochaeum* legendum esse *chorium*, quae eo facilior erat confusio, quia ipsum *trochaeum* interdum hoc vocabulo appellatum esse constat (Quinctilian. 9, 4, 80).

ex trochaei positione] Secutus sum codicem Darmstattensem et anteriores editiones, nisi quod hae in sequentibus *indicio* habent pro *initio iambi*; Grotius autem ita ediderat: »ex *trochaeo* positione et *indicio* numeri componendi« etc. Ceterum non persanatum locum esse facile apparet, quare lacunae signum posui.

ἐπίληψις] Ita et MS. Alii *ἐπιδέξιος*, quod vult *ἐπίδειξις* eodem sensu. Gnot. — Reichenauensis *epilempsis* praebet, Darmstattensis et Monacensis (C) *epilemsis*. Aristides (p. 43) simpliciter *λῆψις*: vide superius (ad §. 936).

systalticos] Alii, Grotio teste in margine, *systaticos*; sed retinui vulgatam, etsi unus tantum *systalticorum* tropus sit (vide ad §. 947), ut reliqui omissi esse videantur. Ceterum quod superius in harmonicis eos commemorasse ait, nihil invenimus, nisi in loco de melopoeïa (§. 965) exciderint. Sed in his quoque Aristidem (p. 43) caece exscripsisse arguitur.

melos materies] Materiam feminae assimilat. Sic Aristoteles lib. I *ἀκροαμάτων φυσικῶν*: *ἡ μὲν γὰρ ὑπομένουσα συναιτία τῇ μορφῇ τῶν γινομένων ἐστὶν ὥσπερ μήτηρ* etc. quae ibi sequuntur. Gnot. — Vide inprimis Aristidem (p. 43 et 90 Meib.), cujus haec verba sunt: *τινὲς δὲ τῶν παλαιῶν τὸν μὲν ῥυθμὸν ἄῤῥεν ἀπεκάλουν, τὸ δὲ μέλος θῆλυ· τὸ μὲν γὰρ μέλος ἀνενέργητόν τέ ἐστι καὶ ἀσχημάτιστον, ὕλης ἐπέχον λόγον διὰ τὴν πρὸς τοὐναντίον ἐπιτηδειότητα, ὁ δὲ ῥυθμὸς πλάττει τε αὐτὸ καὶ κινεῖ τεταγμένως, ποιοῦντος λόγον ἐπέχων πρὸς τὸ ποιούμενον.*

censetur, rhythmus autem opere quodam virilis actus tam formam sonis, quam varios praestat effectus.

996 Quae quum Harmonia intentis tam divis quam heroum populis augusta quadam suavitate percurreret, ad cantus carminumque dulcedines decenter regressa conticuit. Tuncque Jove assurgente divisque praeambulis *χοίμησιν* modulata in thalamum quoque virginis magna cunctorum voluptate pervenit.

997 Habes senilem, Martiane, fabulam,
Miscillo lusit quam lucernis flamine

populis] Temere Barthius (in advers. p. 1507) e libro suo praefert *pupulis*. Quod non fecisset, si totam legisset Martianum. Qui enim intenti *heroum populi* hic dicuntur auscultati esse, eosdem supra (§. 904) cum Harmonia advenisse noster retulit.

χοίμησιν] Editi praebebant *Cinesim*; ad quod Grotius: »Lege cum clariss. Vulcanio *χοίμησιν*, de qua voce supra, ubi de *ἐγερσίμοις*.« Monacensis codex (C) dat *cymesim*, melius etiam Darmstattensis *cymesin*. Pravam nempe in editis lectionem e corrupta ortam esse pronunciatione, satis superque alibi (in palaeogr. crit. T. 4. §. 854) demonstravisse mihi videor.

habes] Reposui hoc pro *tandem* in editis, tam e variante lectione a Grotio ad marginem rejecta, quam e codicibus Darmstattensi, Monacensi (C), et utroque Meibomiano. Probavit etiam Burmannus (ad Sueton. T. I, p. 83). Alloquitur nimirum Martianus filium cognominem, quod ex initio etiam operis apparet, neque tamen intellexisse videtur Scaliger, qui Grotio teste legi voluit: »tandem *senilis Martiane* fabulam.«

senilem] Sic Fulgentius nostri simius (mythol. 1, p. 3 Munck.): »parumper ergo ausculta dum tibi *rugosam sulcis anilibus* refero fabulam«; neque tamen necesse est cum Heinsio (ad Phaedr. 3, prol. 10) rescribi *anilem*; vide ipsum alio loco (ad Ovid. T. I, p. 91 Burm.).

miscillo] Sic supra:

»*Miscilla sacrae dum feruntur curiae.*«

Illustrissimus Scaliger *miscilla* legit. Gnor. — Equidem sublata interpunctione sententiam sic explanandam esse censeo: »fabulam, quam miscillo flamine ad lucernam lusit.« Vox nota, quam tamen alii, Varro, Cato, Plinius, Suetonius cet. *miscellum* scribunt. Gellius (ab init.): »*miscellum* et quasi *confusaneum*.« Appulejus (metam. 2, p. 100 Oud.) »fabulis *miscellis* explere pectus« scripserat, modo editionem principem et optimos consulueris codices. Sensum nullam habere dubitationem verbum *immiscuit* paulo post (§. 998) adhibitum docet (conf. not. ad §. 913). Metrum quidem flagitat *miscilla*; sed sane carmen hoc pluribus locis metro laborat, quibus omnibus certe nemo medicinam afferre poterit, ita ut Martianus negligenter scripsisse potius censendus sit.

lusit] *Ludere* significat *carmina componere*, ut apud Virgilium (ecl. 1, 10):

»Ludere *quae vellem calamo permisit agresti.*«

lucernis] Idem quod ad lucernas, sive lucernis ardentibus, lucem praebentibus. Ita et Cicero (Attic. 8, 2 f.): »*eadem lucerna* epistolam scripsi.« Vide superius (ad §. 2). Quapropter me non movent,

Satura, Pelásgos dum docere nítitur
Artes creagris vix amicas Atticis,
Sic in novena decidit volumina.
Haec quippe loquax docta indoctis aggerans 998
Fandis tacenda farcinat, immiscuit
Musas deasque, disciplinas cyclicas

quae Heinsius, omnia corrigere tentans (ad Ovid. T. I, p. 90 Burm.) ad hunc locum adnotat, legendum videri *lucernae adflamine*. Flaminis figura e re navali petita est, in qua omnia a prospero et secundo ventorum flamine pendent.

Satura] Hanc Martianus *κατὰ προσωποποιΐαν* loquentem induxit. Gnot.— Nondum hoc quidem loco; sed paulo inferius.

creagris] Artes, quae aegre ingeniosis Atticis intelliguntur. Vulcan.— Conjicit Meursius *diaeriis*; ita enim Attici appellati jam ante Thesei tempora. Si glossas sequamur, *criagris* legendum sit ea forma, qua *onagros* dicimus. Magis tamen crediderim innuere Capellam artes has suo tempore non tam familiares fuisse, quam culinariam, quam innuit per nomen instrumenti, quod Graecis *κρεάγρα*, Latinis ab eximendis carnibus *exemplum* dicebatur. Gloss. Isidori: »Creagrae, fuscinae, ad carnes de caldariis proferendas.« Similis est illa Ciceronis sententia: »quorum auditores discum audire malunt, quam philosophum.« Sane de artibus etiam apud Athenienses evilescentibus conqueri videtur Arithmetica, quae supra ait:

»*Cetera Cecropias aequum perhibere cathedras,*
Si tamen ullus inest nostris super halitus aris.«

Haec quum ita de desperato quodammodo loco cogitarem, succurrit *ὡς ἀπὸ μηχάνης* Julium sidus, ex quo didici Capellam *μεταφορικῶς*, ut solet, ipsa ingenia eo quod scientias apprehendant *κρεάγρας* vocasse. Gnot. — Reprehendit Heinsius (in Burm. syll. epist. III, p. 461 et ad Ovid. T. I, p. 90 Burm.) Meursium, reponitque *theatris*, pro arbitrio scilicet, quamquam libenter concedo reprehendi facilius aliorum hariolationes posse, quam ipsum aliquid probabile afferre. Videndum tamen an subtilitates potissimum dialecticas significet, quibus unice Attici gauderent ita, ut reliquas omnes artes prae illis spernerent. Creagras enim non carnibus modo verum omnibus rebus reconditis atque repositis promendis usitatas fuisse Aristophanis locus docet (in eccles. 1047), ubi creagrae appellantur *uncі* quibus urnae ex puteis tollantur. Neque *hamus* ille negligendus est, quem occultum tenere Dialecticam supra (§. 328) noster finxerat; nec quod Plato (in sophist. p. 210) *hamatilem* piscatum sophistas exercere dixerat. Sed ut ut haec sint, doctior est vulgata, quam quae corrupta haberi possit.

quippe loquax] Heinsius (ibidem) legi jussit *linguax*, quia versus vitio laboret; sed melius fuerit ipsi Martiano lapsum tribuere, quales hoc ipso in carmine etiam plures commisit.

Musas deasque] Amplexus sum distinctionem a Grotio in nota propositam. Pro *deasque* alios legere *deique* idem in margine notavit, nescio quo sensu.

cyclicas] Hae sunt ipsae illae septem artes, quae quia *orbem* quendam, ut Quinctiliani (1, 10, 1; p. 209 Spald.) verbo utar, liberalis doctrinae efficere viderentur, *ἐγκύκλιοι* a Graecis vocatae sunt. Quippe, ut ait Vitruvius (1, 1; p. 16 Dip.), »encyclios disciplina uti corpus unum ex membris est

Garrire agresti cruda finxit plasmate.
999 Hac ipsa nauci rupta conscientia,
Turgensque felle ac bile, multa chlamyde
Prodire doctis approbanda cultibus
Possemque comis utque e Martis curia;
Felicis, inquit, sed Capellae flamine,

composita.« Unde Tzetzes (chil. 11, 525):

»Ὁ κύκλος καὶ συμπέρασμα πάντων τῶν μαθημάτων
Γραμματικῆς, ῥητορικῆς, αὐτῆς φιλοσοφίας
Καὶ τῶν τεσσάρων τε τεχνῶν τῶν ὑπ' αὐτὴν κειμένων,
Τῆς ἀριθμούσης, μουσικῆς καὶ τῆς γεωμετρίας
Καὶ τῆς οὐρανοβάμονος αὐτῆς ἀστρονομίας.«

Adde Strabonem (1, p. 13 Casaub.), Senecam (ep. 88, p. 368 Lips.), Plinium (hist. nat. init.), Sextum Empiricum (adv. math. 1, p. 216 Fabr.), Maximum Tyrium (T. II, p. 196 Reisk.), Sozomenum (hist. eccl. 5, 18; p. 623 f.), quosque praeterea laudant Salmasius (ad Solin. p. 848), Wowerus (de polym. 24), et Reimannus (idea ant. lit. p. 526 sequ.).

agresti] Erudito opponit Appulejus (Flor. 1, 3; p. 12 Oud.) et alio in loco (Apol. p. 407) cum *barbaro* conjungit.

cruda] Disputarunt de hac voce viri docti (ad Appul. apol. p. 515 Oud.). Sed apud nostrum cruda esse videntur quae non satis polita eoque inepta sunt.

plasmate] Fictione, quo de sensu jam superius (§. 913) egimus, neque erat, quod Heinsius (ad Ovid. T. I, p. 90) contra omnium codicum fidem nos reponere *phasmate* juberet.

hac ipsa nauci] Sensus hic esse videtur: »Satura ipsa nugas se egisse sibi conscia eaque re irata: possem, inquit, poëtico cultu et elegantia atque urbanitate Attica ornata prodire, sed prohibeor Capellae fortuna, qui causis orandis optimam vitae partem impendit jamque senili aetati propior curis atque egestate obtorpuit.«

chlamyde] Magno ornamento verborum. Gloss. ap. Vulcan. — Chlamys apud posteriorum temporum Romanos etiam elegantiorum hominum vestimentum fuisse videtur, ut apud Senecam (de vita beata 25), si lectio certa: »malo quid mihi animi sit ostendere praetextatus et *chlamydatus* quam nudis scapulis aut semitectis«; sed sufficit nunc de Graeco cultu intelligere.

comis] Sic codices Monacensis (C) et Reichenauensis unice recte; vulgo inepte *comes*. Opponitur agresti et crudo, ut apud Horatium (serm. 1, 4, 90):

»*Hic tibi* comis *et urbanus liberque videtur*«

et alio loco (serm. 1, 10, 41):

—— »comis *garrire libellos*
Unus vivorum.« —

Mox pro *utque* margo Grotiana *atque*, male.

e Martis curia] Areopago, in quo olim judicia, postea disputationes sophisticae habitae; nisi aliam quampiam Martis curiam Carthagini imaginemur. Grot. — Sophisticas disputationes in Areopago non novi; ceterum hunc ipsum significari a nostro certum est, licet nihil aliud dicere velle videatur, nisi ex ipsis penetralibus Athenarum Atticarum profectum.

Felicis] *Felix Capella* etiam apud Fulgentium audit (expos. ant. serm. p. 181 Munck.).

flamine] Grotius e suo codice mavult *famine*; dubito num justa de causa. *Flamen* pro *impulsu* di-

Indocta rabidum quem videre secula
Jurgis caninos blateratus pendere,
Proconsulari vero dantem culmini,
Ipsoque dudum bombinatore flosculo
Decerptum falce jam canescenti rota,

citur, similitudine a ventis repetita, ut superius (§. 997). Ceterum in constructione anacoluthia est, quum *flamine* nihil habeat quo referatur, sed infra demum in verbis »ob hoc creatum« oratio a Martiani fortuna ad rem ipsam redeat.

rabidum] Quemadmodum *rabulas* dicimus, et *linguae rabiem* Appulejus. Gnot. — Vide quae superius (ad §. 122) annotavimus.

jurgis] Sic scribendum recte Grotius intellexit. Heinsius (ad Ovid. Ibin 14; T. IV, p. 21 Burm.) incredibili temeritate *foris* substituit, quasi non ipsa *jurgia* causidicum satis declararent. Pariter Seneca (Hercul. fur. 172) »*rabiosa* fori *jurgia*« dixit. »Curam districtiorem forensem rabulationis partibus illigatam« jam superius (§. 577) Satura Martiano exprobraverat.

caninos] Ovidius:

»*Latrat et in toto verba* canina *foro.*«

Gnot. — Non absimile veri est, totum illum Ovidii locum (Ib. 254) nostro obversatum esse. Ceterum eadem metaphora Sallustius (apud Lactant. 6, 18, 16) *caninam facundiam* dixerat (cfr. Cort. ad fragm. (p. 1004 et Cujacium obs. lib. IV, cap. ult.), propiusque ad nostrum Petronius *Cerberum* forensem causidicum appellat.

proconsulari] Magnus Scaliger:

»*Proconsulari* jura *dantem culmini.*«

Gnot. — Inepta emendatio: quinam potest enim jura dare proconsuli? Quanquam corruptam esse lectionem haud nego; sensus tamen patet, Martianum apud Proconsulem Africae causas egisse. Quod si metrum pateretur, proponerem *perorantem*; nunc doctiores viderint.

bombinatore] Bombinatore flosculo i. e. clamatore superfluo. Vulcan. — MS.:

»*Ipso dudum bombinatorem flosculum.*«

Comparat se api, sic Flaccus:

— — »*ego apis Matinae*
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.«

Bombinatorem dixit quia bombus apum sonus proprie; hinc illae Graecis dicuntur *βομβεύειν*. Theocritus:

— — εἴθε γενοίμαν
Ἃ βομβεῦσα μέλισσα καὶ ἐς τεὸν ἄντρον ἰκοίμαν.

Malim autem hic *bombilatorem* legi, nam et auctor Philomelae canit:

»Bombilat *ore legens munera mellis apes.*«

Et Festus *bombilationem* apum strepitum esse testatur. Gnot. — Ego vero non video quomodo torquere se potuerint viri docti in explicando vocabulo, quod et metro et constructioni prorsus repugnet, atque omnino nullum esse videatur. Mihi nihil certius est quam Martianum scripsisse:

»*Ipsoque* dum bombinat ore *flosculo*«;

sed codicum auctoritatem desidero.

decerptum falce] Alii, teste Grotio in margine, *decertam falcem*, sine sensu. *Falcem* dicit temporis, qua jam *decerptus*, hoc est imminutus, debilitatus

Beata alumnum urbs Elisae quem videt,
Jugariorum murcidam viciniam
Parvo obsidentem vixque respersum lucro,
Nictanti cura somnolentum lucibus —
Ob hoc creatum Pegaseum gurgitem
Decente quando possem haurire poculo?
Testem ergo nostrum quae veternum prodidit
Secute nugis nate ignosce lectitans.

sit, quippe »incrementis lustralibus decuriatus« (§. 2). Falcem Saturni superius (§. 425) jam cognovimus.

canescenti rota] Senescente aetate. Vulcan. — Fortasse legendum:

»Decerptam *falce jam canescente* rosam.«

Gnot. — Mihi quoque verisimillimum est, temporis rotam respiciendam esse cum Vulcanio. Si quis rem altius repetere velit, caprarum illarum nomen huc trahere possit, quas Latine *rotas* appellari apud Varronem (de re rust. 2, 1, 5; p. 257 Gesn.) legimus, ut in suo ipsius nomine docte luserit Capella; sed illo ipso loco *platycerotas* legendum esse verisimilius est.

urbs Elisae] Carthago; nam Dido alio nomine Elissa vel apud Virgilium. Confer Salmasium (ad Solin. 27) et Modium (ad Justin. 18, 6; p. 441 Gronov.). Quod sequitur vocabulum *quem*, in anterioribus editionibus omissum, jam apud Grotium recte legitur, adstipulante etiam codice Monacensi (C); ut non necessaria sit J. G. Vossii (de hist. Lat. l. 3 in oper. T. IV, p. 221) conjectura, qui post *urbs*, ne hiet versus, excidisse suspicatur *haec* vel *nunc*.

obsidentem] Ita codex Darmstattensis pro *obsidem* in editis, quod et metrum poscit.

nictanti] MS. *nictantem*: Scaliger ob versum *nictante*. Gnot. — Usitatissima hypallage nihil offensionis habet. De verbo *nictare* vide nos superius (ad §. 2).

somnolentum lucibus] Interdiu dormientem, nocte vigilantem, qui Afrorum mos est, ob nimium illius regionis aestum, quod et ipse Martianus l. 6 de Afris loquens ita de monte Atlante ait: »Per diem silet, nocte et ignibus micat, tibiis, fistula, cymbalis, tympanisque perecrepat, Satyris Aegipanisque bacchantibus«, quem morem hodie Hispana nobilitas imitatur. Nam et somnum in multam lucem protrahunt, et bonam pomeridiani partem quieti tribuunt et ut illi loquuntur *passan la siesta*, noctem alea et lusibus transigunt. Vulcan. — Vide tamen ne *luces* pariter ut alias *lumina* nihil nisi *oculos* significent, ut apud Rutilium (itin. 1, 166):

»*Non possum sicca dicere luce vale.*«

testem ergo] Construe: »ignosce ergo nugis lectitans, nate secute testem, quae veternum nostrum prodidit«, hoc est Saturam. Pro *prodidit* Barthius (in advers. p. 1579) in suo codice legi testatur *condidit*, quod mavult, nescio quo sensu. *Veternus* est marcor senilis, ut Celsi (de medic. 3, 20) vocabulo utar, quem Graeci λήθαργον vocant; nunc in significationem imbecillitatis decrepitae usurpatur, ut apud Catullum (17, 24), Horatium (ep. 1, 8, 10), Virgilium (georg. 1, 124), alios; cf. Arntzenium (ad Pacat. paneg. p. 32) et Barthium (in adv. p. 2078).

COMPARATIO PAGINARUM

EDITIONIS GROTIANAE CUM PARAGRAPHIS KOPPIANIS.

Ed. Grot.		Ed. Kopp.	Ed. Grot.		Ed. Kopp.	Ed. Grot.		Ed. Kopp.
Pag. 1	Lib. I.	§. 1 — 2	Pag. 61	Lib. III.	§. 260 — 270	Pag. 121	Lib. IV.	§. 394 — 396
2		2 — 4	62		271 — 272	122		397 — 398
3		5 — 7	63		273 — 276	123		398 — 400
4		7 — 8	64		277 — 278	124		401 — 402
5		9 — 11	65		279	125		402 — 404
6		11 — 14	66		279 — 280	126		404 — 406
7		14 — 16	67		280 — 282	127		407 — 408
8		17 — 20	68		282 — 283	128		409 — 411
9		21 — 23	69		284 — 285	129		411 — 412
10		23 — 25	70		286 — 288	130		412 — 413
11		26 — 29	71		289 — 291	131		413 — 415
12		30 — 33	72		291 — 292	132		416 — 420
13		34 — 37	73		293 — 294	133		420 — 422
14		37 — 40	74		294 — 295	134		422 — 423
15		40 — 44	75		296 — 297	135		423 — 424
16		45 — 49	76		298	136	Lib. V.	§. 425 — 426
17		50 — 56	77		298 — 300	137		426 — 429
18		57 — 58	78		300 — 302	138		429 — 433
19		59 — 75	79		302 — 304	139		433 — 437
20		75 — 81	80		304 — 305	140		438 — 441
21		81 — 89	81		305 — 307	141		441 — 443
22		89 — 92	82		307 — 309	142		443 — 445
23		92 — 96	83		309 — 311	143		446 — 448
24	Lib. II.	§. 97 — 99	84		311 — 313	144		448 — 450
25		100 — 103	85		313 — 314	145		450 — 451
26		106 — 108	86		314 — 315	146		452 — 454
27		109 — 114	87		315 — 317	147		454 — 457
28		114 — 117	88		317 — 318	148		458 — 460
29		118 — 119	89		318 — 320	149		460 — 462
30		120 — 122	90		321 — 322	150		465 — 466
31		123 — 124	91		322 — 324	151		466 — 467
32		125 — 126	92		323	152		467 — 469
33		126 — 130	93		325 — 326	153		469 — 471
34		130 — 134	94	Lib. IV.	§. 327 — 328	154		472 — 474
35		135 — 139	95		328 — 331	155		474 — 476
36		139 — 142	96		332 — 336	156		477 — 481
37		143 — 149	97		336 — 342	157		481 — 483
38		149 — 152	98		342 — 344	158		485 — 488
39		152 — 158	99		344 — 346	159		488 — 492
40		159 — 166	100		346 — 349	160		492 — 496
41		167 — 172	101		349 — 351	161		496 — 500
42		172 — 182	102		352 — 353	162		501 — 503
43		185 — 195	103		354 — 356	163		504 — 505
44		195 — 200	104		357 — 360	164		505 — 507
45		200 — 208	105		360 — 362	165		508 — 510
46		209 — 215	106		363 — 364	166		510 — 512
47		216 — 220	107		364 — 366	167		512 — 515
48	Lib. III.	§. 221 — 222	108		366 — 368	168		516 — 518
49		222 — 224	109		369 — 370	169		518 — 521
50		225 — 229	110		370 — 372	170		521 — 522
51		229 — 231	111		373 — 375	171		522 — 524
52		232 — 253	112		376 — 378	172		524 — 527
53		254 — 257	113		378 — 379	173		527 — 531
54		258 — 241	114		379 — 383	174		531 — 533
55		242 — 245	115		384 — 385	175		535 — 538
56		246 — 250	116		386	176		538 — 538
57		251 — 258	117		386 — 388	177		538 — 539
58		259 — 261	118		388 — 389	178		540 — 543
59		262 — 265	119		389 — 391	179		543 — 545
60		266 — 269	120		391 — 394	180		545 — 550

Ed. Grot.		Ed. Kopp.	Ed. Grot.		Ed. Kopp.	Ed. Grot.		Ed. Kopp.
Pag. 181	Lib. V.	§. 550 — 555	Pag. 233	Lib. VI.	§. 720 — 722	Pag. 285	Lib. VIII.	§. 844 — 846
182		555 — 556	234		722 — 724	286		846 — 849
183		556 — 557	235	Lib. VII.	§. 725 — 726	287		849 — 852
184		557 — 560	236		726 — 729	288		852 — 855
185		560 — 563	237		729 — 731	289		856 — 858
186		563 — 565	238		731 — 732	290		859 — 860
187		565 — 566	239		733 — 735	291		861 — 863
188	Lib. VI.	§. 567 — 573	240		735 — 737	292		864 — 866
189		574 — 578	241		737 — 738	293		867 — 869
190		578 — 582	242		738 — 740	294		870 — 872
191		583 — 587	243		740 — 743	295		872 — 874
192		587 — 592	244		743 — 746	296		875 — 877
193		592 — 594	245		746 — 749	297		878 — 880
194		594 — 598	246		749 — 750	298		881 — 883
195		599 — 601	247		750 — 753	299		884 — 886
196		602 — 606	248		753 — 755	300		886 — 887
197		606 — 609	249		755 — 757	301	Lib. IX.	§. 888
198		609 — 612	250		757 — 759	302		889 — 892
199		612 — 616	251		759 — 761	303		893 — 896
200		616 — 621	252		761 — 762	304		896 — 898
201		621 — 625	253		762 — 765	305		899 — 902
202		625 — 629	254		764 — 767	306		903 — 905
203		629 — 634	255		767 — 769	307		905 — 908
204		633 — 639	256		769 — 771	308		908 — 911
205		639 — 641	257		771 — 773	309		911 — 914
206		642 — 644	258		774 — 776	310		914 — 917
207		644 — 646	259		776 — 778	311		917 — 919
208		646 — 649	260		778 — 780	312		919 — 923
209		650 — 651	261		780 — 782	313		923 — 926
210		651 — 654	262		782 — 784	314		926 — 930
211		654 — 656	263		785 — 786	315		930 — 931
212		656 — 659	264		786 — 788	316		931 — 933
213		659 — 662	265		789 — 791	317		933 — 937
214		662 — 663	266		792 — 794	318		937 — 940
215		663 — 667	267		795 — 797	319		941 — 943
216		668 — 670	268		797 — 800	320		943 — 947
217		670 — 673	269		801 — 802	321		947 — 950
218		674 — 676	270	Lib. VIII.	§. 803 — 804	322		951 — 954
219		676 — 679	271		804 — 805	323		954 — 958
220		680 — 684	272		805 — 808	324		959 — 961
221		685 — 689	273		808 — 811	325		962 — 964
222		689 — 691	274		811 — 814	326		965 — 968
223		692 — 694	275		814 — 817	327		968 — 971
224		694 — 696	276		817 — 822	328		971 — 973
225		698 — 701	277		822 — 826	329		975 — 977
226		701 — 703	278		826 — 828	330		978 — 980
227		703 — 706	279		829 — 831	331		981 — 985
228		706 — 709	280		832 — 834	332		985 — 986
229		710 — 712	281		834 — 838	333		986 — 988
230		712 — 714	282		838 — 840	334		989 — 992
231		715 — 716	283		840 — 842	335		993 — 996
232		716 — 720	284		842 — 844	336		997 — 1000

INDEX

VERBORUM RERUMQUE NOTABILIUM, QUAE VEL AB IPSO MARTIANO VEL IN COMMENTARIIS AD EUM TANGUNTUR.

A literae pronunciatio §. 261
usus in fine vocabulorum 279 sequ. 290.
transitus in alias vocales 255.
conjunctio cum aliis vocalibus 254.
abacus pulvere superfusus 575. 586. 725.
pingendis formis opportunus 579. 582.
Pythagoricus 729.
Abaeneria insula 644.
Abdera urbs 657.
Abderitae senis alimma 110.
abdicatio filii 470.
abdicativum proloquium 529. 596. 401.
Abnoba mons 662.
abollae 802.
absis 884 sequ.
absoluta qualitas 454.
species 515 sequ.
absque pro praeter 255. 280. 867.
abusio 512.
Abydos urbs 658.
Abyla mons §. 624.
Acarnania 651.
accentus quasi accantus 268 sequ.
figurae 273.
accidens in dialectica 539. 547.
in rhetorica 480.
Accius in Pelopidis 272.
acclamatio 94 not.
in rhetorica 546.
acclinatus 804.
accommodus 901.
accusativi quantitas 280 sequ.
constructio Graeca 70 not.
acerra 115. 142. 168. 215.
acervus in syllogismis 527.
Achaja 652.
Acheron amnis 651.
Acherusius specus 688.
Achillis insula 665.
Acone portus 688.

aconitum §. 688.
acquisitus tonus 931. 941. 954. 965.
Acroceraunium promontorium 615. 650. 651.
acronychus ortus siderum 880. 887.
acta deorum a Parcis excepta 65.
Acte nunc Attica 655.
Actiacum littus 928.
actio an admittenda 435.
pronunciatio dicitur 540.
Actium colonia 651.
activum grammaticae officium 250.
verbi genus 300.
acumen soni 932. 940. 947.
acutus accentus 268 sequ.
angulus 711.
adamas 75.
adamantinus 7. 110.
addictus 446.
addubitatio figura rhetorica 525.
Adiabene olim Assyria 678. 691.
adjaculatus fulgor 169.
adjectio connubialis 5.
in rhetorica 562.
Adiris mons 667.
admissum 451. 452.
admonitio 562.
Adon Byblius 192.
Adrastiae urna 64.
Adria urbs 657.
Adriaticum mare 640. 657.
Adrumetus urbs 670.
adstructio oratoris 461. 467. 475.
adverbiorum quantitas 284. 325.
adulterium 452.
aeet ai in dativo 266.
Aegaeum mare 658.
Aegeum 658.
Aegialos 652.
Aegilios insula §. 644.
Aegipanes 667. 674.
Aegusa insula 648.
Aegyptii fusci 729 not.
Aegyptiorum literae 157.
rupes 550.
adyta 812.
instrumenta musica 924.
Aegyptus 672. 675.
ibi Astronomia per secula occulta 812.
ibidem Dialectica educata 550.
aeizoon herba 141.
Aemonia 654.
Aeneas inter deos relatus 95.
indiges 657.
aeneis tabulis incisa SCta 97 not.
aenigma redimiculi Philologiae 141.
Aeoliae insulae 648.
Aeolis 685.
Aeolius tropus in musica 955.
Aeolus 648.
aequale numeri genus 978.
aequalitas 758.
aequicrurium triangulum 712.
aequidistantes 817.
aequilaterum triangulum 712.
aequinoctialis circulus 820. 829.
nox 875.
aequivocum 329. 339. 355.
aër 149. 165.
vocis quantitas 279.
terram fulcit 590.
Juno 67 not. 74.
aëria Juno 149.
Aeschines orator 452.
Aesculapii uxor 4.
Aesopus 358.
aestas 874.

aestimator orationis §. 447. 461.
aestuarium 667.
aetates hominum quatuor 734.
Aeternitas Jovis filia 7.
aether Jupiter 67 not. 130.
Minervae attributus 39. 66. 568.
aethereus fomes 567.
fulgor 814.
aetherea Juno 168.
Aethiopes 673. 675.
Aethiopia 621. 702.
Aethiopicum mare 616. 705.
aethra 425.
aethrae circulus 567.
Aethusa insula 648.
Aetna mons 647.
Aetolia 651.
Afer Herculis filius 667.
afflictim 327.
afflictio rerum 567.
Africa 622 sequ. 667 sequ.
ejus dimensio 672. 705.
propria 669.
Africum mare 645.
agalmata 567.
Aganippe fons 655.
Agathyrsi 665.
aggarrire 2.
aggerere 250.
aggestio 170. 810.
agoge musica 958.
rhythmica 970.
rhetorica 470 not.
agones 925.
Agrippa 632. 654.
Agrypnia Philologiae ancilla 112. 145.
Agylla urbs 642.
ai pro ae 266.
Ajax §. 472.
ajentia 342. 384. 387. 391.
al in fine 270.
alae remigia 115 not.
Alani 665.
albicare 2. 511.
Alexander Magnus 594. 621. 655. 691. 694. 699. 925.
Alexandria urbs Aegypti 595. 595. 616. 672. 676. 705. 858. 927.
Sogdianorum 692.
aliena verba rebus imposita 340. 359. 360.
alimma 110.
alipedes 29. 189.
alites augurales 26.
allegatio 457.
allegoria 512.
allubescere 25. 31. 181. 726. 913.
aloga spatia in musica 949.
alogae lineae 717 sequ.
alogi pedes 975.
numeri 992.
Alpes 613. 654 sequ.
Alpianus et Fontejus consules 504.
Altarium 843.
alternare 6. 117.
alternatae literae 205.
altitudo numerorum 754 sequ.
stellarum 884 sequ.
altus 452 not.
alucinari 509.
alumna 87 175.
alumnans 815.
alumnare 892.
am in fine 285.
Amaxobii 665.
Amazones 665. 925.
Amazonica pelta 659.

ambages §. 9. 462.
ambifarium nital 181.
ambiguitas 462.
ambitior cursus 814.
Ambracius sinus 651.
ambrosius pudor 116.
dies 912.
amentatae hastae 441.
amfractus 425.
amictus 580.
amital 181 not.
Ammon 137. 192.
Ammonis oraculum 672.
Amnes dii minores 425.
coelitus defluentes 14.
Amor deorum antiquissimus 1.
geminus 144.
Amphiaraus 159.
amphibolia 462.
amphimacer pes 519.
Amphion 908.
Ampsaga fluvius 668 sequ.
an in fine 279.
an pro sive 804.
anacamptos 958.
anacephalaeosis 564.
anadiplosis 555.
analogia 289 sequ. 794.
analogicus 756.
anapaestus 519 sequ. 981. sequ.
Anaxagoras 592.
Andromedae signum 828. 838. 842.
filius Erythras 677.
Andros 660 not.
angelici populi 211.
angelus 155.
Angerona 4 not.
anguli 711 sequ.
anhelare §. 441.
anhelus 29.
Anima Entelechiae filia 7.
animae partes tres 755.
simulacrum verberatum 142.
animae puriores ubi maneant 155.
beatorum veterum 211.
fontibus emanantes 922.
animalia musica adducuntur 907.
animantium divisiones 546. 755.
effigie literae 157. 158.
Anio 292.
anni tempora quatuor 16. 106. 754.
annus lunaris 866.
solaris 872.
magnus 868.
anomala 56. 289. 525.
Antaeus 666. 667.
Antandros 658. 660.
antarcticus circulus 822. 831.
antarcticae terrae 593.
antecedentia in dialectica 474. 490.
Antenor 642.
antezeugmenon elocutionis figura 557.
Anthropophagi 665. 695.
anthypophora 565.
antiae draconibus circumflexae 181.
Antianum mare 644.
antibacchius 986 not.
Antilibanus mons 680.
Antiochia 678. 680.
Antiochus 619. 691.
Antipater Caelius 621.
antipodes 605 sequ. 874.
Antipolis urbs 645.
antisagoge 524.
antisigma 245.
antistans 908.

antistes nictans §. 2.
antistitium 134. 893.
antistrophe elocutionis figura 554.
antithesis 980.
antitheton 551.
Antonius orator 452 not.
Aones 924.
Aonidum vertex 119.
Apamea urbs 685.
Apelles 379.
apex 527.
rationis 567.
Aphrodisia insula 700.
Apis 672.
aplanes sphaera 28. 814.
apocatastasis 742.
apocatastaticus 753.
apodictica fides 475.
cognitio in geometria 706.
schemata 715.
Apollo cum Mercurio junctus 8.
cum Baccho 11.
pestis auctor 18.
lauream gestitat 7.
Jovis consiliorum conscius 25.
auricomus 12.
Musagetes 54.
Clarius 686.
Didymaeus 692.
ejus cognomina 15.
vaticinia 9.
aves 894.
certamen cum Marsya 685.
portus 651.
promontorium 669.
ei corvus sacratus 455. 894.
ei copulata Mantice 6.
Apollonia urbs Cyrenaicae 672.
Apollonia Palaestinae §. 679.
apologus Aesopi 558.
apostrophe 525.
apotheosis 140. 206.
appetitus mortis 656.
Appius Claudius 261.
appulsus melicus 11.
aprugnus 197.
Apulia 659.
aqua rerum principium 215.
in lustratione 142.
ex Aquarii cratere fluens 838.
Aquarius in zodiaco 830. 838. 843.
Aquila signum 829. 835. 838. 841. 845.
Aquili dii 164.
aquilonia signa 838.
Aquitania 666.
ar in fine 279.
Ara signum coeleste 838.
Arabia 593. 621. 678.
Arabici halatus 215.
Arabicus sinus 620. 699.
Aracynthus 651.
arae Herculis, Liberi patris, et Alexandri M. 692. 694.
forma cubica 102 not.
aratri curvi puer 192.
Aratus 850 not.
arbitrarius fictor Jupiter 68.
arbor navis 185.
Arcadia 916.
Arcadica ratio 457.
Arcadicum sapere 577.
arcanus prisci juris assertor 898.
Arcas Mercurius 7. 24. 705.
Arcesilas 215.
Archimedes 212. 587. 858.
ejus sphaera 585.
Architectonica 891.

archivum superùm §. 65.
arcibus templa Minervae 575.
arcticus circulus 818. 827.
arctoa conversio 593.
lumina 605.
Arctophylax 852.
Arcturus 595. 840.
arcus Dictynnae 170.
Ardeae conditor 642.
Arcopagus 999 not.
arere, arens 10.
Arethusa fons 655.
Argaeus mons 690.
Argiletum quo accentu 273.
Argiona Jani uxor 4.
Argo signum coeleste 830. 833. 838. 843.
argumentatio 506. 544. 557.
argumentum 174. 474. 550. 557.
Argus 66 not.
Argyrea insula 695.
Ariadnes corona 98 not. 838.
Aries in zodiaco 829. 832. 843. 845.
Arimaspi 665.
Arinis uxor 469.
Arion 908.
Ariphaei 665.
Aristoteles 315. 327. 335. 751.
Aristoxenus 212. 924.
arithmetica proportio 757.
arma eloquentiae 426.
armata Minerva 567.
Armeniae 665. 685. 690.
portae 685.
armipotens Mars 725.
aroma 115. 142. 149. 215.
Arporum conditor 642.
arradere 579.
arrhythmos 970. 972.
arrigere aures §. 518.
Arsia flumen 650.
Arsinoe urbs Aegypti 676. 677.
Cyrenaicae 672.
arsis 969. 974. 985 not.
Artabrum promontorium 611.
Artemidorus geographus 611. 615. 616. 676.
Artes 158.
a Mercurio inventae 36.
Minervae curae 570.
e Graecia Romam migrarunt 571.
septem liberales 998 not.
artia 949.
articuli 238. 249. 250. 256.
verborum 585.
quaestionum 556.
artificialia argumenta 557.
arundinetum Amoris 917.
as in fine 279. 300.
Asclepiades medicus 926.
Asia 622. 626.
propria 684.
ejus caput Aegyptus 675.
ejus dimensio 705.
Asiatica jurisdictio 682.
Asiaticum mare 684.
asinus ad lyram 807 not.
asomatos profatus 223.
asperae voces vitandae 515.
aspiratio 252.
assecutor 905.
assertio 121. 185. 229. 550. 592.
assertum 454. 505. 599. 601.
assimile 474. 583.
associus 327.
assultus 804.
assumtio 414 sequ.
assumtiva qualitas 454.

Assyria §. 678.
astra dii 97 not. 125 not. 872.
adscendere 429.
Astraea 174. 810.
Astraeus 817.
astrificare 585.
astrificus peplus 584.
astriger thalamus 888.
astrigera sedes 808.
astrigeri dii 91.
astrigerum coelum 193. 802.
astriloqua puella 808.
astriluci divi 889.
astrisonus 811.
astritis gemma 75.
astrologi 15.
astrologia 805 not.
astronomi officium 250.
Asturum conventus 632.
Astypalaea insula 612.
asymmetrae lineae 718.
asyndeton 536.
asyntheta 949.
Atarantes 673 not.
Athanasia 134 sequ.
Athenae Atticae 655.
longa intercapedine restitutae 812.
artibus insignes 225. 353. 427.
Athos mons 655.
Atlantes 673.
Atlantiades Mercurius 38. 726. 889.
Atlanticus oceanus 625. 627. 629. 672.
Atlas mons 667.
atomus 149. 215. 971.
atque pro statim 21.
atramentum 224 not. 225.
Atropos 65.
Attacorus sinus 693.
attemptare, attentare §. 888. 895. 924.
attentus reddendus auditor 545.
Attica 223. 655.
Atticae cresgrae 997.
atticissare 587.
Attis 192.
au pro o 253 not.
Auchetae 665.
auctoritas 500.
auctumnescere 605.
auctumnus 75. 874.
audaciter 525.
auditores 540. 544. 545.
eorum genera 447.
Augilae 674.
augurales alites 26.
augurata omina 151.
Augustus 618. 681.
aulica dulcedo 905.
suavitas 926.
Aulis oppidum 659.
Aulocrene 685.
aura mentis 1.
aurata vox 429.
arena 628.
auratus Sol 14.
auri flamma 585.
auricomus Apollo 12.
Aurora 116. 219.
Leucothea 115 not.
Ausoniae scholae 353.
Ausonium mare 649.
auspicia 95. 247. 595. 852.
australis circulus 822. 851.
austrina signa 858.
Autoclus 642 not.
aves augurales 7. 26.
axioma scholicum 327.

axis coeli vel mundi §. 201. 664. 739. 815.
Azoni dii 61.

B literae pronunciatio §. 261.
Babitace urbs 700.
Babylonia 678. 701.
bacchius 986 sequ. 993.
Bacchus 82.
chori pater 1.
cum Apolline junctus 11.
puer a Mercurio in coelum portatus 126 not.
ridet Dialecticam 331. 424.
Bactra oppidum et fluvius 692.
Baetica 607. 630.
Baetis fluvius 876.
Bagrada fluvius 669.
Balarides insulae 645.
Baleares insulae 645.
balteatus 426.
barbaries copiosa 615.
barbarismi 326.
barbiton 36. 910.
multiforme 913.
bardi 656.
Bargilus mons 680.
beatitas 265.
beatorum animae 211.
Bebrycia 687.
bello praeest Minerva 568.
Belus astronomiae inventor 701.
bene corripit ultimam 525.
Beneventum 642.
Berenice urbs 672.
Berenices coma 593.
besse 865. 877.
Bessi 656.
Bias Prieneus 807 not.
bibliothecalis copia 159.
bilanx libra §. 180.
binarius numerus 752.
bipedale 346. 503. 572.
birrus 556.
bis ex omnibus 948. 950.
bis plenum 912.
Bithynia 687.
bivium mortalitatis 102.
blandum solari 903.
stertere 804.
Blasci 643.
blaterare 414.
blateratus canini 999.
Blemmyae 674.
boatus 98. 121. 213.
Boeoti tibicines 924 not.
Boeotia 651. 655. 659.
bombinator 999.
bombus 67. 197. 427.
Bootes 98. 595. 808. 852. 841. 843.
Borysthenes fluvius, lacus et oppidum 663.
Bosphorus 661. 688.
Bostaris nex 469.
Bracarum conventus 632.
Braccata provincia 634.
bracteae auri 999.
bracteatus 75.
Bragada fluvius 669 not.
brevis syllaba 274.
Britannia 595. 666.
Bromiales vernaculae 804.
Bromius 524. 889.
factior deorum 551.
brumalis circulus 601. 821. 850.
dies 846.
Brundusium 645.
Bruttium 658.
Bulla regia oppidum 669.

Digitized by Google

bupaeda §. 31. 908.
Buthrotum 651.
Byblius Adon 192.
byssus 114.
Byzacium 670.
Byzantium 657.

C litera duplex 276.
in fine vocabuli 279. 285. 284.
ejus pronunciatio 261.
caballus Gorgonus 119.
cacemphaton 518.
cacumina i. q. accentus 275.
Cadmus 7. 95.
caduceus 9. 126. 858 not.
Caeculus 642.
Caelius Antipater 621.
Caesar Catonem accusans 468.
Augusti filius 681.
Caesaraugustanus conventus 652.
Caesarea Africae 668.
Cappadociae 690.
caesum in oratione 527 sequ.
calami musici 916. 924. 925.
Calamina insula 927 not.
Calaris urbs 612 not.
calcei Jovis 66.
Junonis 67.
Solis 77.
ex papyro 115.
Caledonia silva 666.
Calcon portus 651.
caligosus 67 not. 803.
calleo cum ablativo 228.
Calliope 1. 119. 158. 888.
Cyllenium orbem complexa 28.
Callirhoe fons 655. 679.
Callodes insula 645.
Calpe mons §. 624.
calumma 67.
calvitium 804.
Calydon urbs 651.
Camarina urbs 648.
camera 882.
Camoena 1. 915.
Campania 594. 658. 641.
Camphasantes 674 not.
Canaria insula 702.
Cancer in zodiaco 824. 828. 833. 841. 844. 849.
candicare 728.
Candidum promontorium 669 not.
candores fulgentes 196.
Canicula signum 98. 830. 838. 841.
canini blateratus 999.
cannulae 224.
Canopicum Nili ostium 672. 675. 676.
Canopos urbs 672.
sidus clarissimum 593. 608. 696. 808. 838.
canor et vapor 917.
Capella Martiani cognomen 806. 999.
caperatus 509.
Caphareus promontorium 659.
capillitium 181.
implexum 331.
capillum solvere 905.
Capitolium 225 not.
Capotes mons 681.
Cappadocia 690.
capra 177.
Heniochi 858.
ejus similis insula 658.
Capraria insula 643. 644. 702.
Capreae 644.
Capricornus in zodiaco 830. 833. 843. 849.
caprigenum tergus 224.

capsae §. 522.
captentuli ludi 425.
Capua 556. 639.
caput cum dativo 425 not.
Caralis urbs 612.
Caralitanum promontorium 645.
Carambis promontorium 615. 689.
carbasina volumina 136.
Carcenna urbs 668.
Caria 686.
carianus tripus 10.
Carmania 699.
Carmentis 159.
Carneades 327.
caro 292.
Carpathium mare 612. 684.
Carpi 669.
Carthago 627. 632. 669. 672. 999 not.
nova 655. 645.
Carystus 659.
Casius mons 680.
Caspiae portae 685. 691.
Caspium mare 619. 665. 691. 695.
Cassiodorus 305 not.
Cassiopea 835. 838. 842.
cassus (a, um) 7. 10. 21. 100. 109. 576. 592. 803. 905.
Castalius 651.
Castor 298.
Castores 30. 85. 210.
castra Hannibalis 640. 649.
castratus 512.
Castulo oppidum 651. 653.
Catabathmos 672.
catachresis 512.
Catamitus 544.
categoriae decem 339 sequ. 365 sequ.
Catillus 642.
Catina urbs §. 647.
Cato Uticensis 669.
deliberans 448.
a Caesare accusatus 468.
Catullus poëta 229.
Caucasus 683. 691. 700.
causarum genera 447 sequ. 466.
natura 469.
ductus 470. 472.
causatio 458. 466.
causativa vis 731.
causativum litis 472.
cavilla 425.
Caycus fluvius 686.
cecaumenus 17.
Cecropiae cathedrae 802.
Cecropidae 424.
tristes 888.
cedro perlita papyrus 136.
Celaene urbs 685.
Celeritas 7 not.
filia Solis 30.
censio 91.
Centaurus signum coeleste 830. 832. 838. 843.
centesimae fruges 81.
Cepheu 296.
Cepheus signum coeleste 827. 838. 840.
cera 538.
fago illita 225.
Ceras chryseon 657.
ceraunia gemma 67. 75.
Ceraunius mons 685.
cerebrosus 809.
Ceres 40. 86.
ejus templum 464.
cernentia 383 sequ.
cernere ferro 85 not.
cerritulus 806.

cerritus §. 509.
certamina gallorum 177.
cerva Lunae sacra 170.
cervi fistulis capiuntur 927.
cervicem jactare 543.
ceryceus 531.
cessator 726.
cessim 25. 805.
Cethegus 269.
Cetus signum 830. 832. 838. 843.
Chalcis 659.
Chaldaea miracula 142.
Chaldaei 681. 701.
Chalcon portus 651 not.
Chaones 651.
chaos foedifragum 912.
Charis trina 888.
Charites 132. 907.
Charon 142.
Charybdis 641.
luxuriosa 512.
Chelae in zodiaco 859.
i. q. brachia 905 not.
chelys 56. 910. 912.
Arionia 908.
Jovis enneaphthongos 66.
Latoia 220.
Pindarea 119.
Cherronesus 658. 660.
Chimaera mons 684.
chirographum 499.
Chius insula 616. 658.
chlamys 5. 999.
Chones 642 not.
chordacistae 924.
chorii 992.
chorus Parcarum 32.
Musarum 117.
chroma modulandi genus §. 955. 956. 959.
chromatice diesis 950.
chromaticus 942. 949. 955. 966.
chronicus planetarum ortus 887 not.
Chrysea insula 695.
Chrysippus 327.
Chrysoceras promontorium 657.
Cicero 136.
consul 451.
trabeatus 429.
apostrophe frequenter utitur 523.
Catonem laudans 468.
artem dissimulans 516.
versus non evitat 517.
reprehenditur 519. 522.
ejus exempla usurpat Rhetorica 459.
in rhetoricis 399. 459. 445. 487. 508. 551.
in academicis 517.
in Hortensio 441.
in Quinctiana 556.
in Rosciana 441. 444. 469. 490. 502. 522.
in divinatione in Caecilium 505. 522.
in Verrinis 449. 469. 485. 487. 491. 495. 495. 504. 507. 509. 510. 515. 517. 520. 534. 536.
in Verrinarum septima 504.
pro Tullio 509. 556.
in Corneliana 492. 506. 523.
pro Fontejo 534.
in Caeciniana 527.
pro Cluentio 507. 518. 523.
de lege agraria contra Rullum 534. 536.
in Catilinariis 496. 498. 505. 529.
in Muraeniana 525.
in Scauriana 441. 469.
pro domo sua 455. 512. 528.

Cicero de rege Ptolemaeo §. 524.
pro Caelio 469. 503.
in Pisonem 498. 512. 543.
pro Milone 441. 451. 452. 461. 469. 505. 506. 516. 520. 524. 526. 528. 536.
pro Ligario 520. 523.
pro rege Dejotaro 492. 502.
in Philippicis 472. 486. 488. 494. 511.
in oratore 519.
Cicones 636. 694.
cicuta 916.
geminata 908.
ciere pectus 24. 91.
sonum 117.
barbiton 913.
cantus 918.
cilia 132.
Cilicia 678. 682. 690.
Cimbricum promontorium 618.
Cimmerii 665.
Cimmerius lacus 662. 685.
cingulum 115.
ponere 149.
cinnama 902.
Cinxia 149.
Circeja habitatio 641.
circi organici 119.
circote 815 not.
circulare 728. 831.
circulares flexus 579.
circulata ordinatio 660.
circulatrix 331. 423.
circuli 815. 817. 827 sequ.
planetarum 117. 856.
eorum spatia vel intercapedines 199. 814. 837.
circulus 711 sequ.
aethrae 138.
circumactus §. 429. 918.
circumactio 885.
circumflexus 268. 273.
circumscriptio 527.
circumstantiae septem 557. 589.
circumvolitabilis 584.
cire 91.
cirrati 326.
Cirrha 119. 651.
Cirrhaei recessus 11.
Cirta colonia 660.
Cithara Deliaca 924.
citharae usus et effectus 925. 926.
clangor 566. 809.
Clarius Apollo 30. 34. 326. 686.
claudere secula 123.
fatibus orsa 802.
Claudius imperator 275.
(Appius) 261.
clausula 517. 519. 521.
Cleonaei rictus 84.
clepsydra 847. 860.
cliens 548.
climata 859.
octo 876.
coeli quatuor 106.
climax 536.
Clio 122.
amplectitur Lunam 28.
Clodius 443. 453. 454. 469. 512.
Clotho 65.
Cluniensis conventus 632.
Clypea oppidum 669.
clypeum 909.
Solis 77.
Minervae 569.
coactus 135. 458. 814.
coagmentatus 513.

coaptare §. 6. 94. 141.
coccinum 140.
coccus 7.
coelestis Juno 58.
harmonia 12. 27.
coeli partes sedecim 45.
coelicolae 3. 41. 215. 425.
coelicus senatus 891.
coelifer 657.
Coelulum signum coeleste 858.
coelum 150 not.
Coene insula 648.
coërcitio 645.
cogitationum arcana 155.
cohibentia 949.
Colchica fiducia 110.
collacteus et collactaneus 6. 111.
collaterare 249.
collatio 469. 717. 737. 741.
collidere 464.
colliniatus 720.
colluctari 556.
colon 520. 527. 529.
Colophon urbs 686.
color 709. 956.
orationis 471.
colorabilis 942.
colorare vocem 541.
Colubraria insula 645.
columbinum collum 215.
columen sectatorum 436.
coluri 823. 852.
comarum fucus 696.
comis 82. 999.
comma 520.
Commagene 678.
comminuere caput 88.
commotio animorum 475. 504. 541.
commune verbi genus §. 509.
communis syllaba 278.
comoedia 558.
comparatio 454. 457. 496. 758.
comparativa qualitas 451.
comparativus pro superlativo 6 et passim.
compendia intelligentiae 815.
compensare 560.
compensatio 457.
competenter 614.
complexio 404. 551.
complexiva conjunctio 272.
complicare 610.
composita spatia 949.
compositi numeri 750. 776. 778. 784.
in rhythmica 979.
compositio 514.
compositivus 945.
conceptio 557.
communis 755.
conceptus 428.
concessio 454. 458. 555. 562.
conchae 903. 915.
conciliatio animorum 473. 502.
conclusio 408 sequ. 506.
concolorus 80. 659.
concordare 576. 947.
Concordia 147. 751.
concubiae 37.
concussus 26. 552. 901.
condicere 97.
conditionalis syllogismus 345. 414.
conditores urbium 642.
condylus 88.
conferre arbitrium 91.
confinis 407. 716.
confirmatio 544. 557.
conflictus 450. 464. 467.

confundere numeros §. 782.
conglobare 537.
conjectura 444 sequ. 451 sequ.
conjecturalis virga 7.
conjugata 474. 484. 539.
conjugationes 511 sequ.
conjugia sacra 3.
conjuncta 489. 559.
conjunctarum tetrachorda 942 sequ. 961.
extenta 931.
conjunctiones 286. 310.
connexe 387.
connexio 554.
connivere 25. 27. 112. 184.
connubialiter 576.
conquestio 565.
consanguineus 1.
conscius 31. 919.
Veneris 903.
Consentes dii 41. 45.
consequentia 415. 421. 474. 491.
consistorium Jovis 64. 89.
consonantes literae 235. 239.
constipare 599. 724.
constitutiones causarum 445.
consul 485.
consulares Romulei 578.
Consus 54.
contamen 10.
contentio 545.
continare 897 not.
continua quantitas 571.
vox 937.
continus 937 not.
contradictor 459.
contraria 384 sequ.
contrariae leges 464.
contrarium 372. 377. 488.
contributae urbes §. 632.
contumiae 424.
conus 721. 722.
convenientia 950.
conventus juridici 630. 632.
conversio in dialectica 378. 397.
in rhetorica 523. 534.
in musica 970.
copula 979. 989. 991.
sacra 1.
copulare 1 not.
copulatio 509. 532.
Cora oppidum 642.
Corax 433.
Coraxicus mons 685.
Corcyra 658.
Cordubensis conventus 630.
Corinthus 652.
Cornelius Nepos 621.
corniculata Luna 738.
cornua in syllogismo 327.
corollae 119.
corona 1.
Solis 75.
Jovis 66.
Palladis 40.
Ariadnes 98. 838. 841.
austrina 838 not. 842 not.
corporatio 732.
corpulentus 154. 815.
corpus simulacrum animae 142 not.
ejus partes 730.
corrogare 7. 49. 52. 131. 215.
corrugare 809.
Corsica 639. 644.
cortina 894.
coruscifer 808.
corvus Apollinis ales 435. 895.

Digitized by Google

Corvus signum coeleste §. 829. 838.
Cossura insula 648.
cothurnati cantus 121.
cothurnus 809.
crassitudo 754.
Crassus orator 432 not.
Crataeis 641.
Crater signum coeleste 829. 838. 843.
creagrae Atticae 997.
creperum 2. 116. 805.
crepidae 10. 581.
crepitacula 7. 909. 927.
crepitare 14.
Creta 659.
Cretes 925.
Creticus 990. 995.
cricote sphaera 815.
crinalis spicus 903.
criniti sapientes 812. 906.
crispa inflexio 514.
cristae cum aprugnis dentibus 197.
tergeminae 568.
critici 250.
crocodilus in navi solari 185.
crocus 7. 686. 903.
crotalorum tinnitus 155.
Croton urbs 650.
crudus 998.
cruenta rythmica 120.
crustari 608.
crystallus 75.
cs litera a Claudio inventa 245.
Ctesiphon urbs 701.
cubitalis mensura 811.
cubus 102. 721. 740. 746.
culeus 465.
culmen pignoris 180.
Cumaea Sibylla 159.
Cumanum antrum §. 10.
cumulus 888.
cunabula 586.
cuncticina voluptas 905.
Cunicullariae insulae 645.
cuniculi fundi 170.
Cupido 148. 804.
versiformis 917.
monas 761.
et Himeros 905.
cupitor Jupiter 589.
cupressus Silvani 425.
Curetum rex Cretes 659.
curiales Jovis 95.
curiarum facta 429.
Curitis Juno 149.
cursare 262.
cursim 566.
cursor Mercurius 25.
cursu velocissimi Troglodytae 702.
cursus astrorum 97. 118. 186. 811.
Curubis oppidum 669.
Cybele 4. 740.
Cybeleia tympana 170.
Cyclades insulae 660.
cyclicae disciplinae 998.
cygni 927.
Apollini sacri 894.
alites augurales 26.
Cygnus signum coeleste 828. 833. 838. 843.
cylindrus 721. 722.
gemmans 588.
Cyllenius Mercurius 5 et passim.
cyma 814.
cymbala 567.
Cynos sema 658.
Cypris 1. 5. 54. 905.
Cyprus insula 612. 682.

Cyrenaica §. 672. 705.
Cyrnos insula 644.
Cytorus mons 689.

D literae pronunciatio 261.
Daci 665.
dactylicus 519. 977. 981. 995.
dactylus 984.
Daedalus 379.
ejus filius Japyx 642.
daemones 151 not. 154.
Damascene 678.
Damon musicus 926.
Danae 642.
Danubius fluvius 662.
Dardani 655.
Dardanus 642.
dare pro docere 118.
Darius 661.
decani 200.
Decapolis 679.
decas 734. 742. 746.
decens 1. 888. 903.
decere 545.
decernere 85.
decipula 825.
declarativa pars sententiae 341. 395 409. 422.
declinatio 227. 290. 510.
decolorare 580.
decreta publica ad lyram recitata 926.
decuriatus 2. 728.
decussare 208. 825.
decussatim 85.
decussatus 37.
dedicativa pars sententiae 396 sequ.
deductus 158.
numerus 991.
defectiva 312.
defectus Solis et Lunae §. 858 sequ. 869 sequ.
definitio 339. 349. 354. 361. 365. 378. 414. 475.
in geometria 714.
definitiva controversia 451.
deflexus 849.
deflorare 326.
defluere 207. 732.
deformatio 524.
deformiter 545.
dejeratio Pythagorae 107.
delere taedia 704.
Deliacum fatum 24.
deliberativum genus dicendi 447. 467.
deliberator 447.
deliquia Solis 594.
Delius Apollo 7. 12. 34. 210. 265. 326. 328. 810. 891. 894. 914. 920.
Delos insula 10. 660.
delphini 927.
Delphinus signum coeleste 838. 841.
Delphos urbs 651.
Delta in Aegypto 675. 676.
Deltoton 832. 838. 845.
demeare 150.
dementire 806.
Democritus 110 not. 215. 657.
Demodamas 692.
demonstrativum genus dicendi 447. 468.
demorator 87.
Demosthenes 429 sequ.
demulctare 807.
dendrites 75.
denominative 581.
Denselatae 656.
dentatus 586.
dentes quando emergant 739.
deorum concilium seu senatus 35. 40. 69. 97. 99. 805. 914.

deorum plebes seu vulgus §. 45. 425.
domus seu mansiones 45 sequ.
nomina multa 149 not.
risus 332 not.
mater Arithmetica 750.
itinera 811.
stemmata 137.
depile calvitium 804.
deponens 309.
depositio vocis 974.
deprecatio 438.
deprecativa qualitas 457.
depulsio 445.
derivatio 511.
desudatio 577.
detractio 557.
deus unus 751.
devius promissi 222.
diadema 7. 114.
Junonis 67.
Neptuni 80.
diametros 712. 714. 735.
diametri regula in musica 952.
Diana 85. 919.
ejus templum 700.
Dianium insula 644.
diapason 107. 934. 944. 950. 951.
in coelo 199.
diapente 107. 934. 950.
diaporesis 523.
diastema 948.
diastematica 937.
diasyrmos 525.
diatessaron 107. 934. 950.
diatonica modulatio 959. 965.
diatyposis 524.
dicabula 809.
Dicaearchus 590.
dichronon in rhythmo §. 982.
Dictynnaeus arcus 170.
mons 659.
didere 3.
Dido 279. 485. 999 not.
Didymaeus Apollo 692.
Didyme insula 642.
die noctuque quot partes planetae currant 864.
diei longitudo 595.
dierum noctiumque inaequalitas 846.
accessus 875.
dies septem 738.
semestres 664.
diesis 11. 930. 948. 950. 953. 971.
diezeugmenon in rhetorica 536.
in musica 931.
differentia 339. 346. 478. 487.
differre animo 109.
diffidens sui 425.
diffinitio 339 not.
Digitii 642 not.
digitis computandi ratio 102 not. 729.
coërcetur numerus 746.
digressio 552. 565.
dii 150.
aërii etc. 810.
i. q. astra 95 not. 97 not. 125. 812.
azoni 61.
duodecim 42. 914.
fatales 810.
hospitales 55 not.
minores 167. 425. 729. 810. 906.
novensiles 46.
publici 59.
ruricolae etc. 889.
septem residui 45.
tellustres 729.
tres 204.

dii num fato regantur? §. 32.
dilophos ales 177.
diluere 543.
diluvialis consternatio 812.
diluvium 655.
diminutio 302.
Diomedei equi 657.
Diomedes 642.
Dione 725.
Dionysius i. q. Bacchus 138.
Dioscuri 85.
diphthongi 277.
diplasia ratio 107. 934. 951.
dipondius 757.
directae lineae 709.
directiangulus 712.
directilineus angulus 711.
directim 411 not.
directus angulus 711.
dirigescere 888.
Diris 667 not.
diritas 224.
Dis 166. 191.
discernere verum 329.
disciplinae 138.
sobriae 220.
in famulitio Mercurii 36.
cyclicae 998.
discolorus 67. 328.
Discordia 47. 752.
discreta quantitas 371.
discretio 11. 32.
discussius explorare 891.
disdiapason 950. 955.
disemus 978. 981.
disgregus 892.
disjuncta spatia 949.
disjunctio 417.
disparare §. 10. 24. 625. 714.
dispendium 452.
dispensare 806.
dispositio 367. 442. 506. 616.
dissilire 806.
dissimilitudo 487.
dissona sacra 191. 205.
dissuasor 467.
dissultare 3. 135. 906.
distermina 714.
districta cura 577.
disyllaba 269. 521.
dithyrambica modulatio 965.
dithyrambus 519.
ditrochaeus 519.
diversicolor 14. 15. 67. 811.
dividendi modus 339. 352. 354.
divinatio 139. 167. 192. 733.
ejus genera 9. 894.
divisarum soni et tetrachordum 931. 944. 954. 961.
divisores 402.
Dmolus 250.
dochiminae 990.
dochmius 519.
doctificus ardor 567.
doctiloquus 903.
doctus in hypallage 36.
Dodonaei Jovis fanum 651.
dolia Apollinis 17.
domiduca Juno 149.
domus Deorum per zodiacum 44.
Dorica natio 535.
Dorio melo tinniens orbis 197.
Doris 651. 685.
Dorius sonus 197. 935. 966.
Dorylaum 686.
dotalia mancipia 115.
dotis reciprocum 892. 898.

Digitized by Google

draco vigil §. 667.
aeternitatis symbolum 70.
signum coeleste 827. 832. 853. 858. 840.
Drinius fluvius 650.
Dryopes 651.
ductus causae 470. 472.
duellum 568.
dulcinervis 917.
dulcisonus 888. 908.
dumales setae 529.
duodecim radii Solis 188.
conversiones Lunae 170.
horae 76.
numina 41. 914.
duplicatio 750.
duplices literae 276.
dyas 707. 752.
Dyrrhachium 657.
dysprophoron 514.

E literae pronunciatio 261.
usus in fine vocabuli 235. 279. 285. 291.
transitus in alias vocales 253.
ebeneus 80.
eblanditus 920.
ebrios musica sanat 926.
Ebusus insula 643.
eccentros terra 849. 855. 873. 879.
eccentros telluris circulus 884. 885.
ecthlipsis 267 not.
edentulus 386.
edisserere 817. 850. 921.
Edonii 655.
effamen 527. 536.
effecta 494.
effigiare 579.
effigientia 922.
egersimon 2. 911.
ei pro i §. 277.
el in fine vocabuli 279.
elatio 982. 983.
Electrides insulae 666.
electro purior 14.
praenitere 66.
elegiacus pentameter 521.
elementa narrationis 552.
elementorum numerus 754 sequ.
praesules 62. 211.
concordia 1. 814.
transfusio 758.
fluctus 814.
elephantes 927.
in Africa 668.
in Taprobana 696.
elephantus pro ebore 225.
Eleusina lampas 170.
elevatio 525. 974.
Elisae urbs 999.
Elissos colonia 667.
ellipsis 537.
elocutio 442. 508.
ejus genera 473.
ejus figurae 526 sequ.
eloquentia 475. 508.
eloqui 341. 388.
eloquium 391.
Emathia 655.
emissio 932.
empyrium 202.
en in fine vocabuli 279.
enarmonia diesis 930. 948. 959.
modulatio 942. 949. 955. 959. 966.
encliticae 272.
Endymion Latmiades 919 not.
Engonasis 827. 838 (v. Nisus).
enneaphthongos chelys 66.

enneas §. 741.
Ennianum distichon 42.
enodis arundo 906.
enrhythmos 970. 972.
entelechia 7. 215.
enumeratio in oratione 565.
Enusis insula 645.
eo 321.
Eous oceanus 693.
epanalepsis 535.
epanaphora 534.
Ephialta 425.
epibatis paeon 989.
Epicrene 653.
Epicurus 213.
epicyclus 879.
epilogus 473. 506. 544. 565.
Epimelia 145.
epimerismos 564.
Epirus 639. 651. 655.
epistolaris Jovis 896.
epithema 223.
epitrita ratio 907. 933. 951.
epitritus 977. 978.
iambus 986.
epogdoi ratio 108. 953.
equarum fetura 629.
equi Solis 29.
Diomedis 657.
Equus signum coeleste 828 (v. Pegasus).
er in fine vocabuli 297.
Eratine Cypridis filia 905.
Erato 28. 125.
Eratosthenes 596. 598. 813. 858.
ergastica schemata 715.
ergò 271.
Ericusa insula 648.
Eridanus fluvius 640.
Eridanus signum coeleste §. 838. 841.
Erigone 174.
erotema 524.
Erythraea Sibylla 159.
Erythraeum mare 677.
Erythras rex 677.
es in fine vocabuli 301.
Esseni 679.
etesiae 694.
ethica fides 473.
Etrusca disciplina 142. 172. 914.
Etruria 142. 657.
etymologia 483.
Euboea 650.
Euclides 587. 724. 734.
Eudoxus 621.
Eumenides 142.
Euonymos insula 648.
Eupatoria urbs 689.
Euphrates fluvius 643. 678. 681. 690. 701.
Europa 622 sequ. 626.
ejus dimensio 662. 665. 705.
Euterpe 28. 125. 270.
euthia 958.
Evan 804.
eventus 558.
exacta species 313 sequ.
exaequatum 531.
examinatio 461.
exantlatus 17.
exardescere 512.
excellentium tetrachordum et soni 931. 944. 954. 961.
ex consule etc. 294.
excrementa 734.
excubiae 142.
excurrentia 949.
excusamentum 807.

exemplum §. 338.
exercitatio diuturna 508.
exitium Saturni 17.
exordium 544. 545. 549.
expletivae conjunctiones 272.
exsecutio 556.
exsistens ex non existentibus 206.
exsulis interfector 465.
exta fissiculare 151.
extenta chorda 931. 942. 954.
extenuare 545.
extimi ambitus murus 202.
coeli contextio 810.
extra causam 505.
extramundanus 38. 910.
deus 202.
exuviae Jovis 65.
Philologiae 111.

F literae pronunciatio 261.
usus pro Graeca Φ 311.
semivocalis 240.
fabricator deus 735.
fabriles operae 889.
fabula 550.
facc 320.
facere et pati 240. 365. 380.
facetior deorum Bacchus 551.
faciliter 325.
Facundia 172. 175.
falx Bacchi 82.
Saturni 425. 566.
temporis 999.
Fama 11. 98.
praeconans 65.
famulitium 704. 804.
Fantuae et Fanae 167.
farcinare 998.
fascia §. 602. 607.
fastigare syllabam 262.
laudibus aliquem 468.
fastigiare 944.
fastigium 264. 268. 275. 408.
Fata tria 57. 65. 89. 360. 735.
proeliorum 925.
fatale temperamentum 108.
fatales divi 810.
Fatui Fatuaeque 167.
fatum 32. 494. 507.
publicum 69.
fatus 24. 124.
Fauni 167. 425.
Faunus 906.
favillae turicremae 124.
Favonius 620.
Favor 48. 50. 55.
Favores 45.
fax quibus diis tribuatur 77 not.
febris cantione curata 926.
Februa sive Februalis Juno 149.
Februus 52 not.
felis Lunae sacra 170.
in navi solari 185.
femur feminis 244.
fenestras dissecare lumine 219.
ferula 224.
Fescennina licentia 904. 914.
fetura 627.
Ficaria insula 645.
fictio verborum 540.
fictor arbitrarius Jupiter 68.
Fides 147.
quot modis fiat 475.
fidicinare 928.
figurae in geometria 708.
elocutionum 550 sequ.

figurae sententiarum §. 525 sequ. 561.
figuratus ductus 470.
finis 444. 445. 452.
finitiva quaestio 466.
finitor 818. 827. 856.
firmatio 474.
Firmianum mare 644.
fissiculare exta 151.
fissiculatus 9.
fissura 675.
fistula 927.
pastoralis 924.
sibilatrix 906.
fixa signa in coelo 858.
flabra nemorum susurrantia 11.
flamen miscillum 997.
flammata cupiditas 889.
flammatrix 428.
flammeum 114 not. 558. 905.
Flora decens 888.
florea rura 511.
flos genarum 759.
ignis 206.
resectus 902.
fluticolor 67.
fluctigenae divi 889.
fluctuantes segetes 559. 560.
fluctus 814.
Fluonia Juno 142.
Fluvius signum coeleste 845 (v. Eridanus).
foedus de conjugio 1. 25. 31. 91.
matris 575.
foenus 505.
foetidus ructus 224.
fomes flammiger 912.
sensificus 185.
Fones 167.
Fons 46.
fons Gorgonei caballi §. 119.
lucis aethereae 184.
animarum 922.
Fontana virgo 205.
fontigenae virgines Musae 574. 908.
for 511. 525.
forma 559. 544 sequ. 554. 486.
conclusionum 408 sequ.
conjugationum 512.
in geometria 711.
Formiae oppidum 641.
formulae hamatae 528. 555.
fortis viri praemium 459.
Fortitudo 150.
Fortuna 55. 88.
Fortunarum populus 11. 14.
Fortunatae insulae 709.
Fossae insula 645.
fragor 625.
fragosus 14.
fragrare 85.
framea Martis 425.
Fratres septem montes 668.
Fraus 51.
freni 514. 518.
frictus 805.
frontes coeli quatuor 751.
Fronto 452.
frumenti inventio 158.
frutecta 67 not.
fuat 202.
fulcra lecti 726. 888. 902.
fulgurum jactus 7.
fulmina 151. 897.
et fulgura 125 not.
Junoni quoque tribuuntur 67.
eloquentiae 427.
fumida caligatio 11.

Digitized by Google

fumida aura §. 124.
fundus 765.
funerationes 696.
fungor c. acc. 324.
Fura et Furina 164.
furor 501.
furta 726.
furva nox 585.
furvescere 80.
fusci Aegyptii 729.
fuscina 66.
fusilis 17. 860.
fustis num sit telum 465 not.
fustuarium 488.

G literae pronunciatio 261.
Gades 611. 612. 614. 618. 620. 621. 651. 658.
Gaditanum fretum 622. 627. 703.
littus 620.
ostium 623. 658. 665.
Gaditanus conventus 650.
Galata insula 645.
Galatea 915.
Galatia 682. 686. 689.
galaxeus 208.
galaxias 97. 207. 826. 835.
Galilaea 679.
gallarum gummeosque commixtio 225.
Galli 687.
Gallia 615. 618. 654. 658. 663. 666.
Gallicum mare 629.
gallinacei pugnaces 177.
Gallus fluvius 687.
Gamphasantes 674.
Ganges fluvius 612. 694.
Garamantes 671. 674.
Gargaphie fons 655.
Gaulos insula 648.
gazae §. 578.
Gebenna mons 654.
Geloni 663.
geminatae noctis obsequium 137.
Gemini in zodiaco 30. 76. 828. 843. 914.
gemmae 67. 426.
duodecim in corona Solis 75.
in Hispania 627.
gemmare vites dicuntur 338. 512.
gemmatus 116. 811. 911.
genera dicendi 428 not.
modulandi 942. 955.
musicae tria 956.
numeri 970.
rhythmi 977.
verborum 509.
generalis omnium praesul 132.
genesis 752.
Genethliace 228. 894.
genicula 845.
genitalia Osiridis reperta 126.
genitrix Venus 85 not.
Genius 49. 50. 92. 132.
et Lar 54 not.
Junonis 55.
genus 550. 544. 476. 485.
geometres 250.
geometria 588.
Gerastus 659.
Germania 619. 621. 665. 668.
germanitas 735. 895.
gerulae 579.
gestamina signorum coelestium 858.
gestus 428. 540. 545. 969.
Getae 663.
Gigantum proelia 655.
git 507.
glabellus 132.

glaciari §. 116.
glandes cantu translatae 928.
glandifer 511 not.
glauca volucris 571.
glaucum tegmen 70. 725.
Glaucus 141 not.
globosa animataque rotunditas 140.
globus 66. 595. 594.
gluten et glutinum 296.
gnomon 581. 595. 597. 746 not.
gnomonica supputatio 596.
Gorditanum promontorium 645.
Gorgades insulae 702.
Gorgo Tritonia 551.
Gorgones 702.
Gorgoneus caballus 119.
Gracchi 432.
Gracchus (Tiberius) 456. 500.
gracilentus 37. 140.
gracilis modulatio 932.
gracilitas 109.
Gradivus Mars 4. 82. 210. 425.
gradum facere 365.
Graeca nomina 272.
Graecia 650 sequ.
Magna 649.
Graecus rex 654.
Graja levitas 355.
grammaticum animal 349.
grandifer 511.
grandiloquus 437. 511.
Gratia trina 1. 888.
Gratiae 152. 906.
earum germanitas 735.
gratulari 81. 107. 693. 898.
gravis accentus 268. 273.
gravitas soni 932. 940. 947.
gremium 390.
gubernator Genius §. 132.
gummis 225. 291.
gurgulio 509.
gymnasia 814. 888.
Gymnasiae insulae 645.
gyrus 709.

H aspirationis nota 252. 258.
pronunciatio 261.
syllabas reddit communes 278.
habitationes deorum 44.
habitus 340. 363. 367. 384. 386.
et amissio 358.
haedi in humero Heniochi 838.
Haemus mons 651. 655. 656.
halatus 7. 14. 85. 215.
halitus 802.
hallucinari 509 not.
hamus Dialecticae 322.
Hannibalis castra 640. 649.
sepulcrum 687.
Hanno 621.
ejus periplus 667 not.
Harmonia 737. 897. 899. 909. 938 not.
coelestis 12. 27. 66 not.
harmonica 936. 938.
proportio 737.
harpae bombique 197.
Harpocrates 90. 729 not.
haruspicina 895 not.
haruspicium 151.
hasta Gradivi 425.
Minervae 569.
Portuni trifida 569.
coelibaris 905 not.
hebdomadis dies 185 not.
Hebrus fluvius 656.
Hecate 110 not. 733.

Digitized by Google

hecatontas §. 734. 746.
Hector in genitivo num producatur? 289.
Hecubae sepulcrum 658.
hederae arentes 10.
Helice 595.
Helicon mons 651.
heliotropios gemma 75.
Hellas 652.
hellebori remedium 327.
Hellen 654.
Hellespontus 631. 657. 661.
hemicyclia 605. 638. 712.
hemiolia ratio 107. 934. 951. 959. 977. 978.
diesis 930. 959.
hemisphaeria 602. 873.
hemithei 156. 160.
hemitonia 930. 963.
Henetosa civitas 689.
Heniochus signum coeleste 828. 838.
heptas 108. 568. 738.
heptasemus 978.
Hera terra 160.
Heraclea urbs 688.
Heracleopolis 676.
Heraclitus 87. 213.
Heras lutra 645.
Herculanium 642.
Hercules 84. 157. 642. 698.
Mercurio adhaerens 210.
ejus arae 692.
columnae 620. 624.
comites 674.
filia 695.
filius Afer 667.
Sardus 645.
insulae 645.
luctamen cum Antaeo 667.
heri et here 284 not.
Hermagoras §. 444. 455.
Hermaphroditus 54.
Hermes quadratus 106.
Hermione 655. 757 not.
Hermus fluvius 686.
heroes 160. 904.
heroicus versus 517. 522.
Herophila Sibylla 159.
Herophilus 926.
Hesperides insulae 702.
Hesperidis filia 659.
Hesperidum horti 667. 672.
Hesperion ceras promontorium 702.
Hesperus 883. 902.
Hetrusci 172. 914.
Hetruria 142. 657.
hexas 723. 756 sequ.
hiems 75. 874.
Hiera insula 645 not. 648 not.
hieroglyphica signa 137. 175.
Hieronesos 648.
Hierosolyma 679.
hilarus 705.
Himantopodes 674.
Himeros 905.
Hipparchus 813. 824. 867.
Hippo diarrhytos 669.
regius 669.
Hippocrene 655.
Hippotensis filia Sibylla 159.
hircipes 906.
Hirtius 494.
hirtus 329. 704.
Hispania 618. 624. 627. 652. 666.
Hispaniense os Rhodani 655.
Hister fluvius 662.
historia 526. 550.
histriones 545.

hiulcae voces §. 514. 516.
Homerus 212. 686.
caecutiens 5.
ejus sepulcrum 660.
homo animal risibile 548.
definitur 549.
absolutus 759.
homoeoprophoron 514.
homoeoptoton 552.
homoeoteleuton 552.
horae duodecim 77 not.
dici noctisque 757.
carum ductus 597.
Horatius 511.
horizon 604. 827. 836 (v. finitor).
horologia 595. 600.
hortativus modus 510.
Hortensius 441. 545.
hospita Juno 55.
deorum nutrixque 84.
hospitales dii 55 not.
humanae hostiae 655.
humens crapula 804.
humida Lunae natura 14.
humilis materia 547.
hyacinthos gemma 67. 75.
hyalinus 66. 67. 575. 811.
hydatis gemma 75.
hydraulae 117. 924.
hydreum germen 729.
hydri marini 699.
Hydrus signum coeleste 829. 838. 845.
Hydruntum 650.
Hylas lacus 687.
Hymenaeus 1. 888. 901. 904.
Hypaea 645.
Hypanis fluvius 665. 694. 699.
Hypasius 936 not.
hypate §. 931.
hypatoides 965. 966.
hyperaeolius etc. tropi 935.
Hyperborea lux 808.
Hyperborei 664. 695.
cygni 927.
hypophora 563.
Hyreania 666.
Hyrcanius mons 685.

I literae pronunciatio 261.
in fine vocabuli 279 sequ. 291.
transitus in alias vocales 255. 295.
usus pro duplici 276. 295.
geminata 256.
jacula radiorum 15.
fulminum 151.
iambicus numerus 521. 977. 985. 990.
unde dictus 988.
Janiculum 642.
janitores terrestres 60.
Janus 4. 45. 65. 642. 742.
Iapyx 642.
Iarsonis littus 655.
jaspis gemma 75.
Iastius tropus 935.
Iatrice 228.
Jaxartes 692.
Iberica manus 646.
Iberus fluvius 627.
Ibis 175. 178.
Ichnusa insula 645.
Ichthyophagi 699. 702.
Icosium oppidum 668.
Idaeus mons 659.
idea mundi 68.
idealis 706. 707. 731.
forma 733.

idealis prudentia §. 816.
Idumaea 678.
jecur concupiscentiae sedes 7.
Igilgili oppidum 668.
Igilium insula 644.
igneа animalia 546.
ignis in lustratione 142.
arcanus 910.
elementum 215. 758.
triangulus 568.
ejus flos 206. 571.
igniti lapides 75.
ignivaga denunciatio 896.
ignotus deus 185. 202.
il in fine vocabuli 679.
ilicet 424.
Ilium 686.
illatio 345. 403. 408. 412.
illex 555. 919.
illuvies mortalium 812.
illuminatio 656.
Illyricum 659. 650. 655.
imago 558. 558.
Imarmine 64 not.
imbrificare 584.
imitus 159 not.
immature mori 698.
immortalitatis poculum 54. 134. 141.
impares numeri 747 sequ. 768.
impatientia amoris 6.
imperativus verbi modus 310. 315.
imperfecti numeri 755.
impersonalia 309. 312. 390.
impersonalis modus 310.
impertinens 45.
impossibilis 145. 355.
impotens 427 not. 545 not.
impressio 525.
imum §. 599. 600.
Inarime insula 644.
inartificialia argumenta 474. 498 not. 557. 560.
incantationes 926. 928.
incessabilis 59.
incessabiliter 895.
inchoativa species 315 sequ.
verba 312.
incidentes narrationes 551.
status 445. 450. 459. 465.
propositiones 554.
incogitabilis 922.
incomposita rhythmica 979.
incompositi numeri 750. 772. 781. 784.
incorporea 706 sequ. 805 sequ.
Incubus 425 not.
indefinitum 542. 596. 599.
India 612. 694 sequ.
Indica prudentia 114.
secreta 11.
indicativus modus 310.
indigetes dii 62 not. 95.
indignatio in rhetorica 565.
indiscretum 6.
individuum 544. 550 sequ.
inductio 555.
indumenta percipere 66.
Indus fluvius 694. 700.
indusiari 65. 114.
inerrantia signa 858. 868.
infamis in feminam 471.
infantium crepitacula 7. 927.
infelix Capella 806.
infimare 595. 867.
infinibilis pater 205.
infinita quaestio 441.
infirmatio 461. 474.
infiunt 220.

inflexus accentus §. 269 sequ.
infractus 150.
ingenium mundi 567.
ingerere 179. 452. 459.
inhiare 7.
injunctum 557.
innitens 219.
innuba Pallas 725.
inrestinctus 915.
insecabile 971.
insinuatio 546. 548.
insolentia verba vitanda 510.
insopibilis 7. 910.
instructa propositio 562.
instrumenta musica 906.
insulae dicuntur quasi in salo 643.
majores 666.
natantes 928.
fortunatae 702.
insurgere c. acc. 755.
integrare 734.
integumenta 470.
intellectualis 202. 731. 923.
intelligentia extramundana 910.
intemeratior 6.
intemperiae 164.
intentio soni 930. 940. 951.
in rhetorica 445. 451. 460. 474.
intercalatio 866.
intercapedinatus 921.
intercapedo 857.
interjectiones 288. 861.
interjectus 857.
interlitum 10.
interpretes angeli 154.
interrivatio 661.
interrivatus 584. 627.
interrogationes captiosae 328.
interrogationes in rhetorica §. 524.
intersecare 626.
interstitium 584. 600. 755. 837. 864.
interula 7.
interuli nexus 888.
intervalla corporum coelestium 169 sequ.
in musica 948 sequ.
intervibrare 586.
intimare 39. 274. 526. 545. 549. 587. 610. 724. 727. 743. 867. 892. 963.
intimatio 897.
intonso crine hispidi 578.
intricare 58. 704.
inumbratio 79.
inventio rhetorica 428. 442. 451.
inversio 562.
investigatrix comprehensio 442.
invidia 504.
involuti dii 41 not.
involutus 807.
io finita verba 517.
Jocus minister Veneris 705. 804.
Ionia 685.
Ionicum metrum 983. 991.
Ionium mare 651. 652.
Jordanes amnis 679.
Ios insula 660 not.
iota nota musica 943. 960. 962.
iotacismus 514.
Joviale decretum 40.
Jovialis majestas 582.
circulus 196.
Vulcanus 42.
domus 208.
Iris 67.
ironia figura 523. 530.
irrationabilis 949. 975. 982.
is in fine vocabuli 279. 302. 305.

ischiades §. 926.
Iseus 192.
Isidorus Characenus 611. 616.
Isis 4. 158.
Ismaros mons 907.
isocolon 531.
Isocrates 452.
Issa 659.
Issicus sinus 612.
Isthmus 632. 635.
Istria 659.
Italia 634. 656 sequ.
ejus dimensio 649.
iteratio 555.
Iterduca Juno 149.
Ithacesiae insulae 645.
itiner 897.
Juba rex 676.
jubar purpureum 912.
jubere c. dativo 125.
Judaea 678. 679.
judex 447.
judicatio 442. 461 sequ.
poëtarum et carminum 558.
judicatum 558.
judiciale causarum genus 447. 461.
jugalis 22. 31.
jugarius 999.
juge colloquium 957.
junctura syllabarum 265.
Juno 4. 7. 30. 35. 42. 97.
aër 58. 67. 74. 149.
dyas 732. 740.
ejus mansio 46.
ejus cognomina 149.
aetherea 168.
Argiona 4.
coelestis 58.
Juno jugalis §. 22.
pronuba 31. 705. 888.
regina 41.
ei dilectus Mercurius 54.
Junonia insula 702.
Junonis ubera 17. 54. 126.
Junonius 87.
Jupiter 911.
alias Jovis 42.
nominis declinatio 525.
a juvando dictus 149.
cum Junone et Minerva junctus 39.
aether 67 not.
arbitrator 68 not.
Belus 701.
Dodonaeus 651.
fatum 52.
monas 731.
opulentiae 47.
rex 41.
salutaris 885.
secundanus 47.
temperatus 17. 32. 156.
uxorius 2. 4.
ejus nutrix Vesta 72.
filia Aeternitas 7.
Genius 92.
risus 17.
palatium in galaxia 97.
prudentia Minerva 567.
nomen proprium 729.
manubiae 896.
milites 65.
indumenta 66.
Jupiter planeta 14. 28. 196. 885.
Phaëthon appellatur 850.
Jura mons 654.
juridicialis qualitas 454.

jusjurandum §. 560.
Pythagoricum 107.
Justitia 128. 752.
juvenalis 56.

R nunc nota nunc litera 255.
superflua 258.
pronunciatio 261.

L literae pronunciatio 261.
tripliciter sonat 241.
in fine vocabuli 294.
labda supinum nota musica 945.
labdacismus 514.
Labor Philologiae alumnus 145.
laborata pervigilia 57.
Labyrintheus Daedalus 579.
lac 279. 307.
Lacaena pulchra 918.
Lacedaemonii ad tibias dimicant 925.
lacertosus 5.
Lachesis 65. 894.
Lacinium promontorium 659. 660.
Laconica 651.
lact 256. 307.
lactea Luna 585.
subsellia 209.
lacteum lumen 729.
lacteus fluvius 14. 207.
circulus 826.
Laestrygones 641.
lactae segetes 558.
lampas Eleusina 170.
Leucotheae 115.
menstrua 912.
Solis 29. 77.
lana herbarum felicium 114.
instar serici 667.
lanitium vestimentum §. 137.
lanugo quae sericum creat 695.
Lapidarii campi 642.
lapis in metaphora 360.
Lapithae 654.
laquearia coeli 808.
laqueatus 199. 582.
Lar coelestis 48.
cunctalis 54.
militaris 48.
Lares 45. 155.
et Genii 54 not.
domorum urbiumque 162.
Larvae 162.
lassa Venus pulchrior 704. 889.
Lasus 956.
latera deducere 545.
latex 907.
Latialis 225.
facultas 535.
Latini sermonis egestas 554.
Latium 657. 642.
Latmiadeum carmen 919.
Latoia chelys 220.
Diana 914.
Latoides seu Latoius Apollo 17. 225. 897.
laudativum genus orationis 448. 449.
laurea Ciceronis 451.
Laurens assertio 556.
laureum ramala 7.
lauripotens Apollo 24.
laurus Apollini sacra 7. 10. 29.
lectica 155.
Leda 918.
legalis judicatio 462.
quaestio 460.
leges ad lyram recitatae 926.
contrariae 464.

Lemannus lacus §. 635.
Lemnius Vulcanus 7. 889.
Lemures 162.
lentus amoris 725.
Leo in navi solari 185.
in zodiaco 828. 841. 844.
Leptis 670. 671.
Lepus signum coeleste 850. 858.
Lesius et Milesius 462.
Lethaea littora 116.
Lethon fluvius 672.
Leucaethiopes 675.
Leucas 615.
Leucasia insula 645.
Leucopetra 639.
Leucosyri 615.
Leucothea aurora 115.
insula 644.
libamina 755.
Libanus mons 680.
Libentia 804.
Liber pater 51. 210. 628. 655. 694. 695. 698.
ejus arae 692.
Libethris fons 119 not. 654.
Libra in zodiaco 829. 832. 839. 842.
libraria superùm 65.
libratus 25. 468. 849. 909.
librorum genera 156.
Liburnia 659.
Libya 622. 624. 667.
ejus arenae 551.
Libyphoenices 670.
Libyssa 810.
oppidum 687.
licet cum indicativo 11. 424.
Licinius 266 not.
Ligeris fluvius 302.
Liguria 642.
Ligures §. 657.
Ligusticum mare 644.
Lilybaeum 612. 646.
lima Grammaticae 226.
limbi nivales 208.
limina sponsi sertis ornata 1.
limis cernere 84.
limma 11. 37.
linea 706 seqq.
insecabilis 752.
jacens et jugata 120.
linealiter 834.
lineamenta 556.
lineare 229. 557.
lineares ductus 579.
lini usum monstravit Isis 158.
dispendia 576.
Linus 212.
Lipara insula 648.
litare 149. 893 not.
literae animantium effigies 157.
jugatae 205.
duplices 276.
earum natura 232.
formatio 261.
usus in musica 945 not.
literatio et literatura 220.
literator et literatus 229.
liturgi 200.
Livius 550.
loci argumentorum 474. 557.
communes 505.
memoriae 558.
locus 340. 365. 382.
Locris 651.
logia personare 9.
logica spatia 949.
longa syllaba 269. 275.

longaevorum chori §. 167.
natio 698.
Lopadusa insula 648.
Lucania 602.
Lucanum littus 658.
Lucanus 502.
Lucensis conventus 632.
lucerna 2. 124. 219. 997.
luces i. q. oculi 999.
Lucetia Juno 149.
Lucianus 19 not.
Lucifer 885.
Lucilius 266.
lucis fons in sole 184.
diva secundae 919.
Lucretius 266. 295. 305.
lucrorum potens Mercurius 180.
luculentas 6.
lucus a non lucendo dictus 560.
sacer 672.
ludere 997.
lumina orationis 426. 509.
luminare 27. 66. 75. 729. 901.
Luna 14. 75. 77. 161. 169. 758. 851. 852. 854. 897. 919.
lactea 385.
ἑλικοειδής 868.
laborat cantu 927.
tertia 567.
quam cito Solem consequatur 863.
ejus circulus vel orbis 151. 156. 858. 860.
defectus 870.
meatus 862 sequ.
phases 864.
lunata Italia 658.
Lusitania 628.
lustralia incrementa 2.
lustrationum genera 142 not.
lux aetherea §. 184.
libertatis 512.
luxurialis 554.
luxuriantur segetes 512.
luxus 914.
Lyaeus 191 not. 805.
Lycaei modi 916.
Lycaonia 651. 682. 684. 686. 690.
lychnis gemma 75.
lychnus pro lucerna 509.
Lycia 10. 685. 684. 686.
Lyde 805.
Lydia 927.
Lydius tropus 935. 942. 960. 962.
Lymphae 46.
lymphaeum 569.
lymphaticus 809. 926.
Lynsa silvestris 48.
lyra 56. 926.
signum coeleste 858. 840.
Lysias 452.

M literae pronunciatio 261.
in fine vocabuli 279. 284. 295.
Macaronesos 659.
Macedonia 651. 655.
Macomades 670.
mador 82. 125.
Maeander fluvius 685.
Maecenas 290.
Maedia 651.
Maenalia pinus 916.
Maeonia 686.
Maeonius Homerus 5.
Maeotica palus 616. 619. 626. 662. 675. 705. 876.
Maesia 651
magia 58. 928.
magis et minus 565. 570. 577. 580. 582.

Magna Graecia §. 649.
Magnesia 119. 651. 654.
Maja 5. 180.
majestatem minuere 444.
majus et minus 372. 375.
Malaca urbs 668.
male corripit ultimam 325.
Maleus mons 593. 694.
Maleventum 642 not.
Mamma 514.
Mana atque Manuana 164.
mando, as et is 323.
Manes 55. 160. 162.
ciere 927.
Mania mater 164.
Maniae 162.
Mantice 6. 35.
Mantuanus vates 212.
Manuana 164.
manuatus 378.
manubiae Jovis 896.
manus oratoris fusae 543.
marcentes faces 888.
marcentia terga 704.
marcescere 2.
marcidulus 727.
marcor 804.
mare concretum 666.
Erythraeum 677.
interius 625.
Marcotis 672. 676.
Maretonium 672.
margaritae 696.
Margiane 691.
Mariandyni 688. 924.
maritare 1.
Marmarides 672.
Marmeusi filia Sibylla 139.
marmor i. q. mare §. 92. 582. 908.
marmorei fluctus 659.
Maronea oppidum 657.
Mars 50. 82. 104. 741. 889.
Gradivus 4.
militaris 46.
Mars planeta 14. 15. 28. 861.
Pyrois appellatus 851. 884.
Marsica natio 351. 424.
Marsyas 681. 685.
Lydius 924.
Martianus 577.
filius 2. 997.
Martis curia 999.
Masada castellum 679.
masculus 704.
Massalioticum os Rhodani 655.
mater i. q. nutrix 34.
Mania 164.
materia et materies 440 not.
ejus formae 547.
in formis 753. 758.
matricida 465.
Mattiana 691 not.
Mauritania 621. 666. 669. 702.
Maxula urbs 669.
Mazaca urbium mater 690.
meacula 815.
meatus siderum 7. 759.
Media 651. 691. 700.
medialis 114. 849.
mediatenus 685. 840.
medica penulata 229.
medicatio 926.
Medicina carere dii possunt 891.
medietas 732.
medii duo 757.
medilunia 758.

Medioximi §. 134.
medium idem et imum 599.
Medusa saxifica 572.
Medusaei crines 525.
Megaris 644. 655. 928.
Meles fluvius 686.
melica 930.
melicorum indocilis mortalitas 899.
melicum carmen 888. 908.
melicus appulsus 11.
Melita insula 648.
urbs 690.
melodia 905. 965 not.
melopoeia 956. 958. 963. 966. 994.
melos 966. 986. 995.
Melpomene 121. 888.
Solem amplectitur 28.
membra numeri 752. 757. 759.
orationis 528.
vitalia 759.
Membriona 702 not.
Memnonis sepulcrum 686.
memor virga 126.
memoria 7. 225. 442. 558.
Memphide oriunda Grammatica 225.
Memphita insula 676.
Memphiticus i. q. Aegyptius 4 not. 178.
mendare 425.
Menelaïtes nomus 676.
menses 189.
mensores 598.
mensula 575. 582.
mensura communis 750. 751.
minima et maxima 784 seqq.
mente sola deum adire 202.
mentis fons 185.
vox 205.
mentium cultores 62.
Mercurialis circulus §. 171.
virga 9. 26. 126. 176.
Mercurii officia et laudes 92. 126.
cognomina 5.
argumenta 179.
nomen Aegyptium 102.
promontorium 669.
Mercurius artium inventor 56.
Junonis uberibus educatus 54. 126.
veris deus 27.
grammaticam reperit 225.
quadratus 106. 754.
cum Apolline junctus 8.
Mercurius planeta 14. 25. 30. 92.
idem Stilbon dictus 851. 879.
terram non ambit sed Solem 854. 857.
meridianus Oceanus 620.
Mermessia Sibylla 139 not.
Meroe 595. 595. 598. 616. 705.
Merus mons 695.
mese 931. 942. 954.
mesoïdes 965. 966.
Mesopotamia 678. 681. 701.
Messala 245.
Messenia 651.
messes cantu transeunt 927.
Messua 669.
meta 531.
metacismus 514.
metae horarum 600.
metaliter 859. 870.
metaphora 512.
Metapinum Rhodani ostium 655.
metaplasmi 526.
Metapontum 642.
metastasis 525.
Metaurus fluvius 648.
Metina insula 645.

meto messui §. 319.
metonymia 512.
metrica 956.
metrum 969.
metus quo modo excitetur 505.
micare 1. 585.
micatus linguae 551.
Midinum sapere 577.
migrans Apollo 11.
Milesiae deliciae 100.
Milesius et Lesius 462.
Miletus urbs 686.
milites Jovis 44.
Minerva 66. 567. 725.
aether 59.
heptas 40. 758.
ejus mansio 47.
Minithya 925 not.
minium 627.
miracula 157.
miscere 427.
miscilla 915. 997.
miseratio 504. 565.
Mithras 191.
Mithridates 689.
mobilis angulus 717.
modi verborum 310.
conclusionum 411 sequ.
modificare 540.
modulandi genera 955.
modulatio 932. 938. 965.
moliri 805.
Molossis 651.
molossus pes 522.
momenta 881. 971.
monas 707. 751. 746. 922.
numerus non est 745.
monauliter 906.
monochronon tempus §. 982.
monoptota 242. 291. 305.
monosyllaba 269. 294. 320.
montes septem fratres dicti 668.
Mopsus 159.
morbos pellit musica 926.
moris sc. est 888.
mortalitas 102. 108. 625. 899.
morticinum 115.
mortis appetitus 656.
motus differentiae 756.
Mulciber 570.
Lemnius 889.
Mulcifer 17. 18.
multicolor 66.
multifidi numeri 227.
multinodus 425.
multiplicatio 737. 739 sequ. 765. 767.
multividus 109.
mundana perfectio 755.
mundus 814.
unus 751.
intellectualis et sensibilis 202 sequ.
ei pentas tribuitur 735.
murcidus 10. 999.
murex caligans 580.
murmur 559. 542.
Musae 27 sequ. 117 sequ.
Junonis filiae 54.
fontigenae 574.
iis litant Lacedaemonii 925.
mens omnibus una 574.
musica cum grammatica juncta 326.
ratio 757.
ejus vis 925 sequ.
ejus seminarium accentus 268.
mussare 729.
muta cum liquida 270. 271.

mutae literae §. 247.
mutare c. acc. 292 not.
mutescere 910.
mutuatum 509.
Mygdonia 655. 686. 687.
Myriandrus urbs 612.
Myrtoum mare 655. 660.
Mysia 686.

N literae pronunciatio 261.
usus in fine vocabuli 284. 296.
nae et ne 2 not. 32.
naeniae 925.
Napaeae 425. 905.
Narbonensis provincia 654.
narratio 457. 506. 526. 544. 550.
Nasamones 672.
natalitia dona 7.
nationum fortuna 11.
natura deorum 512.
rerum 125.
naturalis orationis ordo 506.
nauci conscientia 999.
naufragalis 645.
naufragium 621.
Naulochi filia Io 642.
navis totius naturae cursum moderans 185.
ejus formam imitans scopulus 658.
ne et nae 2 not. 32.
Neapolis Italiae urbs 642.
Mauritania 669.
necessitas 32. 458. 501.
nectar vocis Pegaseae 908.
negantia 342. 587.
negotialis assertio 550.
qualitas 454. 467.
negotium 484.
Nemesis 88.
nemus Apollinis §. 11.
nepa minitans 177.
Nepos (Cornelius) 621.
Neptunus 54. 78 sequ.
Jupiter secundus 47.
Portunus 4.
ejus uxor 81.
ejus filius Siculus 646.
Nereus 22. 912.
Nerina chelys 915.
Nerio Nerina Martis uxor 4.
nescio quid 2 not.
nescius sensu passivo 115.
Nestus amnis 656.
nete 931. 954.
netoides 963. 966.
netus byssi 114.
Neurae 665.
neutrum verbi genus 509.
Neverita 54.
nexiles crines 328.
nexio 31. 92. 226.
Nicomedia 687.
Nicopolitana civitas 651.
nictare 2. 999.
pavore 888.
nigellus pulvis 224.
Niger fluvius 675.
nigredo 67. 157.
Nigritae 673.
Nilis lacus 676.
Niloticae fruticis collema 225.
Nilus 626. 675. 676.
ei deorum generationes assignantur 95.
nimietas 602.
ningentes pruinae 602.
Niphates mons 685.
Nisus s. Nixus 858. 840. 841 (v. Engonasis).

nital ambifarium §. 181.
Nivaria insula 702.
noctivida ales 571.
Nocturnus deus 45. 60.
Nomades 669.
nomen 541. 588.
nominum quantitas 279.
nomi Aegypti 676.
nominativus 279 sequ.
Nomius 55 not.
norma 754.
normalis 527.
Nortia 88.
noscibilis 576.
nota 474. 485. 712. 746.
notio 576.
notulae 66.
novatio verborum 510.
novellus 448. 566.
novenaria regula 105.
novenarius numerus 105. 755. 741. 776.
Novensiles dii 46.
Nox 45. 98.
nugales ineptiae 2.
Numa 62.
Numeraria 802.
numerorum virtutes 105.
numerus 706. 732. 743. 745. 968.
mas 995.
Numidia 669.
nunquis 242.
nuptialis licentia 804.
numerus 108 not.
Nursia 88 not.
nûs 126. 567.
nutare 21.
nutrix deorum 81. 215.
Jovis 72.
nutus §. 31. 32.
Nymphae 167.
Nympharum cubile 699.
insulae 977.
Nysa 11. 695.
Nysiaci flores 98.

O literae pronunciatio 261.
transitus in alias vocales 253.
usus in fine vocabuli 279 sequ. 285 sequ. 292.
Oaxis amnis 692.
obductus circulus 715.
objectatio 924.
objectus 452.
obliquare 67.
obliquae vaticiniorum ambages 9.
obliqui casus 508.
circuli 825. 854.
ductus 470.
obscoena vitanda 518.
obscurationes 869.
obsoleta verba vitanda 509.
obtusus angulus 711.
obumbrare 854.
obviare 855.
occasivae regiones 594.
occasus duplex 881.
occiduus Oceanus 629.
occulere 814 not. 902.
Oceanus 600. 617. 625. 667.
octas 740.
octasemus 985.
octo partes orationis 226 not.
octonarius numerus 740.
oculatus 66.
oculeus 811.
oculi noctis 585.
in pectore 674.

oculorum motus §. 543.
oculus mundanus 185.
odor legum 512.
Odrysiae nives 656.
Oeagrius citharista 3.
Oeanthe oppidum 651.
Oeensis civitas 671.
Oenotrides insulae 645.
Oeonistice 894.
Oeta mons 654.
officia naturalia 756.
Oglasa insula 644.
Oinone 256.
oisus i. q. usus 256.
olax acerra 215.
temetum 82.
Olium caput 223.
olivae munera 570.
olivum 376. 870.
olor 918.
Olympias Alexandri mater 655.
Olympus mons 149. 654.
Phrygius 908 not.
Ombriona 702.
omina 124.
augurata 151.
ominatus 894.
omne pro toto 350.
omnisonus 912. 921.
on in fine vocabuli 279.
operari 124.
Opertanei dii 45. 810.
Ophiuchus signum coeleste 828. 838. 841. 843.
Opigena 149.
opimi oris facultas 337.
opinabilis corporatio 752.
opposita et contraria 340. 385.
Ops 4. 71 not.
optativus verbi modus §. 310.
optimitas 369.
opulentiae Jupiter an opulentia Jovis? 47.
or in fine vocabuli 279. 283.
oracula 191. 500.
Ammonis 672.
Apollinis Clarii 686.
evanuerunt 9 sequ.
orae Joviales 424.
oratio 234. 430. 529.
ejus partes 544.
orator 850.
orbatio 386.
Orchades insulae 666.
Orestis 655.
organica vox 905. 927.
suavitas 127.
Orion signum coeleste 98. 829. 838. 841. 843.
oris cultus 340.
ornamen 587 not.
ornate loqui 359. 509.
Orontes amnis 680.
Orpheus 212. 656. 907.
Oeagri filius 3 not.
orthius 985. 988.
orthographus 65.
ortivus 608.
ortus et occasus 841 sequ.
acronychus 880. 887.
Solis 872.
os in fine vocabuli 279.
os decl. 305.
oscinum mitior 177.
Osiris 4. 126. 158. 191. 223.
Ossa mons 654.
ostentaria novitas 151.
Ostracine 679.
Othrys mons 654.

Digitized by Google

otium §. 441.
Ovidius Peligous poëta 809 not.
ovilia tergora 136.
ovum 140 not.
Oxus fluvius 692 not.
Ozolei 651.

P literae pronunciatio 261.
pabula superùm 912.
Pachynum promontorium 646.
Pactolus amnis 686.
Padus amnis 640.
Paedia 578. 728.
paeones 519. 977. 989.
Paeonia 655.
Paestana rosaria 641.
Paestanum promontorium 645.
paeta Venus 727.
pagina epica et lyrica 5.
Palaestina 678.
palaestrae in Mercurii tutela 100 not. 576.
palaestricus 569.
Pales 30. 425.
secundanus 51.
Palibotra 694.
palillogia 535.
palla herbida 71.
oculata 66.
Palladium 114.
Pallas 567 (v. Minerva).
pro Luna 914.
pallens puella 902.
palliatorum populus 215. 535. 424. 450.
pallium 528. 578.
pallor lucubrationum 37. 527.
Palmaria insula 644.
palmifer 702.
palmularis frictus 805.
Palmyra §. 681.
palpitare 219. 805.
palus Maeotica 616. 620. 661. 705.
Pamphylia 682. 685.
Pan 916.
Panda oppidum 692.
pandare 524.
Pandataria insula 644.
Pandea gens 695.
pandura instrumentum musicum 906. 924.
Paneas fons 679.
panegyrici 448 not.
Panes 167.
Pangaeus mons 656.
panthera 852. 858.
Paphia Venus 704. 901. 909.
Paphlagonia 655. 689.
Papia Poppaeaque lex 217.
papillae roseta et lilia 726.
papyrus 225 not.
textilis 115.
cedro perlita 156.
par numerus 748 sequ. 768.
et impar 575.
Paradisus fluvius 682.
Paraetonium 672.
paragoga 511.
paralepsis 525.
parallelae lineae 712.
paralleli circuli 817. 856. 872.
paramese 951. 945. 954.
parancte 945.
parasiti 492.
Parcae 5. 32.
per contrarium dictae 560.
etiam Fata appellantur 560.
Jovis scribae 41.
librariae superùm custodes 65.

parere pro apparere §. 881.
Pariadri montes 690.
parison 551.
Parmenides 550.
Parnassia rupes 11.
Parnassus mons 651.
paronomasia 552.
Parrhasiae ferae 912.
parricidii poena 465 not.
pars 539. 551. 554. 481.
partes numeri 752. 757. 759.
orationis 544.
terrae 622.
zodiaci 610. 854. 859. 867.
Parthenope 642.
Parthi 681. 700.
Parthiene 612.
participiorum quantitas 285.
particulae 585 not.
particulare 542. 596.
particulatio 955.
partiendi modus 559. 553. 554.
partilis 552.
partitio 506. 556.
partus septimanus 108. 758.
passibiles qualitates 568.
passiones 568.
passivum verbi genus 509.
Pastor 55.
Patara urbs 612.
Patavitanus portus 595.
Patavium ab Antenore conditum 642.
pater ignotus deus maximus 185. 202.
pathetica facultas 505.
fides 475.
pati et facere 540. 565. 580.
patrimum carmen 910.
Patrocles 919 not.
pavonum pennis oculatus §. 66.
pecudale nomen Capellae 806.
pedeire 68.
Pediculi 659.
pedes clausularum 519.
pedibus nudi 578.
pedisequus 26. 59. 111. 146.
Pegasea vox 908.
Pegaseus gurges 1000.
Pegasus signum coeleste 829. 858. 843.
Pelagonia 655 not.
Pelasgi 642. 997.
Peligni 659.
Pelignus juvenis 809.
Pelion mons 654.
pellax 551. 425.
pellere coelibatum 5.
Peloponnesus 615. 651. 652.
Pelorum promontorium 646.
pelta Amazonica 659.
Pelusiacum ostium Nili 677.
Pelusium oppidum 678.
Penates 45.
Jovis 41.
penetrabilis 569.
penita 9.
pennata Solis vestigia 77.
Mercurii rapiditas 101.
pennatus 578. 579.
pentachorda 962.
pentagonon 715.
Pentapolitana regio 672.
pentas 755. 745.
pentasemus 978.
penulatus 225.
penultima syllaba 269. 517.
chorda 945.
peplum 426.

peplum aetheris §. 580. 584.
Aurorae 116.
Palladis 40.
per se compositi vel incompositi numeri 750. 772.
peragratrix 588.
percellere 456.
perceptio 994.
percitus 425.
percunctativus modus 510.
percussionis sonus 741.
perdia pernoxque 124.
peregrinus murum adscendere vetitus 449. 465.
perfecti numeri 105. 755. 756. 740. 755. 758.
perflagrare 576.
perflatio 26.
Pergamum 686.
perhibere 1.
Periergia Philologiae pedisequa 111. 146.
periodus in oratione 527. 529.
rhythmica 979. 986.
Peripatetici 855.
peripheres 958.
perissa spatia 949.
peristrophe 565.
peritae lucernae 124.
perluere 576. 656.
permensio terrae 725.
Permessiacus gurges 809.
peroratio 544. 565.
perpendicularis 711.
perpendiculatus 595.
perpense 447.
perpes 575. 912.
perpetuus verbi modus 510.
perscrutator 2.
Persei filius Erythras 677.
Perseus signum coeleste 828. 832. 838. 845.
Persicus sinus 699.
Persis §. 700.
personae tres 588.
persuasor 467.
pertendere 690.
pertingere 677.
pervigilia 57.
pes in rhythmica 974.
pestilentiae auctor Apollo 18.
petasus Mercurii 26. 176.
Phaenon planeta Saturnus 851. 886.
Phaëthon planeta Jupiter 851. 914.
Phaëthontiae Musae 918.
Phalaecii versus petulantia 517.
Phalarium promontorium 658.
phalerae in dictione 222.
pharmacopola 551.
Pharusi 674.
Phaselis 682.
Phasi senis ritus 142.
Pherecydes 142 not.
Philologiae laudis 22. 57. 93.
mater Phronesis 114.
apotheosis 117. 141 sequ.
Philosophia 96. 151. 576. 729.
philosophorum apotheoses 62 not.
discrepantia 215.
habitus externus 578.
philyrae cortex 156.
Phlegethon 166 not.
Phlegra 425. 655.
Phlegraei campi 641.
Phocis 651.
Phoebus 12 et passim.
Phoenicia 678.
Phoenicusa insula 648.
Phorci chorus 915.
Phosphorus planeta Venus 851. 882.
ejus sonipes 115.

Phre nomen Solis Aegyptiacum §. 195 not.
phrenetici symphonia sanati 926.
Phronesis mater Philologiae 114. 217. 893.
Phrygia 615. 684 sequ.
Phrygia Sibylla 136.
Phrygius bupaeda 908.
Phrygius phthongus 196. 935.
Phthiotis 631.
phthongus 939.
physici 814. 862.
Picentes 658.
piceus hiatus 15.
puer 729.
Pieria 635.
Pierius mons 634.
pietatis symbolum monas 751.
pignora i. q. liberi 23. 31. 91. 180. 354. 903.
pignus flammarum 642.
Pilumnus 138.
pinax ex ebeno 174.
Pindarea chelys 119.
Pindus mons 631. 634.
Pinton insula 643.
pinus Maenaliae 916.
pisces crepitu detinentur 927.
Pisces in zodiaco 843. 845.
Piscis austrinus 838. 841. 843.
Pisidia 686.
Pithecusa insula 644.
Pitho 906 (v. Suada).
Pityusae insulae 643.
planaris 708.
Planasia insula 644.
planetarum nomina et orbes 850. 861.
germanitas 183 not.
motus in ortum 853.
harmonia 27.
singulorum singulae Musae 28.
plani numeri §. 734. 736.
planontes 850.
plasma 913. 998.
Plato 123. 212. 330. 335. 458. 805.
ejus mysteria 205.
plaustriluci ignes 912.
Plaustrum signum coeleste 608. 897.
plebs deorum 45. 426.
Pleïades 5. 180.
plenitudo obtusior 227.
numerorum 108.
pleonasmos 537.
Plinius orator 432.
ploce elocutionis figura 532.
in harmonica 936. 958.
pluit 389.
plumbum Saturno tribuitur 16.
plurali numero carentia 297.
pluriformis 729.
plurivocum 339. 337.
plusquamperfecti numeri 733.
Pluto 47. 80. 161. 166.
poculum immortalitatis 34. 134. 141.
podicus 974.
poëmata 114.
poëtae in coelum recepti 212.
poëtarum licentia 297.
judicatio 338.
poli 201. 608. 815. 817.
i. q. coelum 32.
polose 37.
Polycletus 379.
Polydori sepulcrum 657.
polygonum 711.
Polymnia 120.
Saturnum amplectitur 28.
polyptoton 533.
polysigma 514.

Pompeji §. 642.
Pompejopolis 689.
Pomponiana insula 645.
pondera in terram desuper cadunt 600.
ponè 271.
Pontiae insulae 644.
Pontus 656. 662. 688. 691.
populi Genius 152.
Populona Juno 149.
populorum fata 11. 15.
populus angelicus 211.
deorum 45.
ministrorum 172.
potestatum 62.
Portae (Ciliciae) 685.
Caspiae 691.
portitores 169.
Portunus i. q. Neptunus 4. 425.
positio disci diffusioris 590.
i. q. θέμα in grammatica 292 not. et passim.
syllabam longam facit 269. 275. 286.
in rhythmo 981.
possibilitas 159. 535. 625. 739.
post membra corporea 95.
membrorum nexum 155.
postes ungere 149.
postica 66. 145.
postidhac 807 not.
potentia 719.
potestatum populus 62. 205.
diversitates 150.
Potnia 256.
praealtius 886.
praecinere 901.
praecipi 41.
praecluis 3. 24. 557. 429. 566. 897. 906.
praeconari 65.
praecursio menstrua 8.
praediatus §. 46.
praedicationes decem 385.
praedicativus syllogismus 345. 408.
praejudicia 560.
praelibare 2.
praelocare 522.
praemetatus 811.
Praeneste 642.
praepes 10.
praepositiones 287.
accentum deponunt 272.
omissae ante relativa 522 not.
praescriptio 446 not. 455.
legis 507.
Praestes Genius 152.
praestigium 56.
praestites Manium 164.
praestrictus 262.
praesul 160.
praeteritio 523. 555. 562.
praetor et praedo 532.
Praetoria Augusta oppidum 659.
praevertere 22. 24.
praevia sortis 125.
preces tertio repetuntur 735.
tacitae 202 not.
pretium est scil. operae 122.
Priapus 725.
Prienēia sententia 807.
primi numeri 744. 750. 772.
primores lauri 10.
principales quaestiones 445. 554.
soni 931. 941. 942. 954.
principium 475. 506. 546.
prisma 722.
privatio 468.
probamentum 732.
procelensmaticus 981. 984.

proceres §. 509.
Prochyta insula 644.
pro consule 294.
proconsulare culmen 999.
procus 576.
Procyon signum coeleste 858. 843.
prodigia 151.
productio 935. 940.
profata 24.
profera 805.
proflare somnum 804.
profluere 2.
prolectatus 804.
prolixitas 2. 11. 597.
prolixus 167. 698.
proloquium 542. 590. 596 sequ.
proluere 804.
prominentia 658.
prominulus 261.
promissivus verborum modus 540.
promittere 250 not.
Pronoea 6.
pronominum accentus duplex 270.
quantitas 282.
pronuba Juno 31. 34. 147. 705. 888. 905.
pronunciatio 442. 540. 937.
prooemium 544.
Propontis 626. 657. 661.
proportio 289. 290. 794.
numerorum 745. 758. 794.
arithmetica et harmonica 757.
propositio 414. 506. 544. 553.
propria verba 509.
rerum nomina 558.
proprium 559. 548. 479.
propter i. q. prope 214. 333. 665. 705. 729.
proritare 895.
proruptio undarum 624.
prosapodosis §. 533.
Proserpina 81.
Luna 161.
prosiciae 9.
prosodia 268. 275.
prosodiaci numeri 991.
Protagoras 550 not. 455 not.
protheoremata 158.
providens femina 215.
Prudentia 127.
pruritui subscalpere 7.
Prusias 687.
ps 245.
psallere 1. 888.
psaltae 924.
Psyche Entelechiae et Solis filia 7.
Psylli 671.
Ptolemaeus geographus 609. 815.
rex 598.
ejus nomine stella appellata 858.
Ptolemaida urbs Cyrenaicae 672.
Ptolemais urbs Phoeniciae 680.
pubeda 31 not. 908 not.
pubens 5.
publici dii 59.
publicitus 457.
Pudicitia 147.
Veneris 85.
pudor pro colore rubro 116.
puer aratri 192.
piceus 729.
pulsus 11. 27.
pulvereus 585. 725.
pulvinar comere 905.
pulvis 557. 575. 722.
punctum 707 sequ. 971.
Punica nomina 294.
puniceus fulgor 75.

Puppup oppidum §. 670.
purgatio 458.
purpurati ocelli 918.
purpureus 115. 219. 912.
Pygmaei 695.
Pylii conditores Metaponti 642.
pyramis 721. 722.
Pyrenaeus mons 635. 654.
Pyriphlegethon 166. 195.
Pyroeis planeta Mars 194. 851. 884.
pyropus gemma 77.
pyrrhichius 521. 975. 984.
pysma 524.
Pythagoras 125. 215. 609. 729. 803. 882. 924.
Samius 102.
ejus dejeratio 107.
Pythagorei 923.
Pytheas 595.
Pythius Apollo 10. 20. 68.

Q litera 255. 258. 511.
ejus pronunciatio 261.
quadra 825.
quadrangulum 754.
quadratura 884.
quadratus deus 754.
Mercurius 106.
numerus 746 sequ. 798.
quadrifida 959.
quadriga elementorum 189.
quadrimembris 805.
quadrisemus 981.
quadruplicatio 750.
quadrussis 757.
quaesitum 524.
quaestio 441. 445.
quaestiones 561.
qualitas 340. 365. 367 sequ.
qualitas in causis §. 444 sequ. 451 sequ.
translatum nomen 510.
quando in dialectica 582.
quantitas in grammatica 274.
in dialectica 340. 365. 371 sequ.
quaternarius numerus 106. 754.
quaternio 767. 778. 798. 801.
quatuor alipedes 189.
que 272.
qui pro quis 118 not.
quid pro aliquid 5 not.
quinaria symphonia 954.
quinarius numerus 735. 745.
nuptiis congruit 109 not.
quinta substantia 814.
Quirinus 46. 50.

R litera semivocalis 244. 271.
in fine vocabulorum 284. 297.
ejus pronunciatio 261.
rabidus 122. 809. 909.
rabulatio 577.
radii Solis duodecim 75 not. 188.
ex Arithmetica exeuntes 728.
radius ac pulvis 557. 580.
ramale 7. 265. 750. 917.
ranae sonitus 804.
rapidae aras 124.
rapidulus 804.
rariora spatia 950.
ratiocinatio 406.
ejus formae 420.
rationabilia 546. 949.
rationales status 461. 544.
rationes 758. 760.
ratus 11. 20. 41. 117. 909.
raucitas 804.
raucus 11. 28. 425.

Reatinus ager §. 640.
reboare 121.
reboatus 215.
recisionis momenta 971.
reclinis 889.
recordativa species verbi 313.
recursio sacra 911.
recursus 854. 884.
recurvus 639.
redarguere 560.
redditio orationis 553.
redimicula 888.
redimiculi aenigma 141.
redimitus puer 90.
reflatus 907.
reformare 68 not.
reges de rege et regina 41.
regina Isis 4.
regiones deorum 604.
reglutinare 586.
regulariter 898.
Regulus 402.
relatio criminis 454 sequ. 534.
relativa qualitas 451.
ratio 474.
relativum 340. 363. 374 sequ.
remigia pro alis 113. 814.
remissio 940.
remotio criminis 454. 456.
remugire 423.
renidere 5. 17. 27. 67. 76. 208. 581. 727.
renovari 425.
renudare coronam 40.
repediatus 921.
repensatrix 898.
repercussus 863.
repetitio 553.
repigrare 33.
repigrior §. 36.
replicare 213.
replicatio 533. 757. 759.
reprehensio 557. 560. 562.
repromittere 41. 920.
repugnantia 416. 421. 474. 492.
residui dii septem 43.
resolutio 562.
restricta lumina 534.
resultare 2.
retexere 564.
retrogradatio 881.
revelare 229.
revibrare 169. 810.
revibratus 110.
revolutio 922.
revolvere 423.
Rhegium 639. 641.
Rhenus 634.
Rhesus amnis 688.
Rhodanus 635.
Rhodope mons 631. 635.
Rhodus 612. 616.
Rhoebus equi nomen 378.
rhombos 712.
rhopalicus versus 574 not.
rhythmica 930. 936. 969.
rhythmizomenum 968.
rhythmoides 970. 972.
rhythmopoeia 970. 994.
rhythmus 967 sequ.
ricinium 7.
rictus leonis 197.
jocans 222.
rigentes undae 618.
rigor 914.
rimatim 112.
Riphaei montes 663. 666. 685. 876.

Digitized by Google

risus Jovis §. 17.
quantum deos deceat 332.
homini proprius 348. 354. 398. 479.
Roma 637.
Romanorum vestitus 426.
Romuleae vires 333.
Romulus inter deos relatus 62 not. 95.
pro Romano 229. 235.
rosae violis mixtae 215.
rosaria Paestana 641.
rosarum spicula 132.
rosis jugare lilia 902.
rota cancscens 999.
rotunditas terrae 618.
ignota 140. 910.
rubellus 566. 804.
rubeus et ruber 14.
Rubrum mare 677. 699.
rumores 560.
rupes Parnassia 11.
Aegyptia 330.
ruricolae divi 889.
Rusarus oppidum 668.
Rusconiae et Ruscurius oppida 668.
Ruspae oppidum 670.
rutilatus auro 76.
rutilescere 125.

S an litera 245.
ejus pronunciatio 261.
syllabam communem reddit 278.
in fine vocabuli 285 sequ. 299 sequ.
Sabaeorum vapor 124.
Sabrata oppidum 670.
sacramenta nuptialia 117.
sacrilegium 452.
Sacrum promontorium 611.
Sagaris fluvius 687. 688.
Sagitta signum coeleste §. 830. 835. 838. 843.
Sagittarius Apollo 15.
in zodiaco 842.
salamandra 346 not.
Saldae oppidum 668.
salebrae scruposae 888.
Sallentinus populus 639.
Sallustius 296. 320.
salor et salum 16 not. 380 not.
saltatio brachiorum 746.
Salus 45.
salvator 310.
Samaria 679.
sambuci 924.
Samos insula 616.
Samothracc 660.
Sancus 56.
Sandaliotes insula 645.
sanna 566.
sapientia rerum 567.
Sardinia 659. 645.
Sarmatae 614. 656. 663.
Sarpedon mons 685.
Satira sive Satura 2. 376. 806. 907.
Saturnus deorum senior moestissimus 4.
creator deorum rigidissimus 197.
gressu tardus 70.
Latii conditor 642.
ejus mansio 38.
uxor 71.
falx 425. 566.
Saturnus planeta 14.
Phaenon appellatus 851
frigidus et nocens 17. 197.
ejus circulus 853. 861.
cursus 850. 886.
Satyri 167. 667. 674.
saxum fidicinans 928.

scabri dentes §. 226.
scalpere 7.
scalprum 224.
scaphia 597.
scaturigo 2. 720.
Scauriana oratio 441. 469.
sceptrifer 911.
schemata in grammatica 227. 326.
in rhetorica 426. 515.
in geometria 708.
in rhythmica 969. 971.
scholares monitus 456.
scholaria inchoamenta 526.
scibilis 575.
Scipiones 627.
Scironia saxa 655.
scolicum axioma 527.
scopae 812.
Scorpio in zodiaco 830. 835. 839. 842.
scriba Jovis 41.
scripti qualitas 450.
scriptionalis quaestio 463.
scriptura 449. 461. 498.
scrobis 302.
scruposae salebrae 888.
Scyllaeum oppidum 641.
Scythae 636. 695.
Scythica plaga 618.
Scythicus mons 685.
oceanus 665. 695.
sinus 662.
scythis gemma 67. 75.
sectator 220.
secundae beatitatis numina 151.
secundanus Jupiter 47.
Pales 51.
secundi numeri 750. 772.
secundo pro bis 820. 824. 825.
sedecim coeli partes §. 45.
Seditio 47.
seditiones musica sedantur 926.
segetes laetae 559.
luxuriare dicuntur 512.
sejunctio 562.
Seleucia 678. 681. 691. 701.
Seleucus rex 619.
semanticus 985. 988.
semestris dies 664.
semiannuus 595.
semicirculus 714.
semidei 156. 906.
semina rerum 1.
seminarium 751.
Semiramis 690.
semitonium 11.
semivocales 259.
semivulsus 10.
Semones 156.
Senaria insula 644.
senarius numerus 109 not. 756.
senatusconsultum deorum 40. 96. 576.
senio 792.
sensificare 908.
sensus quinque 735.
sententia scripturae 465.
senticosae copiae densitas 265.
sentis spinescere membris 704.
separatarum tetrachordum et soni 961.
sepia 224.
septenarius numerus 108. 758.
Minervae tributus 40. 568.
septentrionalis circulus 827.
Septentriones 606. 615. 694. 696. 699. 838.
septimani partus 759.
septimo radiati dii 204.
Serapis 191.

serenum §. 17. 74.
Serenus poëta 518.
Seres 695.
sermocinatio 543.
sermonis vitia 526.
serpens in manibus Dialecticae 328.
caudam devorans 70.
cantu rumpitur 927.
Serpentarius 843 (v. Ophiuchus).
serpentibus habitantur deserta Syrtis 671.
item Caspiae portae 691.
vescuntur Troglodytae 674.
Serrium 657 not.
serta vernifera 1.
sertatum caput 426.
sertum dominandi 79.
Servius Nobilis 594.
sesquialteri etc. succentus 11.
Sestos urbs 658.
Sethus pro Zetho 257.
setis dumalibus hirtus 529.
sexis 505. 767.
Sibyllae 10. 159.
sic in apodosi 803.
Sicania 646.
Sicca oppidum 669.
Sicilia 659. 646.
Siculi freti insulae 648.
Siculus Neptuni filius 646.
sidera sempiterni ignes 156.
a considendo dicta 817.
dii 67 not. 125 not.
eorum cursus 151.
ortus 591.
siderea cupiditas 94.
siderei cursus 118. 811.
Siga oppidum 688.
Sigeum promontorium 616.
sigillatim §. 27 not.
signa jacens 960.
signifer 825. 854 (v. zodiacus).
signifex 36.
signum 707. 708. 746. 959.
sil 241.
silentio deprecari 202.
Silenus 804.
silicernium 805.
siluri 702.
silva Apollinis rata modulatione congruens 12.
Silvani 167.
Silvanus 425. 566. 906.
simile 487. 558.
et dissimile 573.
Simonides 558.
simulacrum animae verberare 142.
sinapis 291.
singularitas 750. 774. 792.
singulatim 27.
singultus concussi 804.
singulus 525.
Sinonia insula 644.
sinuosus 709.
sinus Europae 658.
Sipylus mons 686.
Siren 245. 642. 645.
Sirenarum scopuli 641.
Sirius 98.
sistra Niliaca 170.
Sithonia gens 656.
sititor sanguinis 82.
situ murcidus 10.
situs 340. 365. 581.
partium 571.
smaragdineus 66.
smaragdus 75.
Smintheus 242.

Smyrna §. 686.
soccus 121.
sociale vinculum 7.
Socrates 550.
Sogdiani 602.
Sol 75 sequ. 185 sequ. 851. sequ.
temperat 14. 17.
in centro 857.
quot diebus singula signa permeet 848.
ei imprecantur Atlantes 675.
ejus cursus 872.
defectus 859. 869.
filia Anima 7.
Celeritas 50.
radii 15.
nomen unde? 187.
soleae Junonis 67.
solicanus 127.
solida 708. 721.
solidi numeri 732. 734.
soliditas 734.
Solis insula 699.
solivaga virginitas 40.
Soloe urbs 226.
soloecismus 526.
solstitialis circulus 819. 828.
dies 846.
somnia 131.
somnolentus marcor 35.
somnus 501.
sonus 741. 931. 933. 939.
Sophene 678.
Sophia 6. 25.
sophismata 423.
stoica 327.
Sopores 45.
sorbillare 139.
sordescere 518.
sordida verba §. 500.
sorita 122. 423.
Sors 88.
sortibus excedit Apollo 9.
Sosantii 432.
Sospita Juno 55 not.
soter 510.
Sotigena 149 not.
sp pro ps 924 not.
Spania 621 not.
Spartium promontorium 686.
spatia signorum 948.
spatiorum perceptio 947.
spatium vocis 948.
specialia 939.
specialiter 578.
species 345. 477. 485. 486.
numerorum quatuor 730.
spectativa 250.
specus 295.
speculi instar Luna 169.
speculum Sophiae 7.
sphaera 585. 721 sequ.
aenea 815.
aplanes 741.
Archimedis 585. 912.
caelata imago mundi 68.
coelestis 198. 201.
solida 580.
sphaerarum concentus 12. 27. 169. 910.
Sphenis promontorium 611.
spicae Erigonae 174.
spicula rosarum 139.
spicus crinalis 903.
spinosus 528.
spirantia simulacra 36.
spissum 945. 950.
splendificare 912.

Digitized by Google

spondeus §. 521 sequ. 985 sequ.
Sporades insulae 660 not.
spumea proelia 569.
spumigenus 915.
stadium 610.
statarii soni 946.
statio 25. 854. 884. 887.
status 443 sequ. 525.
incidentes 459. 465.
stelae deorum stemmata continentes 137.
stellae a stando dictae 817.
igne aluntur 912 not.
earum trajectio 207 not.
stelliger 897.
stemmata deorum 137.
stercoratus et sterceratus 505.
stercus Senatus 512.
Stilbon Mercurius planeta 25. 851. 879.
stilus 597.
ad scribendum 65.
Stimula 888.
stimulare 55 not.
Stipa insula 644.
Stoechades insulae 645.
Stoici 124. 527.
strangulare 528.
Straton 830 not.
stringere 1.
Strongyle insula 648.
Strophades insulae 660.
strophium 7.
Strymon fluvius 655. 656. 907.
stupidare 572. 725.
Suada 888.
Juno 5. 51.
subarmalis 426.
subdimidius 761.
subjectiva pars proloquii 341. 395. 409.
subjectiva particula §. 597.
subjectivus verbi modus §. 510.
subjectum 361.
sublatio 974 not.
sublimari 849.
Submanes 164.
subprincipalis sonus 931. 941. 942.
subrigere 729.
subscalpere pruritui 7.
substantia 340. 344. 361.
prima et secunda 364 sequ.
num relative? 578.
subtermeare 849.
subtertius numerus 761.
subtilis ductus 470.
succendere 98.
succentus 12.
sulcare 621.
Sulcense promontorium 645.
Summanus 161.
sumtum 343. 464.
super pro insuper 40.
supercilia 545.
superdimidius 761 sequ.
superferri 882.
superficies 707 sequ. 746.
superflue 510.
superparticularis numerus 761.
superpartiens numerus 762.
superstare 846.
supputatio 227.
surdis tuba medetur 926.
Surrentum 644.
Susa 700.
susurramen 726.
susurratim 705.
Sybaritae 925.
Syene 598. 611. 705.

syllabae §. 255.
syllabarum junctura 264.
quantitas 274.
syllogismus 343. 406. 465.
Symbolice 894.
Symmachia Sibylla 159.
symperasma 343. 407. 716.
symphoniae 955.
tres 105. 107. 735. 737.
Symplegades 691.
symploce elocutionis figura 534.
synaloephe 267.
syneches proceleusmaticus 987.
synonymia elocutionis figura 535.
sypnum 157. 254.
Syria 678 sequ.
Syrinx 916 not.
syrma rhetoricum 122.
Syrtis 670. 671.
Syrus quidam 142. 172.
systaticus 715. 994.
systema 947. 955.
syzygia 311. 559. 979. 989. 991.

T literae pronunciatio 261.
usus in fine vocabulorum 279. 285. 290. 570.
Tabraca oppidum 669.
tabulae 498. 499.
ceratae 225 not.
nuptiales 217.
Tacape oppidum 670.
Taenarum promontorium 612.
Tages 157. 657.
Tagus fluvius 628.
talaria Mercurii 9. 26.
talentorum conscius 578.
tam abest ut 38.
Tanais fluvius 616. 626. 692. 907.
Tanaquil §. 241. 279. 294.
Taprobane 696.
Tapsus oppidum 670.
Tarbile oppidum 700.
Tarraconensis urbs 627. 655.
Tartari claustra 22.
Taurica regio 664.
Taurominium oppidum 647.
Taurus legatus ambigue 462.
mons 678. 685. 690. 700.
in zodiaco 829. 845. 897.
tautologia elocutionis figura 536.
Teleutea insula 644.
Tellurus 49.
Tellus 49 not. 71 not.
tellustres divi 729.
Telmessus oppidum 684.
telum 466.
temetum 804.
Temperantia 129.
temperatio 32.
temperatissimus Jupiter 196.
temperiem dat Sol 186.
tempora anni quatuor 75.
ortus et occasus 844.
tempus 340. 363. 382. 971.
tribus vicibus variatur 105. 735.
Tenedos insula 616. 658.
teneritudo 814.
tenor 470.
tenuata acies 932.
tenuatum metallum 909.
Terentius 525. 488. 495. 497. 518. 553.
tergeminae cristae 568.
terminatus 722.
terminus 711.
ternarius numerus 105. 735.
Terpsichore 124.

Terpsichore Venerem amplectitur §. 28.
Terpsis 905.
Terra Vulcani filia 49.
olim Hera 160.
terra eccentros 849. 855. 873. 879.
immobilis 599.
in medio 584. 599. 814. 815.
ejus positio 599.
circulus 596.
circuitus 609. 858.
dimensio 703.
forma 590.
latitudo 614 sequ.
longitudo 611.
partes 622.
rotunditas 617.
Terracina 641.
terrea vis 140.
terreus ortus 95.
tessera 755. 800.
testamentum transactionis 499.
testimonium 474. 500. 560.
testudines 698.
testudo pro lyra 177.
tetartemoria diesis 930. 959.
tetrachorda 187. 935. 941. 955. 959. 960. 963.
eorum genera 955.
tetragonum 712.
tetraplasi ratio 955.
tetras 734. 738. 745.
tetrasemos 987.
Teutrania 686.
textum mundi 37.
thalamus 1.
Thales 215.
Thalestris 925 not.
Thaletes Cretensis 926.
Thalia Musa 28. 126.
Thaumantias Iris §. 67.
theatralis 654.
voluptas 909.
theatrum 427.
undarum 658.
Thebani in deorum numerum relati 95 not.
Thebarum moenia 908.
Themis 174.
Themista insula 645.
Thenae oppidum 670.
Theode insula 702.
Theodorus Byzantius rhetor 552.
Theophrastus 923. 926.
theoremata 250. 716.
Therasia insula 648.
Thermacides 765.
thesis 474.
in rhythmica 974. 985 not.
Thessalia 651. 654. 659.
Thoyth 102. 176 not. 178 not. 225 not.
Thracia 651. 655. 656. 687.
Thracius citharista 907. 927.
Threicium carmen 119.
Thucydides 646.
Thyle 595. 616. 666.
Tiberina ostia 657.
tibia rurestris 906.
ejus inventio 924.
vis in animos 926.
tibicines in proeliis 925.
Tibur 642.
Tigris fluvius 681. 700.
Timaeus Platonis 803.
timoris deus 54 not.
tineae cariesque 10.
Tingi oppidum 666.
Tingitana provincia 668.
Tisias orator 454.

Titan §. 585.
titillare 7.
Tmolus mons 686.
togati Romani 536. 432.
Toli caput 225 not.
tonare orator dicitur 427. 437.
toni 108. 736. 930. 931. 933. 935. 960.
in coelo 169 sequ.
i. q. accentus 273.
tonia 959.
tori lacertosi 5.
tormenta 501. 560.
torquere ora 545.
torridatus 602.
tortuosi crines 528.
totum et partes 339. 350.
trabeatus 429.
tractatus 481.
negotii 467.
tractus i. q. tractatus 936.
tragica modulatio 965.
transactio 499.
transaustrinus 608.
transferre 510.
transfusio elementorum 738.
transitus vocis 964.
translatio 446. 453. 572.
translatum 509.
transmotio 525.
transversi ortus 844.
trepidus 21.
tressis 305.
triangulares amfractus 579.
numeri 755.
triangulus ignis 568.
trias 733.
tribunos appellare num servo liceat? 446.
trifida hasta 425.
triformis discolorque vertigo §. 170.
trigarium 733. 895.
trigonum 712.
trigonus accentus 120.
Trinacria insula 585. 646.
Trinitas 204 not.
Triones gemini 593. 806.
tripedale 372.
triplasia ratio 932.
triplicatio 105. 750.
triptes divorum 164.
Triptolemus 158.
triptota 207.
tripudia hymenea 132.
tripus 894.
trisemus 978.
trisulcae lucis fulgor 896.
trisyllaba 269.
in clausula 522.
tritemoria diesis 930. 959.
Triton 924.
Tritonia Pallas 7. 725. 738.
Tritonida 893. 924.
triumfo 511.
triviatim 3.
Troas 686.
trochaeides numerus 992.
trochaeus 520 sequ. 985 sequ.
unde dictus? 988.
Troglodytae 665. 674. 702.
Trojana Sibylla 139.
Trojanum secretum 114.
tropi 526. 560.
in musica 931. 935. 940. 965. 966.
tropica mela 965.
tropicus colurus 835.
tuba 425. 925. 926.
oratorum 566.

Digitized by Google

Tubusupta oppidum §. 608.
tugurium 255 not.
Tulliana castra 566.
turbidare 67. 165.
Turbo 292.
turgor 155. 566.
turpis materia in oratione 547.
tutelator Genius 152.
Tyche 88.
tympanum Cybelcium 170.
in manu Junonis 67.
ejus bombus 155.
Typhon 191.
typhus 566.
tyranni interfectio 445. 465.
Tyrida oppidum 657.
Tyrrheni maris insulae 643 sequ.

V literae pronunciatio 261.
transitus in alias vocales 255.
usus in fine 279 sequ. 284.
in fine neutrorum 293.
vacuum 21.
vagi soni 946.
Valerius Soranus 751 not.
Valitudo 55.
vapor et canor 917.
variata notulis pictura 66.
Varro 535. 578. 650. 662. 817 not. 927.
Varus amnis 654.
vasa horoscopa 595.
vasum an vas? 295.
vaticinia 151.
vatum tumores 809.
ubera Junonis 17.
ubi? 382. 440.
ve 272.
Vedius 142. 166.
Vejovis §. 59. 166.
velamina deorum 66 not.
Velia 645.
velle i. q. voluntas 21. 52. 91.
vellere crura 704.
Velonensis civitas 666.
venarum indicia 968.
venas pensare 926.
Venoria insula 644.
Veneti 689.
venialis species 457. 458.
Venus 85. 184.
picta 727.
Harmoniae mater 757.
ejus famulitium 804.
oppidum 682.
ei senarius numerus attributus 756.
Venus planeta 14. 854. 857. 879. 882 sequ.
ver 75. 874.
ejus deus Mercurius 27.
ejus fructus 52.
verba sua et aliena 367. 558.
nova facere 379.
verborum exoletorum usus 509.
genera 509.
modi 510.
novatio 510.
quantitas 285.
verbum 541. 588.
Vergiliae 696.
veritas ex non exsistentibus 206.
vermiculare 729.
vernans aethra 584.
vernicomus 570.
vernifer 1.
vernum tempus 874.
verrere ima maris 908.
versiformis 589. 917.

versilis profunditas §. 425.
versipelle studium 550.
versus numerorum 742. 745.
in oratione 517.
vertex 15.
cum petaso 176.
vertigo 170. 810.
Vesper sive Vesperugo 885.
Vesta 72. 168.
deorum nutrix 215.
Vesulus 640.
veternus 1000.
vetusta verba 500.
Vibo urbs 645.
Vibonensis ager 640.
vibrare 32. 92. 196. 201. 880.
vibratus 66. 887.
viessis quadrussis 757.
victus 804.
vincla 1.
vinolentia 501.
violae 119. 215. 903.
vipereus 424.
vir fortis 450.
virago Minerva 575.
virecta 67.
virga memor 126.
praenitens tricolor 176.
Virgilius 212. 266. 276. 278. 280. 285. 307. 322. 325. 493. 494. 495. 500. 511. 592.
virgo 567.
fontana 205.
Virgo in zodiaco 832. 839. 841.
virgula 273.
viror 75.
virosa assertio 552.
Virtus 2 sequ.
virtutes cardinales 127 not.
virus viri §. 305.
vitem qui invenerint 158.
vitia quatuor 754.
vitiligines linguarum 226.
vitreae aurae 584.
vittae 10. 20.
vividare 942.
Ulissipo 629.
ulnae 582.
ultima syllaba cum accento 271.
chorda conjunctarum etc. 943.
ultramundanus pater 185.
Ulysses 658.
ejus specula 645.
nepos Praenestes 642.
umbilicus 566.
Italiae 640.
umbra Lunae 859.
telluris 580.
Veneris 885.
Umbracius mons 114.
Umbri 657.
unctionis usus in nuptiis 149 not.
undantes 158.
undiquesecus 599. 601. 622. 724. 814. 865.
undiqueversum 601.
ungues pressi 902.
universale 342.
proloquium 396.
univocum 550. 556.
unus abundans 3.
Unxia Juno 149.
uo finita verba 318.
vocales 255.
vocativus 280 sequ.
in i an ie? 304.
volo imperativo caret 525.
Volsci 658.

Digitized by Google

Voluptas §. 704. 725. 727. 888. 906.
vomitio Philologiae 156.
vox 540. 541.
in musica 937.
ur in fine vocabuli 298.
Urania 7. 28. 118. 810.
Urcitanus 627.
Urgo insula 644.
urna Adrastiae 64.
urnulae Phocbi 16.
Ursa major 827. 853.
us in fine vocabuli 304.
ut pro licet 22.
Utica 669.
utilitatis publicae cultores 62.
Vulcaniae insulae 648.
Vulcanus 87. 740. 889.
Jovialis 42.
Lemnius 7.
Terrae pater 49.
vulgus deorum 425.
vulnera musicae ope curata 926.
vulnificus Apollo 15.
vultuosus 127.
vultus 540. 545.
uxorius 4.

X litera duplex §. 244. 246. 259.
in fine vocabuli 308.
ejus pronunciatio 261.
Xenocrates 926.
Xerxes 655. 661.

Y litera a nonnullis rejecta 255.
in vocalium numerum congregata 258.
ejus pronunciatio 261.
bivium Pythagoricum 102 not.

Z litera a Graecis venit 257.
duplex 246.
dentes mortui imitatur 261.
syllabas communes reddit 278.
Zeno 215.
Zethus 257 not.
Zeugitana regio 669.
Zeugma oppidum 678.
Zmyrna 257.
zodiacus 5. 44. 75. 610. 825. 859. 849. 867.
zonae quinque 602.
novem 741.
Zone 657 not.

Digitized by Google

INDEX

VERBORUM GRAECORUM

Ἀγωγή §. 958. 970.
ἀείζωον 141.
αἰτιολογία 561.
ἀκερσεκόμης 19.
ἀκρόνυχος 880 sequ.
ἄλογος 717. 720. 949. 975. 992.
ἀμφιβολία 462.
ἀμφίκυρτος 738. 864.
ἀμφίπλευρος 712.
ἀναβιβάζων συνδεσμός 871.
ἀναγκαία quaestio 561.
ἀνάγραφος 715.
ἀναδιήγησις 562.
ἀναδίπλωσις 535.
ἀνακαμπτός 958.
ἀνακεφαλαίωσις 564.
ἀναλογία 289 sequ. 794.
ἀνάλογος 717.
ἀνάλυσις 562.
ἄναστρος §. 814.
ἄνεσις 940.
ἀνθυποφορά 565.
ἀντεζευγμένον 537.
ἀντεισαγωγή 524.
ἀντίθεσις 980.
ἀντιθετόν 551.
ἀντικατηγορία 469.
ἀντίποδες 605. 874.
ἀντίστασις 457 not.
ἀντιστροφή 534.
ἀντίφρασις 560.
ἀντίχθονες 605.
ἄντοικοι 605.
ἀπαθής 150.
ἅπαξ καὶ δὶς ἐπίκοινα 205.
ἀπεργαστικόν 956.
ἀπλανής 28. 814.
ἀποδεικτικός 473. 706. 715.

ἀπόδειξις §. 716.
ἀποθέωσις 140. 206.
ἀποκατάστασις 742.
ἀποστροφή 523.
ἀποτομὴ ἄλογος 720.
ἄπτωτον 235. 299.
ἄπυκνος 945.
ἄῤῥυθμος 970. 972.
ἄρτια 949.
ἀρτιάκις ἄρτια et περισσά 748 sequ.
ἀσύμμετρος 719.
ἀσύνδετον 536.
ἀσύνθετον 949.
ἀσώματος 222.
ἀφορισμός 562.

Βαρύπυκνος 945.

Γλαυκῶπις 571.
γραμματική 229.
γραμματιστική 229.
γραμμή 708.

Δαίμονες 154.
δεινότης 427 not.
δείνωσις 565.
διὰ πασῶν 934. 944. 950 sequ.
πέντε 934. 950. 951.
τεσσάρων 933. 950. 951.
διανοίας figurae 561.
διατόης 990.
διάτομος 738. 864.
διάτονος 931. 942. 949. 955. 966.
διάφωνοι 947.
διεγερτικά 2.
διεζευγμένα 931.
διορισμός 716.
δυνάμει σύμμετρος §. 719.
δυναμένη ἄλογος 720.
δωδεκάεδρος 722.

Ἔγγραφος 715.
ἐγέρσιμον 2. 911.
εἰδικόν 936.
εἰκοσάεδρος 722.
Εἱμαρμένη 64.
εἰρομένη λέξις 526.
ἑλικοειδής 709. 868.
ἔμπυρα 124 not.
ἐναρμόνιος 942. 949. 955. 959. 966.
ἐνδελέχεια 7.
ἐξαγγελτικόν 936.
ἐπαοιδαί 926 not.
ἐπίληψις 994.
ἐπιμέριοι 757.
ἐπίμονος λέξις 526 not.
ἐπίπεδον 708.
ἐπιτριτος 761.
ἐπιτέταρτος 761.
ἐπίτριτος 761.
ἐπιφάνεια 708. 709.
ἑπτάς 567.
ἕρα 160 not.
ἑρμηνευτικόν 936.
ἑτερομήκης 712. 755.
ἐτυμολογία 474. 485.
εὐδαιμονία 140.
εὐθεῖαι 709.
εὐθύγραμμος 711. 712.

Ἦθος in musica 947.
ἡμίθεοι 156.
ἡμόλιος 761.

Θηρίον 838 not.

Ἰαμβίζειν §. 988.
ἰδιότης 939.
ἱεροὶ γάμοι 3.
ἰθματικός 715.
ἰδόπλευρος 712.
ἰδοσκελής 712.
ἰδότης 717.

Κάθετος 711.
καιρὸν γνώθω 807.
καμπυλόγραμμος 712. 715.
καμπύλος 709.
καταδιήγησις 552.
κατασκευή 716.
κεράτινος 327 not.
κιρκωτή 815.
κοίμησις 996.
κόμμα 527.
κόρδαξ 924 not.
κρικωτή 815 not.
κρινόμενον 461.
κυκλικός 709.
κυκλοφορητικὸν κῦμα 814.
κῶλον 527.

Λέξις 936.
λιχανοειδής 946.
λίχανος 931 not. 946 not.
λόγιον 9.

Μελοποιΐα 936. 958. 965. 994.
μέση 931. 942. 954.
μέση et ἐκ δύο μέσων ἄλογος 720.
μεσόπυκνος 945.
μεσοσύμμετρος 719.
μετάστασις 446 not.
μηνοειδής 758. 864.
μίξις §. 994.
μυρία 745.

Νήτη 931. 954.
νομικός 965.
νοῦς 126. 567.

Οἴκτειρμα 565.
ὀκτάεδρος 722.
ὁμαλῶν plenitudo 108.
ὁμοιολογικά 965.
ὁμόλογος 717.
ὁμόφωνοι 947.
ὁμώνυμον 353 not.
ὄνος λύρας 807.
ὀξύπυκνος 945.
ὀργανικός 956.
ὁρίζων 605.
ὅροι 765 not.
οὐρανίσκος 838 not.

Παιδεία 578. 728.
πανδέληνος 758. 864.
παραγραφή 446 not.
παραδιήγησις 552.
παράλλαξις 871.
παραμέση 931. 943. 954.
παρέκβασις 552.
παρεμβολικός 715.
παρυπάτη 931.
παρυπατοειδής 946.
περίγραφος 715.
περιεργία 146 not.
περίοδος 527. 529. 979. 986.
περιπλέω 973.
περιστάκις ἄρτιοι et περισσοί 748. 749.
περιφέρεια 712.
πλοκή 936. 938.

πολλαπλάσιος §. 737.
πολύπλευρος 712.
προδιήγησις 552.
προηγούμενος 561.
πρόθεσις 716.
προσευρετικός 715.
προσλαμβανομένη 935.
προσλαμβανόμενος 931.
προσῳδία 268. 273.
πυθμήν 765 not.
πυκνός 945. 950.

Ῥητός 718.
ῥομβοειδής 712.
ῥόμβος 712.

Σημεῖον 708.
σκαληνός 712.
στερεόν 708. 721.
στοιχεῖον et γράμμα 232 not.
στρογγύλα 973.
συζυγίαι 311. 559. 979. 989. 991.
σύμμετρος 719.
συμπέρασμα 716.
συννημμένα 931.
συνώνυμα 356 not.
συστατικός 715. 994.
σχολή 441 not.
σωρίτης 327 not.

Ταπείνωμα ταπεινουμένη et ὑψουμένη Luna 869.
τάσις §. 939.
τέλειοι 753.
τετρακτύς 107.
τετράπλευρος 712.
τμηματικός 715 not.
τραπέζιον 712.
τρίπλευρος 712.
τρίτη 931.

Ὑμνολογεῖν 2.
ὑπάτη ὑπατῶν etc. 931.
ὑπερβολαίων tetrachordum 931.
ὑπερλύδιος etc. 935.
ὑπερτέλειος 753.
ὑποδιήγησις 552.
ὑπόθεσις 441.
ὑποκριτικός 936.
ὑπολύδιος etc. 935.
ὑποπολλαπλάσιος 737.
ὑποτέλειος 753.
ὑπότριτος 761.
ὑφημόλιος 761.
ὕψος ὑψουμένη Luna 869.

Χρῆσις 994.
χρῶμα 933. 936. 939.
χρωματικός 930. 942. 949. 955. 966.
χώρα 720.

Ψυχή 7.

Ὠιδικόν 936.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D. Knode.